



GALLIA PVRPVRATA

quâ cum summorum Pontificum tum omnium Galliæ Cardinalium, qui hactenus vixêre, res præclarè gestæ continentur.

Studio & operâ PETRI FRIZON Doctoris Theologi Parisiensis et in magnâ Franciæ Eleemosynariâ Vicarij generalis.

INIQVI PERSEQVVTI SVNT ME Psal. 118.
Federic. II. et Gibellini.







GALLIA
PVRPVRATA
QVA CVM SVMMORVM PONTIFICVM, TVM OMNIVM GALLIÆ CARDINALIVM, QVI HACTENVS VIXERE RES PRÆCLARE GESTÆ CONTINENTVR;

adiectæ sunt parmæ, & earundem descriptiones.

CAPITA SELECTA AD CARDINALATVM pertinentia.

EPITOME OMNIVM CONCILIORVM Galliæ tam veterum, quàm recentiorum.

NOMENCLATVRA MAGNORVM FRANCIÆ ELEEMOSYNARIORVM.

Operâ, & studio PETRI FRIZON *Doctoris Theologi Parisiensis, & in magnâ Franciæ Eleemosynariâ Vicarij Generalis.*







LVTETIÆ PARISIORVM
Apud SIMONEM LE MOINE, viâ Iacobæâ ad insigne trium Coronarum.

M. DC. XXXVIII.

Cum Approbatione, & Priuilegio.







EMINENTISSIMIS
PRINCIPIBVS S. R. E.

ARMANDO
CARDINALI DVCI RICHELIO
& Fronſaco, Pari Franciæ,

AC

ALPHONSO
ARCHIEPISCOPO ET CARDINALI
LVGDVNENSI, GALLIARVM PRIMATI, MAGNO
FRANCIÆ ELEEMOSYNARIO FRATRIBVS, HANC
GALLIAM PVRPVRATAM DAT, DICAT,
CONSECRATQVE PETRVS FRIZON, QVIBVS
PRECATVR PACEM TEMPORIS,
ET ÆTERNITATIS.

IACOBVS AMANATVS, TITVLI SANCTI CHRYSOGONI S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS PAPIENSIS AD SEIPSVM DE Cardinalatu suo.



AD Cardinalatum vocatus es, ô Papiensis, dignitatem in Ecclesiâ celebrem, si feratur vt debet, circumsonant nunc auribus tuis gratulantium voces; curritur ad blandimenta fortunæ, hi te fortunatum prædicant; sunt qui repromittunt maiora, ineundæ gratiæ omnes, formandæ menti nemo inseruit. Intenditur suis, non amici bonis. At tu inter hæc fortis, si maximè his frontem aperis, claude aures, & vultu excipe eorum dicta, non corde. Vana loquuntur vnusquisque ad proximum suum, & linguis dolosè agunt, suntque molliti illorum sermones super oleum, & ipsi iacula. Redi ad te ipsum semper, & audi spiritum rectum, qui innouari debet in visceribus tuis, non fallet ille te, sed dabit præcepta salutis, quæ institutam ad publica dignitatem in publicis continebit officiis. Ea verò huiusmodi sunt, vt suscipias ante omnia timorem Domini, & illum omnibus diebus vitæ tuæ custodias; est enim initium sapientiæ, est auriga fidus, qui excipiens cogitationes nostras

Ecclesi.2. & linguam ad exitum salutis perducat. Loquitur Ecclesiastes: *Qui timent dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Sine illo nec salutare consilium est, nec in aduersis robur. Pondere timoris tanquam anchorâ sistitur mens; Quin & lingua præsertim nil habet, si frena Domini non tenent, non incitant, non circumagunt, corde est opus;

Matth.8. *Non vos estis qui loquimini*, inquit Saluator, *sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hic verò spiritus nisi cum timore in vobis non habitat, *Super*

Isa. 66. *quem requiescam*, ait, *nisi super humilem & quietum & trementem verba mea?* Actionum vtique nostrarum eadem est ratio. Inanes sunt atque inutiles, cum dono hoc carent, velut arbos, cui succisa est radix, sic opus hominis à quo illud abest actutum arescit. Ergo accedens ad nouam hanc Dei tui

Prou. 23. seruitutem, *sta* iuxta verbum Scripturæ *timens, & tremens.* Et ad eum dic

Psal. 118. cum Propheta. *Confige timore tuo carnes meas, quia firmamentum es timentibus te, & oculi tui super metuentes non en tuum.* Hoc sancto initiatus decreto, sine gratia non eris in reliquis. Crede quoque hunc, in quem venisti gradum, non tam honoris nomen habere, quam oneris: nec tam otij, quam negotij locum. Reprimet hæc cogitatio efferentem se animum, & leuiora faciet quæcunque sunt grauatura. Ad sana etiam consilia animum præparabit, si

Quid sit Cardinalatus. aliud esse Cardinalatum putas, erras vehementer; Quiquid hic est, labor est, & dispensatio Christi, non quies aut imperium. Auxisti ministerium Dei, augenda pariter humilitas est, ac patientia. Sanctum ministerium hoc

Ioan. 2. à te exigit, dicens Dominus, *qui mihi ministrat, me sequatur*, hoc videlicet dicit sicut humilior ego & patior, sic tu humiliare & patere. Collati hono-

res si delectant, non contristent honorum opera. Nil magnum Cardinalatus ex se habet, occasionem laudis affert non laudem, tantusque ipse est quanta illius est virtus, qui eum sustinet, clarus si tu dignus gloria, sine honore si vita est contemptibilis, *Non facit cathedra Sacerdotem*, inquit Chrysostomus, *sed Sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum, non omnis Sacerdos sanctus, sed omnis sanctus Sacerdos. Qui bene sederit super Cathedram, honorem accipit Cathedræ, qui vero malè, iniuriam facit Cathedræ, ideo malus Sacerdos Sacerdotio suo crimen acquirit non dignitatem*: contendere ergo quantâ potes solertiâ, vt inane non sit, quo nunc gloriaris, nec supercilii pabulum habeat, sed recti officij. Pugna contra superbiam, quia ex Diabolo est, & audi gentilem hominem, à quo puer es institutus, licet enim sine Christo sit, sine sensu bono tamen non est: Equidem inquit vt honore dignus essem, primùm laboraui semper, secundò vt æstimarer, tertium mihi fuit illud quod plerisque primum est, ipse honos; Rectè vir sapiens rerum nomina non ante tulit rebus: idem quoque octingentos iam dicit ciues fuisse vsque ad sua tempora, qui assecuti Consulatum Romæ essent, sed eorum vix decimam partem repertam dignam gloriâ, nec hoc quidem iniuriâ. Attenditur enim quod extra arridet oculis, quod esse intra & primum pendi oportet, negligitur. Tu ergo tene semitam rectam & honorum vocabula cum honoribus iunge, cogitans non quid, sed à quo, non quantum, sed cuius gratiâ es assecutus. Instrui per singula non est operosum, modò præstare te dignum Cardinalem velis. Qua id fiat ratione habes in promptu, Velle est opus, aiebat Socrates, quibus hominibus persuasum esset, vt nihil mallent se esse quàm bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam Pauca & prima de multis hæc sunt quæ commemoro. Voluntas & studium porriget reliqua. Sed addam aliud, in quo eniti toto studio debes, vt quantùm videlicet antecellis loco, tantùm & meritis præstes, laudatâ potestate nihil vtilius, nihil quod infrapositos ad reuerendum, parendum & ad suscipienda bonorum operum desideria fortius animet. Diuinitatis non humanitatis putant populi quod supra se vident, & magna admirantes æquanimiter patiuntur duci, quocunque est opus. Ea res quantum publicis prosit nemo ignorat. Exempla attendimus omnes magis quàm præcepta, nec est in quo peccent grauiùs mali Ecclesiæ Principes quàm qui in imitationem sui reliquos trahunt. Induendus ergo nouus est homo & noui sensus formandi, qui iuxta Platonem plus à cæteris hominibus differant quàm viri à pueris, quæ poterant priuato forsitan indulgeri, non indulgebuntur publicam personam tenenti. Cum dignitate crescunt crimina, in magna fortuna inquit Historicus, minima licentia est, neque studere neque odisse, sed minime irasci debet; quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. Relinquendæ sunt tibi delectationes antiquæ, omittendæ euagationes quotidianæ, raro nisi eum expedit, producenda in publicum hæc dignitas est; oblata enim frequenter vulgi oculis vilet, secretum & raritas æstimabiliorem illam reddit, instituenda est vita seuerior & vitæ adiungenda maior religio, quod in aliis est mediocre, id in te esse cumulatum oportet, continuum & constans, opus bonum proprium tuæ professionis appareat, os verò, quod Euangelio est consecratum, nil habeat

Meâ sententiâ incertus auctor hom. 43. in c. 23. Matth. operis imperf.

turpe, aut vanum aut multum, in eo personet semper verbum Dei, & sicut turpe sibi Iureconsulti putant sine lege loqui, ita tu inconueniens verbum Psal. 118. crede quod caret scripturâ. Cantato cum Prophetâ quotidie, *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*, nulla porro intemperati animi in te signa appareant, non libido, non luxus domesticus, castigata sint ad vnguem singula, Corporis tui is sit cultus, is vestitus familiæ, ea frugalitas mensæ, illa mediocritas totius ornatus, vt qui hæc intueantur, Sacerdotio digna existiment, & benedicant operibus tuis; multùm hæc cura ministerium nostrum commendat, nihil enim ad laudem vel detrectationem tam obuium est quam exterior species. In qua eò diligentius est vigilandum quò difficilior eius moderatio; Magnum, inquit Cicero, est tueri personam Principis In Republicâ, quę non animis solùm, sed etiam oculis debet seruire ciuium. Innocentiæ quoque & integritatis & magnitudinis animi & beneficentiæ studium suscipe. Actiones tuæ dignum in domo Dei famulatum ostendant, illa etiam diligentia non habeatur in vltimis, vt pateat omnibus domus tua, & faciles sint accessus ad te. Audiendi non sis impatiens, nec accelerata attentio. Benigna dentur responsa, consolationem capiant qui te adeunt, nemo tristis discedat, opera vero non segniùs impendenda quàm Psalm. 19. offerenda. *Tibi* enim (vt scriptum est) *derelictus pauper, orphano & pupillo* O ficium Cardinalium. *tu eris adiutor*, labor nullus molestiam habeat. Esse nunc te Cardinalem puta, cum aut egenti pium aliquid præstas, aut publicum curas, hæc si propter gloriam in gentilitate olim fiebant, quid ni tu in Christianâ vitâ propter Deum id agas? Addi ad hæc præcepta possent plurima dignitati tuæ cognata, sed ea per te nosces, si (vt dixi) adiungere honori onus etiam voles. Quæ dico, magis eò pertinent vt sanum aliquid inter multa noxia reperiat, quàm vt absoluta vitæ forma tradatur. Vigila Papiensis & esto sobrius, & non careant dies tui & noctes recordatione beneficij accepti; Anni prætereunt, & mors appropinquat. Pugna vt hæc tanti oneris speciosa sarcina, sicut corpus grauat, ita non opprimat hominem. Dominus Deus sit in corde tuo semper, & quando Vicariatui suo membrum te addidit, etiam præstet vt collaborare ad communem salutem vtiliter valeas.

ΙΣΤΟΡΙΟΦΙΛΩ.



PAucis te affabor, beneuole Lector, imprimis obsecrans pro bonitate tuâ, vt boni æstimes bonum animum, & horas succisiuas à multis annis impensas huic Galliæ Purpuratæ illustrandæ.

——— *Si quid tu noueris amplius istis*
Candidus imperti, si non, his vtere mecum.

Me deuinctum profectò habebis multis nominibus, si amicè admoneas eorum, quæ notaueris hoc opere percurrendo, & si aliqua ad Cardinales Gallos, aut eorum familias spectantia pro humanitate tuâ transmissas; certè nihil in eo retuli, quod non desumpserim, aut à diuersis auctoribus Græcis, Latinis, Gallis, Germanis, Italis, Hispanis, qui sua typis edidere, aut à variis M.S. mihi gratiâ amicorum communicatis. Phrygiones sum imitatus è varij coloris filo aliqua aulæa formantes: ad eum scopum semper conatus sum collimare, vt digna Cardinale, digna Senatu contingeret narratio non de ludicris instituta, vtque omnibus quæ dicerētur à me libertas, fides, veritas constaret, tantúmque abesset à specie adulationis hæc Gallia Purpurata, quantum eius auctor abest à necessitate. Veritatis nomine tanquam Aiacis clypeo tegetur hoc opus contra nauseantis Momi palatum, cui hæc fercula minus erunt grata; dummodo autem non sint ingrata viris bonis, fructum laboris mihi videbor satis copiosum retulisse; suauissimè spirat amaracus, sed eius tamen odor quorundam animalium fœtidorum naribus non est acceptus; odiosa sciolorum turba næuos in pulchrâ facie obseruat, in Adamante paleas, in scirpo nodos: hoe est deprauatæ mentis ac iudicij, aliorum scripta carpere, non veritatis indagine, sed zoilorum more, vt ostendantur digito, & dicantur, *hi sunt*. Antimacho sua poëmata recitanti, cæteris abeuntibus, vnus instar omnium remansit diuinus Plato; modo vir bonus sapiénsque aliquis calculum dederit, mihi & aliis satisfactum arbitrabor, Theoninos dentes minimè reformidans.

Θεοῦ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει φθόνος.

In sacris paginis tria scriptorum genera obseruaui, vnum eorum, qui contractus & instrumenta priuatorum videntur descripsisse, Actuarij Tabellariiq; à nostris nuncupantur, cui rei operam soliti fuerunt nauare Cinæi, nullam alioquin hæreditatem cum tribubus sortiti; alterum Scribarum iuris diuini peritorum, quorum munus fuit eùm in Synagogis, tum in templo legem docere, quâ de causâ νομικοὶ fuêre appellati; tertium eorum qui Regibus, virisque Principibus apparebant, referente Samuele. Certè licet de Summis Pontificibus eminentissimisque S.R.E. Principibus nostræ nationis scripserim, non tamen vt iis appaream & gratiam eorum aucuper, aut ineam contentus historiâ teste temporum, luce veritatis, vitâ memoriæ, magistrâ vitæ, nuntiâ veritatis. Cùm enim animaduerterem in Onuphrio

1. Par. 2.
Esdr. 1. & Matth. 7.
1. Reg. 8.

Panuino Veronensi, in Alphonso Ciaconio Hispano, in Ioanne Antonio Petramelario, in Hieronymo Garimberto Episcopo Galleciæ, in Cabrera, in Abrahamo Bzouio Polono exterarum nationum viris literatissimis aliqua ad Eminentissimos Cardinales Gallos pertinentia non quadrare adamussi nostrorum annalium tum sacrorum, tum prophanorum; tentaui ea reducere ad perpendiculum Historiæ Gallicanæ; & quod priuato meo studio, & otio dederam, amici mei, vt publici iuris facerem, semel, & iterum mihi consuluerunt; Si eorum consilio acquieui, mi Lector, æqui bonique consulas velim; Deus te seruet incolumem, teque ipsum beet æternâ felicitate.



APPARATVS GALLIÆ PVRPVRATÆ, AVCTORE PETRO FRIZON VICARIO GENERALI IN MAGNA FRANCIÆ ELEEMOSYNARIA.

De nomine & origine Cardinalium.

CAPVT PRIMVM.



NASCENTI Ecclesiæ Cardinalium nomenclatura fuit incognita; antiquissimam tamen esse nemo ibit inficias, qui Concilium Romanum II. anno orbis Christiani CCC. XIV. paulo ante Nicænam Synodum Oecumenicam, S. Syluestro Pontifice, euoluerit, in quo mentio habetur Diaconorũ Cardinalium; quòd licet diuersis in locis agerent, vnius tamen Ecclesiæ, eiusdemque primariæ cardine continerentur, & à Matrice Ecclesia penderent, velut à cardine ianua; vnde B. Leo IX. apologia contra Michaelem Constantinopolitanum Episcopum. *Quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro & successoribus eius totum Ecclesiæ deponitur emolumentum. Hinc Clerici eius Cardinales dicuntur vtique illi, quo cætera mouentur, viciniùs adhærentes.*

Concil. Rom. 2. cap. 7.

Cardinales vbi primùm nominati.

Certe Diaconi Regionarij ex Constitutione S. Fabiani Pontificis, quatuordecim Vrbis regionibus prçerant, singuli binis, superiores septem scribis, qui gesta Martyrum memoriæ commendabant, præpositi etiam curæ pauperum, qui Christi sunt membra veneranda; vnde S. Paulinus Diaconum vocat *custodem Sanctæ Arcæ*, hoc est prouentuum Ecclesiasticorum, omniumque facultatum, pro quarum distributione egenis factâ, Sanctus Laurentius primarius Diaconorum S. R. E. subiit Martyrium Romæ, primo anno Dionysij Pontificis, die quartâ post obitum sui Patroni S. Sixti Papæ, & Martyris. Obseruandum in Diaconiis, putâ Ecclesiis Sanctorum nomini dicatis, nullam fuisse animarum curam.

Anastas. Biblioth. in Fabiano I.

S. Paulin. lib. 4. in carmi S. Martini.

Cardinales Presbyteros primùm nuncupatos inuenio in Epistolis Gregorij Magni statim citandis, & in aliâ Synodo Romanâ æuo Stephani quarti, mense Aprili celebratâ apud Basilicam Saluatoris, cui interfuêre inter alios duodecim Episcopi selectissimi è Galliis, anno reparatæ salutis D. CC. LXIX. ad damnandum impudentissimum Constantini Pseudo-Pontificis factum, qui ex laico vno momento tanquam in scenam prodierat Pontifex; cuius occasione Patres Concilij statuere, ne in posterùm talia præsumerent laici, non alio ordine creandum Pontificem, nisi eum, qui distinctis gradibus Diaconus, vel Presbyter Cardinalis

Vbi primùm Cardinales Presbyteri.

fuisset inauguratus, quod tamen non fuit semper obseruatum; decreuitque idem Stephanus, vt omni die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus Hebdomadariis Missarum solemnia, in altari B. Petri Apostolorum Principis celebrarentur; eos Cardinales Episcopos intellige, qui proximos Vrbi habentes suos Episcopatus, assistebant Pontifici annexi S. R. E. Cardini, hicque prima mentio Episcoporum Cardinalium. Itaque Presbyteri titularij, & Diaconi regionarij, ac Episcopi tandem dicti Cardinales, id est præcipui, prout quatuor primas virtutes nuncupamus Cardinales, ventos etiam dicimus Cardinales: singulari igitur & præstanti nomine Cardinales appellantur, propter præstantiam dignitatis, & officij prærogatiuam, sicut in Monarchia temporali, supremi Magistratus nuncupabantur Præfecti Cardinales, ita in Monarchiâ Ecclesiasticâ Patres Consistoriales dicerentur Cardinales, eadem tempestate quâ Constantinus in Oriente constituit Præfectos prætorio vocatos, præfectos Cardinales: ita ergo sunt nominati, quoniam sicut circa cardines suos mundus ipse vertitur, ita Christi Ecclesia in Cardinalibus suum seruat, votum inunctis Capiti visibili eiusdem Ecclesiæ Summo Pontifici, sunt enim *orbis Cardines, supra quos Deus orbem posuit*; vt inquit Anna Mater Samuelis; & quemadmodum Deus cœlum ipsum Cardinibus niti statuit, sic etiam cœlum huius militantis Ecclesiæ Cardinales agere voluit, Cardinum vt officio fungerentur; & sicut Cœlestes illi Cœlum regunt, atque circa eos voluitur, ita Cardinalibus Summo Pontifici adhærentibus, laborum ac negotiorum Romanæ Sedis, & totius Ecclesiæ statûs nititur.

Qui Præfecti Cardinales. Alciat, l. a. prætermitt. Constantinus constituit Præfectos Cardd. 1. Reg. 2.

Ad titulum Presbyteri, & ad regionem Diaconi seligebantur, qui virtute, & sapientiâ præeminebant, primariique in Episcoporum Consilio habebantur; tamen Synodis, quibus subscribebant, nulla addebatur Cardinalis qualitas, si vero Cardinalis cognominatio præualuisset, non fuisset sanè prætermissa in Synodo habitâ Romæ in Basilicâ Helenianâ pro Sixti III. Pontificis in Petri Cathedrâ sedentis anno supra Christum natũ CCCXXXIII. expurgatione & defensione; cùm illic duodequinquaginta Presbyteri Vrbis Romæ recenseantur, præsente Valentiniano Imperatore. Accusabatur Sixtus ab Anicio Basso Exconsule, & Mariniano Patricio stupri illati Virgini Deo deuotæ, ab hac turpi calumniâ liberatus, cum voluntariè Pontifex seipsum purgationi subiecisset, calumniatoribus proscriptis. Tempestate Gregorij Magni anno D. CI. nonis Aprilis subscripsêre Romanæ Synodo dictæ Lateranensi Episcopi viginti, Presbyteri Romanæ Ecclesiæ quatuordecim, Diaconi quatuor, nulla facta mentione Cardinalatûs; Idem tamen S. Gregorius Cardinalium Diaconorum diuersarum Ecclesiarum meminit in Epistolis, scribens enim Ianuario Episcopo Caralis Sardiniæ: *Liberatus, inquit, de quo nobis tua Fraternitas iudicauit, qui Diaconi fungi perhibetur officio, si à decessore tuo non factus est Cardinalis, ordinatis à te Diaconibus, nulla debet ratione præponi, ne eos quos consecrando probasse cognoueris, reprobare supponendo quodammodo videaris.* Idem scribens Fortunato Episcopo Neapolitano. *Fraternitatem tuam à nobis petiisse recolimus, vt Gratianum Ecclesiæ Venafranæ Diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ Cardinandum.*

Non apponebant nomen Cardd. subsignando.

D. Greg. l. 1. epist. 81. Cardinales Diaconi extra Romam.

Lib. 5. epist. 11.

Vigilantissimus porro Pontifex Gregorius in more habuit, si quis Epis-

copus exul fuisset à sua Diœcesi, vt pote à Barbaris occupatâ, eum committere alteri Episcopatui vacanti, non quidem Episcopi nomine, sed Cardinalis; quia non decet esse vnius Ecclesiæ duos sponsos; ita Martinum Episcopum in Corsicâ Cardinalem creauit: *In Ecclesiâ*, inquit, *Aleriensi quæ iam diu Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te secundum petitionis tuæ modum hac auctoritate constituimus, sine dubio Sacerdotem.* Alia commemorare exempla supersedeo, quæ passim occurrunt in Epistolis Gregorianis Cardinalis itaque dicebatur non Episcopus, sed præcipuus vel primus Presbyterorum Ecclesiæ, ita tamen vt non desineret esse Pontifex suæ propriæ Ecclesiæ, quod expresè innuit in Agnelli Episcopi Fundorum Cardinalatu. *Sic te Taracinensis Ecclesiæ Cardinalem esse constituimus Sacerdotem, vt & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque eius prætereas.*

Libr. 1. ep. 77.

S. Greg. constituit Cardinales extra Romam 10 Episcopatibus. Libr. 2. Epist. 6. 13. & 25.

Diui Gregorij vestigiis inhærens post ducentos sexaginta annos Ioannes VIII. Pontifex idem præstitit monens Cardinalatûs tempus eò non protrahendum, nisi quo vsque Episcopus in suæ Ecclesiæ & Diœcesis fines pedem retulisset. Patres etiam Concilij Meldensis statuêre, vt Episcopus Titulos Cardinales in Vrbibus, vel suburbijs constitutos ordinet, atque disponat.

Ioan. 8. Pont. Epist. 8. 13. & 14. Concil. Melden. cap. 54.

His manifestum est non modo Romæ, verùm etiam alibi in Cleri Ordine Cardinalium nomen fuisse vsurpatum. In præsenti consuetudo obtinuit, vt in solâ Romanâ Ecclesiâ excellentiæ causâ id nomen remanserit. Olim in nostrâ Galliâ Archipræsules Rhemenses vocabantur Cardinales S. Sabinæ, Vindocinenses Cœnobiarchæ Cardinales S. Priscæ, Cluniacenses Archimandritæ ex concessione Callixti II. cùm Romam peterebant, Cardinalis officio fungebantur, & in Italiâ Archiepiscopi Rauennates, & in Hispaniâ Antistites D. Iacobi in Compostellâ, Cardinalis titulo decorabantur.

Varij Cardinales præter Romanos. Ephemerid. Cluniac. Manfred. lib. de Cardinal. cap. 8.

De numero vario Cardinalium pro ratione temporis.

CAPVT II.

IVSSERAT Deus seligi septuaginta viros è senioribus populi Israëlitici, qui tria munia cum Moyse præstarent, imprimis prouocationes ad eum directas iudicarent, deinde maioribus causis, quæ ad ipsum referebãtur, preessent; denique ea, quæ ad Deum Deíque cultum pertinebãt, soli cum eo decernerent; licet enim, suggerẽte Ietro socero, statuisset primus Iuris Scripti Legislator Decanos, & plebis Tribunos, qui lites populi terminarẽt, tamen vltima prouocatio referebatur ad Moysem, qui erat ara prouocationum. In hisce septuaginta Senioribus animaduertit Tostatus Episcopus Abulæ, tria fuisse obseruatu digna, imprimis prudentiam tum diuinam, tum humanam, deinde iustitiam, & rectam eum mortalibus cõuersationem, denique grauitatem, & personæ reuerentiam. Quæ omnia typum, & figuram referunt Summi Pontificis, & Eminentissimorum Cardinalium, vnde S. Bernardus

Num. c. 11. LXX. Seniores. Exod. 18. Prouocationes ad Mosem. Tost. in Num.

Lib. 4. de Consid.

vocauit Cardinales *Seniores populi, & iudices orbis*: & Ioannes VIII. Pontifex Constitutionem edidit, in quâ Pontificem Moysi comparauit, ipsos verò S.R.E. Cardinales septuaginta seniorum vices gerere annotauit, quos propter sollicitudinem omnium Ecclesiarum, & Clericorum disciplinam, nec non Laicorum querimonias definiendas, bis in hebdomade ad Sacrosanctum Palatium, iuxta Leonis IV. decretum, iussit conuenire; Inde verò occasione ex illa comparatione Ioannis VIII. sumptâ, superiori sæculo effectum est, vt septuagenarius Cardinalium numerus status definiretur, vt infra notabimus; non enim is fuit semper numerus Cardinalium, sed auctus, & imminutus pro ratione temporis: Nam in creatione Nicolai III è familiâ Vrsinorum orti, qui ob vitæ sanctimoniam, & integritatem *compositus* dicebatur, tantum quatuor Presbyteri Cardinales, & tres Diaconi numerabantur, propter Schisma excitatum: Inter eos adfuit Simon Cardinalis Gallus postea Pontifex creatus Martinus IV. Aliquando euenit vt solùm duo Presbyteri Cardinales in Collegio essent vitâ superstites, vt in obitu Alexandri IV. & creatione Vrbani IV. aliquando tres solùm fuêre Diaconi viuentes, vt in creatione Nicolai IV. Tempestate Bonifacij VIII. Cardinales vsque ad viginti peruenerunt; tempore Sedis Auenionensis non excessêre numerum trigesimum, maiorique ex parte Galli creabantur à Pontificibus è Galliâ oriundis, vt hoc æuo Itali ab Italis permissione credo, & virgulâ diuinâ ne Schismate scindatur Christi Ecclesia, si Gallus, aut Hispanus Pontifex pro more eligeretur; nullo Schismate habito à ducentis fere annis, & sæculo vltimi Antipontificis Felicis V. Amedei, qui libens volens cessit. Triginta Cardinalium numerus perdurauit ad Sixti IV. Minoritæ Patrui Iulij II. Pontificatum, qui post habito decreto Concilij Constantiensis, quo definiebantur viginti quatuor Cardinales, numerosas fecit creationes, quem est sequutus Alexander VI. Borgia neuter tamen excessit numerum quinquaginta trium; tot sunt habiti Honorio II. & quadraginta tantùm Innocentio II. & Celestino II. Certè Leo X. Medices, anno reparatæ salutis M. D. XVII. vnâ creatione legit triginta & vnum, quo Pontifice numerabantur quinque supra sexaginta. Paulus IV. posteriori sæculo protraxit numerum Cardinalium ad LXX. Et Pius IV. ad LXXVI. quo nunquam fuit maior; Scio vnum Paschalem II. diuersis lectionibus creasse Cardinales decem supra octoginta, spatio vndeuiginti annorum sui Pontificatus. Tandem aliquando Sixtus V. Constitutione suâ, die tertiâ Non Decembris anno M. D. LXXXVI. quæ incipit, *Postquam verus ille, &c.* definiuit numerum septuagenarium instar septuaginta Seniorum, de quibus exordio huiusce capitis; abhinc verò quinquaginta annos idem permansit numerus laudatissimus, hodieque permanet.

Constit. de iure ac it. Cardd.

Quando septem tantùm Cardd.

Solùm duo Presbyteri viuentes.

Schisma finitum.

Concil. Constant. sess. 40.

In vna creatione 31. Cardd.

Aliquando 76. Cardd.

Vnus Pontificum creauit 90. Cardd.

Origo, & varietas titulorum Reuerendissimorum Cardinalium, & officium eorundem; ac protectio.

CAPVT III.

TITVLI dicebantur domus fidelium, qui eas Deo consecrarant, in quibus Synaxes peragebantur, distinguebanturque certâ tesserâ, & titulo instar fundorum, qui in Patrimonium Principis reducti, vel in manu eiusdem positi notabantur velis, quibus imago Cæsaris imprimebatur, ea vocat *cortinas regias* S. Ambrosius: Eorumdem meminit D Augustinus, *Ne quis domum aliquis ipsius potens inuadat, poni ibi titulos potentis*. Tituli in prædiis etiam dicebantur tabulæ, in quibus Dominorum nomina insculpta erant; vt ex iis cuia prædia essent, cognoscerentur. Titulis porro & Ecclesiis ita adscribebantur Presbyteri, vt ab illis recedere non possent, nisi cum bonâ veniâ Episcopi. Quamobrem Anastasius Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli, vno omnium consensu, in Concilio Romano, cui præfuit Leo IV. anno D. CCC. LIII. mense Decembri, excommunicationis vinculo irretitus, & depositus quòd parœciam quinquennio, contra antiquorum Canonum definitiones, deseruisset, & adhuc moraretur in alienis; Itaque in Sacris titulus erat vexillum crucis, quòd eo signo res censerentur dicatæ Religioni; sic Theodosius Imperator præcepit edicto Gentilium delubra in sacrum vsum transferri, vexillo crucis apposito; aliam profert rationem Eminentissimus dignitate, & scientiâ Baronius Ecclesiam appellatam esse titulum, quòd qui ei præficeretur, ab eo nomen, titulumque depromeret: vsus tandem Romæ inualuit, vt non quæcunque Basilica titulus nuncuparetur, sed tantum insigniores, quibus præponerentur Cardinales. Tituli nonnunquam, & sæpius desumebantur ab eius Sancti nomine, cui dicata erat Ecclesia, vt S. Cæciliæ, S. Mariæ trans Tyberim; aliquando ab iis Pontificibus, qui titulos Basilicis indiderant, vt Iulij & Damasi, aliquando ab iis, qui templa ipsa exædificarant, vt Lucinæ, vt Pastoris, vt Eudoxiæ.

Tituli significatio | S. Ambr. l 2. ep. 14. ad Marcell. soror. | S. Aug. in Psal. 21. | Rubr. lib. Cod. 11. | Anast. Biblioth. in Leone 4. | L. vlt. C. Theod. de Pagan. | Baron. an. 112.

Operæpretium est rem ab ipsâ scaturigine repetere. S. Cletus Vrbis & orbis Pontifex tertius determinauit Presbyterorum numerum (tempore D. Petri paucorum erat) eos ad quinque & viginti extendens, primusque omnium hac scribendi formulâ est vsus, *Salutem & Apostolicam benedictionem*. S. Euaristus natione Græcus ex patre Iudæo, quintus à D. Petro diuisit titulos Vrbis, hoc est Ecclesias & parœcias Presbyteris, vt suam quisque noscet & eidem vacaret, fidelibusque Sacramenta ministraret, singulique erant Presbyteri in singulis titulis. Idem Pontifex septem Diaconos ordinauit repræsentantes septenarium numerum Diaconorum ab Apostolis institutorum (illos S. Ignatius Martyr nuncupat μιμητὰς τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων) quibus hoc onus addidit imposuitque, vt assisterent Episcopo prædicanti propter stylum veritatis; ex primæuâ eorum institutione aderant Episcopo sacrificium offerenti, & intra Missæ solemnia Euangelium pronunciabant, hinc S. Hieronymus scribens Sabiniano. *Tu exanguis, & pallidus Euangelium Christi, quasi Diaconus lectitabas*; dicebantur regionarij à septem illis regionibus,

Salutatio Pontificia vnde. | Euarist. epist. 1. | Officium. | Act. 6. | S. Ignat. epist. 2. ad Trall. | Epist. 4.

quas idem Euaristus ipsis attribuerat, quatuordecim enim regiones iuxta diuisionem Gentilium (vt videre est apud Tacitum, Plinium, Sextum Rufum, Victorem, & alios) in septem contraxit. Septenarium Diaconorum numerum sanxit Synodus Neocæsariensis in Ponto, illum antea excesserunt aliquando Pontifices, vt S. Telesphorus, qui duodeuiginti ordinauit, Pius I. vnum superauiginti, nisi intelligatur de varia ordinatione tempore Pontificatûs.

Can. 15.

Euaristi Constitutio illibata permansit vsque ad Higini tempestatem, qui Presbyteros in vnaquaque Ecclesiâ, & Titulo adauxit crescente numero fidelium; cuius rei vestigium notatur apud D. Gregorium in quarto Registri libro, tres Presbyteri Cardinales S. Balbinæ, Petrus, Placitus, & Antonius subscripsêre veteri Synodo celebratæ ab eodem Pontifice, tempore Mauricij Imperatoris, duo Cardinales vnius tituli, & Ecclesiæ S. Syluestri, & duo alij Sanctorum Apostolorum, videlicet Andromachus, & Agapitus, non tamen addito nomine Cardinalis subscribebant; qui cæteris præerat, Presbyter Cardinalis vocabatur.

Secunda Vrbis æternæ diuisio peracta à S. Fabiano Pontifice, & Martyre anno Christi quadragesimo supra ducentesimum, quatuordecim parœcias constituente, secundùm antiquam quatuordecim regionum diuisionem, & viginti duos Presbyteros ordinante. Addidit etiam septem Subdiaconos septem Diaconis, & Notariis iam institutis ad Martyrum gesta diligentiùs notanda & conscribenda; quæ fuit causa martyrij, Antero vnius mensis Pontifici prædecessori Fabiani, quòd ille Sanctorum Martyrum heroica exquisiisset, & in Ecclesiæ monimentis recondidisset.

Acta Martyrum describebantur. Anterus moritur.

Numero, & semine in dies crescente Christianorum ex Martyrum sanguine, vt verbis Tertulliani vtar, Dionysius Pontifex XXV. à S. Petro titulos, & parœcias multiplicauit, Presbyterisque cœmeteria concessit, ad curandam Martyrum, & fidelium sepulturam; præstat audire ipsum Dionysium, sic scribentem V. Idus Septembris anno cc. lxx. ad Seuerum Episcopum Cordubensem. *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus, Parochias & Cœmeteria eis diuisimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus; ita videlicet vt nullus alterius Parochiæ terras, terminos, aut ius inuadat: sed vnusquisque suis terminis sit contentus, & taliter Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat, vt ante Tribunal æterni Iudicis, ex omnibus sibi commissis rationem reddat, & non iudicium sed gloriam pro suis actibus accipiat.*

Dionys. ep. 2 ad Seuerum Cœmeteria.

Obseruat tamen Baronius Dionysiû eius rei non fuisse auctorem, sed quòd in persecutione Valeriani ab Ecclesiis essent eliminati Presbyteri, & cœmeteriâ prohibita, pace Ecclesiæ restituta à Gallieno, ipse Dionysius easdem parœcias & titulos, ac cœmeteria iterum aliis Presbyteris assignauit. Diœceseon autem & Prouinciarum Episcopalium limites statuti in Concilio Niceno anno ccc. xxv. confirmatique in Constantinopolitano I. post annos sex & quinquaginta.

Baron. an. 270.

Limites Diœceseon. Nicen. cap. 6. Constantinop. c. 2.

Post longam tandem in Christianos excitatam persecutionem, & sopitam, concessâ Ecclesiis Occidentalibus vbique requie, primordio Imperij Constantini Magni, etiam in æternum deleto Licinio illius Leuiro, decimo octauo Septembris in campis Chysopoleos, Marcellus Pontifex XXIX.

Pax Ecclesiæ. Fasti Idatij Chronicon. Alex.

post B. Petrum, *viginti quinque titulos*, (verba sunt Anastasij Bibliothecarij) *in Vrbe constituit, & quasi Diœceses, propter Baptismum & Pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex Paganis, & propter Martyrum sepulturas*: Maxentius enim concesserat, & permiserat sacra cadauera Martyrum sepeliri intra Vrbis limites, quòd tamen olim prohibitum erat omnibus, lege duodecim Tabularum. His viginti quinque, titulum Equitij addidit S. Syluester I. titulum Marci, Marcus I. Pontifex; titulum S. Mariæ trans Tyberim Iulius I. vt postea notabimus. Vetitum sepeliri intra Vrbem.

Viginti octo titulorum Presbyter alium limitatio (huiusce numeri plures causas affert Onuphrius) stetit firma ad Honorij II. tempora, qui ad apicem Pontificatus peruenit decimo quarto Decembris anno supra Christum natum M.C.XXIV. & obiit M.C.XXX. die eodem quo electus Innocentius II. Porro Honorius septem Episcopos Cardinales non instituit, vt nōnulli contrarium dixêre, nam cum Episcoporum Cardinalium institutio multo fuerit antiquior Honorio II. vt patet ex libro rituum tempore Stephani X. & ex Petro Damiano Cardinale Episcopo Ostiensi scribente ad Cardinales Episcopos anno M. LVII. cum hac epigraphe epistolæ præfixâ *Venerabilibus in Christo Sanctis Episcopis Lateranensis Ecclesiæ Cardinalibus*, qui titulus hactenus fuerat inauditus. In illâ Lateranensi Ecclesiâ Patriarchali, dictâ Constantinianâ, & Basilicâ Saluatoris erant è locis vicinioribus desumpti septem Cardinales Episcopi, nimirum sex, qui supersunt, & præterea Episcopus Sanctæ Ruffinæ, seu Syluæ candidę vnitus Portuensi, cuius tunc Episcopus erat Petrus Romanus tempore Calixti II. anno M.C.XX. vnitus inquam ob crebros Barbarorum incursus, & exhaustam incolis ciuitatem; iidemque dicti *Collaterales*, atque etiam *Hebdomadarij*, quòd singulis hebdomadibus supplerent alternis vicibus munus Summi Pontificis. Viginti octo illi Presbyterales tituli permansêre (quibus si decem & octo Diaconos, ac septem Episcopos, qui antiquitus erant, addamus, clarum erit tres fuisse & quinquaginta, tot Honorij tempestate numerabantur Cardinales) permansêre inquam trecentos triginta duos annos post Honorium, videlicet vsque ad Calixtum III. Borgiam anno M. CCCC. LVI. qui vnum addidit; alterum deinde anno M. CCCC. LXXVII. Sixtus IV. nimirum S. Nicolai inter imagines prope amphitheatrum, quem Cardinali Presbytero Petro Foscaro Veneto contulit Leo X. in magnâ illâ XXXI. Cardinalium creatione anno M. D. VII. antiquissimum titulum S. Matthæi in Merulanâ restituit; postquam desiisset esse titulus per mille & eo amplius annos, alios nouos titulos XI. faciens; tres Iulius III. vnum Paulus IV. scilicet S. Mariæ ad Mineruam anno M. D. LVII. & quinque Pius IV. tres postremo Pius V. vt omnino noui tituli adiecti sint vnus, & viginti. Æuo Pauli V. recogniti sunt iidem tituli à sacrâ Rituum Congregatione eodem Paulo confirmante, decima tertia die Aprilis M. DC. XVII. additus est postea ab Vrbano VIII. titulus S. Caroli ad cursum, quo decoratur F. Desiderius Scaglia Ordinis Prædicatorum, nuncupatus Cardinalis Cremonensis.

Onuph. lib. de Titul.

Episcopi Cardinales quando instituti.

Lib. rituũ Steph. 10.

Creatio Cardd. maxima omnium.

Porro Summi Pontifices non certo Presbyterorum constituendorum numero olim premebantur, ex certâ titulorum serie, sed tot ordinauêre & ordinatis addidêre, quot placebat, vel quantum ipsa necessitas exigebat; ne-

que opus fuit, vt tot essent tituli, quot Presbyteri; delegabant ad illos, qui magis idonei reperiebantur, remanentibus, qui sine titulo erant, penes matricem Ecclesiam.

Titularis & Protector duo Cardinales.

Obseruatione dignum in Ecclesiis suis Titularibus Cardinales Presbyteros habere auctoritatem dispositiuam tum in Sacristia, tum in Palatiis. Verùm quantum ad personas spectat, & gubernationem ædium, & Monasteriorum id pertinet ad Cardinalem Protectorem, & Ecclesiæ Prælatum; vti apparet in Basilicâ SS. XII. Apostolorum habitaculo Minorum Conuentualium, quorum Marcellus Cardinalis Lantes est Protector, & Cardinalis Brancacius Titularis; talis est agendi modus Pontificum, ne omnem concedant auctoritatem vni, & eidem Cardinali in vnâ eademque Ecclesiâ, non vni concedunt eiusdem Ecclesiæ & Ordinis Titulum & Protectionem: sic Franciscus Cardinalis Barberinus est Ordinis Franciscani Protector, & Augustinus Cardinalis Galaminius Dominicanus habet Titulum Ecclesiæ Franciscanorum nuncupatæ Diuæ Mariæ in Arâ-cœli. Iesuitæ non habent Cardinalem Protectorem; alij Religiosi pro more donantur Cardinale Protectore. Sunt etiam Cardinales aliqui Regnorum, & Rerumpublicarum Protectores, expostulati ab ipsis Regibus, & Rebuspublicis.

Ecclesiarum, Titulorum, & Diaconiarum, prout nunc temporis se habent, enumeratio.

CAPVT IV.

A quingentis annis, & à tempestate Innocentij II. sex tantùm fuêre Ecclesiæ, antea septem.

Eccl. Veliterna vnita.

Ostiensis & Veliterna, Ecclesia enim Veliterna ab Eugenio III. fuit vnita Ostiensi sub Alberico Episcopo Ostiensi, quæ sub Leone IX. fuerat erecta, & Parmensis sub Vrbano II. Nepesina sub Innocentio II. Pisana sub Leone X. Reatina & Tiburtina, quando Ecclesias Sabinam & Prænestinam, quas à Iulio II. acceperant duo Cardinales Bernardinus Caruaial, & Guillelmus Brissonetus, iisdem ab ipso priuatis idem restituisset.

Eccl. Syluæ Candidæ suppressa.

Portuensis, Ecclesia Syluæ Candidæ, aliàs SS. Ruffinæ & Secundæ, vnita fuit Ecclesiæ Portuensi à Calixto II. deficientibus vrbis incolis anno M.C.XX. sub Petro Episcopo Cardinale Portuensi.

Tusculanensis.
Sabinensis.
Prænestinensis.
Albanensis.

TITVLI.

E Titulorum numero sunt viginti octo veteres, desumpti ex actionibus Synodi Romanæ Symmacho Papâ, & ex Anastasio Bibliothecario.

Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis à Pio IV. erectus, datusque Cardinali Sorbellono.

Sanctæ

Sanctæ Mariæ trans Tyberim, vetus titulus à Iulio I. inuentus.

Sancti Laurentij in Lucinâ, Lucina erexit Ecclesiam, vetus est titulus.

Sanctæ Praxedis vetus titulus.

Sancti Petri ad vincula, Eudoxia erexit, est vetus titulus.

Sanctæ Anastasiæ sub Palatio, vetus titulus.

Sancti Petri in monte aureo à Sixto V. primus Titularis Cardinalis Sarnanus.

Sancti Onuphrij; antea Diaconia à Leone X. instituta Ioanni Cardinali Lotharingo, quem crearat, data.

Sancti Syluestri in campo Martio à Leone X.

Sanctæ Mariæ in viâ à Iulio III.

Sancti Marcelli, vetus titulus.

Sanctorum Marcellini, & Petri à Gregorio magno.

Sanctorum duodecim Apostolorum, vetus titulus, vocatur Basilica.

Sanctæ Balbinæ à Gregorio I. in Synodo Romanâ.

Sancti Cæsarei à Leone X.

Sanctæ Agnetis in agone, à Leone X.

Sancti Marci à Marco Pontifice, vetus titulus.

Sancti Stephani in Cœlio monte à Gregorio I.

Sanctæ Mariæ Transpontinæ, à Sixto V. restitutus.

Sancti Eusebij, vetus titulus.

Sancti Chrysogoni trans Tyberim, vetus titulus.

Sanctorum quatuor Coronatorum à Gregorio magno.

Sanctorum Quirici, & Iulitæ à Sixto IV. loco tituli & Ecclesiæ S. Cyriaci in Thermis Diocletiani, quæ præ vetustate corruit.

Sancti Callixti à Leone X.

Sancti Bartholomæi in Insulâ à Leone X.

Sancti Augustini à Sixto V. primus Titularis Cardinalis Petrochinus.

Sanctæ Cæciliæ Transtyberim vetus titulus; in quo corpus Diuæ Cæciliæ Virginis, & Martyris quæsitum, & inuentum à Paulo Æmilio Sfondrato Cardinale Sanctæ Ceciliæ, cuius Ecclesiam ornauit, nonaginta lampades, perpetuò die noctúque, suo ære ardere præcepit; hunc titulum, Episcopus etiam Albanus ex Apostolico priuilegio, retinuit.

Sanctorum Ioannis, & Pauli; Pammachius erexit Ecclesiam, vetus est titulus.

Sancti Martini in montibus, aliàs SS. Syluestri & Martini, Equitius erexit, vetus est titulus, quem S. Syluester I. addidit.

Sancti Alexij à Sixto V. Titularis I. fuit Vincentius Cardinalis Gonzaga Sancti Clementis, vetus titulus.

Sanctæ Mariæ de populo à Sixto V. primus Titularis fuit Ptolemæus Cardinalis Gallius.

Sanctorum Nerei, & Achillei à Gregorio I. in Synodo Ramanâ: Cæsar

Cardinalis Baronius restituit ornauitque Ecclesiam, apud quam conciones latinè habebat.

Sanctæ Mariæ de pace à Sixto V. primus Titularis Cardinalis Saluiatus.

Sanctæ Mariæ in Arâ Cœli à Leone X.

Sancti Saluatoris in Lauro à Sixto V. primus Titularis Cardinalis Lancelotus.

Sanctæ Crucis in Hierusalem à Gregorio I.

Sancti Laurentij in Pane, & Pernâ à Leone X.

Sancti Ioannis ante portam Latinam, à Leone X.

Sanctæ Pudentianæ, aliàs Sancti Pudentis, Pastor erexit, est vetus titulus.

Sanctæ Priscæ in monte Auentino, aliàs SS. Aquilæ & Priscæ, vetus titulus.

Sancti Pancratij à Leone X.

Sanctæ Sabinæ, vetus titulus.

Sanctæ Mariæ super Mineruam à Paulo IV. erectus titulus, datúsque Michaeli Gislerio Cardinali Alexandrino Dominicano.

Sancti Caroli via cursûs, institutus ab Vrbano VIII. titulus, datúsque Cardinali Scagliæ Cremonensi nuncupato, sublato Sancti Caroli ad Catinarios à Gregorio XV. erecto titulo; datóque olim Cardinali Cappono loco S. Blasij de annulo suppressi.

Sancti Thomæ in Parione à Leone X.

Sancti Hieronymi Illyricorum à Pio V. erectus, datúsque Prospero Cardinali Sancta-crucio.

Sanctæ Suzannæ, vetus titulus.

Sancti Sixti à S. Gregorio magno.

Sancti Matthæi in Merulanâ à Leone X. post mille annos restitutus.

Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio à Sixto V. primus Cardinalis titularis fuit Carolus à Lotharingia Cardinalis de Vaudemont.

DIACONIÆ.

Sancti Laurentij in Damaso. Nota hanc Ecclesiam, à Damaso erectam non esse proprie Diaconiam, sed datur semper Cardinali Vicecancellario, siue sit Diaconus, siue Presbyter, siue etiam Episcopus, vetus & diues titulus.

Sanctæ Mariæ in viâ latâ.

Sancti Eustachij iuxta Pantheum.

Sanctæ Mariæ nouæ.

Sancti Hadriani.

Sancti Nicolai in carcere Tulliano.

Sanctæ Agathæ in equo marmoreo.

Sanctæ Mariæ in Dominicâ, ibi manebat Archidiaconus, qui solus dicebatur Diaconus Cardinalis.

Sanctæ Mariæ in Cosmedin, aliàs schola Græca.

Sancti Angeli in foro piscium.
Sancti Georgij ad velum aureum.
Sanctæ Mariæ in Porticu.
Sanctæ Mariæ in Aquiro.
Sanctorum Cosmæ & Damiani.
Sancti Viti in macello Martyrum.

Primis temporibus erant septem Diaconiæ, postea quatuordecim, secundum quatuordecim Vrbis regiones, quibus sunt additæ quatuor; horum quatuor Diaconorum munus tantum erat Lateranensi Basilicæ (in cuius palatio Pontifex mansit mille annos vsque ad Clementem V.) vel Pontifici Romano ibidem celebranti ministrare, sicque XVIII. numerus expletus, quem Paulus III. solus omnium Romanorum Pontificum excessit, cuius tempestate anno M. D. XLV. erant XIX. Diaconi Cardinales viuentes, Leo X. creauerat Diaconiam S. Onuphrij in Vaticano (modo est Titulus Presbyteralis, quem habet Antonius Barberinus Cardinalis S. Onuphrij nuncupatus frater germanus Vrbani VIII.) quæ amplius inter Diaconias non computatur, vt hæ quatuor; Diaconia S. Luciæ in Circo iuxta Septisolium vetustate consumpta, Diaconia SS. Sergij & Bacchi, Diaconia S. Theodori, Diaconia S. Luciæ in Silice, aliàs Orphea.

De Titulorum mutatione & optione, cur & quando incœptâ.

CAPVT V.

Episcopatuum, Titulorum, & Diaconiarum mutatio, & optio non erat in vsu ante Bonifacium IX. Pontificem creatum anno M. CCC. LXXXIX. & Alexandrum V. Cretensem Ordinis Minorum in Concilio Pisano electum ab vtriusque obedientiæ Cardinalibus anno M. CCCC. IX. suffectum in locum Gregorij XII. & Benedicti XIII. quâ de re Cardinalis Ægidius Viterbiensis in historiâ vigesimi sæculi, *Auenione & Româ soluunt Cardinales tandem Religioni consulturi, pandunt vela ventis, vtrique Pisas, eodem non vento, sed numine potius afflante peruehuntur.* Concil. Pisan.

Prima porro causa mutationis ortæ petenda à necessitate, cùm enim Cardinalis est suâ dignitate, & Titulo spoliatus dato alteri Cardinali, restitutus ad pristinam dignitatis sedem, debuit aliquo donari Titulo. Primo omnium mutatus est à Pontifice Titulus S. Marcelli Bartholomæo Mezauaccæ Bononiensi, priuato Cardinalatu ab Vrbano VI. illius Titulum Stephano Palasio Cardinali concedente; cùm vero fuisset post Vrbani obitum à Bonifacio IX. in pristinum honorem reuocatus, est illi concessus alter Titulus, nimirum S. Martini in montibus; Philippo Cardinali d'Alençon, omnium primo mutatus est Episcopatus Sabinus, nam ab eodem Vrbano Summo Pontifice priuatus fuerat purpurâ Cardinalitiâ, quòd partibus Antipapæ faueret, etiam à Bonifacio in integrum restitutus, creatus est Episcopus Ostiensis. Philippus d'Alençon I mutauit Episcopatum Card.

Secunda ratio necessariæ mutationis Titulorum habitæ repetenda à Schismate; etenim aliquando contingebat, vt duo essent vnius eiusdemque Tituli Cardinales Titulares, verbi gratiâ, vnus in Vrbani VI. obedientiâ, alter in Clementis VII. Antipapæ; propterea Schismate Pisis sublato (ne dicam aucto) huic rei debuit prouideri Tituli mutatione, Diaconiæ, aut Episcopatûs. In obedientiâ Clementis VII. Amedei Antipapæ, Guido de Malsec Pictauiensis erat Episcopus Prænestinus, & Petrus du Puy Tusculanus duo Galli; iisdem Episcopatibus alij erant vestiti, Antonius Caietanus Prænestino, & Henricus Minutolus Tusculano ab Vrbano VI. legitimo Pontifice; duo autem permanere non poterant in eodem Sacerdotio, visum fuit Pisis Alexandro V. vt Henricus ex Tusculano fieret Sabinus, Petro du Puy remanente Tusculano Episcopo, & Antonius donaretur Portuensi, Guidone Episcopatum Prænestinum retinente.

Iordanus Vrsinus omnium primus optauit ditiorem.

Tertia causa mutationis non necessariæ fuit ratio vtilitatis, & commodi ob pinguiorem Episcopatum, Titulum, aut Diaconiam. Omnium primus Iordanus Vrsinus Cardinalis petiit ab Alexandro V. sibi mutari titulum, contra consuetudinem obseruatam mille annis in Ecclesiâ, ex titulo tenui S. Martini in montibus gradum fecit ad titulum multo pinguiorem S. Laurentij in Damaso. Idem postea Vrsinus demisso Episcopatu Albano tenui, quinquaginta circiter ducatorum, quem à Ioanne XXIII. acceperat, absque necessitate ditiorem petiit, putà Sabinum trium millium aureorum cum iurisdictione tunc vacantem; Guillelmus Cardinalis d'Estouteuille sub Pio II. relicto Portuensi, est ornatus Ostiensi. Eiusdem vtilitatis ergo optatur hac tempestate Titulus S. Petri ad vincula ob palatium illi annexum, quod Titularis inhabitare consueuit, in eo morabatur Cardinalis de Sourdis illius titulo potitus; sic etiam optatur Diaconia S. Georgij ob collationem duodecim præbendarum, vt alios Titulos pinguiores prætermittam; pietatis & deuotionis gratiâ, aliquando Tituli optantur ab Eminentissimis Cardinalibus, vt tituli S. Clementis, S. Cæciliæ, S. Praxedis, (in cuius Basilicâ visitur Christi columna) quem possedit nec voluit mutare S. Carolus Borromæus, Cardinalium speculum nitidissimum & exemplar vnicum; Titulum eundem habuit vir orbi notissimus ob pietatem, & doctrinam Robertus Cardinalis Bellarminus Societatis Iesu.

Pingues Tituli.

Diaconiæ datę Presbyteris.

Porro mutationes parum fuêre in vsu ante Sixtum IV. cuius æuo fuêre frequentes; imo ipse cœpit, quod fuerat inauditum, Diaconias Presbyteris pro Titulis concedere anno Verbi Incarnati M. CCCC. LXXIII. Presbyteris quinque Cardinalibus Diaconias dedit; hac nostrâ tempestate (licet rariùs) id obseruatum in Lælio Bisciâ Apostolicæ Cameræ Decano, cui Vrbanus VIII. Pontifex contulit Cardinalatum, & SS. Viti & Modesti Diaconiam credidit ab eo conseruatam creato Sacerdote. E diametro Tituli, qui erant tantùm Presbyterorum, traditi Diaconis, primus id præstitit Alexander VI. Borgia dans Diacono titulum Presbyteralem S. Nicolai inter imagines paulò ante à Sixto IV. erectum: Clemens VII. Medicæus concessit Diaconis Titulos Sacerdotales Diui Marci, & S. Praxedis. Maphæus Cardinalis Barberinus dignissimè promotus ad Pontificatum anno M. DC. XXIII. dedit Nepoti Francisco Barberino Galerum purpureum & suum Titulum

Tituli Presbyterales dati Diaconis.

S. Onuphrij Presbyteralem, cùm tamen esset Cardinalis Diaconus. Nondum inoleuerat optandi mos circa primordia Pontificatûs Alexandri VI. sed circa eius finem, & initia Julij II: crebra fuit admodum Titulorum mutandorum ratio, & ius optandi: nam Julio II. Pontifice accidit, vt vnus Raphaël Cardinalis Riarius omnes sex Episcopatus Cardinales optarit.

Lex lata est pro optione, vti Cardinales absentes absque legitimâ causâ aut bono Ecclesiæ Romanæ non habeant ius optionis, & veluti mortui habeantur; est hic ordo, vt antiquior Cardinalium Episcoporum præsentium ius habeat optandi Episcopatum Cardinalem ditiorem vacantem, si velit, quod non abs re addo, cùm aliquando nolint optare Cardinales, vt Ludouicus Cardinalis Capponus suâ Ecclesiâ Rauennate contentus, noluit transferri ad Prænestinam Ecclesiam, loco Marcelli Cardinalis Lantes; cùm vacasset Episcopatus Sabinus; noluit Scipio Cardinalis Burgesius deserere Albanum pro Sabino pinguiori, quem reliquit Gaspari Cardinali Borgiæ, tamen Burgesius præcedebat Borgiam in Collegio, cùm in sex Episcopatibus antiquitas promotionis ad Cardinalatum, non autem Episcopatûs vnius diuitiæ considerentur. Nunquam voluit optare Ecclesiam, seu Cardinalem Episcopatum Fridericus Cardinalis Borromæus (cuius angelici fuêre mores teste Petramelario) Archiepiscopus Mediolanensis S. Caroli Borromęi Patruelis, vnico Mediolanensi contentus, licet suâ tempestate plures fuerint Ecclesiarum vacationes in Sacro Collegio, quammultis annis habuit, imo vsque ad suum obitum, S. Mariæ Angelorum in thermis Titulum Presbyteralem. Lex pro optione. Petramel. lib. Cardinal.

Non potest Diaconus transferri à Diaconatu, ordine Presbyterorum prætermisso, ad Episcopatum optione, licet ratione antiquitatis ad eum pertineret vacans Episcopatus, nec etiam translatus ad ordinem Presbyterorum potest consequi Episcopatum vacantem, etiamsi esset antiquissimus Presbyterorum suâ creatione; Prior enim Presbyterorum, vtpote Caput sui Ordinis debet priùs optare, licet posterior promotione, sic Mauritius Diaconus Cardinalis à Sabaudiâ promotus ad Cardinalatum anno Virginei partûs M. DC. VII. translatus ad ordinem Presbyterorum inauguratus Presbyter, relictâ Diaconiâ S. Mariæ in viâ latâ, esset secundus Cardinalis Presbyter pręsens Romę ob creationis antiquitatem hoc anno M. DC. XXXVII. non posset tamen optare Episcopatum vacantem ante Priorem, & Caput Presbyterorum. De Diaconis optantibus.

Aliquando contigit vt ipse Summus Pontifex vacantem Episcopatum Cardinalem dederit Diacono Cardinali ob aliquam causam, & veluti præmium grati animi, ita Paulus IV. Episcopatum Albanum vacantem concessit Archidiacono Cardinali Francisco Pisano, qui ipsum coronâ Pontificiâ donarat VII. Calend. Iunij anno M. D. LV. Obseruandum est nullam esse inter Episcopatus, Titulos, & Diaconias, præeminentiam; omnes enim sunt æquales, si ipsa dignitas attendatur, nullusque Cardinalis alio prior, licet vnus altero ditior Titulus, & stirpe nobilior Cardinalis; consideratur solùm trinus Ordo, & tempus creationis. Ordo, & tempus creationis.

In sede honoris & præcedentiâ habetur ratio Ordinis, deinde in vnoquoque Ordine tempus creationis. Cardinalis Diaconus post decem annos in

ſuo Ordine emenſos poteſt promoueri ad Ordinem Preſbyterorum initiatus Preſbyter, modò in Ordine Diaconorum ſint decem Cardinales Diaconi, ad præſtanda munia conſueta; & inter Preſbyteros Cardinales habebit locum ratione ſuæ antiquitatis in Cardinalatu.

De Decano.

Antiquior Epiſcopus Cardinalis olim Prior Epiſcoporum, non Collegij Decanus vocabatur, ſiue Albanus ſiue alius quilibet ex ordine Epiſcoporum Cardinalium, vnde pauci admodum fuêre Epiſcopi Oſtienſes Sacri Collegij Decani quadringentorum, & quinquaginta annorum interuallo, cùm Oſtienſis non eſſet ſenior promotione. Certè Paulus IV. alio æuo ſuâ Conſtitutione ſtatum, & fixum voluit, vt non is Decanus haberetur, qui abſolutè eſſet antiquior Epiſcoporum, ſed qui vitâ functo Decano, aut promoto ad Pontificatum antiquior cenſeretur ex Epiſcopis Cardinalibus in Vrbe præſentibus, vel etiam Eccleſiæ causâ abſentibus. Primus omnium ſacri Collegij Decanus, & Epiſcopus Oſtienſis poſt hanc Conſtitutionem fuit Ioannes Cardinalis du Bellay, Epiſcopus Portuenſis præſens comitiis Pauli IV. licet non antiquior, ſeniores enim erant Ludouicus Borbonius Epiſcopus Prænestinus, ac Franciſcus Turnonius Epiſcopus Sabinus, qui fuêre prætermiſſi, quòd in Vrbe non morarentur, vacante Decanatu per electionem eiuſdem Carafæ ad Pontificatum die feſto Anaſtaſeos anno periodi Chriſtianæ M. D. LV. quod nunquam antea fuerat in vſu. Audio Summum Pontificem Vrbanum VIII. qui nunc digniſſimè Cathedram Petri poſſidet ediſiſſe Conſtitutionem contra Cardinales inhabiles, & incapaces oneris Decani occaſione Ioannis Baptiſtæ Deti ante paucos annos ad Decanatum promoti, licet ob morbos inhabilis.

Ioan. Bellaius creatus Decanus extra ordinem.

Quando incœpta à Cardinalibus Summorum Pontificum electio; hic agitur de variis Pontificum electionibus.

CAPVT VI.

Rem altiùs repetendam eſſe operæpretium exiſtimo, cùm ſæpenumero variatum fuiſſe morem eligendi Summi Pontificis nanciſcar; quæ actio eſt omnium ab Eminentiſſimis S. R. E. Principibus perficiendarum præſtantiſſima. Sanè cum Sacerdotium veteris legis deſierit eſſe hæreditarium, vocatione opus eſt, & aſſumptio ab hominibus fieri debet, vt loquitur D. Paulus; & licet aliquando fratres ſibi ſucceſſerint in Pontificatu Romano, vt Stephanus III. & Paulus I. anno D. CC. LVII. vt Benedictus VIII. & Ioannes XX. anno M. XXIV. tamen ab hominibus vocati, & aſſumpti fuere; rem itaque aggrediamur.

Fratres germani ſucceſſere in Summo Pontificatu.

Certum eſt Chriſtum Dominum mundi Soterem creaſſe D. Petrum Summum Pontificem ſuumque ſucceſſorem, ac caput viſibile Eccleſiæ militantis reliquiſſe; proinde Romam orbis metropolim aduenit S. Petrus anno reparatæ ſalutis quadrageſimo quarto, relictâ Eccleſiâ Antiochenâ, & anno ſequenti, qui fuit tertius Claudij Imperatoris patrui Caligulæ, alium ſibi in eâ Epiſcopum, nempe S. Ignatium, teſte Theodoreto, ſubſtituit.

Euſeb. in Chron. Theodor. Dialog. 1. Immut.

D. Petrus deſignauit Clementem ſucceſſorem, ſed cum Linus & Cletus

præcessêre, eo enim ordine sunt recensendi, ex S. Ignatio Antiocheno illius æui auctore, scribente ad Mariam Cassobitem; nullus postea Summorum Pontificum tentauit absolutâ potestate sibi successorem deligere, & subrogare; licet inueniatur Constitutio in Synodo Romanâ primâ, S. Symmacho Pontifice, anno cccc.xcix. quâ permittitur Papæ sibi successorem in sede Apostolicâ substituere: quod tamen meo quidē iudicio sic est intelligendum, vt reuerentiæ causâ rogaretur Summi Pontificis sententia; id præstitum à Cœlestino III. ægroto, vt refert Rogerus Houedenus, designante Ioannem Cardinalem S. Marci; verùm illo mortuo Cardinales elegerunt Lotharium Cardinalem SS. Sergij & Bacchi Innocentium III. annorum triginta septem. Houeden. p.1 Annal.

Cleri posteà calculis, & suffragiis, ac populi consensu, & approbatione, creatus Anacletus Græcus, ac cæteri numero L. vsque ad S. Felicem IV. exclusiuè anno D. XXVI. Refert D. Cyprianus Carthaginensis Episcopus & Martyr Cornelij electionem, quæ contigit anno CC. LIV. mense Aprili, formulámque in comitiis obseruatam. *Factus est*, inquit, *Episcopus Cornelius à plurimis Collegis nostris* (sedecim fuisse inferiùs obseruat) *qui tunc in Vrbe Româ aderant, qui ad nos literas honorificas & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres, de eius ordinatione miserunt. Factus est autem Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum Collegio; cum nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.* De S. Damasi natione Lusitani promotione ad Pontificatum, paucis Platina Sixto IV. à notis & epistolis. *Damasus autem electus ad Pontificatum obeundum Vrsicinum Diaconum competitorem habuit in Basilicâ, quæ Siccinini appellatur, vbi multi vtrinque cecidêre in ipso templo, cùm res non suffragiis tantùm, sed vi & armis tractaretur. Verum non ita multo pòst Sacerdotum, ac populi consensu Damasus Episcopus confirmatur.* Huius schismatis ansâ arreptâ cœpêre Imperatores nomen, & auctoritatem suam interponere; imprimis ad sedandos & compescendos tumultus schismaticos, vti fecit Valentinianus Cæsar litem componens inter Damasum, & Vrsicinum secundo Ecclesiæ schismate; in quo cædibus, ferroque centum triginta septem homines fuêre necati, teste Marcellino Comite; Honorius Imperator inter Bonifacium & Eulalium in tertio; Theodoricus Rex Ostrogothorum Arianus inter Symmachum, & Laurentium pecuniis intrusum, agente Festo, hinc quartum schisma.

Cyprian. l.4.ep.2. ad Antonian.

Electio S. Fabiani.

S. Damasi. Platina in Damaso.

Varia Schismata ob Pontificatum.

Marcell. Comes in Chron.

Proh dolor! primus omnium Theodoricus Rex Italiæ Summi Pontificis electionem, atque nominationem procaci ausu sibi arrogauit, Felicem IV. virum Pium Summum Pontificem omnibus tamen gratissimum, ne refragaretur Clerus, anno Christi D. XXVI. & quod hactenus fuerat intentatum ab Ethnicis Principibus, & Catholicis, hic Arianus perfecit; sed admirandum videtur quod Constantius Imperator etiam Arianus aliquando vnum Felicem II. virum probum delegit, exulante Liberio, & alter Arianus Theodoricus modo nominet alterū Felicem Petri successorem; at statim vindicta & mors subsequuta est hominem, qui etiam Boetium, eiusque socerum Symmachum viros commendatissimos capite truncari eodem tempore imperarit.

Niceph. l.16. c.36. Theodor. Lector Collect. lib.1. Cassiod. l.8. ep. 15.

Duo Felices pij Pôtifices electi ab Arianis Impp.

Greg. in Psalm. 4. pœnitent.

Anastas. in Vigilio.

De Iustiniano Imp.

Vnus Iustinianus anno D. XXX. hanc legem iniquam tulit, quam S. Gregorius tyrannicam nuncupauit: Christus enim non reliquit eiusmodi potestatem Laicis, vt sine assensu Imperatorum non possent inaugurari, & consecrari iidem Summi Pontifices: eâ lege idem Imperator Pelagium Vigilij successorem anno Christi D. LV. promouit ad Pontificatum, certè piissimus initio imperij sui Princeps fuerat, sed vsus operâ Treboniani I C. clarissimi, tamen Pagani, in Iure & Legibus condendis, non mirum si facile persuaderi potuit ab homine Pagano literatissimo, is qui literarum erat expers, inquit Suidas, quemque ἀγράμματον appellatum idem obseruat: credo Deum ob eam legem latam, & ob nimiam cum Aphthardocitis Hæreticis initam familiaritatem, permisisse vt in hæresis abyssum, sub vitæ finem prolaberetur, anno nimirum D. LXIII. duosque post annos morte subitaneâ fuerit præuentus, relicto Imperio Iustino I I. minori ex Vigilantia sorore nepoti.

Electio S. Gregorij.

Ioan. Diacon. lib. 1. num. 40.

Ipse D. Gregorius non fuit inauguratus Pontifex nisi post electionis à Clero, & populi consensûs emensum semestre, dum expectaretur responsum Mauritij Imperatoris, cuius tamen filium sacris vndis abluerat, vnde Ioannes Diaconus in vitâ Gregorij *Mauritius datâ præceptione Gregorium ordinari præcepit*: cùm autem latitaret Pontifex, & syluarum saltus petiisset, abditus cauernarum latibulis, & ab omnibus solerter quæreretur, indicio columnæ fulgentis, imminentisque sacræ personæ Pontificis inuenitur, rapitur, & apud Apostolorum Principis Basilicam consecratur; Idem Sanctissimus Pontifex deplorans notat certam pecuniæ summam offerri solitam, ad obtinendam ab Imperatore probationem electi Pontificis, quod multis conqueritur aduersus Mauritium, *Sic turpissimi lucri cupiditate*, inquit, *illectus Ecclesiam faceret Ancillam, ac in tantum suæ temeritatem vesaniæ extenderet, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicaret, & in dominâ gentium terrenæ ius potestatis vsurparet.* Hic nefandus vsus fuerat à Regibus Gothorum Arianis introductus, sed iis è medio sublatis in Italiâ Orientis Imperatores eandem sibi arrogauêre auctoritatem, vt saltem sine assensu, & beneplacito Imperatorum non valerent inaugurari Summi Pontifices.

Pecunia data pro Pontificatu.

Greg. in Psal. 40. pœnit.

Constantinus Pogonatus pius erga Sedem Rom.

Anastas. Biblioth. in Bened. 2.

Varij Impp. hæretici persequuntur Pontifices.

Leontio nasus excisus.

Vis illata in Ecclesiam Romanam, & Catholicam pro inauguratione Pontificiâ durauit centum & quadraginta annos, ad Constantium IV. cognomento Pogonatum, ita nuncupatum ob promissam barbam, Ecclesiæ acerrimum defensorem, qui diploma impium Iustiniani abrogauit, & pristinam restituit libertatem Pontificibus, commotus maximè Sanctimoniâ Benedicti I I. ad culmen Summi Pontificatûs promoti, anno D. CLXXXIV. die XX. Augusti, vt pluribus testatur Anastasius Bibliothecarius, qui refert eundem Constantinum concessisse Benedicto, vt statim nullâ expectatâ Imperatoris confirmatione Pontifex inauguraretur. Hæc sanctio peroportunè lata, ob subsequutos Cæsares; nam Iustinianus I I. filius Pogonati Ecclesiam & Sergium I. Pontificem est insectatus. Eius successor Leontius Hæreticus, cuius nasum exscindi iussit Tiberius I I I. etiam persecutor Ecclesiæ, & Ioannis VI. Philippicus Bardanes hæresis lue infectus. Non opus est, commemorare Leonem Isauricum I I I. initio Catholicum Principem, & benè affectum erga Romanam Ecclesiam, qui misit suam fidei professionem

ad

ad Gregorium II. sed postea odio sacrarum imaginum Iconomachus est nuncupatus, iliadem malorum Clero procurauit: nihil etiam attinet dicere de Constantino V. Copronymo filio Isaurici Patrem impietatibus superante: tacebo Leonem IV. Copronymi filium & successorem, osoremque iconum excitantem contra Ecclesiasticos persecutionem. Tandem Irene cum puero Constantino VI. Leonis filio potita est imperio, pacémque reddidit Ecclesiæ.

Irene dat pacem Ecclesiæ.

Longobardi Reges eam denuo armis exagitarunt, pacémque turbarunt, in quos Galliæ Monarchæ insurrexêre Pipinus, & Carolus Magnus eius filius, quem omnium primum Sigebertus in Chronico asserit ab Adriano I. accepisse ius eligendi Summi Pontificis Ticino capto, & quidem in Synodo CLIII. Episcoporum, & Cœnobiarcharum Romæ congregatâ, Verùm purâ impostura, (vt notarunt Eminentissimi Cardinales Baronius, & Bellarminus à Sigeberto Monacho Gemblacensi, fautore Henrici III. Imperatoris schismatici, iniquo animo affecti erga Gregorium VII. confictâ post decem & trecentos annos, nimirum anno Virginei partus M. LXXXIV. cum bellum & odium arderet Henrici in egregium Pontificem Gregorium. Certè Eginardus à secretis Carolo magno, nihil omnino habet de eâ re, licet maximi momenti; atque eius vitam sedulò descriptam posteritati reliquerit, nec alij eiusdem æui auctores. Quare satis mirari non possum Gratianum etiam Monachum Benedictinum decreto à se conscripto Bononiæ inseruisse figmentum contra libertatem Ecclesiæ, desumptum iisdem verbis ex Sigeberto.

Adrianus non dedit Carolo Magno ius creandi Pontificis. Baron. an. 774. Bellarm. l. de script. Eccles. in Gratiano. Refelluntur Sigebert. & Gratianus. D. dist. 63. can. 22. Adrianus.

Idem sentiendum de sanctione non absimili Leonis VIII. Pseudo-pontificis, quâ ab eodem Gratiano post Sigebertū asseritur priuilegium dedisse in gratiam Othonis I. Imperatoris cognomento magni, & aliorum Italiæ Regum, ad Pontificem sedis Apostolicæ eligendum, & ordinandum, dandásque inuestituras, nec non consecrationem Archiepiscopis & Episcopis; quæ cōstitutio à spuriâ Synodo sancita D. CCCC. LXIII. præsente Leone intruso in sedem Petri, ab eodem Othone, quod Hieronymus Platus Societatis Iesu vir pius & doctus non animaduertit, referens Leonis VIII electionem contra Ioannem XII. qui legitimus fuit Pontifex, licet impurissimis moribus, & creatus anno duodeuigesimo suæ ætatis, nondum Diaconus.

Sigeb. in Chronico Corrigendus Gratian. D. dist. 63. can. 23. in Synodo. Platus l. de Card. c. 5. Ioan. 12. Factus Pōtifex annos habens solum 18.

Atenim quoniam Stephanus IV. dictus V. anno Incarnationis dominicæ D. CCC. XVI. die xxij. Iunij electus statuerat (si verè id statuit) ne inauguraretur Pontifex, nisi in præsentiâ Legatorum Cæsaris; Ludouicus I. Imperator cognomento Pius Caroli magni filius huic priuilegio legitimè renunciauit; sanctio incipit. *Ego Ludouicus Imperator Augustus.* Post aliquot annos Adrianus II. vir in pauperes effusus à Clero & populo ex Basilicâ D. Mariæ ad præsepe, in S. Ioannis Lateranensis Ecclesiam Patriarchalem est delatus gratiâ Pontificatûs obtinendi; quo audito & accepto, Legati Ludouici II. filij Lotharij Romæ agentes conquesti sunt, quòd nec moniti, nec vocati interfuissent, quibus vno verbo responsum non id fuisse præstitū in contemptum Imperatoris, sed ne ius aliquod Cæsari in Pontifice creando quærerent: hoc responso gauisus est Ludouicus scribens epistolam Romanis congratulatoriam de Adriani Pōtificis electione canonicâ. Expressioribus ver-

D. dist. 63. can. 28. quia sancta. Ludouicus Pius Imp. Ibid. ca. 30 Ego Lud. Thegan. l. de gestis Lud. c. 16. 17. 18. Anastas. Biblioth. in Adria. 2.

bis definitum à Pontifice Adriano III. anno D.CCC.LXXXIV. vt Summus Pontifex sine Regis, Legatorumque eius præsentiâ possit inaugurari.

Aliqui Pontifices infames intrusi. Pater & Filius Pontifices.

Initio sæculi decimi, eò peruenit meretricum imperium, vt testatur Baronius anno D.CCCC.VIII. vt pro arbitrio legitimè creatos Pontifices dimouerent, & violentos, ac nefarios homines intruderent; sic Pater & Filius fuere Pontifices Romani Sergius III. Papa infamis, anno D.CCCC.VII. & Ioannes XI. eius filius ex scorto Maroziâ, anno D.CCCC.XXXII. sic etiam Ioannes X. Sedis Apostolicæ inuasor, anno D.CCCC.XII. per Theodoram scortum intrusus, per Maroziam aliud scortum Theodoræ filiam detrusus, & incarceratus.

Baron. 928.

Redeamus ad Cæsares, Otho I. Cæsar suâ abusus auctoritate noluit Pontifices creari absque suo assensu: idem præstitêre eiusdem in imperio successores, vltimúsque Pontifex Imperatoris beneplacito lectus fuit B. Leo IX. Tullorum Præsul, qui animaduersâ morte repentinâ Damasi II. electi à Rege Henrico II. viginti trium dierum Pontificis, & deterritus oratione Hildebrandi Monachi, posteà Gregorij VII. deposuit thiaram, & purpurã Pontificiam laici hominis arbitrio delatam, peregrinique habitu Romã se contulit, iterum eligendus à Clero, populi consensu & approbatione. Non sum nescius in creatione Victoris II. qui successit Leoni in Sacrosanctâ dignitate, non fuisse omnino spretum Regem Henricum, & quidem suasu Hildebrandi, ne schismaticis faueret. Tandem aliquando liberandæ Sedis Apostolicæ causâ à Germanorum Imperatorũ tyrannide Nicolaus ille II. qui quotidie duodecim egenorum pedes abluebat, in Concilio apud Lateranum habito centum tredecim Episcoporũ, mense Aprili, anno M.LIX. iudicauit necessariò moderandam esse omnem eligendi rationem, & vocãdos Cardinales ad Pontificiam electionem, vt præcipuè ab illis perageretur: hæc sunt verba Concilij, *Inspectore Deo est statutum, vt electio Romani Pontificis in potestate Episcoporum Cardinalium sit, ita vt siquis Apostolicæ Sedis sine præmissâ concordi, & canonicâ electione eorum, ac deinde sequentium ordinum Religiosorum Clericorum & Laicorum consensu inthronizatur, non Papa, vel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur.* Eligendus autem erat ex Cardinalium numero, prout fuerat definitũ In aliâ Synodo Romanâ, anno D CC.LXIX. *In Apostolatus culmen vnus à Cardinalib. Presbyteris aut Diaconis consecretur*; quod sẽper non est obseruatũ.

Leo 9. bis eligitur, vltimus ab Imp. electus.

Nicolaus Papa vocat Cardd. ad Pontif. electionem.

Nicol. 2. epist. c. 1. D. dist. 79. si quis.

Anastas. Bibliothec. in vitis Pontif.

Vitâ functo Florentiæ Nicolao II. & post Constitutionem illam editam elapso biennio electus est, & inauguratus Alexander II. Mediolanensis à Cardinalibus, Clero, & populo ad eam electionem comprobandam accedente, nullâ habitâ ratione auctoritatis Henrici III. Regis pueri: propterea ortum est Cadoli Palauicini Patmensis Episcopi dicti Honorij II. Schisma, anno M LXI. Alexandro successit Gregorius VII. in quo eligendo Cardinales sunt potissimi habiti, en formulam electionis, *Non congregati in Basilicâ Diui Petri ad vincula S. R. E. Cardinales Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi Presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis, Abbatibus, & Monachis, consentientibus pluribus turbis vtriusque ordinis eligimus nobis in Summum Pontificem Hildebrandum Archidiaconum, &c.*

Electio Greg. 7.

Hinc apparet Clerum, & plebem aliquo modo adhuc interuenire vsque ad Innocentium II. qui suâ Constitutione populum omnino ab eligendo

Pontifice seclusit, ex eáque Celestinus II. vacuam Innocentij morte sedem possedit; possedêre etiam postea Lucius II. Eugenius III. Anastasius IV. Adrianus IV. Anglus, & Alexander III. dignissimus Petri successor, cuius tempestate Octauianus Antipapa sumpsit Pontificatûs inuestituram à Friderico Imperatore per annulum, sed in concilio Oecumenico Lateranensi anno M.CLXXIX. (cui interfuit ipse Alexander, & præter Occidentales, etiam Orientales Episcopi ex Palestinâ & Syriâ interfuêre) totum ius eligendi Pontificis trânslatum fuit Cardinalibus, reliquo clero, Imperatore, & populo exclusis, etiam in eadem Synodo statutum, vt duæ tertiæ partes Cardinalium ad Pontificis electionem necessariò conueniant, aliàs non assumatur ad Apostolatûs officium, nisi maior interuenerit concordia.

Populus arceuir omnino ab Electione.

Arnulph. Lexouien. in epist.

Duæ tertiæ partes Cardd. requiruntur.

Hac electionis methodo omnium primus est inauguratus Lucius III. quarto Calendas Septembris, anno M.CLXXXI quâ formâ nulla melior commodiórque (vt ratio, & experientia docuerunt) confirmata à Concilio Lugdunensi primo, & à variis Pontificibus.

Modus autem creandi Pontificis à Cardinalibus obseruatur, aut codicillis, aut vocibus, aut adoratione: nouissimam super eâ re edidit Constitutionem Gregorius XV. die XV. Nouemb. anno M.DC.XXI. quæ incipit *Æterni Patris filius*: illâ decernit electionem peragendam, aut quasi inspiratione, omnibus videlicet in vnum consentientibus, viâ & motu Spiritus Sancti per verbum *eligo*: aut compromisso, cùm à Cardinalium cœtu datur quibusdam facultas, & potestas vice omnium eligendi: aut Scrutinio secreto, cui est Accessus adiungendus, etiam per suffragia secreta: hac formulâ electus est Vrbanus VIII. hoc nomine dignior Pontificatu, quòd omnem mouerit lapidem, ne ad tantæ dignitatis fastigium eueheretur. Porro in Scrutinij schedulâ, & symbolo hæc verba describuntur. *Ego N. Cardinalis in Summum Pontificem Reuerendissimum D meum D. Cardinalem N. eligo.* In accessûs verò schedulâ. *Ego N. Cardinalis N. accedo Reuerendissimo D. meo D. Cardinali* Antequam autem schedula immittatur in calicem, stans pedibus Cardinalis ante aram, hæc profert verba altâ, & intelligibili voce, *Testor Christum Dominum qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere, & quod idem in Accessu præstabo.*

Electio Pontificis vt hodie obseruatur.

Electo Summo Pontifice aperitur Conclaue, cuius institutionem, & diploma à Gregorio X. editum dabimus libro primo agentes de Petro Tarentatiensi Innocentio huius nominis quinto; ratio autem Conclauis inuenti repetenda à Cardinalium discordiâ non conuenientium de prouidendo Summo Ecclesiæ Pastore, vacante sede Apostolicâ per annos duos menses nouem, Clemente IV. vitâ priuato anno M.CCLXVIII. tandem diuinâ virgulâ Archidiaconus Leodiensis Theobaldus Vicecomes Placentiæ, tunc absens, & agens Ptolemaide cum Eduardo Anglo, creatus Summus Pontifex die I. Septembris anno M.CCLXXI. dictusque Gregorius, de quo Ioannes Portuensis Cardinalis illud est effatus.

Conclaue.

Vacat sedes Pontificia ferè tres annos.

Quem Patrem Patrum fecit discordia fratrum.

Anno sequenti in Italiam reuertitur, & Synodum Oecumenicam Lugdunensem secundam mille Patrum, mense Maio anni M CC LXXIV. congregauit ipse Præses, in quâ, præter alia maximi momenti, Conclaue instituit.

Almaricus Auger. Biterren. in Gregorio X.

Quo tempore Episcopi cœpere esse Cardinales, & de horum subscriptionibus, gradu, & honore iis deferendo.

CAPVT VII.

CErto certius est Episcopum simplici Sacerdote multis partibus semper fuisse superiorem; imprimis ordine, & potestate eiusdem Ordinis, cùm possit Episcopus Sacerdotes inaugurare, & Christianis Sacramentum Confirmationis conferre; deinde potestate Iurisdictionis in propria Diœcesi; denique dignitate, quare dicuntur Episcopi successisse in locum Apostolorum, & in Ecclesiâ tanti fiunt, quanti æstimabantur Principes Sacerdotum in Synagogâ. Non sum nescius Cardinales haud fuisse æquiparandos Episcopis in primis Ecclesiæ sæculis, nec etiam extitisse simplices Sacerdotes, cùm in parœciis, & Titulis aliquâ Iurisdictione donarentur. Certè Gomesius animaduertit Episcopos olim flocci habuisse Cardinalatûs qualitatem, quòd eam crederent esse infra suam dignitatem; necse alium nominauit, & in præsenti nominat Summus Pontifex quàm Ecclesiæ Catholicæ Episcopum, & Episcopos Venerabiles Fratres nuncupat, Cardinales verò dilectos filios (si non sint Episcopi) quoties singulis loquitur aut scribit: si autem vniuersos alloquitur, Fratres vocat ob adiunctos Episcopos. Post Papam subscribebant Episcopi in Synodis, vsque ad æuum Nicolai II. qui est inauguratus anno M. LIX. Et gradus fiebat à Cardinalatu ad Episcopatum, sic Gregorius magnus consueuerat ex Cardinalibus creare Episcopos.

Dignitas Episcopatus.

In proœmio Reg. Cancell. §. postquam. Cardinalatus initio vilis.

Mittebantur etiam ad Concilia celebranda Episcopi, nomine Pontificis, quibus adiungebantur Presbyteri, etiam Legati Pontificij; sic Osius Episcopus Cordubensis, Vito, & Vincentius Presbyteri missi nomine Syluestri I. ad Concilium I. Nicænum Oecumenicum, celebratum in Nicæâ Bithyniæ, non autem in Nice Thraciæ, quod notauit Socrates; ne simplices Catholici vocum affinitate deciperentur, cùm eadem tempestate duo fuerint habita Concilia, vnum à Catholicis, alterum ab Arianis τὴν παρωνυμίαν τοῦ ὀνόματος σκιαγραφεῖν τοὺς ἁπλουστέρους βουλόμενοι τὴν ἐν Νικαίᾳ γὰρ τῆς Βιθυνίας πίστιν ἐν Νίκῃ ὀνόμαζον. Episcopi Legati duplici iure suffragij ferendi potiebantur in Conciliis, primò ob Legatorum dignitatem, quam sustinebant, deinde ob Episcoporum partes: simplices autem Sacerdotes nullum suffragium ferebant in iisdem, nisi Legatione fungerentur; Qui ergo factum, vt Philippus Presbyter S. R. E. subscripserit in primâ Synodo Ephesinâ pro condemnando Nestorio, Iulij vndecimâ die, anno orbis reparati CCCC. XXXI. ante duos celebres Episcopos Legatos Celestini Pontificis Arcadium & Proiectum? Qui responderet Philippum fuisse S. R. E. Cardinalem nullo modo satisfaceret, cum tunc temporis dignitas Cardinalium esset multo inferior dignitate Episcoporum: quare meo quidem iudicio abundè satisfecit Eminentissimus Cardinalis Peronius in libro doctrinâ refertissimo ad Iacobum I. maioris Britanniæ Regem, asserens duo Legatorum genera mitti solita à Summo Pontifice, ad Synodos Oecumenicas Orientales, quidam erant Episcopi selecti è gremio Ecclesiæ Romanæ Patriarchalis, vti Arcadius & Proiectus in illâ primâ Synodo Ephesinâ, Iulianus Episcopus Puteolanus in secundâ,

Athanas. l. de Synod.

Socr. l. 4. hist. c. 11.

De Legatis Pontificiis.

Ephesin. 2. Concil. act. 5.

Peronius Cardin. l. Replicæ ad Regem Britan. cap. 35.

Pascasinus Episcopus Lilybæus in Chalcedonensi; alij erant Presbyteri, vt Vito, & Vincentius in Nicæna, Archidamus, & Philoxenus in Sardicensi, Philippus in primo Concilio Ephesino, Bonifacius in Calcedonensi. Porro primi ab ordine Episcoporum desumpti referebant in genere, repræsentabántque corpus Ecclesiæ Occidentalis, secundi nimirum Presbyteri, aut Diaconi, selecti erant è Clero particulari Ecclesiæ Romanæ ad referendam in particulari intentionem, mentem, & personam Summi Pontificis. Itaque Legati alij erant interni (quos Concilium Sardicense vocat ἐκ τῦ ἰδίου πλευροῦ) extracti è corpore, & Clero Ecclesiæ Romanæ particularis; alij externi desumpti ex Episcoporum ordine, illi erant primarij Legati, non quoad honorem, sed quoad relationem mentis Pontificis: Philippus autem Presbyter fungebatur Legatione internâ, erátque Legatus à latere, vnde nominatur ante Arcadium Episcopum Legatum Ecclesię Romanæ Patriarchalis, hoc est Legatum Pontificis & Concilij Romani: illo sensu dixêre Sozomenus, & Theodoretus duos fuisse Legatos Pontificios in Synodo Nicænâ scilicet Vitonem, & Vincentium. Vt vt sit non dubitamus priscis temporibus charactere Episcopali ornatos præcessisse in omnibus Presbyteros S. R. E. nec dubitamus Cardinales solitos ire pedites ante tempora Innocentij IV. qui statuit, vt equo procederent, quod eorum tenuitatem, ac simplicitatem denotabat. Concil. Sardicen. can. 5. Cardd. pedites.

Nunc verò si vniuersalis Ecclesiæ gubernatio, & regimen attendatur, non dubium est quin Cardinales, siue Presbyteri, siue Diaconi præcellant Episcopis & Patriarchis; enimuero assistunt Pontifici in regendâ Catholicâ Ecclesiâ, ipsum Pontificem eligunt suis calculis, & suffragiis; ex eorundem cœtu pro more assumitur Summus Ecclesiæ Pastor, ab iisdem aliquâ ratione dependent Episcopi in suâ electione, cûm non absque ipsorum consilio res geratur, & perficiatur in Consistorio secreto; imo ipsos iudicant, & deponunt cum subest causa; quare non abs re Cardinales *pars corporis Papæ* appellantur Canone *Si quis*, & iure S. Bernardus eos admonet, vt Eugenium III. moneant, iuuent, opportuna suggerant *Si qua*, inquit, *consolatio in vobis, si qua virtus charitatis in Domino, si qua compassionis viscera, assistite & collaborate illi in opere, ad quod per vos assumptus est à Domino. Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, hæc ei suggerite, hæc suadete, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* Excellentia Cardinalium. Canone. Siquis. 6. q. 1. S Bernar. Epist. 236 ad omnes Cardinales.

Antiquitus ad Cardinalatum non promouebantur Episcopi præter septem vicinos Vrbi Romæ, vt iuuarent ipsum Pontificem alternis vicibus, non inquam promouebantur, quia maior, vti diximus, erat dignitas Episcoporum, quàm Cardinalium; deinde effectum id crediderim, ne Pastoralem curam tantopere à Christo Domino omnium Pastore commendatam desererent relictis ouibus, quas aberrantes quæsiuit Dominus, & inuentas humeris propriis sustulit, quare animaduertit Isidorus Pelusiota B. Ioannis Chrysostomi Discipulus scribens Hermino Comitie pomidem, siue superhumerale Episcoporum factum è lanâ (non ex lino) ouis illius aberrantis, & inuentæ pellem designare ὅτι τῦ Ἐπισκόπου ὠμοφόριον ἐξ ἐρίας ὄν, ἀλλ᾽ οὐ λίνου, τὴν τοῦ προβάτου δορὰν σημαίνει. Pastorum cura. Isid. Pelus. l. 1. ep. 136.

I. Episcopus Cardinalis. Iacoba. l. 1. Concil. num. 121.

Primus omnium Episcoporum creatus Cardinalis, fuit Conradus Comes de Vitelsbach Archipræsul Moguntinus, æuo Alexandri III. vnde fidem non habeo Dominico Iacobatio Cardinali, & Episcopo Lucerino asserenti Clementem V. inter Pontifices primum, donasse purpurâ Cardinalitiâ Episcopos Auenione; non eo inficias ipsum Clementem satis frequenter Episcopos vocasse ad culmen Cardinalatûs, & certè eius tempestate vix creabantur Cardinales, qui non vnum aut plures haberent Episcopatus; sed hoc obseruabant, vt nomine Episcopi deposito, perpetuos se Ecclesiarum Administratores vocarent, siue eas in Commendam retinerent Sed operæpretium est hic commemorare, quonam pacto Conradus Archiepiscopus ad Cardinalatum peruenerit, quòd ante eum non fierent Episcopi Cardinales: non eo peruenit quòd esset illustrissimæ familiæ, aut consanguineus Friderici Imperatoris cognomento Ænobarbi, verùm quia Ecclesiam in schismate Octauiani Antipapæ, contra eundem Fridericum tutaretur; eiectus enim fuerat à sede Moguntinâ, & in eius locum suffectus, si non re, saltem nomine Christianus Imperatoris Cancellarius, anno incarnati Verbi centesimo sexagesimo tertio supra millesimum, Conradus ad Alexandrum III. tunc in Galliâ agentem se recepit, & in Ecclesiâ D. Martini Synodo celebratæ cum D. Thomâ Archiepiscopo Cantuariensi interfuit, donatus anno postea sequenti Cardinalatu, & Episcopatu Sabino ab eodem Alexandro, in compensationem; quare corrigendus Onuphrius, qui vult Conradum Moguntinum creatum Cardinalem à Lucio III. successore Alexandri viginti duorum annorum dignissimi Pontificis. Tandem pace initâ Venetiis inter Alexandrum & Fridericum, lituum Salisburgensis Ecclesiæ accepit, remanente Christiano in Ecclesiâ Moguntinâ, qui pallium ab Octauiano Schismatico acceptum flammis publicè consecrauit, aliud accipiens ab Alexandro; post Christiani Moguntini obitum rediit Conradus ad sedem Moguntinam retentâ Sabinâ. Idem Summus Pontifex Alexander Galdinum Salam, virum sanctissimum Mediolanensem Archipræsulem creauit S. R. E. Cardinalem anno M. CLXV. in Galliâ Cisalpinâ Legatum, qui quadam die Mediolani concionem ad populum habens, & finiens finiit vitam mortalem pro immortali.

Concil. Turon. præsente Alexandro.

Bulla Alexand. 3. data Venetiis.

Galdinus Card. finit vitam finitâ concione.

Illis temporibus Episcopi tam Transalpini, quàm Cisalpini, qui Cardinalitiâ dignitate decorabantur, ad vnum è septem illis Romæ vicinis Episcopalibus, qui forte vacaret, promouebantur, quod raro admodum eâ tempestate præstabant summi Pontifices; postea sensim sine sensu factum est, obrepsitque, vt etiam Episcopi fierent Presbyteri Cardinales, quod obseruauimus præstitû à Clemente III. promouente (teste Onuphrio) Guillelmû ad albas manus regij sanguinis, Archipræsulem Rhemensem ad Cardinalatus apicem, tituli S. Sabinæ, qui est Presbyterorum titulus. Sequemur tamen sententiam Rogeri Houedeni, asserentes libro nostro secundo Guillelmum promotum ad honorem Cardinalitium ab Alexandro; Idem Onufrius refert Ioannem Episcopum Viterbiensem creatum ab eodem Clemente III. Presbyterum Cardinalem tituli sancti Clementis: parcè admodum Romani Pontifices vsque ad Clementem V. qui primus Auenione sedit, Episcopos effecerunt Presbyteros Cardinales.

Episcopi ad Episcopatus Cardinales promouebantur. Onuf. in Clemente 3.

Quod attinet ad sedem honoris Cardinalibus S. R. E. Principibus deferendi, nullus est in præsenti Archipræsul Primas, aut Patriarcha, qui non eis cedat: voluit aliquando Henricus Cantuariensis Archiepiscopus, & Angliæ Primas disputare de priore loco cum Ioanne Presbytero Cardinale; quod non est passus Eugenius IV. scribens Henrico literas, quibus mirè effert Cardinalatum. Cùm etiam pileus Cardinalitius Sbigneo Episcopo Cracouiensi in Poloniâ fuisset à Pontifice Felice IV. anno M. CCCC. XL. missus, Archipræsul Gnesnensis, & cum eo Proceres Poloni petierunt à Rege, vt adiudicaretur in comitiis princeps locus Archiepiscopo, Rex facere renuit, isto Archipræsule non cedente, nouus Cardinalis discessit, cui tamen postea abundè satisfactum, & prærogatiua ei concessa. Si comparatio Cardinalium Eminentissimorum cum Laicis Principibus instituatur, vsus inualuit in Italiâ, vt illi hos præcedant; vnde Mauritius Cardinalis à Sabaudiâ Patrem Emanuelem amplissimi, & summi dominij Ducem, ac Principem Pedemontanum antecedebat; crediderim ob eam rationem Sabaudum non velle subditos creari Cardinales. In Galliâ nostrâ, referente Thuano Præside, Cardinales Turnonius, Lotharingus, & Guisius honorem sedis, suo tempore, æmulati proceribus Regij stemmatis cedere recusârunt, cúmque Cardinalis Borbonius præcedens Condæum Principem, id se facere diceret non vt Cardinalem, sed vt primogenitum, & Cardinales Castillonæus & Armeniacus non dedignarentur istos Proceres subsequi, abierunt Turnonius, Lotharingus, & Guisius, isto etiam vociferante esse Cardinales, qui galeros suos honorarent, & qui à galeris honorarentur. Quod attinet ad Reges & Regum filios, certum eos præcedere Cardinales: in Collegio tamen Cardinalium congregato siue in Consistorio, siue in Capellâ Rex præcedit omnes Cardinales præter Episcopum Ostiensem sacri Collegij Decanum, quod refert Guicchardinus (quem *diuino Historico* Itali nuncupant) sermonem habens de Carolo Octauo Francorum Rege Româ transeunte Neapolim; Alessandro VI. inquit, riceuè in Roma il Re Carolo VIII. mese Gennaro M. CCCC. XCV. nella chiesa di san Pietro, el quale hauendogli secondo il costume antico, genuflesso baciati i piedi, & dapoi ammesso à baciargli il volto, interuenne vn' altro giorno alla Messa Pontificale, sedendo el primo doppo el primo Vescouo Cardinale, & secondo el rito antico dette al Papa celebrante la Messa l'acqua alle mani.

Cardinales primi post Papam.

Bullar. tom. 1.

Cardd. comparati cum Laicis Principibus.

Thuan. hist. sui temporis lib. 28.

Guicchard. Lib. hist. Ital.

De Lege Regaliorum in Galliâ, cum Episcopus promouetur ad Cardinalatum, déque Indulto eorundem Cardinalium pro Beneficiis conferendis.

CAPVT VIII.

Legem Regaliorum variis sanctionibus confirmauit Philippus Rex Galliæ, cognomento Pulcher; sunt autem Regalia ius patronatûs Regij, cum Rex in Episcopatûs fructus manum mittit, & beneficia simplicia, ac canonicatus confert, Episcopo aliquo vitâ functo, aut promoto ad Cardinalatum, quousque Sacramento fuerit rogatus, & literæ de eâ re confectæ in

Quid Regalia.

Ægid. Magist. lib. de Regal. c. 7.

monimenta Cameræ rationum reddendarum fuerint relatæ; vt autem ad id Sacramentum præstandum accedat Cardinalis, aut Episcopus nouus, arcetur à possessione iurium Ecclesiæ suæ, in quam interim Rex incumbit, stant, valentque collationes ab eodem factæ, vt declaratum est, die vigesima nona Augusti, anni quingentesimi nonagesimi octaui supra millesimum, Senatusconsulto Curiæ Parisiensis, cui soli competit causas Regaliorum primâ, vltimáque disceptatione exagitare, sicut patet sanctione Ludouici XI. die vigesima quarta Maij, anno Incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio.

Rufæus tract. de iure Regal. priuil. 31.

Lex Regaliorum, quæ iure coronæ Regi competunt, antiquior est regulis Cancellariæ; tribusque potissimum stabilitur, imprimis longo, & immemori vsu, deinde variis & multiplicibus dotationibus regiis, quas Galliæ Reges Ecclesiæ dedêre: vnde ius patronatûs ad illa sede vacante pertinet, denique exemplò feudi; tenetur enim Cliens fidem, & obsequium præstare, siue auctoramentum inire, lege clientelarum, quod si non præstiterit, fundus clientelaris remanet in Domini Benefici, & Patroni manu.

Episcopatus trans Ligerim prætendût exemptionem.

Locum habent Regalia in omnibus Gallicanis Ecclesiis, vti declaratum fuit Senatusconsulto, die Iouis XXII. Aprilis M.DC.VIII. Verum non ignoro Ludouicum VII. dictum Iuniorem concessisse, anno M.C.XXXVII. intuitu sui matrimonij cum Leonorâ Guillelmi Pictauiensis Nouempopulaniæ Comitis filia, exemptionem Regaliorum Gofredo Archipræsuli Burdegalensi & Suffraganeis, trans Ligerim, quod ille Archiepiscopus hoc connubium Guillelmo postea mortuo in peregrinatione sancti Iacobi Prouinciæ Galliciæ, procurasset: Iuris-periti tamen Gallici aiunt Ludouicum ad solum tempus vitæ hanc gratiam contulisse. Porro notandum est Decanatum, & præbendam Theologalem non contineri lege Regaliorum, sed à Canonicis electione conferuntur, cum vacant non præstito Regi Sacramento fidelitatis à Cardinale, aut ab Episcopo nouo. Contrarium omnino est definitum à Senatus Parisiensis Principe Nicolao Virduno, die vltimâ Martij anno M.DC.XX. pro canonicatu vnito dignitati Pœnitentiariæ Ecclesiæ Rhemensis vacante per Regalia, definitum inquam in fauorem Petri Frizon auctoris huius Galliæ purpuratæ, vitâ functo Ioanne le Bec, qui septuaginta annos fuit Canonicus Rhemensis; cùm Ludouicus Cardinalis à Guisiâ Archipræsul Rhemorum non satisfecisset Regi sacramento, post Cardinalatum obtentum; Sacramentum autem præstatur à propriâ Cardinalis personâ, aut etiam ab ipso nouo Episcopo, non verò à Procuratore; quod si contigerit sede vacante, Sacerdotij seu beneficij alicuius possessionem in illo Episcopatu non fuisse acquisitam in propriâ, sed in Procuratoris personâ, tunc temporis iure vacat, licet non facto, & ipsum beneficium ad Regis collationem pertinet: quod directè opponitur l. Fiscus cum priuatiuis ff. de iure fisci; vacant etiam beneficia, de quibus est lis intenta.

Decanatus & præbendâ Theologalis excipiuntur.

Pœnitentiaria Rhemensis vacat.

Possessio facti & iuris.

Olim Regalia durabant spatio triginta annorum, quare decretum de Pacificis possessionibus non habebat locum in regaliis ob diploma Ludouici XII. latum anno M.CCCC.XCIX. sed hac tempestate emensis tribus annis, non durant amplius; nec potest pacificus possessor triennalis vocari in ius à Regalistâ, vt habet articulus XXVII. diplomatis Henrici IV. Regis

Ordinat. Regiæ art. 11.

Tempus Regaliorum.

concessi,

concessi, anno M. D. CVI. precario libello Cleri.

Regalista debet litem intentare manu Regis iniectâ, contra quam nullus sequester prætorius ac iudicialis constituendus, ita Senatus constituit die vigesimâ quartâ Martij, anno M. CCCC. XLIII. Indultarij, vt vocant, & Graduati nullum Regalistæ præiudicium causant, aut obicem ponunt. Indultarij & Graduati.

Non potest Regalista cum iure Regaliorum, iuuari titulo Pontificio in raiuribus accumulando, ita habet Senatusconsultum anni millesimi trecentesimi trigesimi octaui, die tertiâ Iulij. In dubiis idem Regalista debet habere fiduciariam possessionem, vindiciarúmque præiudicium, cum ex altercatione partium res decerni non potuit, Iudéxque deliberandum pronunciauit; hactenus de regaliis.

Eminentissimorum Cardinalium Collegium obtinuit à Paulo IV. anno à redempto orbe, MDLIX. priuilegium indulti sex mensium pro beneficiis conferendis, quorum ipsi sunt ordinarij collatores; ita vt summus Pontifex non possit eos præuenire, nec illi gratiæ derogare data exceptione à regula de infirmis resignantibus, quam statuit Bonifacius viij anno M. CCXCV. eáque successit Regulæ de viginti diebus, vnde illa nomen huius desumpsit, cuius regulæ mentio habetur in indulto. Vt vim & robur fortiatur indultum, opus est ipsum recitare, promulgare, & in actis Senatus Parisiensis, aut Consilij perscribere. Indultum Cardinalium. Chopin. l. Monast. tit. 6. n. 6. Rebuff. ad tit. de regia ad Præl. Nominat.

Beneficia non continentur hoc priuilegio, & in indulto, quæ Nominatis, & Graduatis fuere affecta.

De varietate, & vsu vestium DD. Cardinalium toto anni tempore.

CAPVT IX.

Duobus tantùm vti consueuère coloribus Cardinales, puta rubro & violaceo, si duas dominicas exceperis, Dominicam tertiam Aduentus, quartam Quadragesimæ, quibus diebus vtuntur colore rosæ siccæ, tam subtanis, quàm manteletto, & mozettâ.

Religiosi Cardinales retinent colorem habitûs suæ Religionis, tam in vestibus quàm in cappis, & nunquam mutant, nec solent vti vestibus sericeis: galero tantùm, & ex priuilegio Gregorij XIV. die Aprilis M.D.XCI. bireto seu pileo etiam exceptis, quæ rubra esse debent. Vtuntur superpellicio loco rochetti.

Color violaceus assumitur in vestibus toto aduentûs tempore, exordio facto à prima Dominica etiam post Aduentum à Dominica Septuagesimæ per totam Quadragesimam, ac singulis sextis feriis, vigiliis, quæ ieiunantur, & quatuor anni temporibus, & in die Commemorationis defunctorum, & quandocunque celebratur, vel fit officium pro defunctis.

Excipiuntur ab hac Regula quatuor tempora, quæ incidunt immediatè post Pentecosten, omniáque festa duplicia, etiam in sextis feriis extra tempus Aduentûs, Septuagesimæ, & Quadragesimæ & festum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis; licet in Quadragesimam inciderit. Similimodo ex-

cipiuntur aliquot alij dies, nimirum a Vigilia Natiuitatis Iesu Christi per totam octauam Epiphaniæ, a Sabbato Sancto post Officium, & Missam vsque ad Dominicam Sanctissimæ Trinitatis inclusiuè. Per totam octauam festiuitatis Sanctissimi Corporis Christi, per totam octauam Assumptionis gloriosæ Virginis Mariæ, per totam octauam SS. Apostolorum Petri & Pauli, & per totam octauam festiuitatis Omnium Sanctorum.

In aliis autem octauis, videlicet Natiuitatis Deiparæ Virginis, S. Ioannis Baptistæ, & S. Laurentij, excipiuntur dies octauæ tantùm.

Excipiuntur etiam festiuitates SS. Patronorum Ciuitatis, & Tituli Ecclesiæ, in quibus Reuerendissimi DD. Cardinales morantur. Dies creationis & Coronationis Summi Pontificis, si venerit intra tempus Aduentûs, Septuagesimæ, vel Quadragesimæ, seu alio die in supradictâ Regulâ expresso. Festum Cathedræ Romanæ S. Petri, si venerit intra Septuagesimam; nec non alij dies alicuius Festi solemnis, ob aliquam publicam lætitiam, vel victoriam, aut similem causam; tunc enim vtuntur colore rubro, præterquam in cappis Pontificalibus, quibus regulariter vtuntur violacei coloris.

De Nouo Eminentiæ, & Eminentißimi titulo.

CAPVT X.

IPso Pontificatûs Vrbani VIII. exordio actum fuit sæpenumero, & postea de innouandis *Dominationis* & *Illustrißimi* titulis, vt pote inferioribus dignitate Cardinalitiâ, cùm Cardinales in suo ordine non minus debeant æstimari, ac *Præfecti prætorio*, qui ab Imperatoribus decorabantur titulo *Celsitudinis*, & *Eminentiæ*: quare res confecta fuit post rem maturè agitatam.

Authen. vt ordinar. Præfect. L. Actuario C de Numer.

Die X. Ianij M. DC. XXX *in Consistorio secreto.*

Fuit facta per D. Cardinalem Pium relatio Decreti sacræ Congregationis cæremoniarum S. R. E. Cardinalium.

Beatissime Pater.

Sacra Congregatio cæremoniarum S. R. E. Cardinalium censuit, si Sanctitati vestræ placuerit, loco titulorum *Illustrißimi*, & *Dominationis vestræ Illustrißimæ*, quibus hactenus vsi sunt Cardinales, titulos *Eminentißimi*, & *vestræ Eminentiæ*, vnà cum antiquo titulo *Reuerendißimi* in posterum esse debere proprios, & peculiares Cardinalitiæ dignitatis, itavt præfati tituli *Eminentißimi*, & *Eminentiæ* à nemine, præterquam ab Ecclesiasticis Romani Imperij Electoribus, ac Magistro Hospitalis Hierosolymitani vsurpari possint, aut aliis attribui; eosdemque titulos ab omnibus, & singulis Cardinalibus præsentibus, & futuris omnino assumi, interse tam voce quàm scripto perpetuò vti debere. Quod si contigerit aliquem cuiuscunque dignitatis, gradus, & conditionis (Imperatore ac Regibus exceptis) huiusmodi titulos alicui Cardinalium non tribuere, Cardinalis ille nullatenus cum eo coram agat, nec eius literas quoquomodo recipiat.

Præter Cardinales alijs quatuor datur hic titulus.

Imp. & Reges excipiuntur.

Insuper censuit supplicandum esse Sanctitati Vestræ, vt per suum Consistoriale decretum præcipere dignetur cæteris omnibus, & singulis Ecclesiasticis cuiuscunque conditionis, gradus, & dignitatis, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, seu Patriarchali dignitate præfulgentibus, ne præfati *Eminentissimi*, & *Eminentiæ* titulos quoquomodo sibi viurpent, sub pœnis indignationis vestræ, & Romanorum pro tempore Pontificum, inhabilitatisque ad alias dignitates, & incapacitatis quarumcunque gratiarum seu indultorum sedis Apostolicæ, ac amissionis fructuum suarum Ecclesiarum ipso facto incurrendis.

Item censuit hæc omnia in præsenti Consistorio esse referenda, vt Sanctitate Vestra, annuente ab omnibus, & singulis Cardinalibus recipiantur, & super eorum perpetuâ & inuiolabili obseruatione iuretur, debitæque executioni demandentur, à præsentibus quidem in Consistorio statim, ab existentibus vero in curiâ post tres dies, & ab absentibus post duos menses in Italiâ, & post quatuor extra Italiam. Inter alia super his etiam omnes, & singuli Cardinales, qui in futurum creabuntur iurare teneantur: præsentes quidem in receptione pilei, absentes verò in receptione bireti.

Petitionibus vestris annuentes, proposita Nobis per Vos omnia admittimus, & approbamus; & desuper literas etiam in formâ Breuis cum clausulis opportunis, & necessariis concedimus, & expediri mandamus cum auctoritate imprimendi.

Omnes Italiæ Duces, Principes, & Respublicæ executioni mandauêre decretum. Intercesŝere Respublica Veneta, & Sabaudiæ Dux Carolus Emanuel, nec non eius filius Princeps Cardinalis, significantes nil se velle innouare in antiquis Cardinalium titulis *Dominationis*, & *Illustrissimi*; cùm Reipublicæ Venetæ Dominio Regna sint subiecta; Sabaudiæ Dux & Mauritius filius Cardinalis Diaconus S. Mariæ in viâ latâ asseruerunt se originem trahere à Cypri Regibus, eóque nomine debere comprehendi regio diademate, cuius est mentio in superiori decreto. propterea voluit Oratorē suum in curiâ Romanâ declarare Summo Pontifici, se eiusdem paritatis & æqualitatis esse cum Serenissimâ Republicâ Venetâ, & Sabaudiam Regiis prærogatiuis gaudere. Princeps etiam Cardinalis Sabaudus significauit sacro Collegio Cardinalatum non debere obesse prærogatiuæ suæ originis, cum ante Cardinalatum adeptum, decoraretur titulo *Celsitudinis*, & *Serenissimi*. Satisfactum à Pontifice & sacro Collegio cùm Reipublicæ, tum Duci ac eius filio Principi Cardinali: vnde Eminentissimi Cardinales suæ Sanctitatis Nepotes habuere in mandatis, vt acceptent à Duce Sabaudiæ antiquum *Illustrissimi*, & *Dominationis* titulum, ipsique pro more salutent Principem Cardinalem Sabaudum nomine *Serenissimi*, & *Celsitudinis*.

Respublica Veneta, & Dux Sabaudus excipiuntur.

Dies Capellarum, ad quas aduocantur Eminentißimi Cardinales.

CAPVT XI.

Missæ sunt numero quadraginta, quæ iuxta antiquum morem, nostris temporibus solemni ritu celebrantur à Reuerendissimis DD. Cardinalibus in præsentiâ Summi Pontificis, aut à Prælatis Sanctitati suæ assistentibus, aut ab ipsomet Pontifice.

Pontifex tres celebrat, si impedimentis detineatur, supplent RR. DD. Cardinales Episcopi.

Diaconi Cardinales, & alij Officiales Capellæ sacrâ hostiâ reficiuntur à Pontifice, etiam Oratores Principum, aliique. Paramenta Cardinalium alba, Pontifice celebrante, non celebrante, rubea.

Apud Basilicam S. Petri.

In die Natiuitatis D. nostri Iesu Christi.
In die Paschæ Resurrectionis.
In die SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Triginta missas celebrant pro more RR. DD. Cardinales, quarum quinque pertinent ad Cardinales Episcopos, & si sint impediti, supplent Cardinales Presbyteri seniores.

Apud Basilicam S. Petri.

In die Omnium Sanctorum est mutatio capparum, assumuntur rubræ cum pellibus, incipiendo à vigiliâ.
In die Epiphaniæ, cappæ rubeæ.

In Capella Palatij. Apud S. Petri.

Feria quinta in Cœnâ Domini.
In die Ascensionis.
In die Pentecostes.

Viginti quinque celebrantur à RR. DD. Cardinalibus Presbyteris.

In Capellâ Palatij. Apostolici sancti Petri, aut montis Quirinalis.

In die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebratur à Cardinale maiore Pœnitentiario, color sumitur violaceus.
In Anniuersario RR. DD. Cardinalium Defunctorum à Cardinale; sacri Collegij Camerario.
In dominicâ tertiâ Aduentus color rosæ siccæ tota die.
In nocte Natiuitatis D.N. Iesu Christi celebratur à Cardinale S.R.E. Camerario, cappæ sumuntur rubeæ, benedicitur ensis, & pileus.
In festo S. Stephani; cappæ rubeæ.
In festo S. Ioannis Euangelistæ; cappæ rubeæ.
In die Circuncisionis Domini; cappæ rubeæ.

Apud S. Petri.

In festo Cathedræ Romanæ B. Petri; cappæ rubeæ.
In die Purificationis B. Mariæ color variatur, si venerit post Septuagesimam.

In Minerua.

Feriâ quartâ Cinerum celebratur à Cardinale maiore Pœnitentiario; cappæ violaceæ, quas deponunt, vt sumant cineres cum paramentis violaceis, si Pontifex donet cineres.

In Capellâ Palatij Apostolici.

In Dominicâ quartâ Quadragesimæ, quæ dicitur Lætare, benedicitur Rosa aurea.
In Dominicâ palmarum color violaceus Pontifex benedicit pal-

nias: ad eleuationem sanctissimi Sacramenti, solus Pontifex tenet palmam.

In festo Annunciationis B. Mariæ à Cardinale Titulari illius Ecclesiæ, in qua celebratur. Fit equitatio à Summo Pontifice & Cardinalibus ad Mineruam pro dotandis puellis; color rubeus sumitur licet in Quadragesimâ. In Ecclesia S. Mariæ ad Mineruam.

Feria sexta in Parasceue celebratur à Cardinale maiore Pœnitentiario.

Sabbato sancto.

Feria secunda.

Feria tertia Paschæ Resurrectionis. InCapellâ Palatij Apostolici.

Sabbato in Albis, dantur *Agnus Dei*, deferuntur paramenta.

In Dominicâ sanctissimæ Trinitatis.

In festo Sanctissimi Corporis Christi, quando Missa cantatur.

In die Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ à Cardinale Archipresbytero illius Ecclesiæ. In Ecclesia Lateranensi.

In die Assumptionis Deiparæ à Cardinale Archipresbytero illius Ecclesiæ. In S. Mariæ Maioris.

In Anniuersariis creationis, & coronationis Summi Pontificis à Cardinale deuoto, aut ab ipso creato. InCapella Palatij Apost.

In Anniuersario pro animâ Pontificis proximè defuncti à Cardinale deuoto, aut ab ipso creato.

Septem Missas celebrant Prælati, hoc est Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi assistentes Pontifici.

In Dominicâ primâ, secundâ, & quartâ Aduentûs, color violaceus; pro more Missa Dominicæ primæ pertinet ad Vicecamerarium, si est Episcopus, aliàs ad digniorem Prælatum. InCapella Palatij Apostolici.

In Dominicâ primâ, secundâ, tertiâ, & quintâ quadragesimæ color violaceus.

Dignior inter illos primam solet celebrare: reliquæ distribuuntur per turnum inter ipsos, ita vt locus reseruetur illi Prælato Assistenti, qui nunquam in Capella celebrauit.

Porro distributio Missarum DD. Cardinalibus facienda, fit aliquo die ante primam Dominicam Aduentûs, coram Cardinale Priore Presbyterorum, & Sacristâ Apostolico.

VESPERÆ PAPA[L]ES NOVEM.

In vigiliâ Natiuitatis D. N. Iesu Christi. InBasilicâ S. Petri.

In vigiliâ SS. Apostolorum Petri & Pauli.

In vigiliâ Omnium Sanctorum.

In die Omnium Sanctorum pro fidelibus defunctis.

In vigiliâ Circumcisionis finitis vesperis noui Officiales populi Romani præstant iuramentum fidelitatis ad pedes Summi Pontificis. InCapellâ Apostolicâ.

In vigiliâ Epiphaniæ.

In vigiliâ Ascensionis.

In vigiliâ Pentecostes.
In Vigiliâ Sanctissimæ Trinitatis.
In vigilia Sanctissimi corporis Christi.

MATVTINA PAPALIA QVINQVE.

In die Omnium Sanctorum pro fidelibus defunctis.
In nocte Natiuitatis D. N. Iesu Christi cappæ rubeæ.
Feriis quartâ, quintâ, & sextâ Maioris Hebdomadæ.

CONCIONES PAPALES VIGINTI TRES.

In dominicis I. II. III. IV. Aduentûs, à Procuratoribus Ordinis Prædicatorum, S. Francisci Conuentualium, Ordinis Heremitarum S. Augustini, & Ordinis Carmelitarum. Aliis diebus pro more Magister sacri Palatij committit ad beneplacitum sermones quibusdam, qui latinè eos recitant.

In festo S. Stephani.
In festo S. Ioannis Euangelistæ.
In die Circuncisionis.
In die Epiphaniæ habetur sermo à Procuratore ordinis Seruorum.
In feria quartâ Cinerum.
In Dominicis I. II. III. IV. & V. Quadragesimæ suo ordine concionantibus ordinum mendicantium quatuor Procuratoribus, & Procuratore Ordinis Seruorum Dominica in passione.
Sextâ feriâ Parasceues cappæ violaceæ laneæ.
In festo Annunciationis Deiparæ Virginis.
In die Ascensionis Domini.
In die Pentecostes.
In Dominicâ Sanctissimæ Trinitatis.
In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.
In festo Assumptionis B. Mariæ.
In festo Natiuitatis eiusdem.
In festo Omnium Sanctorum.

Summo Pontifice celebrante non habetur concio, nisi ipsemet velit orare, aut aliquis Cardinalis id præstet.

Conciones habendæ in capellâ debent prius videri, & approbari à R. P. D. magistro sacri Palatij, habenturque tam à Regularibus, quàm à Clericis sæcularibus, vel Prælatis dummodo sint in sacris.

SVPPLICATIONES PONTIFICIÆ QVATVOR.

Quando celebratur solemnis supplicatio non habetur concio: celebratur autem diebus infra scriptis, & sumuntur paramenta alba.

In die Purificationis.
Dominicâ Palmarum.

Quintâ feriâ in Cœnâ Domini publicatur bulla Cœnæ Domini, datur benedictio solemnis cum Indulgentiâ plenariâ.
In solemnitate Corporis Christi.

Dies Consistorij secreti, ad quod DD. Cardinales aduocantur, & eiusdem vacationes.

CAPVT XII.

Dies Consistoriales sunt secunda, quarta, & sexta feria quando placet Summo Pontifici, exceptis diebus infrà nominatis.
In vigiliâ Natiuitatis Domini, & totâ octauâ.
In vigiliâ, & in festo Circuncisionis Domini vsque ad diem Epiphaniæ inclusiuè.
In festo Sancti Antonij.
Sanctorum Fabiani, & Sebastiani.
Sanctæ Agnetis.
Sanctorum Vincentij, & Anastasij.
In conuersione Sancti Pauli.
In vigiliâ, & festo Purificationis.
In festo Sancti Blasij.
Sanctæ Agathæ.
In cathedrâ Sancti Petri.
In festo Sancti Mathiæ.
Sancti Gregorij.
Sancti Benedicti.
In vigiliâ, & festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis.
In vigiliâ, & festo Ascensionis Domini.
In vigiliâ, & festo Pentecostes, & duobus diebus sequentibus.
In vigiliâ, & festo Corporis Christi.
In festo Sancti Marci Euangelistæ.
SS. Apostolorum Philippi & Iacobi.
In Inuentione Sanctæ Crucis.
In festo Sancti Ioannis ante portam latinam.
In apparitione Sancti Michaëlis.
In festo Sancti Barnabæ Apostoli.
In festo, & vigiliâ Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ.
In vigiliâ, & festo Apostolorum Petri & Pauli.
In festo Sanctorum Ioannis, & Pauli.
In octauâ S. Ioannis Baptistæ.
In octauâ Apostolorum Petri & Pauli.
In festo S. Mariæ Magdalenæ.
Sancti Iacobi Apostoli.
Sancti Petri ad vincula.
Sancti Laurentij.

In vigiliâ,& festo Assumptionis beatæ Mariæ Virginis,& in Octauâ.
In festo Sancti Bartholomæi.
Sancti Augustini.
In festo decolationis Beati Ioannis Baptistæ.
In vigiliâ & festo Natiuitatis Beatæ Mariæ, & in octauâ eius.
In festo exaltationis Sanctæ Crucis.
In festo Sancti Mathæi Apostoli.
In dedicatione Beati Michaëlis.
In festo Sancti Hieronymi.
Sancti Francisci.
Sancti Lucæ Euangelistæ.
SS. Apostolorum Simonis,& Iudæ.
In vigiliâ & festo Omnium Sanctorum.
In commemoratione omnium defunctorum.
In dedicatione Basilicæ Saluatoris.
In dedicatione Basilicæ SS. Apostolorum Petri & Pauli.
In festo Sancti Martini.
Sanctæ Cæciliæ.
Sancti Clementis.
Sanctæ Catharinæ.
Sancti Andreæ Apostoli.
Sancti Nicolai.
Sancti Ambrosij.
Sanctæ Luciæ.
Sancti Thomæ Apostoli.
Item à quintâ feriâ ante quinquagesimam vsque ad quartam feriam cinerum inclusiuè.

Item à Dominicâ in Palmis vsque ad Dominicam in albis inclusiuè.

Item quando habentur vacationes curiæ æstate, statuuntur aliqui dies, in quibus tantùm celebratur Consistorium,& tempus vacantiæ; quando audientia renouatur debet intimari Curialibus, vt quis possit procurare res suas.

In anniuersariis Pontificum, Cardinalium, siue Regum, quando pro eis celebratur Capella.

In die anniuersario & coronatione Romani Pontificis, pro tempore existentis.

Item quotiescunque habetur publicum Consistorium, vel Capella.

Item quando Imperator, Rex, Cardinalis, aut aliquis magnus Princeps in Curiam aduentat, quando ordinaria Consistoria sunt interrupta, Cardinales non adeunt Consistorium nisi curentur aduocari à S. P. quando autem non sunt interrupta, adeunt semper statutis diebus, etiam non vocati, nisi prohibeantur.

CONSISTORIA PVBLICA.

Accipit nouus Cardinalis galerum in publico Consistorio, illic osculatur vltima vice pedes Summi Pontificis, deinde admittitur ad osculum manûs & oris; confert se ad quemlibet Cardinalem, cui dat osculum pacis.

Oratores Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum pro Sacramento obedientiæ excipiuntur publico Consistorio.

Sacræ Congregationes solitæ haberi Romæ, quibus intersunt nonnulli Cardinales.

CAPVT XIII.

NOn abs re S. Bernardus scribens ad Eugenium III. suum quondam discipulum, vocat Cardinales *Pontificis collaterales*, *& Coadiutores.* Eosdem quidam sacer Canon appellat, *principales Assessores, Consiliarios, & in executione principales officij cooperatores*; quod satis superque notum est quam plurimis Congregationibus; ob quindecim, Constitutionem edidit Sixtus V. die XI. Calendas Februarij anno III. Pontificatûs, declarans expeditiones in his Congregationibus habendas fore validas, si tres saltem adfuerint Cardinales. Bernard. lib. 4. de Consider. C. fundamenta de elect. in 6.

Prima Congregatio, & præcipua est *Sancti officij* seu Inquisitionis, rebus Fidei intenta, & erecta à Paulo III. duodecimo Calendas Augusti anno M. D. XLII. Constitutione *licet ab initio, &c.* Paulus IV. eam confirmauit constituens supremum Fidei Inquisitorem Fratrem Michaëlem Gislerium Dominicanum, cognomento Alexandrinum, quem creauit Cardinalem anno M. D. LVII. & postea est promotus ad Pontificatum anno M. D. LXVI. nomine Pius V. Celebratur die Mercurij coram selectis Cardinalibus, & die Iouis coram Summo Pontifice; cui negotia præcedenti die digesta referuntur; præter Eminentissimos Cardinales, vocantur etiam alij bene meriti, pro consilio & consultatione.

Secunda est, *Signatura gratiæ*, coram Summo Pontifice, & pluribus Cardinalibus, quorum vnus vocatur Præfectus signaturæ: multi intersunt Prælati, causas proponunt Referendarij; de hac Congregatione Pius IV. Constitutione, *Solet interdum*, Datum Idibus Iulij anno III.

Tertia, *Signatura Iustitiæ*, cuius modò Præfectus est Antonius Cardinalis Barberinus Præses Congregationis; intersunt Prælati opinantes, & Referendarij proponentes.

Quarta est, *de propagandâ Fide*, instituta à Gregorio XV. anno M. DC. XXII. die X. Calendas Iulij Constitutione, *Incredibili diuinæ prouidentiæ*, propagandâ, inquam, multiplicibus virorum piorum & doctorum missionibus: celebratur apud antiquiorem Cardinalem.

Quinta, *de Concilio*, ad explicandum, & executioni mandandum Synodi Tridentinæ textum, die Iouis aut Sabbato habetur apud antiquiorem Cardinalem; Actuarius est Prælatus.

Sexta, *de Episcopis & Regularibus*, intersunt plures Cardinales, antiquior

Cardinalium pro more præsidet, die Veneris celebratur pomeridianis horis; Prælatus aliquis decreta Congregationis transcribit.

Septima, *est Sacrorum Rituum*, hoc est consuetudinum & Cæremoniarum Ecclesiasticarum, materia huiusce Congregationis est Sanctorum Canonisatio, aut alia similis ratio; celebratur apud Cardinalem Præsidem quolibet mense.

Octaua, *de Indice librorum prohibitorum*, nimirùm ad libros imprimendos, corrigendos, censurâ donandos, apud Cardinalem Præsidem, prout sese offert temporis oportunitas; de hac Congregatione Pius IV. edidit Constitutionem *Dominici gregis, &c.* anno M.D.LXIV. die vigesimâ quartâ Martij. Index fuit auctus à Sixto V. & Clemente VIII.

Nona, *de Episcoporum examine*, in præsentiâ Summi Pontificis, ei Congregationi decem Cardinales multique viri Regulares, & alij literatissimi intersunt, pro electis ad Episcopatus Italiæ, si digni reperiantur.

Decima, *de rebus & causis consistorialibus*, iuxta præscriptum sacri Concilij, & Patrum decreta, maximéque de iis, quæ nomine Pontificio remittuntur ad Cardinales, vt sunt nominationes Episcopatuum, aliáque; semper adest Datarius: habetur apud antiquiorem Cardinalem.

Vndecima, *de immunitatibus Ecclesiasticis*, ab Vrbano VIII. instituta Congregatio; prout fert necessitas temporis, celebratur apud Cardinalem antiquiorem.

Duodecima, *de bono regimine*, & grauaminibus leuandis ad protegendos subditos, & communitates, si iniuria aliqua fuerit irrogata; celebratur nunc apud Cardinalem nepotem Summi Pontificis in Palatio Apostolico.

Decima tertia, *Congregatio Indulgentiarum*, cui adsunt quinque aut sex Cardinales, cum vno aut altero Prælato.

Aliæ sunt Congregationes ad res politicas & Statû temporalem pertinentes vt Consulta, cuius præses in præsenti Nepos Pontificis Fràciscus Cardinalis Barberinus; vt causæ pro fluuiis, fontibus, viis, pontibus; *della Zecca*, pro monetis, Cancellarius præest; Tribunal Cameræ Apostolicæ, cuius præcipuus, Cardinalis Camerarius & duodecim Clerici Cameræ; vt Congregatio pro vbertate annonæ; pro classe parandâ ac seruandâ; pro typographiâ Vaticanâ; pro Vniuersitate studij Romani, de quo Bonifacius VIII. Constitutione, *In suprema Eminentia, &c.* anno M.CCC.III. editâ.



SVMMORVM PONTIFICVM

NOMENCLATVRA, IN QVA REFERVNTVR

decem Ecclesiæ persecutiones, duodeuiginti Oecumenica Concilia, Summi Pontifices in Galliam profugi, Synodi omnes Gallicanæ.

	Anni creationis.	*Anni obitus.*	
 Anctvs Petrus Galilæus,	45.	69. Martyr 29. Iunij	1

Solus è Pontificibus præfuit viginti quinque annos.

Prima persecutio sub Nerone anno LXVI. occasione arreptâ incendij Vrbis, quod ipse procurarat; Sancti Petrus, & Paulus martyrium subeunt anno LXIX. postea Nero se ipsum necat; de decem persecutionibus S. Augustinus libro XVIII. de ciuitate cap. III.

S. Linus Volateranus,	69	80. M. 10. Septemb.	2
S. Cletus Romanus,	80	93. M. 26. Augusti.	3

Secunda persecutio sub Domitiano, qui à Gentilibus ob crudelitatem Nero vocabatur; se Deum, ac Dominum vocari præcepit; Ioannem Euangelistam in Pathmos insulam relegauit anno XCII. & sequenti persequitur Christianos, ipséque diuinâ vindictâ occiditur in Palatio, anno XCVIII.

S. Clemens Romanus,	93	102. M. 23. Nouemb.	4

Tertia persecutio sub Traiano, quem Nerua in filium adoptauit; anno C. & CIV. viget ipsa persecutio. S. Ignatius Antiochenus Episcopus dentibus Leonum in theatro martyrium consequitur anno CIX. Adrianus Traiani adoptiuus persequitur Christianos anno CXX. licet magiæ deditissimus refertur inter Diuos ab Antonino Pio anno CXL.

S. Anacletus Atheniensis,	103	112. M. 13. Iulij.	5
S. Euaristus Bethleemites,	112	121. M 26. Octob.	6
S. Alexander I. Romanus,	121	132. M. 3. Maij.	7
S. Sixtus I. Romanus,	132	142. M. 6. Aprilis.	8
S. Telesphorus Thuriensis,	142	154. M. 5. Ianuarij.	9

Quarta persecutio sub Antonino Pio anno CXLIII. qui rescribit vt cessetur persecutio anno CLIV.

S. Hyginus Atheniensis,	154	158. M. 11. Ianua.	10
S. Pius I. Aquileiensis,	158	166. M. 11. Iulij.	11
S. Anicetus Syrus,	167	175. M. 17. April.	12
S. Concordius Soter Fundanus,	175	179. M. 22. April.	13
S. Abundius Eleutherius Græcus,	179.	194. M. 26. Maij.	14
S. Victor I. Afer,	194	203. M. 28. Iulij.	15
S. Zephyrinus Romanus,	203	221. M. 26. Aug.	16

Quinta persecutio sub Seuero anno CCIV. quam edicit lato edicto; tamen initio imperij bene Christianos exceperat, quòd eorum vnus ipsum oleo curarat.

		Anni creationis.	*Anni obitus.*
17.	S. Domitius Callistus I. Romanus	221.	226.M.14.Septemb.
18.	S. Vrbanus I. Romanus	226.	233. M.25. Maij.
19.	S.Calpurnius Pontianus Romanus	233.	237.M.19. Nouemb.

Sexta persecutio sub Maximino Thrace olim Pastore, anno CCXXXVII. hic primus Imperator accepit imperium, è corpore militari, eodem anno post multorum Christianorum stragem ipse occiditur cum filio Pupieno, etiam Imperatore, in obsidione Aquileiæ proiectis in profluentem corporibus, eorum capita Romam fuêre transmissa.

20.	S. Anterus Græcus	237.	238.M. 3. Ian.
21.	S. Fabianus Romanus,	238.	253.M. 20. Ian.

Septima persecutio sub Decio, anno CC. LIII. qui in profundâ palude absorptus cum equo moritur; B. Triphonia eius vxor Martyrium subijt xviii. Octobris.

Primus Imperator Christianus fuit Philippus Arabs & Seuera vxor anno CC. XLIX.

22.	S. Cornelius Romanus,	253.	255.M. 14.Septemb.
23.	S. Lucius I. Romanus,	255.	257.M.4.Martij.
24.	S.Stephanus I. Romanus,	257.	260.M.2.Aug.

Octaua persecutio sub Valeriano anno CC. LIX. qui imperat cum filio Galieno; Valeriani à Persis capti collo Sapores Rex vtitur, suppedanei loco, ad equum conscendendum anno CC. LXII.

25.	S. Sixtus II. Atheniensis,	260.	261. M.6.Aug.
26.	S.Dionysius Græcus è magnâ Græciâ,	261.	272.M.26. Decemb.
27.	S.Felix I.Romanus,	272.	275.M.30,Maij.

Nona persecutio sub Aureliano qui anno CC. LXXIII. indicit persecutionem, vincit Zenobiam Dominatricem Orientis, & eam in triumphum ducit; necatur à suis anno CC. LXXVIII.

28.	S.Eutychianus Lunensis.	275.	283. M.8. Decemb.
29.	S. Caius Dalmata Salonicanus,	283.	296.M.22. April.
30.	S. Marcellinus Romanus,	296.	304.M.26. April.

Decima persecutio crudelissima sub Diocletiano anno CCC. II. & Maximiano ascito, ille se coli vt Deum patitur, multos ex suis affinibus occidit ob Fidem; scripturas omnes Christianorum comburi iubet, permittit quibuscunque volentibus impunè Christianos occidere; abdicat se imperio. Eusebius scribit Diocletianum ante mortem Spalati, vermium multitudinem ipsâ cum linguâ, quæ computruerat, eiecisse.

31.	S. Marcellus I. Romanus,	304.	309 M. 16. Ian.
32.	S. Eusebius Græcus,	309.	311.M.26.Septemb.
33.	S. Melchiades Afer,	311.	313.M.10. Decemb.
34.	S. Syluester I. Romanus,	314.	335.31. Decemb.

Arelatense I. Concilium anno CCC. XIV. Marino Arelatensi in causâ innocentissimi Cæciliani & improborum Donatistarum, Constantini Magni iussu congregatum, ex Episcopis Africæ (inter quos fuit ipse Cæcilianus Episcopus Carthaginensis) Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Angliæ.

Nicenum I. Oecumenicum etiam I. anno CCC. XXV. contra Arium & pro Paschate; statutum Verbum ὁμοούσιον id est consubstantiale Patri: præfuerunt

nomine Syluestri Summi Pontificis Osius Episcopus Cordubensis in Hispaniâ, Victor seu Vito, & Vincentius S. R. E. Presbyteri: asseruntur duo Episcopi à Nicephoro subscripsisse Concilio cum aliis, qui tamen antea erant defuncti. Constantinus Magnus Imperator, & S. Nicolaus Myrrhensis in Lyciâ adfuêre Synodo, & alij doctrina & sanctitate eminentissimi, inter quos non postremus Paphnutius Thebaidis superioris Episcopus, in persecutione Maximiani dextro oculo effosso, & sinistro poplite succiso ad metalla damnatus, ita Constantino Magno venerandus, vt ille huius oculum euulsum auidioribus osculis demulceret sæpe sæpius.

S. Marcus Romanus, 336. 336. 7. Octob. 35.

S. Iulius I. Romanus, 336. 352. 12. Aprilis. 36.

S. Liberius Romanus, 352. 367. 23. Aprilis. 37.

Arelatense Conciliabulum Arianum anno ccc. LIII. deponitur Paulinus Treuirensis Catholicus, quod staret pro Athanasio.

Biterrense Arianum anno ccc. LVI. Hilarius Pictauiensis è Galliâ in exilium agitur dolo Saturnini Arelatensis in Phrygiam relegatus.

Parisien. I. anno ccc. LXII. in quo Saturninus Arelatensis ab Ecclesiâ eiectus & formula fidei ab Arianis, suppresso Vsiæ nomine, condita, & Arimini suscepta, damnata est.

S. Damasus Lusitanus, 367. 384. 12. Decemb.

Beatus Felix II. hîc à nonnullis recensetur, ab Arianis creatus, exulante Liberio. 38.

Concilium I. Valentinum in Delphinatu anno ccc. LXXIV. pro moribus reformandis die IV. Idus Iulias celebratum Florentio Viennensi Archiepiscopo.

Concilium Constantinopolitanum I. generale II. anno ccc. LXXXI. contra Macedonium Episcopum Constantinopolitanum pro Spiritu Sancto à Patre & Filio procedente indictum fuit à Damaso, conuocatum à Theodosio, interfuerunt Cyrillus Hierosolymitanus, & Cyrillus Alexandrinus.

S. Siricius Romanus, 385. 398. 22. Februarij. 39.

Burdegalense Concilium anno ccc. LXXXV. contra Priscillianistas, & eorum auctorem Priscillianum postea sententia capitis damnatum.

Nemausense, cuius acta S. Martinus absens Angelo nunciante cognouit.

Taurinense rogatu Episcoporum Galliæ, inter quos Bricius Turonensis S. Martini successor X. Calendas Octobris anno ccc. XCVII. agitur de Primatu Proculi Massiliensis Episcopi.

S. Anastasius I. Romanus, 398. 402. 27. Aprilis. 40.

S. Innocentius I. Albanus, 402. 417. 28. Iulij. 41.

Tolosana potius Toletana Synodus circa annum cccc. VI. cum ad Episcopos Synodi Innocentius Epistolam de successione, corruptâque disciplinâ Ecclesiarum Hispaniæ mentionem faciens illius Luciferi Calaritani apud Sardos Episcopi, qui Schismatis in Ecclesiâ auctor fuit nolens recipere Episcopos in Concilio Ariminensi lapsos, quamuis pœnitentes proinde departes Episcoporum eos admittentium.

S. Zozimus Regnicola, 417. 419. 26. Decemb. 42.

S. Bonifacius I. Romanus, 419. 423. 25. Octob. 43.

Leporius Monachus Gallus Massiliâ ob hæresim eiectus, cùm in Affrica resipuisset, ibi conscripsit libellum emendationis, & in Galliam ad Episcopos misit circa hæc tempora.

44 S. Cælestinus I. Romanus, 423 432. 6. Aprilis.

Concilium Ephesinum I. Oecumenicum III. anno cccc. xxxi. contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum asserentem purum hominem esse Christum, præfuit S. Cyrillus Alexandrinus nomine Cælestini. Legati Pontificis fuêre Arcadius & Proiectus Episcopi, & Philippus Presbyter ante Episcopos nominatus, cuius ratio allata superiùs in Apparatu.

Quoddam Conuenticulum ibidem dictum Latrocinium Ephesinum pro Eutychete.

45 S. Sixtus III. Romanus, 432 440. 28. Martij.

Regense Concilium anno cccc. xxxix. quod Ebreduni à duobus solum Episcopis Episcopus fuisset ordinatus contra canonem Nicænum, præfuit Hilarius Episcopus Arelatensis.

46 S. Leo I. Tuscus, 440 461. 11. Aprilis.

Arausicanum I. die VI. Idus Nouembris anno cccc. xli. in Ecclesia Iustinianensi, præfuit Hilarius Arelatensis, & Eucherius Lugdunensis.

Vasense, non Vasatense, vulgo Vaizon anno cccc. xlii. apud Auspicium Episcopum Vasionensem olim in Prouincia Viennensi, nunc in Archiepiscopatu Aueniomensi.

Concilium Chalcedonense Oecumenicum IV. anno cccc. li. pro duabus Christi naturis in vna hypostasi contra Eutychen & Dioscorum Alexandrinum Episcopum, adfuêre sexcenti Episcopi; eius Acta originalia combussit Anastasius Imperator Hæreticus; præfuit nomine Leonis Paschasinus Episcopus Lilybæus, & Bonifacius Presbyter S. Apostolicæ Legatus.

Concilium incerti loci, quidam diuinant fuisse Vesuntionem, anno cccc. xliv. Præside Hilario Arelatensi, interfuit Germanus Antissiodorensis in quo Chelidonius Episcopus Vesontionensis tanquam viduæ maritus, & qui capitalibus aliquando iudiciis præfuisset, Episcopatu deiectus est; postea Romam ad Leonem Papam contendit, estque absolutus.

Aliud Concilium incerti loci anno cccc. vi. ex quo S. Germanus Antissiodorensis, & S. Lupus Trecensis Episcopi in Britanniam ad profligandam hæresim Pelagianam missi sunt.

Arelatense II. circa annum cccc. lii. post Arausicanum, & Vasense celebratum, incerta est Synodi epocha.

Andegauense I. in ordinatione Talassij Episcopi Andegauensis, iv. nonas Octobris anno cccc. liii.

Arelatense III. anno cccc. lv. à Rauennio Arelatensi celebratum, in causâ Fausti Abbatis Insulæ Lirinensis, & Episcoporum Theodori Foroiuliensis, Valliani, & Maximi Regensis.

47 S. Hilarius Calaritanus, 461 467. 10. Septemb.

Turonicum I. anno cccc. lxi. de Sacerdotibus & Clericis, Perpetui Turonensis Episcopi tempore.

Veneticum in Britanniâ Armoricâ anno cccc. lxv. in S. Paterni Venetensis

Episcopi ordinatione, à Perpetuo Turonensi Metropolitano celebratum: aderant Nunechius Episcopus Nannetensis successor Eusebij, S. Albinus Andegauensis, Athenius Rhedonensis, & alij plures.

S. Simplicius Tiburtinus, 467 483. 2. Martij 48

Arelatense III. anno CCCC. LXXV. à Leontio Arelatensi Episcopo contra errores Prædestinationis; Concilio adfuit Faustus Reiensis, qui scripsit libros duos de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio, dicatos Leontio.

Lugdunense anno CCCC. LXXV. sub Patiente Lugdunensi.

S. Felix III. dictus II. Romanus, 483 492. 30. Ianuarij. 49

S. Gelasius I. Africanus, 492 496. 21. Nouemb. 50

S. Anastasius II. Romanus, 496 498 19. Nouemb. 51

S. Cælius Symmachus Sardus Simagensis, 498 514 19. Ianuarij. 52

Concilium Agathense die III. Idus Septembres, anno D. VI. in S. Andreæ Basilicâ præfuit Cæsarius Arelatensis, adfuit Sophronius Agathensis; huius Concilij Canon LXXI. de Synodo annis singulis congregandâ.

Aurelianense I. Clodouæo I. Rege Christiano euocante, S. Remigio procurante die VI. Idus Iulias anno D. XI. Clodouæi X X X. Cyprianus Burdegalensis præfuit, interfuit Gildaredus Rothomagensis, Eusebius Aurelianensis, S. Melanius Rhedonensis, Sofronius Episcopus Veromandensis, & alij.

S. Cæcilius Hormisdas Venafrinus, 514 523. 6. Augusti. 53

Concilium incerti loci circa annum D. XVII. in quo Hæreticus Arrianus coram Sancto Remigio Rhemensi Episcopo, diuinitus obmutescens ad fidem Catholicam conuersus est.

Epaonense in Burgundiâ, (nunc destructa ciuitas) XVII. Calendas Octobris, anno D. XVII. Sigismundi Burgundionum in Galliâ Regis tempore habitum, Præside S. Auito Viennensi Lugdunense I. contra Stephanum, qui oblitus diuinas, & humanas leges, cognatæ suæ ausu nefario se sociauit, Viuentiolo Episcopo Lugdunensi.

S. Ioannes I. Tuscus, 523 526. 27. Maij. 54

Arelatense IV. anno D. XXIV. die VIII. Idus Iunias, ad dedicationem Basilicæ S. Mariæ, Præside Cæsario Arelatensi.

S. Felix IV. dictus III. 520 536. 25. Februarij. 55

Concilium Carpentoratense, Iuliano Episcopo Carpentoratensi, die VIII. Idus Nouembris, anno D. XXVII Cæsarius præfuit; Synodus scripsit epistolam ad Agrocium Episcopum Antipolitanum, (qui nec per se, nec per Vicarium præsens fuit Synodo) suspensum anni spatio à Missarum celebratione, quòd ordinationem quandam contra Canones fecerat.

Arausicanum II. Vindemiali Episcopo Arausicano, die V. Nonas Iulias, anno D. XXIX. de gratiâ, & libero arbitrio; in dedicatione Basilicæ à Liberio Patricio constructæ celebratum: Cæsarius Arelatensis præfuit contra Semipelagianos, à sede Apostolicâ fuit comprobatum, scilicet à Bonifacio II. rogatu Cæsarij.

Vasense II. eodem anno D. XXIX. Nonis Nouembris, in Vasensi vico, Præside Cæsario Arelatensi; duo tantum fuere Concilia Vasionensia, nam

qui tertium finxerunt, decepti fuêre malè accepto Adonis Viennensis Chronicorum loco. Canon V. & vltimus huius Concilij præcipit, vt post *Gloria Patri*, dicatur etiam, *Sicut erat in principio*, interfuit Gallicanus Episcopus Ebredunensis.

56 S. Bonifacius II. Romanus, 530 531. 17 Octobris.

57 Ioannes II Romanus, 531 535. 27. Maij.

Aurelianense II. Leontio Episcopo Aurelianensi, die IX. Calendas Iulias, anno D XXXI. Childeberti, Fratrumque Regum iussu habitum, præfuit Honoratus Episcopus Bituricensis: hoc tempore Regiensis Episcopus, nomine Contumeliosus, ob admissi criminis notam, ab Episcopatu deiectus est.

58 S. Rusticus Agapetus I. Romanus, 535 536. 10. Aprilis.

Aruernense Concilium, die VI. Idus Nouembris, anno D. XXXV. Theodeberti Regis consensu, in Aruernâ vrbe, seu Claromontanâ, pro moribus Cleri reformandis, Honorato Bituricensi Præside, Gallus Episcopus Aruernus subscripsit secundo loco, adfueruut Flauius Rhemensis, Nicetius Treuirensis, Domitianus Coloniensis.

59 S. Cælius Siluerius, 536 540. M. 20. Iunij.

Aurelianense III. Nonis Maij seu tertij mensis, anno D. XXXVIII. celebratum. S Lupus Lugdunensis Metropolitanus præfuit, Antonino Episcopo Aurelianensi, interfuerunt Leo Senonicus, Flauius Rothomagensis, Arcadius Bituricensis cum Suffraganeis: hoc tempore scripsit Leo Senonensis ad Childebertum Regem Francorum, vt Meloduni in Diœcesis suæ parochiâ, nouus non fieret Episcopus.

60 S. Vigilius Romanus, 540 555. M. 10. Ianuar.

Aurelianense IV. anno D. XLI. triennio post tertium; Canon tertius Concilij decernit, vt Primores ciuitatis, Pascha & præcipuas festiuitates in ciuitate celebrent, Leontius Burdegalensis præfuit, Mario Episcopo Aurelianensi, interfuerunt triginta octo Episcopi, & duodecim Procuratores Episcoporum absentium. Hac tempestate Vigilius Papa vices Auranio Arelatensi suas in Galliâ delegat, post cuius obitum Aureliano successori idem præstat.

Aurelianense V. die v. Calendas Nouembris, anno D. XLIX. in Canone XV. habetur mentio Xenodochij, quod Childebertus hoc tempore, & Reginâ Vltrogotha coniux Lugduni condidêrunt, præfuit S. Sacerdos Episcopus Lugdunensis, interfuerunt Episcopi quinquaginta, Nicetius Treuirensis interfuit, viginti & vnus Procuratores pro Episcopis absentibus.

Aruernense II. paulò post Synodum V. Aurelianensem celebratum, circa annum D. XLIX. Theobaldo regnante, Hesychius Viennensis præfuit.

Tullense Calend. Iuniis, Theobaldi Regis iussu, propter molestias, quas Nicetius Episcopus Treuirensis ab excommunicatis quibusdam patiebatur; Mappinius Episcopus Rhemensis scripsit epistolam ad Nicetium Episcopum Treuirensem excusatoriam, cur ad Synodum Tullensem non venerit.

Arelatense V. die III. Calendas Iulias, anno D. LIV. Childeberti Regis XLIII. sub Sapaudo Episcopo Arelatensi.

61 S. Pelagius I. Romanus, 555. 559. 5. Martij.

Parisiense II. sub annum Christi D. LV. Childeberto Rege euocante, habitum in causâ Saffraci Episcopi Parisiensis, Sapandus Ecclesiæ Arelatensis Episcopus præfuit, interfuerunt sex Archiepiscopi.

Parisiense III. pro variis diuersarum Ecclesiarum vtilitatibus, habitum circa annum D. LVII. præfuit Probianus Bituricensis, Prætextatus Rothomagensis interfuit.

S. Ioannes III. Romanus, 559 5-2. 5. Iulij. 62

Santonense Concilium sub annum D. LXIII. in quo Heraclius Presbyter Episcopus Santonensis creatus est, remoto Emerio, qui Clotarij Regis imperio contra Canones fuerat ordinatus.

Lugdunense II. anno D. LXVII. Guntramni Regis iussu, qui cum Chariberto, Chilperico & Sigeberto fratribus regnauit, in ipsius regno celebratum: præfuit Philippus Viennensis, adfuit Nicetius Lugdunensis: depositi Salonius Ebredunensis Episcopus, & Sagittarius Vapingensis ob diuersa scelera damnati, & quòd in Victorem Tricastinorum Episcopum gladiis irruissent.

Turonense II. die XV. Calendas Decembris anno D. LXVII. in Basilicâ S. Martini celebratum, Eufronius Turonensis præfuit, Prætextatus Rothomagensis adfuit.

Benedictus I. Romanus 573 577. 30. Septemb. 63

Parisiense IV. in Basilica S. Petri, die III. Idus Septembris, anno D LXXIII. in quo Pappoli Episcopi Carnotensis causa suscepta est, aduersus Promotum, qui in castro Dunensi Episcopus fuerat constitutus, & temerè consecratus ab Ægidio Episcopo Rhemensi: præfuit Philippus Viennensis, adfuerunt sex Archiepiscopi, Germano Episcopo Parisiensi.

Parisiense V. anno D. LXXVII. in quo Prætextati Episcopi Rothomagensis causa discussa, Chilperico Rege accusante, quòd Merouceum ipsius filium cum Brunechilde Reginâ post Sigeberti mortem, matrimonio copulasset, proinde à Rege in exilium fuit amandatus; conuenerunt XLV. Episcopi.

S. Pelagius II. Romanus, 577 590. 8. Februarij. 64

Antisiodorensis Synodus sub annum D. LXXVIII. ab Annachario Episcopo Antisiodorensi, cum septem suæ diœcesis Abbatibus, & Presbyteris triginta quatuor.

Cabilonense Concilium anno D. LXXIX. Guntramni Regis iussu conuocatum, aduersus Salonium Ebredunensem, & Sagittarium Vapincensem Episcopos fratres perditissimos, qui iterato iudicio in hac Synodo ab Episcopatu deiecti, atque in custodiam sunt retrusi in S Marcelli Basilica cùm non resipuissent; antea Ioannis Papæ interuentu sedibus suis fuerant restituti.

Santonense anno eodem D. LXXIX. in quo Nantinus Comes Engolismensis ab Heraclio Episcopo excommunicatus, qui Presbytero, vt confessionem ab eo eliceret mortis Magnacharij auunculi sui quondam Comitis, postea Episcopi Engolismensis veneno extincti, tormentis vitam eripuerat, ab eodem, Synodi rogatu, in gratiam receptus est.

Brennacense Concilium anno D. XXC. in causâ Gregorij Episcopi Turo_

nensis, quem Leudastes Comes falsò apud Chilpericum Regem accusarat.

Matisconense I. die Calendarum Nouembrium, anno D. xxci. Guntramni Regis euocatione congregatum, tam pro causis publicis, quàm pro necessitatibus pauperum; præfuit Priscus Lugdunensis.

Lugdunense III. mense Maio, anno D. xxciii. Priscus Lugdunensis præfuit, Euantius Viennensis adfuit.

Valentinum II. die X. Calendas Iulij, anno D. xxciv. confirmantur à Synodo quæcunque Guntramnus Rex, ipsiúsque vxor Austrechildis Regina, & filiæ Deo sacratæ Clodebergis & Clodechildis in diuersas Ecclesias, vel pia loca contulerant; præfuit Sapaudus Arelatensis, Ragnoaldo Episcopo Valentino.

Matisconense II. anno D. xxcv. Guntramni Regis iussu, Priscus Lugdunensis præfuit, adfuerunt sex Archiepiscopi, inter eos S. Sulpitius. Faustianus est remotus ab Episcopatu Aquensi, ad quem ordinatus fuerat à Berteranno Burdegalensi.

Conuentus apud Andelaum in diœcesi Lingonensi, anno D. xxcvii. Quando inter Guntramnum, & nepotem Childebertum, ac Reginam matrem Brunichildem, & Failentam vxorem Childeberti, Episcoporum Procerumque consilio pax fuit firmata, mutuique fœderis pactio conscripta.

Aruernense Concilium anno D. xxcviii. apud Auernam vrbem, seu Claromontum à S. Sulpitio Metropolitano Bituricensi, successore Remigij celebratum. De Parochiis Cadurcinis, repetente Innocentio ex Gabalitanorum Comite Episcopo Ruthenensi, contra Vrsinum Cadurcinæ vrbis Episcopum.

Sauriacense apud Sauriacum villam, anno D. xxcix. Vt Droctigisilo Episcopo Suessionensi vrbem suam ingredi liceret, cuius aditu prohibebatur, ob amentiam maleficio, vt fama erat, inflictam, aut potius nimio potu contractam quarto anno sui Episcopatûs; erat enim vorax cibi, ac potator vini extra modum, inquit Gregorius Turonensis.

Pictauiense Concilium, seu Conuentus Episcoporum, præside Gundegisilo Burdegalensi Metropolitano, Maroueo Pictauorum Episcopo, in quo apud Pictauos iniecta est, in altero Concilio Burgundiæ apud Guntramnum Regem confirmata excommunicatio in Chrodielem Chariberti quondam Regis filiam, & Basinam consobrinam, Chilperici filiam, ac reliquas quadraginta Moniales erga Leubouèram Abbatissam malè affectas (cuius Abbatissæ locum Chrodieldis affectabat, imperium non ferens) egressas è Monasterio, biennio post S. Radegundis obitum, die xiii. Augusti, anno D. xxcvii. Secundo Conuentui in Burgundiâ apud Guntramnum præfuit Ætherius Lugdunensis.

Narbonense die Calendarum Nouembrium ærâ D. xxvii. hoc est, anno Christi D. xxcix. Reccaredi Gothorum in Hispaniâ Regis primi ex Arrianâ hæresi conuersi tempore celebratum, quem dominum nostrum gloriosissimum Episcopi nuncupant: eiecti enim è Galliâ Gothi à Clodouæo Rege Prouinciæ Narbonensis oram maritimam, quæ sibi ipsis à Romanis concessa fuerat in potestate suâ retinuerunt, donec Caroli Martelli armis recepta Francorum regno adscita est. Præfuit Concilio Migelius Episcopus

Narbonensis, Sedatius Biterrensis, Boëtius Magalonensis, Pelagius Nemausensis, Trigidius Agathensis, Sergius Carcassonensis, Agrippinus Loteuensis: In primo Canone decernitur, vt *Clerici purpureis vestibus non induantur; quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non ad Religiosam dignitatem.* In Canone XI. est definitum, vt absque literis, qui est Idiota non ordinetur; loquuntur Patres de Diacono, & Presbytero, multo magis de Episcopo.

S. Gregorius I. Romanus,	590	604. 12. Martij.	65

Concilium in confinio trium ciuitatum Aruernæ, Gabalitanæ, Rutenæ anno DXC. aduersus Tetradiam Eulalij Comitis Aruerni vxorem, quæ nupsit Desiderio Duci, quo mortuo res suas repetit Eulalius, & declarantur filij nothi.

Pictauiense in Basilicâ S. Hilarij, anno DXC. contra Chrodieldem, quæ vi occuparat Monasterium, eiiciens Abbatissam.

Metense eodem anno, in quo Ægidius Remorum Episcopus ob crimen Maiestatis, & consilium de interficiendo Childeberto; obtentâ vitâ Episcopatûs gradu deiectus est: Chrodieldis & Basina Moniales (de quibus supra) in communionem receptæ.

Nemetodorensis, non Nemptodorensis, Conuentus in agro Parisiensi, eius loci indigena S. Genouefa Parisiensium Patrona (cuius festum hac tertia die Ianuarij, qua hæc scribo, Lutetiæ celebratur) anno DXCI. in quo baptizatus est Clotarius Rex puer Parisiis, susceptusque de sacro fonte à Guntramno Patrono suo Rege; præfuit Ætherius Lugdunensis.

Cabilonense anno DCIII. in quo S. Desiderius Episcopus Viennensis Brunechilde Reginâ instigante, exauctoratus est.

Sabinianus Tuscus,	604	605. 19. Februarij.	66
S. Bonifacius III. Romanus,	606	606. 11. Nouemb.	67
S. Bonifacius IV. Valeniensis,	607	614. 8. Maij.	68
S. Deus dedit Romanus,	614	617. 8. Nouemb.	69

Parisiense V. Concilium in Basilicâ S. Petri (hodie S. Genouefæ) die XV. Calendas Nouembris, anno DCXV. à Clotario II. Francorum Rege conuocatum. De iis, quæ ad Episcopum pertinent; huic Synodo subscripserunt Episcopi LXXIX.

Bonifacius V. Neapolitanus,	617	625. 25. Octobris.	70
Honorius I. Campanus,	626	638. 12. Octobris.	71

Matisconense Clotarij iunioris Regis iussu, anno DCXXVII. habitum; in quo B. Columbani regula ab Agrestini, ex Theodorici quondam Regis Notario, Monachi Lexouiensis, velut inanem, ac superstitiosam iactitantis calumniis defensa, per Eustasium Abbatem Lexouiensem, atque approbata est. Agrestinum cœnosam suem grunnientem vocat Ionas Monachus, in vitâ Eustasij. Appellinus Genauensis vrbis Episcopus, Agrestino consanguinitate proximus erat, vnde ipsi annuebat, VVarnachario derepente mortuo, vno assentatore Agrestianæ partis ipso die, quo Eustasius pro D. Columbano erat in arenam descensurus.

Rhemense circa annum DCXXX. Sonnatij Rhemensis Episcopi tempore, XI. Episcopi interfuerunt, inter quos VIII. Archiepiscopi S. Sulpitius Bitu-

ricensis, Modoaldus Treuirensis, Cunebertus Coloniensis, S. Arnulphus Metensis præsentes fuêre.

71 Seuerinus I. Romanus, 639. 639. 2. Augusti.

73 Ioannes IV. Dalmata, 639 641. 12. Octobris.

74 Theodorus II. Græcus, 641 649. 14. Maij.

Aurelianense Concilium in quo Hæreticus Monothelita Græcus à Saluio Episcopo palam superatus, & Galliâ pulsus est anno D. CXLV. S. Eligio, nondum Nouiomensi Episcopo, procurante, & S. Audoëno.

75 S. Martinus I. Tudertinus, 649 654. M. 12. Nou.

Ærumnis confectus Chersonesæ in Ponto interiit.

Cabilonense Concilium, die VIII. Calendas Nouembres, anno D CL. interfuit S. Audoënus Rothomagensis, præfuit Candericus Lugdunensis, adfuerunt XLIV. Episcopi. Degradati Agapius, & Bobo Diniensis vrbis Antistites; celebratum est in Ecclesiâ S. Vincentij Martyris: De disciplina Ecclesiasticâ est actum.

76 S. Eugenius I. Romanus, 654 655. 2. Iulij.

77 S. Vitalianus I. Suerniensis, 655 669. 27. Iunij.

Nanntetense Concilium Vitaliani iussu, anno DCLVIII. S. Niuardus Rhemensis interfuit, qui huius Synodi consensu, Monasterij Altiuiliarensis ad Matronam fluuiû constructionem, & renouationem suscepit; est datum priuilegium libertatis Monasterio S. Dionysij à Landerico Episcopo Parisiensi.

Clipiacus Conuentus prope Parisios, anno DCLIX. *Glichy la Garenne*; In quo Clodouæus II Rex Monasterium S. Dionysij, vbi Pater Dagobertus, & Nantildis Mater humati, soluit ab omni dominio mortalium, Clipiacum dedit S. Dionysio Carolus Martellus, qui post Theodorici II. Regis obitum, solus sine Rege imperauit septem annos.

78 Adeodatus I. Romanus, 669 676. 26. Iunij.

Augustodunense anno DCLXX. S. Leodegario Augustodunensi Episcopo, cuius dicuntur Canones, qui omnes ad disciplinam Monasticam spectant.

79 Donus I. Romanus, 676 678. 11. Aprilis.

80 S. Agatho I. Aprutius, 678 682. 10. Ianuarij.

Concilium Constantinopolitanum III. Oecumenicum VI. anno DCXXC. contra Monothelitas; de Trullano dubitatur dicto Erratico, κατ' ἐμὲ Balsamoni est Quinisextum, ad supplementum quinti & sexti.

Rothomagense, cui præfuit Ansbertus Rothomagensis, cuius vitam scripsit Aigradus Monachus, anno DCXXCII. est habitum sede Apostolicâ, post Agathonis Papæ obitum, vacante, in quo inter cætera editum est priuilegium Monasterij Fontanellensis.

81 S. Leo II. Cedellanus, 683 684. 28. Iunij.

82 S. Benedictus II. Romanus, 684 685. 7. Maij.

83 Ioannes V. Antiochenus, 685 686. 2. Augusti.

Concilium in villâ regiâ, anno DCXXCV. In quo S. Leodegarius Martyr Augustodunensis capitali sententiâ Ebroini factione à Theodorico Rege damnatus est; aliquot Episcopi gradu deiecti, inter cæteros Desideratus cognomento Bido Episcopus Cabillonensis, qui Leodegarium cum

Vaymero expulit de suo Episcopatu, condemnatus ab ipsâ Synodo, caluariâ acceptâ in capite expulsus.

Cono Thrax Tomitanus, 686 687. 18 Augusti. 84
Sergius I. Antiochenus, 687 701. 9. Septemb. 85
Ioannes VI. Græcus, 701 705. 10. Ianuarij. 86
Ioannes VII. Rossanensis, 705 707. 18. Octob. 87
Sisinnius I. Syrus, 708 708. 7. Februarij. 88
Constantinus Syrus, 708 714. 9. Aprilis. 89
S. Gregorius II. Romanus, 714 731. 13. Februarij. 90
S. Gregorius III. Syrus, 731 741. 28. Nouemb. 91

Alphonsus dictus Catholicus, anno DCCXXXVIII. ob deletum in Hispaniâ Arianismum; Gregorius III. Pontifex anno DCCXL. pressus angustiis petit auxilium à Carolo Martello vocans Christianissimum filium epistolâ tertiâ aduersus Reges Longobardorum.

S. Zacharias Calaber, 741 752. 15. Martij 92

Suessionense die VI. Nonas Martias, anno DCCXLIV. sub Pipino Subregulo, & Maiore domus regiæ Childerici III. Regis Merouingiorum vltimi anno secundo; præfuit Concilio Bonifacius Archiepiscopus, Vicarius Papæ in Galliâ.

Stephanus II. Romanus, 752 752. 30. Martij. 93

Quatuor dies solùm Pontifex, proinde à nonnullis omissus.

Stephanus III. dictus II. Romanus, 752 757. 26. Aprilis. 94

Concilium Vermeriense in pago Syluanectensi, anno DCCLII. apud Vermeriam Palatium præsente Pipino Rege: Ad politiam Ecclesiasticam spectat. Canon vltimus, Qui vxorē suam dimiserit velare, aliam non accipiat.

Metense anno DCCLIII. Pipino Rege. Anno sequenti ab eodem Pipino fuit Stephanus Papa exceptus Parisiis. In Metensi sunt solum octo Canones de disciplinâ seruandâ, Canon V. de monetâ non pensandâ, nisi XXII. solidorum.

Vernense in Verno Palatio celebratum V. Idus Iulias anno Christi D.CCLV. De Ecclesiasticis, Canon X. Vt Monachi Romam, vel ad alia loca non vagentur.

Paulus Romanus frater Stephani superioris, 757 767. 29. Iunij. 95

Concilium Compendiense, anno DCCLVII. apud Compendium Palatium, publicum in generali populi conuentu celebratum: De Matrimonio tractatur; Canon XV. Si coniugum alter sit leprosus, potest alter eum illius consensu, aliud inire coniugium.

Conuentus in villâ Duriâ pagi Ripuarensis, seu *Synodus regalis*, anno DCCLXI. Regino Abbas Synodum conuocauit. De vtilitate Regni.

Niuernensis Conuentus, Pipino Rege, anno D.CCLXIII. ob VVaifarij Ducis perfidi defectionem; quartum iter in Aquitaniam dirigit Pipinus. Tassilo Dux Baioariorum Conuentui interfuit. Interim Paulus Pontifex scribit Pipino, anno DCCLXV. petens auxilium aduersus Græcos, qui Rauennam oppugnari nuntiabantur.

Attiniacensis anno DCCLXV. & Aurelianensis anno sequenti, causâ belli Aquitanici.

Concilium Gentiliacense in agro Parisiensi, anno D. CCLXVII. Pipino Rege præsente, de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sanctorum Imaginibus.

96 Stephanus IV. dictus III. 768 772.1. Februarij.

Conuentus apud Sanctum Dionysium, anno DCCLXVIII. in quo Pipinus Rex paulò ante mortem, regnum Francorum diuisit inter filios suos, Carolum & Carolomannum; illi dat regnum Austrasiæ, huic regnum Burgundiæ & Prouinciæ, Alesam & Almaniam; inter eos diuisit Aquitaniam paulò ante acquisitam, ex quâ nouissimè fuerat reuersus; quibus omnibus Carolus magnus Rex potitur sub finem anni DCCLXXI. Carolomanno Fratre vitâ functo.

97 Hadrian. I. Rom. 772 795.26. Decemb.

Ex omnibus Pontificibus post D. Petrũ plures annos vixit in Pontificatu.

Concilium Genauense, anno DCCLXVII. præsente Carolo magnó ad Italiam expeditionem pergente per montem Cinisium, auunculo Bernardo cum parte exercitûs per Iouis montem.

Concilium, seu Conuentus in villâ Duriâ, anno D. CCLXXV. & sequenti Carolus Magnus tertiò in Saxoniam profectus non tantùm eos subigit, verùm etiam vt Christianam fidem & baptismum susciperent, auctor fuit; vnde Vormatiense III. Concilium & anno D. CCXXCI. Carolus in Italiâ, Papiâ egressus celebrauit Pascha Romæ, & Pipinus eius filius susceptus de sacro fonte ab Hadriano, qui vnxit Regem Italiæ ipsum Pipinum, & Ludouicum alterum filium Regem Aquitaniæ.

Concilium Nicænum II. Oecumenicum VI. anno DCCXXCVII. contra Iconoclastas. Pontificius Legatus Iulianus Episcopus Puteolanus.

Concilia diuersa in Germaniâ iussit celebrari Carolus Magnus, vt Vormatiensia, Ratisbonense anno DCCXCII. in quo Felix Vrgellitanus Episcopus damnatur vt Hæreticus, asserens Christum adoptiuum Dei filium; Francofordiense anno DCCXCIX. in quo damnata tertiò eadem hæresis Feliciana, & Elipandi Episcopi Toletani ab Episcopis vniuersi regni Francorum, Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ, præsente Carolo Magno Rege. Canon secundus huius Concilij cautè legendus, vbi habetur, adorationem & seruitutem imaginum Sanctorum condemnamus, hoc enim intelligendum de non adorandis diuino cultu, & verâ latriâ, quæ naturæ diuinæ debetur, sicque à Concilio Francofordiensi non est reiecta secunda Synodus Nicæna generalis, quam nouam Græcorum Synodum appellant illo Canone PP. Francofordienses.

98 Leo III. Romanus, 795 816.12. Iunij.

Caroli Magni quarta in Vrbem profectio, anno DCCC. in quâ Romanorum Imperator creatus est à Leone, populo ter vnanimi voce acclamante, *Carolo piissimo, Augusto, à Deo coronato, magno, pacifico, Imperatori Romanorum vita & victoria.*

Concilium Arelatense VI. die VI. Idus Majas, anno D. CCCXIII. in Basilica S. Stephani, Caroli Magni Imperatoris iussu, pro disciplinâ Ecclesiasticâ XXVI. Canones.

Rhemense II. in Rhemorum Metropoli à VVlfario Archiepiscopo, anno eodem Caroli Magni iussu, pro eadem disciplinâ.

Turonense III. eiusdem Caroli iussu, anno eodem. De Ecclesiasticis, Canones LI.

Cabilonense II. eodem Carolo & anno, ab Episcopis Ecclesiæ Lugdunensis. Pro disciplinâ Ecclesiasticâ LXVI. Canones.

Nouiomense anno D. CCC. XIV. de terminis Episcopatuum Nouiomensis, & Suessionensis, à VVlfario Metropolitano Rhemensi suffraganeis celebratum, Ludouici Pij Imperator anno primo.

Stephanus V. dictus IV. Romanus, 816 817. 25. Ianuarij. 99

Pontifex Gallias adit, ibi vt par est exceptus, quinimo à Ludouico Pio humi toto corpore prostrato salutatur, anno D. CCC. XVI. postea ab eodem coronatur Ludouicus.

Paschalis I. 817 824. 14. Maij. 100

Concilium ad Theodonis villam, anno D. CCC. XXI. mense Octobri aduersus percussores Clericorum: adfuerunt quatuor Archiepiscopi cum Suffraganeis Aistolphus Moguntinus, Hadabaldus Coloniensis, Hecto Treuirensis, Ebbo Rhemensis.

Attiniacense Concilium, anno D. CCC. XXII. in quo Ludouicus Pius Imperator publicam pœnitentiam suâ sponte suscepit in Attiniaco palatio, ob fratres inuitè tonsos, adfuerunt Sedis Romanæ Legati; statuta ibidem Capitula de variis rebus. Agobardus Lugdunensis interfuit.

Eugenius II. Romanus, 824 827. 11. Augusti. 101

Conuentus Parisiensis in Palatio, Calendis Nouembris habitus, anno D. CCC. XXIV. de Imaginibus, Ludouici Pij Aug. XI. anno occasione Legatorum ad Ludouicum Pium à Michaële & Theophilo Impp. Græcis, inter cætera exposuerunt dissidium de cultu Imaginum in Ecclesiâ Orientali; Multa in hoc Conuentu corrigenda.

Valentinus I. Romanus 827 827. 22. Septemb. 102

Gregorius IV. Romanus, 827 843. 103

Parisiense VI. Concilium die VIII. Idus Iunias, anno D. CCC. XXIX. ab Episcopis quatuor Prouinciarum Rhemensis, Senonicæ, Turonicæ, & Rothomagensis. De disciplinâ Ecclesiasticâ, sunt Canones LIV.

Conuentus apud Compendium Palatium, contra Christianissimum Imperatorem Ludouicum Pium, pro eius exauctoratione commentitiâ ab Ebbone Rhemensi procuratâ anno D. CCC. XXXIII. mense Octobri cui interfuit Agobardus Episcopus Lugdunensis, impio Lotharij filij facinore.

Conuentus apud S. Dionysium, anno D. CCC. XXXIV. in quo Ludouicus Pius Ecclesiasticæ communioni per Episcopos restitutus Dominicâ secundâ Quadragesimæ, procurante Hilduino Abbate Sandionysiano detentus erat in Sancti Dionysij Ludouicus, vt & Carolus à Lothario, qui Viennam aufugit.

Apud Theodonis villam regni Lotharij Concilium in Palatio regio anno D. CCC. XXXV. in quo Ludouicus Pius ab Episcopis iterum reconciliatus; Ebbo Rhemorum Antistes, quòd in illum conspirarat, damnatus, gradúque suo deiectus est, postea sedi Rhemensi est restitutus Lotharij Imperatoris edicto, anno D. CCC. XL. eádemque, post anni spatium, iterum excedere coactus.

. Cabilonensis Conuentus, anno D. CCC. XXXIX. in quo actum de rebus Ecclesiasticis, & politicis componendis Ludouico Pio.

Conuentus apud Stramiacum in pago Lugdunensi, in quo ventilata est causa Ecclesiarum Lugdunensis & Viennensis vacantium; illi qui condemnarant Ludouicum, in Italiam fugerunt.

Conuentus in villâ Coloniâ seu Holloniâ prope Vindinum Cenomanorum vrbem sitâ, de honore Regi deferendo, anno D. CCC. XLIII.

Concilium apud Lauriacum in pago Andegauensi, mense Octobri anno eodem contra Lantbertum Comitem rebellem Ecclesiæ, & Regi, cuius causâ prima expeditio hoc anno in Britanniam à Rege Carolo Caluo suscepta est.

104 Sergius II. Romanus, 844 847. 12. Aprilis.

Concilium ad Theodonis Villam, vulgo *Dietenhomen, Thionuille*, Ducatûs Luxemburgici, in loco qui dicitur *Iudicium*, mense Octobri anno D. CCC. XLIV. præsentibus tribus FF. Principibus, Lothario Imperatore, Ludouico, & Carolo magno; huic Synodo præfuit Drogo Metensis Episcopus, sacri Palatij Summus Capellanus, illorum Principum Patruus, in Galliâ & Germaniâ Vicarius sedis Apostolicæ designatus à Sergio. Huius Concilij sunt sex capita, quorum primum, vt Principes mutuam inter se caritatem, & concordiam habere studeant.

Vernense II. in Palatio Verno habitum, mense Decembri anno eodem, vbi præsedit Ebroinus Pictauorum Episcopus, & sacri Palatij Archicapellanus licet adesset VVenilo Senonum Archiepiscopus. De Episcopis, & Monachis.

Beluacense mense Aprili D. CCC. XLV. in quo Hincmarus Rhemensis Ecclesiæ diu Pastore viduatæ Episcopus ordinatus est; præfuit VVenilo Senonensis. Tractatur de Ecclesiis.

Meldense in Meldenâ Ecclesiâ celebratum, die XV. Calendas Iulias anno eodem, præfuit Hincmarus; aderant etiam duo Archiepiscopi Gunebaldus Rothomagensis, & VVenilo Senonensis. Pro reformatione, sunt XXC. Canones.

Parisiense die XVI. Calendas Martias anno D. CCC. XLVI. in hac Synodo concessum priuilegium confirmatur Raalberto Abbati, pro suo Monasterio Corbeiensi. Hæc Synodus est veluti coronis Concilij Meldensis; Interfuit Gunebaldus Rothomagensis.

105 Leo IV. Romanus, 847 855. 17. Iulij.

Concilium Parisiense anno D. CCC. XLVII. in quo Rhemensis diœcesis Ebboni Metropolitæ, licet Lothario in delitiis, est interdicta, qui cum Drogone Romam contendit, vt à Sergio restituatur, & pallio donetur, sed frustra, cuius loco Hincmarus Archipræsul.

. Concilium apud Carisiacum in Metropoli Rhemorum, anno D. CCC. XLVIII. in quo Gothescalcus Monachus Prædestinatianorum hæresis conuictus, antea in Moguntinâ Synodo damnatus, iterum damnatur, Presbyteri gradu deiectus, virgis cæsus, & incarceratus.

Turonense IV. anno D. CCC. XLIX. aduersus Nomenoium Britannicæ gentis Ducem, Lantrannus Turonensis præfuit.

Sueſſionenſe II.(non reprobatum totum,vt aliqui volunt, à Nicolao Papa, ſed ex parte) in Monaſterio S. Medardi,præſente Carolo Caluo Rege, anno DCCCLIII. die XI. Calendas Maias de Clericis ab Ebbone Rhemenſi ordinatis; de Miſſis Dominicis, aliiſque capitibus à Carolo propoſitis: in tertiâ Synodo Sueſſionenſi ſunt reuiſa quædam capita. XI. ſunt Canones.

Vermerienſe II menſe Auguſto, anno DCCCLIII. apud Vermeriam Palatium, in quo Herimanno Epiſcopo Niuernenſi, poſtquam conualuit, ſedes eſt reſtituta.

Valentinum III. die VI. Idus Ianuarias, anno DCCCLV. Lotharij Imperatoris iuſſu, in causâ Valentini Epiſcopi; præfuit Remigius Lugdunenſis, aderant Agilmarus Viennenſis, & Rodlandus Arelatenſis Metropolitæ. De diſciplina Eccleſiæ XXIII. Canônes.

Benedictus III. Romanus, 855 858. 16. Februarij. 106

Synodus Cariſiaca in territorio Rhemenſi, menſe Februario anni DCCCLVII. ſcripſerant Patres ad Ludouicum Regem Germaniæ, qui occuparat Caroli fratris regnum, Synodo aderat VVenilo Rothomagenſis, actum de coercendis rapinis, & depopulationibus.

Nicolaus I. Romanus, 858 867. 13. Nouemb. 107

Concilium Metenſe anno DCCCLIX. de Indulgentiâ Ludouici Regis, pro ſeditione & exceſſibus in Regno fratris ſui Caroli perpetratis, præſide Hincmaro.

Lingonenſe circa Calendas Iunias, anno DCCCLIX. in oppido Andemantunno Lingonum à Remigio Lugdunenſi, Agilmarus Viennenſis adfuit præſente Carolo Rege Burgundiæ. Ad populi dominici inſtructionem.

Tullenſe apud Saponarias in Suburbano Tullenſi, menſe Iunio anno eodem, adſidente Carolo Caluo. Tractatum de variis factis, & perſonis: Canones XV.

Tullenſe II. apud Tuſiacum villam, anno DCCCLX, die XI. Calendas Nouembres Arduico Veſontionenſi præſide, ex XII. Prouinciis congregatum. Canones V. Ad vitia reprimenda.

Aquiſgranenſe triplex Concilium in causâ adulterij & diuortij Teutbergæ vxoris Lotharij Regis, priora duo anno eodem, tertium DCCCLXII. in quo Lothario, vt aliud iniret coniugium, permiſſum.

Syluanectenſe in Conuicino villâ iuxta Syluanectum, in quo Rothadus Sueſſionenſis Epiſcopus in Monaſterium retruſus, anno DCCCLXIII.

Metenſe anno DCCCLXIII. (in Synodo Romanâ damnatum eodem anno) de diuortio Lotharij & Teutbergæ, coniugióque VValdradæ; Guntharius Colonienſis, ac Theutgaudus Treuirenſis Archiepiſcopi, præcipui aſſertores huiuſce diuortij à Nicolao Papâ depoſiti.

Sueſſionenſe III. anno DCCCLXVI. die XV. Calendas Septembres, Nicolai Papæ iuſſu congregatum, vt reſtituantur VVlfadus Clericus Rhemenſis, & ſocij eius ab Ebbone ordinati, qui in Synodo quinque Prouinciarum fuerant depoſiti.

Tricaſſinum Nicolai Papæ iuſſu, die VIII. Calend. Nouemb. an. DCCCLXVII. Hincmarus Rhemenſis præfuit, ſex aderant Archiepiſcopi. Agitur de ordinatis Clericis ab Ebbone; pallium petitur pro VVlfado Bituricenſi.

108 Hadrianus I I. Romanus, 867 872. 1. Nouemb.

Concilium apud Vermeriam, anno DCCCLXIX. in quo accusatus Hincmarus Episcopus Laudunensis, nepos infensi Hincmari Rhemensis, ad sedem Apostolicam appellauit.

Apud Attiniacum mense Maio, anno DCCCLXX. conuenerant decem Prouinciæ, iterum de Hincmaro Episcopo Laudunensi.

Dusiacense mense Augusto, anno DCCCLXXI. in quo Hincmarus Laudunensis tertiùm accusatus, Episcopali gradu deiectus, in exilium missus, ferro vinctus, ac denique oculis cæcatus; propterea ipse obtulit libellum proclamationis Ioanni Papæ; tribus impetebatur, quòd abstulisset per vim beneficia; quòd iniustè excommunicasset, etiam accusatus insubiectionis regiæ potestati, & inobedientiæ erga Metropolitanum: iudicium Synodi decem Prouinciarum non probauit Hadrianus Papa.

109 Ioannes V I I I. Romanus, 872 882. 15. Decemb.

Profugus in Galliam Româ hic Pontifex, anno DCCCLXXIX. & Carolus Caluus Romæ Imperator coronatus exeunte anno DCCCLXXV. in die Natalis Domini.

Cabilonense Concilium in Ecclesiâ S. Laurentij trans Ararim, anno DCCCLXXIII. præfuit Remigius Lugdunensis.

Syluanectense anno eodem, Carolomannus incarceratus Caroli Regis filius Clericus, & Diaconus Meldensis ob varias grassationes in Belgium, & perduellionem, Diaconi gradu exauctoratus.

Dusiacense I I. ad Mosam in finibus Diœcesis Rhemensis, vulgò *Donchery*, Idibus Iuniis, anno DCCCLXXIV. aduersus incesta coniugia, & rerum Ecclesiasticarum peruasiones. Odonis Episcopi Bellouacensis tunc temporis institutio de rebus Ecclesiæ S. Petri, & quinquagenario in eâ numero Canonicorum.

Pontigonense mensibus Iunio & Iulio, anno DCCCLXXVI. præsente Carolo Caluo Imperatore, in quo Ticinensis Concilij acta confirmata, cui adfuit Carolus Imperator eodem anno; & libellus proclamationis Ecclesiæ Rhemensis oblatus Synodo aduersus Ludouicum Regem Baioariæ. Adfuerunt duo Sanctæ sedis Apostolicæ Legati Ioannes Tuscanensis Episcopus, & Ioannes Aretinus Episcopus, septem Galliæ Archiepiscopi, quorum primus nominatur Ausegisus Senonensis, vt pote Ioannis Papæ Vicarius, qui Primas Galliæ, & Germaniæ decretus.

Tricassinum I I. in Ecclesiâ S. Petri, mense Augusto, & Septembri, anno DCCCLXXVIII. præsente Ludouico I I. Rege; huic Synodo præsens subscripsit Ioannes Papa: sedebant in coronâ Patres; Ludouicus Balbus iterum Rex coronatus à Papâ, anno præcedenti Rex coronatus ab Hincmaro, sic Pipinus Abauus bis Rex coronatus, primùm à Bonifacio Archiepiscopo, deinde à Stephano Papâ.

Mantalense Idibus Octobris, anno DCCCLXXIX. in quo Regis nomen Bosoni ab Arelatensis Regni Episcopis, Proceribusque delatum est, præfuit Otramnus Archiepiscopus Viennensis, locus Concilij erat suæ Diœcesis.

Apud S. Macram Concilium in finibus Rhemensis diœcesis die IV. Nonas

Apriles, anno DCCCXXCI. Actum de Rege; capitula VIII. in vltimo, admonitio ad Regem, vt bonos diligat Consiliarios.

Constantinus Marinus I. Galesinus, 882 884. 18. Ianuarij. 110

Hadrianus III. Romanus, 884 885. 9. Maij. 111

Stephanus V. aliis VI. Romanus, 885 890. 112

Nemausense Concilium in villâ Portu sita inter Magalonã, & Nemausum, XV. Calendas Decembres, anno DCCCXXCVI. congregauit & præfuit Theodardus Archiepiscopus Narbonensis, contra Syluam quendam Clericum, genere Hispanum, qui pro Archiepiscopo Narbonensi se gerebat.

Tolosanum ante aliquot annos celebratum à Sigebodo Metropolitano, contra Iudæos, qui se duriùs tractari à Bernardo Tolosano Episcopo querebantur.

Cabilonense in Ecclesiâ S. Marcelli, die XV. Calendas Iunias anno DCCCXXCVII. præfuit Aurelianus Lugdunensis, interfuit Bernoinus Viennensis.

Metense Calendis Maij, anno DCCCXXCVIII. à Belgicę primæ Episcopis sub Arnulpho Rege celebratum, in quo excommunicati, qui Folcardum Presbyterum euirarunt, nimirum Aua dimisso marito, Folerius frater, & consanguinei; in eadem Synodo preces cum triduano ieiunio indictæ pro Rege Arnulpho; præfuit Ratbodus Treuirensis, adsuerunt Rotbertus Metensis, Arnoldus Tullensis, Dado Virdunensis.

Valentinum anno DCCCXC. in quo Regnum Ludouico Bosonis Regis filio Arelatensis Regni Episcopis, & Proceribus delatum est.

Formosus Portuensis, 891 896. 14. Decemb. 113

Viennense in Basilicâ Saluatoris, anno DCCCXCII. ab Episcopis Regni Arelatensis, præsidentibus Formosi Papæ Legatis, Paschali & Ioanne. Pro Ecclesiasticis.

Rhemense anno DCCCXCIII. contra Balduinum Comitem Flandrensem rerum Ecclesiasticarum peruasorem, à Fulcone Archiepiscopo habitum. Duos post annos Gerfredus Monachus, qui Adalgarium Æduorum Episcopum veneno necasse dicebatur, purgauit se per Corporis Domini sumptionem, anno DCCCXCIV. ex decreto Synodi Cabilonensis.

Magalonense in regno Scotimaniæ apud Iuniarias, Nonis Maii, anno DCCCXCIV. Arnusto Narbonæ Metropolitano, & Gontario Magalonensi Episcopo.

Nemausense, in loco qui Portus, in Ecclesiâ S. Mariæ, XIII. Calendas Maij, anno DCCCXCVII. eodem Arnusto.

Bonifacius VI. Romanus, 896 906 114

Intrusus expellitur proinde non numerandus.

Stephanus VI. aliàs VII. Romanus, 897 900 115

Apostolicæ sedis inuasor, detrusus in ergastulum, illic strangulatur.

Romanus Faliscus, 900 901 116

Intrusus citò perit, & moritur.

Nannetense anno DCCCC. in Canone III. vt sacerdos in domo suâ feminas non habeat, ne illas quidem, quas Canones concedunt. Reformatio habetur viginti capitibus.

		Anni creationis.	*Anni obitus.*
117	Theodorus II. Romanus,	901	901
118	Ioannes IX. Tiburtinus,	901	905
119	Benedictus IV. Romanus,	905	907
120	Leo V. è villâ Priapi,	907	907
121	Christophorus Romanus,	907	907
122	Sergius III. Romanus,	907	910

Concilium Trosleianum in pago Suessionico (nunc etiam nomen) VI. Calendas Iulias habitum, anno DCCCCIX. ab Heruæo Rhemensi Archiepiscopo; adfuit VVito Rothomagensis. De moribus agitur in XV. capitibus.

123	Anastasius III.	910	912
124	Landus Sabinus,	912	912
125	Ioannes X. Romanus,	913	928

Cabilonense anno DCCCCXV. in Ecclesiâ S. Marcelli Martyris, contra Roculphum Comitem Matisconensem, qui res Ecclesiæ abstulerat.

Trosleianum anno DCCCCXXI. in quo Erebaldus Comes Castricensis excommunicatus, post mortem est absolutus; Heruæo Archiepiscopo Rhemensi interfuit Rhemigius Lugdunensis.

Rhemense anno DCCCCXXIII. in quo pœnitentia indicta est iis, qui bello Suessionico inter Robertum, & Carolum Reges interfuerant; Seulpho Archiepiscopo, Abbone Suessionensi, Adelelmo Laudunẽsi, Stephano Cameracensi, Adelelmo Syluanectensi: Airardo ibidem ordinato Nouiomagensi.

Trosleianum, anno DCCCCXXIV. mense Octobri, in quo Isaac Comes cum Stephano Episcopo Cameracensi, ob incendium castelli irato, rediit in gratiam.

Apud Carilocum Concilium, anno DCCCCXXVI. Ancherico Lugdunensi Archiepiscopo, Geraldo Matiscensi, Odelardo Maurianensi.

Trosleianum anno DCCCCXXVII. contradicente Rege Rodulpho; in quo Herluinus Comes pœnitentiam subiit pro vxore, quam duxerat, aliâ viuente.

126	Leo VI. Romanus,	928	929
127	Stephanus VIII. Romanus,	929	931
128	Ioannes XI. filius Sergij III.	931	936. 8. April.

Ad Castellum Theodoriei Concilium, anno DCCCCXXXIII. Artaldo Antistite Rhemorum, adfuit Teutolo Turonensis, in quo Hildegarius ordinatus Episcopus Beluacensis.

Apud Sanctam Macram, anno DCCCCXXXV. aduersus rerum Ecclesiasticarum peruasores, Artaldus Rhemorum Archiepiscopus præfuit, septem conuenerunt Episcopi.

129	Leo VII. Romanus,	936	939
130	Stephanus IX. Romanus,	939	943

Suessionense Concilium, anno DCCCCXLI. De Episcopatûs Rhemensis altercatione, post obitum Seulphi Archiepiscopi; Concilij decreto, Hugo Heriberti Comitis filius deiecto Artaldo S. Remigij Monacho, Rhemorum Archiepiscopus consecratus est illo anno, iam cæteris ordinibus initiatus; cùm Pater eligendum curasset filium, adhuc quinquennem anno DCCCCXXV.

131	Marinus II. Romanus,	943	946

Trenorchianum siue Tornusianum, anno DCCCCXLIV. Guidone Archiepiscopo Lugdunensi, Eldraldo Matisconensi, interfuit Gyrefredus Bisuntinus, pro sacris reliquiis reposcendis.

Agapetus II. Romanus, 946 955. 27 Decemb 132

Virdunense mense Nouembri, anno DCCCCXLVII. In quo sedes Remensis Artaldo adiudicata est; præside Roberto Treuirensi, cum Artaldo Rhemensi, Odolrico Aquensi, Adelberone Metensi, Gosllino Tullensi, Hugo Episcopus vocatus venire renuit; Berengerus tunc erat Virdunensis Episcopus.

Mosocomense mense Ianuario, anno DCCCCXLVIII. In quo sedes Rhemensis Artaldo iterum adiudicata, Hugoni communio vsque ad generalem Synodum interdicta est; celebratum fuit in Ecclesia S. Petri, præside Roberto Treuirensi.

Laudunensis Conuentus Episcoporum in Ecclesiâ S. Laurentij, anno DCCCCXLVIII. Excommunicatur Tetbaldus, ad meliorem frugem inuitatur Hugo Princeps, Marino Apostolicæ sedis Legato præside.

Apud Sanctum Theodoricum iuxta Rhemos Concilium, anno DCCCCLIII. aduersus Ragenoldum Comitem, ob res Ecclesiasticas ab eo peruersas in territorio Rhemensi, Artaldo Archiepiscopo Rhemorum præside.

Ioannes XII. Romanus, 956 964. 14. Maij. 133

Concilium ad Matronam fluuium in pago Meldensi mense Aprili, anno DCCCCLXII. Episcoporum XIII. è duabus Prouinciis Rhemensi & Senonensi, præside Archambaldo Senonico, vt Rhemense Episcopium Hugoni redderetur, anno superiori mortuo Artaldo pridie Cal. Septembres, non consentiunt Rorico Laudunensis, & Gibuinus Catalaunensis, donec consulatur sedes Apostolica; Ioannes Pontifex rescripsit Hugonem fuisse excommunicatum tam à se, quàm à Romanâ Synodo, proinde reiiciendum. Odolricus illustris Clericus Hugonis Comitis filius fuit electus, ordinatusque.

Benedictus V. 964 965. 4. Iulij. 134

Ioannes XIII. Romanus, 965 972. 6. Septemb. 135

Donus II Romanus, 972 972. 19. Decemb. 136

Benedictus VI. Romanus, 973 974. 137

A Bonifacio Cardinale Diacono sedis inuasore incarceratur, & strangulatur.

Benedictus VII. Romanus, 975 984. 10. Iulij. 138

Rhemense anno DCCCCLXXV. die VIII. Calend. Octobris habitum, in quo excommunicatur Theobaldus Episcopus Ambianensis Ecclesiæ vsurpator; præfuit Stephanus S. R. E. Diaconus Benedicti Papæ Legatus, interfuit Adalbero Archiepiscopus Rhemensis.

Concilium apud Montem S Mariæ, anno DCCCCXXCIII. mense Maio, in pago Tardanensi, præfuit Adalbero Archiepiscopus Rhemensis, qui Monachos in Mosomensi cœnobio pro Canonicis collocarat suo decreto, quod fuit à Comprouincialibus Episcopis confirmatum.

Ioannes XIV. Papiensis, 984 985. 20. Augusti. 139

Ioannes XV. Romanus, 985 996. 7. Maj

Syluanectense mense Martio, anno DCCCCXC. tempore Arnulphi Me-

tropolitani Archiepiscopi Rhemensis, qui Lotharij Regis fuit filius nothus, & nepos Caroli Ducis Lotharingiæ; Synodo interfuit Odo Syluanectensis congregatæ sub Hugone Capeto, causâ inuasionis ciuitatis Rhemorum factæ a Carolo Duce; sacra fuerant prophanata Rhemis, templa spoliata, quare Patres anathema dixerunt Carolo regnum prætendenti, & Caroli asseclis asserentibus omnia illi licere, etiam in Ecclesiis; paulò post captus est Carolus ab Hugone, & ex stemmatis eius ramo penitus est excisum Francorum Regnum, pugnâ ad Laudunum commissâ, in custodiam Aurelianensem Dux mittitur. Arnulphus ob seditionem Rhemensem, & fores apertas ab Adalgero Presbytero, & ob paternam, & regiam maiestatem Hugoni inuisus, prætextu etiam illegitimorum natalium coacto illo Patrum Concilio è sede deiicitur, reclamante vno Seguino Senonum Archiepiscopo Gilbertus Aruernus Philosophus, & Matheseos studiosus Othonis Cæsaris primùm Roberti deinde Regis præceptor in deiecti locum substituitur. Ioannes Pontifex Maximus Leonem in Franciam Legatum misit, qui cognitâ causâ, Concilij Syluanectensis acta rescidit, hortatusque est Hugonem vt contentus Regno, quod immortale optaret in domo suâ esse, cum Archiepiscopo bellum non gereret, & liberum Aureliâ dimitteret; hoc ad gloriam eius, vitæque integritatem pertinere.

Senonense circa annum DCCCCXCII. Præfuit Seguinus Metropolitanus, interfuerunt Odo Carnotensis, Milo Trecensis, Reginaldus Parisiensis, & Manasses Aurelianensis.

Rhemensis Conuentus in Monasterio tribus ab vrbe leucis dissito, in Basilicâ S. Basoli XV. Calendas Iulias, anno DCCCCXCIV. contra Arnulphum eundem Metropolitanum exauctoratum, Lauduni detentum carcere, pro Archiepiscopo Rhemensi Gerberto confirmando; cui Synodo aut potius Pseusynodo interesse noluit Seguinus Senonensis; acta referuntur ab ipso Gerberto in sui defensionem contra Romanum Pontificem, postea abrogata ab alio Rhemensi Concilio, præsente sedis Apostolicæ Legato Leone, consentientibus Francorum Regibus Hugone, & Roberto.

Mosomense II. Concilium, die IV. Nonas Iunij, anno DCCCCXCV. præfuit Leo Apostolicus Legatus, à quo & Synodo patientissimè auditus Gerbertus Pseudoarchiepiscopus orationem habens pro sui tutelâ & defensione, contra legitimum Archipræsulem Arnulphum, res dilata & delata fuit ad proximam Synodum Rhemis prope diem habendam.

Rhemense eodem anno Calendis Iulij præfuerunt Leo, & Seguinus Senonensis, Legati Apostolici; post contestatam litem Gerbertus in consessu Patrum arma deposuit, confitens se iniustum possessorem sedis Rhemorum; reuocatur itaque legitimus Antistes Arnulphus ab ergastulo Aurelianensi, & Cathedræ suæ restituitur, illique pallium mittitur à Pontifice per Abbonem Cœnobiarcham Floriacensem nouissimè Româ reuersum: Gerbertus se confert ad Ottonem Cæsarem, non sine mœrore discipuli sui Roberti Regis, de quibus Eginaldus in Appendice Aimonij.

141 Ioannes XVI. Ronsanensis, *996*. Papa Schismaticus. *996.7*. Maij.
142 Gregorius V. Saxo, *996* *999.18*. Febr.

Calæ Synodus, vulgo *Chelles*, Diœcesis Parisiensis, (vbi Parthenon or-

dinis Benedictini Deiparæ) Roberto Rege præsente, Leotericus Metropolitanus Senonensis interfuit, Robertus Episcopus Syluanectensis è Prouinciâ Rhemensi, & alij plures.

Syluester II. Aureliacensis Gallus,	999	1003. 12. Maij.	143
Ioannes XVII. Romanus,	1003	1003	144
Ioannes XVIII. Romanus,	1003	1009. 18. Iulij.	145
Sergius IV. Romanus,	1009	1012. 13. Maij.	146

Antea vocatus Petrus, primus mutauit nomen ob sancti Petri Apostolorum & Pontificum Principis reuerentiam, Ditmarus sub finem libri VI. vult mutasse nomen, quòd nuncuparetur Buccaporci.

Benedictus VII. dictus VIII.	1012	1024. 18. Februarij.	147

Aurelianense Concilium, anno M. XVII. tempore S. Theodori Episcopi Aurelianensis, contra nouos Manichæos, præsente Roberto Rege; Aurelias delatâ hæresi à muliere ex Italiâ adueniente, multos è Clero eius ciuitatis seducente, multa ridicula ogganiente; inter alia, fabulas esse quidquid in veteri testamento, & nouo de Deo Trino, & Vno asseritur; multos Rex igni addixit. Gaber libro tertio, capite octauo.

Ioannes XIX. Romanus,	1024	1033. 8. Nouembr.	148

Frater germanus superioris Benedicti Pontificis.

Ansanum in æde S. Romani, anno M. XXV. Ansa oppidum non longè ab Arari fluuio, quatuor leucis distans Lugduno, in dominio Ecclesiæ situm; Burchardus Lugdunensis præfuit; Leostinus Senonensis interfuit, alter B. Burchardus Viennensis, Albertus Bisuntinus, Amizo Tarantasiensis, supplice libello Gausleni Matisconensis fuit congregata Synodus, contra B. Odilonem Abbatem Cluniacensem, & prætensam eius exemptionem; quod Burchardus Viennensis contulisset Ordines in Diœcesis Matisconensis Abbatiâ Cluniacensi, contra Canonem Chalcedonensis Concilij; res amicè composita in gratiam Gausleni.

Lemouicense anno M. XXIX. præside Gaucelino Archiepiscopo Bituricensi, Iordano Episcopo Lemouicensi, Odolrico S. Martialis Abbate: In causâ controuersâ Apostolatûs S. Martialis Christi Discipuli (qui primus Dei verbum apud Lemouicenses annuntiauit) an in sacris precibus esset nominandus Apostolus, contendentibus quibusdam appellandum Confessorem; in eum finem aliæ Synodi conuocatæ, vt Bituricensis, II. Lemouicensis M. XXIV & Pictauiensis de quibus postea, & super eâ re tandem Ioannes XX. Pontifex consultus scripsit S. Martialem Apostolum dici, ac vocari debere; rescriptum habetur in Archiuis S. Martialis Lemouicensis: nunc est Ecclesia secularis, anno Christi DCCCXLVIII. cœperat esse Regularis.

Aurelianensis Conuentus Episcoporum, Odolrico Episcopo Aurelianensi, anno M. XXIX. præsente Roberto Rege & conuocante, pro dedicatione Basilicæ S. Aniani sexaginta quinque annos Episcopi Aurelianensis, constructæ ab eodem Rege, quòd fuerat adhuc iuuenili ætate sanitati restitutus, precibus & intercessione eiusdem Cœlicolæ, & ob multiplices reportatas victorias, potissimum Belnæ in Æduis; Gaucelinus Episcopus, nothus Hugonis Capeti Ecclesiam dedicauit, vt refert Helgaldus Floriacensis

in vitâ Roberti Regis pientissimi, qui in hoc Conuentu Episcoporum animaduertens Lamberti Lingonensis Episcopi mole carnis grauati dum sederet, pedes dependere ab alto, pietate ductus à longe quærens suppedaneum, reperit vnum, quod manibus propriis sub pedibus Episcopi collocauit; non sic Constantius, quem S. Athanasius appellat Ἀντίχριστ (epist. ad Solitarios) quòd Sacerdotum Concilio ausus fuisset præsidere.

149 Benedictus VIII. dictus IX. 1033 1041.

Bituricense anno M.XXXIV. die III. Nouembris præside Metropolitano Aymone fratre Archambaldi de Sully, Toparchæ de Bourbon, Archiepiscopi Biturigum: ad seditiosos, & prædones pacem Ecclesiarum turbantes compescendos, & ad terminandam controuersiam de Apostolatu S. Martialis.

Bellouacense, Drogone Episcopo Bellouacensi, eodem anno, post celebratam Synodum Bituricensem diebus quindecim, eodem præside Aymone, iisdemque Episcopis, & de eâdem materiâ; proposita etiam est querela de Romano Pontifice absoluente excommunicatos ab Episcopis; quod non iure, sed iniuriâ fuit propositum, cùm Romanus Pontifex sit Episcopus Episcoporum, vt loquitur Tertullianus, & Ordinarius Ordinariorum.

Lemouicense, Iordano Episcopo Lemouicensi congregatum eodem anno, ad anniuersarium diem Lemouicensis Basilicæ Saluatoris, ab iisdem Episcopis & de iisdem propositis quæstionibus, vt acta huius Synodi referunt; illa regalis Basilica fuerat XV. Calendas Decembres, anno M XXVIII. consecrata ab vndecim Episcopis Gothofredo Burdegalensi, ipso Iordano Lemouicensi, Isamberto Pictauiensi, Rohone Engolismensi, Arnaldo Petragoricensi, Petro Gerundensi, Deus-dedit Cadurcensi, Amelio Albigensi, Arnaldo Ruthenensi, Falcone Carcassonensi, Islone Santonensi. Chronicon Gaufredi S. Martialis cœnobij.

150 Gregorius VI. 1044 1046.

151 Clemens II. Germanus, 1046 1047. 9. Octobr.

Primus est vsus gentilitiâ parmâ ex nonnullorum opinione, tamen Syluester II. antiquior insigne, & scutum peculiare gentilitium habuit.

152 Damasus II. 1048 1048. 8. Augusti.

Stampense, Gilduino Archiepiscopo Senonensi, anno M.XLVIII. ex Archiepiscoporum Senonensium catalogo.

Senonense, anno eodem, M.XLVIII. adfuit idem Gilduinus Senonensis; confirmatur Monasterium S. Aigulphi Prouinij à Theobaldo Comite erecti; adfuerunt Imbertus Parisiensis, Maynardus Trecensis, Hugo Niuernensis, Gilbertus Antissiodorensis, Galterus Meldensis, Isambardus Aurelianensis.

153 S. Leo IX. Tullensis, 1049 1054. 19. Aprilis.

Rhemense, mense Octobri, anno M. XLIX. præfuit B. Leo IX. Papa; adfuit B. Hugo Bisuntinus, Eberardus Treuirensis, & alij, Archipræsule Rhemensi Guidone de Chastillon; Gilduinus Senonensis deponitur; vide, si lubet, plura libro nostro primo in Pontifice Leone IX.

154 Victor II. 1054 1057. 28. Iulij.

Æduense, seu Augustodunense, anno M. LV. Archiepiscopo Gofrido

Lugdunensi, contra Robertum Burgundiæ Ducem, qui infestabat Agonem Æduorum Episcopum: adfuerunt B. Hugo I. Bisuntinus, Aychardus Cabilonensis, Drogo Matisconensis, rogatus fuit Hugo Abbas Cluniacensis; ita Hugo Monachus in vitâ illius. Ex his Robertus in Galliâ Christianâ corrigendus, referens Hugonem II. Bisuntinum Præsulem in Concilio Æduensi.

Turonense, ab Hildebrando Legato, anno M. LV. habitum in quo Berengarius Turonensis, Archidiaconus Andegauensis abiurat hæresim de Eucharistiâ, relapsus sæpius idem præstitit, vt in Lateranensi, præsente Nicolao II. anno M. LIX & in Romano Octogenarius, anno M. LXXIX. cui præfuit Gregorius VII. In hâc Synodo Turonensi etiam actum de Henrico Nigro Imperatore, cui detrectabat satisfacere Ferdinandus Rex Castellæ.

Lugdunense, Humberto Archiepiscopo, anno M. IV.

Tolosanum, anno M. LVI. Arnoldo Tolosano Archipræsule, habitum Idibus Septembris, præfuerunt nomine Victoris II. Rambaldus Arelatensis, & Pontius Aquensis; contra labes simoniacas est celebratum.

Stephanus X. Lotharingus,	1057	1058. 28. Aprilis.	155
Nicolaus II. Burgundus,	1059	1061. 7. Iulij.	156

Parisiense, mense Maio, anno M. LIX sub Henrico Rege Franco pro Philippi I. hoc nomine filij septennis inauguratione, factâ à Guillelmo ad Albas manus Rhemensi Archiepiscopo; sequenti anno vitâ functus est Henricus; Synodo interfuerunt viginti duo Episcopi.

Alexander II. Mediolanensis,	1061	1073 22. Aprilis.	157

Cabilonense, anno M. LXXII. in causâ Odilonis Cluniacensis Abbatis, & Valtherij Episcopi Matisconensis, pro exemptione Monasterij.

Rothomagense, in Basilicâ B. Mariæ, à Ioanno Baiocarum Comitis filio, Archiepiscopo Rothomagensi congregatum, anno M. LXXII. præsente Guillelmo Neustriæ Duce, & Angliæ Rege, cognomento Conquestore, cuius frater Odo Episcopus Baiocensis interfuit, Hugo Lexouiensis, Robertus Sagiensis, Gislebertus Ebroicensis, & Michaël Abrincensis; Canones XXI. vt refert Ordericus Vitalis Monachus Vticensis, in historiâ Nortmannorum libro secundo. Tractatur de SS. Patrum institutis seruandis, Pastorum incuriâ neglectis.

B. Gregorius VII. Saonensis,	1073	1086. 24. Maij.	158

Concilium in Nouempopulaniâ, cui præfuit Legatus Girardus Cardinalis Episcopus Ostiensis, de quo scripsit Gregorius Pontifex; pro collapsis Cleri moribus reformandis.

Suessionense, congregante & præside Manasse Archiepiscopo Rhemensi, anno M. LXXVIII. & sequenti; interfuit Yuo Syluanectensis & Theobaldus Pietrefont Suessionensis cum Raynaldo Abbate S. Medardi ac alij Suffraganei. Chronicon Cameracense libro tertio.

Burdegalense, interfuit Hugo Diensis, anno M. LXXIX. præfuit Amatus Oleronensis Episcopus Papæ Legatus, de quo Gregorius VII. libro secundo, epistolâ secunda; idem Gregorius libro primo epistolâ septuagesimâ tertiâ, mandat Isamberto Pictauiensi Episcopo, vt suo Metropolitano Gosselino Burdegalensi Archiepiscopo rationem reddat Nobiliaci Mona-

ſterij, quod ab eo vi & armis detineri querebantur Clerici S. Hilarij, red-dat inquam rationem in Concilio Prouinciali.

In minore Britanniâ, Concilium anno eodem, cui præfuit idem Amatus Legatus & Hugo Dienſis, ad falſas pœnitentias, & abſolutiones tollendas ſine emendatione datas, quibus populus ſeducebatur.

Lugdunenſe, anno M.XXC. præſide Hugone Epiſcopo Dienſi, Legato Apoſtolico: in eo Manaſſes Archiepiſcopus Rhemēſis iam depoſitus iterum damnatur, ſcripſit ea de re Gregorius Pontifex ad Eccleſiam Rhemenſem, ad Philippum I. Regem & ad Comitem Campaniæ libro octauo Epiſtolarum.

Lingonenſe eodem anno & præſide contra inueſtituras Laicorum.

Auenionenſe, anno eodem, & eodem præſide, in quo B. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus eſt creatus, ſeditque annos quinquaginta duos. Acta S. Hugonis I. Aprilis apud Surium; Erexit maiorem Carthuſiam, anno M.XXCIV. in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, ſuaſu S. Brunonis Canonici Rhemenſis.

Meldenſe iiſdem anno & præſide, in quo Vrſio Sueſſionenſis depoſitus, & inuitus ſubrogatus S. Arnulphus ex Monacho Sueſſionenſi S. Medardi; qua de re S Liſiardus Arnulphi ſucceſſor in ipſius vitâ.

Senonenſe menſe Octobri anno Chriſti M. XXC. præfuit Hugo Dienſis Richerio Senonenſi; (ad quem ſcripſerunt Alexander II. & Gregorius VII.) inter fuêre Gofridus Pariſienſis, Gofridus Carnotenſis, Philippus Trecenſis, Galtherus Meldenſis, Arnulphus Aurelianenſis Epiſcopi, Arnulphus S Columbæ, Iſambardus S. Germani Pariſienſis, Guibertus S. Germani Antiſſiodorenſis, Erminus S. Petri Melodunenſis, Galterus S. Petri Ferrarienſis, Robertus S. Florentini Bonæuallis, Guillelmus S. Remigij Senonenſis Abbates. Niuernenſis Epiſcopus depoſitus.

Rhemenſe, præfuit Raynaldus Archiepiſcopus Rhemenſis, anno M.XXCV. in quo eximuntur Monachi Compendienſes S. Cornelij à iuriſdictione Hilgoti Sueſſionenſis Epiſcopi, cuius præclaram facit mentionem Yuo Carnotenſis epiſtola octuageſimâ octauâ ad Paſchalem II. eiurauit Epiſcopatum Sueſſionenſem, Monachiſmum profeſſus, *Malo*, inquit, *humili loco ſaluari, quàm in alto periclitari*; in ea Synodo Elinandus Laudunenſis ſanctimoniâ commendandus.

159.	Victor III. Beneuentanus,	1086	1087.16. Septemb.
160.	Vrbanus II. Rhemenſis,	1088	1099.29. Iulij.

Toloſanum Concilium à Legatis Vrbani II. congregatum, anno M. XC. circa Pentecoſten Rogerio Archiepiſcopo Toloſano, ampliſſima Synodus è Galliarum Epiſcopis, Rogerius ille de illatis & obiectis criminibus ſe ipſum canonicè expurgauit; in eâdem decreta & deſtinata legatio, pro reintegrandâ Chriſtianitate in ciuitate Toletanâ Alphonſo VI. Regê Hiſpanorum ſupplicante. Bertoldus in Chronico.

Stampenſe anno M. XCII. Richerio Senonenſi præſide; de quo ſic Yuo Carnotenſis epiſtola XII. ad Vrbanum, notum facio Beatitudini Veſtræ, quod Senonenſis Archiepiſcopus conſilio Epiſcopi Pariſienſis (nimirum Gaufredi Patrui Godofredi Bullonij) infatuatus, adhibito ſibi eodem Pariſienſi Epiſcopo, & duobus aliis non diſſimilis vecordiæ, Meldenſi & Tri-

cassino hoc anno Stampis de ordinatione, quam à Vobis acceperam, me inordinate satis accusauit dicens me in maiestatem regiam offendisse, quia à sede Apostolicá consecrationem præsumpseram accepisse. Cum itaque conarentur Gaufridum de positum contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, & in me depositionis sententiam proferre, sedem Apostolicam appellaui.

Augustodunense seu Æduense, (Bertoldus vocat Ostionense) an. M XCIV. die XVII. Cal. Nouemb. aduersùs Reges Schismaticos, sedis Apostolicæ Legato Hugone Lugdunensi Metropolitano Cardinale, Merigaldo Episcopo Æduensi (quo Præsule Paschalis II. summus Pontifex consecrauit Ecclesiam Cathedralem Augustodunensem S. Lazari die XIV. Calendas Martias anno M. CIV.) Rex Philippus I. excommunicatur quod viuente vxore Berta legitima coniuge alteram superinduxisset Bertedam coniugem Comitis Andegauensis, consulentibus, & consentientibus Rainaldo Rhemensi & Coepiscopis. Yuo Carnotensis Antistes pro muro Dei se se opposuit intrepidus Athleta frangi nescius, vt patet diuersis epistolis XIII. & XIV. cuius titulus: *Archiepiscopis, & Episcopis ad regales nuptias inuitatis, Yuo humilis cum spiritu consilij, spiritum habere.*

Suessionense eodem anno; præfuit Raynaldus I. Rhemensis, Hugone Suessionensi Episcopo, aduersùs Roscellinum Clericum insaniæ Sabellianę restitutorem; scilicet in Deo tres hypostases, & personas esse tres res, ab inuicẽ separatas, sicut sunt tres Angeli, contra quem S. Anselmus tunc Abbas in Beccensi Neustriæ Monasterio scripserat librum *de Incarnatione Verbi*, quem misit Archiepiscopus Cantuariensis Vrbano II. Pontifici examinandum. Hic Roscelinus abiurauit in hoc Concilio hæresim, sed postea sus est conuersa ad volutabrum, dicens se abiurasse ne à populo interficeretur.

Claromontanum Oecumenicum VIII. Concilium, mense Nouembri anno M. XCV. præside Vrbano II. qui in eo excommunicauit Philippum I. Regem Galliæ, ob nuptias de quibus supra; decreta expeditio ad terram sanctam recuperandam, interfuêre quindecim Archiepiscopi cum suis Suffraganeis, & ducentæ quinque pastorales virgæ sunt numeratæ tempore Aldeberti Metropolitani Bituricensis, & Durandi Episcopi Claromontani, antea Abbatis II. Casæ Dei, sepulti in Ecclesiâ S. Nicolai ab Vrbano summo Pontifice totâ Synodo assistente; successori Guillemo confirmauit Vrbanus duos post annos, ius præcedendi alios Aquitaniæ primæ Episcopos: Centum millia Christianorum signatorum pro terrâ sanctâ, cruce muricatâ in humero. Antequam rediret in Italiam, absoluit Philippum Vrbanus.

Turonense anno M. XCVI. mense Martio, Vrbano II. Summo Pontifice (quem vetus Chartularium Ecclesiæ Turonensis vocat Apostolicum, notans eum celebrasse Missam Pontificalem die XXI. Martij sacra D. Benedicto) habitum tempore Radulphi II. Archiepiscopi Turonensis, pro confirmatione decretorum ipsius Vrbani Pontificis in Synodo generali Claromontana; ab eodem confirmantur priuilegia Ecclesiæ S. Martini ibidem pridie Idus Martias, & annullatur ab eodem, Pictauij die IV Aprilis priuilegium nescio quod eiusdem Ecclesiæ D. Martini, quo non nisi pretio præbendæ, atque Canonicatus conferebantur: Monachi Fossatenses Dioecesis

Parisiensis conqueruntur apud Paschalem II. in epist. CXXCIII. Yuonis, quòd in Concilio Turonensi Monasterium S. Mauri in Andegauis fuerit subreptum à iure Fossatensis Monasterij cui subiacebat à trecentis annis.

161 Paschalis II. Romanus, 1099 1118. 22. Ianuarij.

Pictauiense die IV. Cal. Augusti, anno M.C. Petro II. Pictauiensi Episcopo; Legati Apostolicæ sedis præfuerunt Ioannes Cardinalis Episcopus Prænestinus, & Benedictus tituli S. Petri ad vincula S. R. E. Cardinalis, cum Rex Philippus auditâ morte Vrbani II. ad vomitum & pellicem Bertedam rediisset, suámque vxorem profiteretur; contumax Rex excommunicatur apparente S. Hilario Legatis, ne minis Guillelmi Comitis Pictauiensis, & Aquitaniæ Ducis cederent. Yuo Carnotensis ad Ioannem Legatum scripsit Epistolam centesimam trigesimam quartam, & ad Rudolphum Archipræsulem Rhemensem Epistolam ducentesimam duodecimam; in eo Concilio sanciti XI. Canones contra Principes sæculares prætendentes inuestituras Ecclesiarum, & aduersus Clericos simoniacos & fornicarios: Quos Canones citat Gregorius IX. diuersis Capp. vt capite primo, de filiis Presbyterorum, & aliis.

Baugenciense ad Ligerim Diœcesis Aurelianensis, anno M.CIV. Præside Richardo Gallo Cardinale Albano Paschalis II. Legato, Ioanne II. Episcopo Aurelianensi adolescente ante paucos annos Regis iussu electo, congregatum ob nuptiarum Philippi Regis negotium, cuius causâ Pontifex miserat Legatum suum in Gallias ad impertiendam absolutionem Regi, quam missis Romam Oratoribus petierat Philippus pœnitentiâ ductus, ob quam Yuo Carnotensis Episcopus scripsit ad eundem Paschalem epistolam centesimam sexagesimam nonam, & ad Richardum Legatum de modo absolutionis epistolam centesimam sexagesimam sextam. Tunc temporis non est Regi data absolutio ob natas Episcoporum difficultates, quæ postea est collata solemni ritu Lutetiæ.

Trecense eodem anno M.CIV. tempore Daimberti Senonensis Metropolitani, præfuit Legatus Apostolicus Richardus Cardinalis contra simoniacos, deq;uo Yuo epistolâ ducentesimâ sexagesimâ: in eo Lecoldus Syluanectensis Episcopus accusatus est venditorum sacrorum à maleuolis, sed falsò: in eadem Synodo Godefredus Monachus vir sanctissimus creatus est Episcopus Ambianensis, vt refert Nicolaus Monachus Suessionensis in eius vitâ apud Surium die VIII. Nouembris.

Concilium Incerti loci in Galliâ eodem anno, præfes fuit S. Bruno Episcopus Signiensis sedis Apostolicæ Legatus dimisso Episcopatu, teste Petro Diacono libro quarto capite trigesimo tertio Chronici Cassinatis; cum eodem D. Brunone profectus est Boaimundus ad poscendas à Philippo Rege duas ipsius filias, vnam Constantiam ex Berta coniuge legitimâ sibi in matrimonium copulandam, alteram natam ex pellice Bertedâ pro ne pote suo Tancredo.

Floriacense anno M.C.VII. Philippo R. præsente, De lite Abbatis Monasterij Carnotensis & Abbatis Bonæuallis, propter vnam Ecclesiam & cœmeterium; qua de re Yuo Carnotensis epist. CCXVIII. ad Richardum Albanensem Episcopum, corpus S. Benedicti leuatur.

Ansanum, Ioanne Lugdunensi Primate, De fide & inuestituris Laicorum; de quo sic Yuo Carnotensis Episcopus epist. ccxxviii. Iure primatus vestri inuitastis nos ad Concilium apud Ansam celebrandum, sed terminos quos posuerunt Patres nostri, terminos antiquos transgredi formidamus.

Rothomagense, cui præfuit Guillelmus ex Abbate II. S. Stephani Cadomensis Archiepiscopus Rothomagensis; habitum est anno Christi M. CVII. vt refert Claudius Robertus in Archiepiscopis Rothomagensibus; quo anno totam Normaniam Henricus Rex Angliæ suæ potestati subiecit, victo & incarcerato Roberto germano suo Neustriæ Duce, abhinc paucos annos ex Hierosolymitanâ expeditione reuerso; quod contigit ob contemptum rerum sacrarum, nam adolescentulos præficiebat Ecclesiis Cathedralibus, & vnum eundemque Episcopum duabus Ecclesiis donabat, ex Yuone Carnotensi in epistolis variis.

Trecense, Daimberto Metropolitano Senonensi, & Philippo Trecensi Episcopo, anno M. CVII. circa Domini Anastasim præside Paschali II. qui summo in Galliis cultus est honore, actum in eo de liberâ Pastorum electione contra Laicos; misit Legatos Rex Germaniæ Henricus ad Pontificem, & Synodum, vt significaret se gaudere priuilegio constituendorum Episcoporum, nec se passurum in alieno Regno contrarium definiri, è Galliâ discessit Pontifex Autumni tempore Romam petiturus.

Rhemense anno Christi M. CIX Manasse II. Archiepiscopo, frequens Synodus, post quã Godefredus ex Abbate Nogenti Episcopus Ambianensis vir sanctus arguit falsitatis, apud Paschalem II. Romæ agens, diploma Apostolicum, quod ad suam ipsorum exemptionem à subiectione Episcopi Ambianensis subripuerant Monachi Cœnobij S. Valerici, (non Vdalrici, vt legitur apud nonnullos) ad mare, ordinis Benedictini, vulgò *S. Valery*, Diœcesis Ambianensis; summus Pontifex votis B. Godefredi plenissimè satisfecit.

Viennense die XVII. Cal. Octobris, anno Christi M. CXII. præside Legato Apostolico Guidone Archipræsule Viennensi, postea Papa Callisto II. Cluniaci electo, in quo pro libertate Ecclesię actum, iudicatumque est contra ipsas inuestituras Laicorum, priuilegiúmque de illis à Paschale exortum, irritum declaratum; illius excommunicationis fulmine ictus est Henricus IV. Rex Germaniæ, quem Paschalis II. nescio quo oscitante metu non excommunicauit. S. Godefredus Ambianensis præfuit Synodo suâ voce, loco Guidonis Archiepiscopi & Legati, quod vitio linguæ laboraret, interfuit S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus & alij. Confirmata hæc Synodus in aliâ Lateranensi Synodo, impulsu Cononis Cardinalis Prænestini post annos quatuor.

Stampense mense Decembri, anno eodem M. CXII. præfuit Daymbertus Senonensis Metropolitanus, interfuere Yuo Carnotensis, Guillelmus Parisiensis, Ioannes Aurelianensis, Galtherus Meldensis, Hunebaldus Antissiodorensis Horum Episcoporum extat epistola ad Philippum Trecensem, vt sit præsens in Concilio, in consecratione Episcopi Niuernensis: habetur apud Yuonem epist. CXXXI. cuius initium, *Congregatis in Stampensi Concilio.*

Bellouacense, præside Conone Cardinale Episcopo Prænestino Legato Pontificio, anno M.CXIV. tempore Manassis II. Rhemensis Metropolitani, & initio Episcopatûs Rogerij Episcopi Bellouacensis, qui dedit Comitatum Ecclesiæ Bellouacensi. Excommunicatur schismaticus Henricus Rex Germaniæ ob inuestituras Sacerdotiorum, & actum est de S. Godefredo Episcopo Ambianensi, qui secesserat ad Carthusienses, vt quietiùs viueret, reuocando; ex appendice Sigeberti & ex quatuor epistolis Yuonis Carnotensis ad Cononem, qui se excusat ob morbum quod eum non adeat, ex quo mortuum putat Baronius nec excessisse tempora Paschalis II. verùm superuixit plures annos Yuo, vitâ functus M. CXXVIII. Paschalis II. anno IX. die VIII. Calendas Februarias, cineratus in Abbatiâ *Iosaphat*, quam dotauit.

Trecense anno eodem M CXIV. die IV. Nonas Aprilis, interfuit Manasses II. Archiepiscopus Rhemensis, ex Nicolao Camusato Trecensi.

Rhemense ad Quadragesimæ Proximum Lætare Ierusalem, V. Calendas Aprilis; præfuit Cono sedis Apostolicæ Legatus, anno M.CXV. Gofredus Rothomagensis interfuit; Actum de quibus in Bellouacensi postremâ Synodo, contra inuestituras Laicorum. Idem Cono Coloniæ æra II. proximum Paschæ, Regem Henricum damnauit in templo S. Gereonis.

Catalaunense eodem Conone præside & anno, die VIII. Idus Decembres, iisdem de rebus: In hoc quarto Concilio damnatur Henricus, reuocatur S. Godefredus ex Carthusiâ, quem Episcopum Ambianensem inaugurauit Manasses II. huius nominis Archiantistes Rhemensis, præsentibus Lamberto Atrebatensi, & Ioanne Morinensi.

Trinolchiana, aliis Tornusiana Synodus, anno M. CXVII. interfuit Berardus Matisconensis Episcopus.

Pictauiense, cui præfuit (inquit Sugerius Abbas in vitâ Ludouici Crassi) Apostolicæ sedis, & Paschalis II. Legatus Brusoniganus Episcopus, ad inuitandam & confortandam Sancti Sepulchri viam; cui Concilio, inquit idem Sugerius, nos interfuimus.

162 Gelasius II. Caietanus, 1118 1119. 29. Ianuar.

In Galliam profugus, omni rerum copia destitutus, cui obuiam est progressus Abbas Sandionysianus Sugerius, nomine Ludouici Regis.

Rothomagense Concilium, anno Christi M.CXVIII. ex Rhemensi Synodo rediens Gofredus Archiepiscopus Rothomagensis tertiâ hebdomadâ Nouembris congregauit. De hoc Concilio Ordericus Vitalis libro duodecimo historiæ Nortmannorum; actum de euitando mulierum consortio à Presbyteris: vnde magna orta seditio, ob carceri traditum quendam Albertum, ita vt deserta fuerit Synodus, Prælatis aufugientibus.

Viennense, indicente Gelasio summo Pontifice, pro necessitatibus Ecclesiæ, anno M.CXIX indictione XII. paulo post obiit, vt Vrspergensis testatur, Cluniaci enim, die IV. Calendas Februarias, iuxta canonem monasticum, strato humi corpore cœlum petit; post multa exantlata breui tempore, ob Burdinum illiteratum hominem, creatum Antipapam, & Henricum Imperatorem Schismaticum, & Frangipanes perduelles aufugit aliquando celebrans in Sanctæ Praxedis Ecclesiâ & festo, sacris vestibus semi-indutus,

à suis equo impositus, per campos solus aberrabat.

Calixtus II. Burgundus, 1119 1124 13. Decemb. 163

Rhemense, præfuit Calixtus anno M. CXIX. mense Octobri, Radulpho Viridi Metropolitano Rhemensi, ad quod Henricus Imperator spoponderat se accessurum, pro seipso Ecclesiæ reconciliando; Rogerius Houedenus in Annalibus Angliæ refert visas personarũ Pastoraliũ virgas quadringẽtas viginti quatuor; Ludouicus VI. cognomento Crassus Rex Francorum interfuit; recusans Henricus Imperator inuestituras deponere, à Patribus omnibus Concilij excommunicatur; sunt conditi V. Canones tum ad beneficia pertinentes, tum etiam vnum contra Sacerdotum incontinentiam, huic Concilio vir Dei Norbertus nudis pedibus affuit, cuius ordinis institutum fuit confirmatum ibidem à Calixto, illum commendante Bartholomæo Laudunensi Episcopo, à quo & oblata S Martini Ecclesia; antequam anno sequenti è Gallia Romam abiret Pontifex Callixtus constituit memor suæ Ecclesiæ Viennensis Primatem Archiepiscopum Viennensem super Bituricensem, Burdegalensem Auxitanum, Narbonensem, Aquensem, & Ebredunensem Archiepiscopos. Datum Valentiæ V. Calendas Martias.

Lateranense I. Oecumenicum IX. tempore Quadragesimæ, anno Christi M. CXXI. cui interfuere trecenti & amplius Episcopi, vt præsens Sugerius Abbas S. Dionysij testatur in vitâ Ludouici Crassi Regis, cuius filius Ludouicus iunior Rex in terram sanctam est profectus anno M. CXVII. ipso Sugerio Cœnobiarchâ manente in Franciâ Prorege; decem & septem Canones sunt conditi in hac Synodo ad renouandam pristinam Ecclesiæ disciplinam; in eo decretum, vt Lambertus Cardinalis Ostiensis & duo alij Cardinales in Germaniam se conferrent, ad res amicè componendas cum Henrico Imperatore, qui tandem aliquando inuestituras beneficiorum eiurauit.

Honorius II. 1124 1130 14. Febr. 164

Trecense anno Christi M. CXXVII. præside Matthæo Cardinale Episcopo Albano Apostolicæ sedis Legato, Hatone Episcopo Trecensi ex Monacho Cluniacensi; præsens adfuit S. Bernardus egregius vir inter homines natos colendissimus Abbas Clareuallensis, & Stephanus Cisterciensis Archimandrita; in eo militum Templariorum Ordo comprobatur, nono anno post eius primam institutionem Hierosolymis peractam ex Tyrio libro XII. capite VII. interfuit Raynaldus Rhemensis, & Henricus Senonensis cum suis Suffraganeis, Patriarchâ Hierosolymitano Templariorum magistro, S. Bernardus præscripsit illis regulam bene viuendi, & datum est vestimentum album.

Senonense, cui præfuit Henricus Metropolitanus anno eodem M. CXXVII. præsentibus Stephano Parisiensi, Hatone Trecensi & Burchardo Meldensi.

Nannetense Hildeberto Archiepiscopo Turonensi anno M. CXXV. Bricio Roberto Episcopo Nannetensi, Alano Fergent Duce Britanniæ.

Rhedonense suo loco omissum, anno M. LXIX. sub Alexandro II. præfuit Rodulphus I. Archiepiscopus Turonensis, tunc Rhotaldo Episcopo Rhedonensi, & Hoile Duce Britanniæ.

Innocentius II. 1130 1143 24. Sept. 165

Stampense pro agnoscendo, & excipiendo in Galliis vero Pontifice Inno-

centio II. celebrato ieiunio à Rege,& Episcopis anno Christi M.CXXX. Henrico Senonensi Archiepiscopo, in cuius Diœcesi Stampæ: huic officio excipiendi Pontificis vacauit S.Bernardus Claræuallensis Abbas dignissimus: ob Anacletum enim Antipapam se in Gallias, vt asylum Pontifex receperat, quem idem D. Bernardus Christi Vicarium, & Christum appellat: appulit Innocentius ad S. Ægidium portum maris Mediterranei Gallici, deinde Claromontum venit, vbi Synodum coëgit de quo statim; In hoc Concilio Stampensi Innocentius est receptus contra Anacletum Regis Ludouici consensu, qui eum Cluniaci curauit excipi per Sugerium Abbatem, illi promittens opem omnimodam & protectionem; eidem Rex & Regina filiique accurrentes ad S. Benedicti ad ripam Ligeris genibus Pontificis procubuêre, vt & Angliæ Rex Henricus Carnuti.

Aniciense, seu Podiense pro Innocentio II. contra Petrum Leonis Antipontificem, anno M.CXXX. VVlgrino Bituricensi Metropolitano (qui deposuit Girardum Episcopum Engolismensem stantem à partibus Anacleti, cuius Legatus creatus Guillelmum Aquitaniæ Ducem peruertebat, nisi S. Bernardus & IosIenus Suessionensis Episcopus ad meliora conuertissent) Pontio Turnonio ex Abbate Casæ-Dei Episcopo Aniciensi. In eo Concilio Patres anathemate damnarunt Anacletum, teste Guidone Priore Carthusiæ eius æui auctore, in vitâ S Hugonis Gratianopolitani, qui interfuit illi Concilio, licet multæ ætatis & ægrotus, & quondam amicus illius Leonis, mutati in feram pessimam.

Claromontanum, præsente Innocentio II. nouissimè Gallias ingresso, anno eodem M.CXXX. ad quod confluunt multi Archiepiscopi, Episcopi plures, Cœnobiarchæ plurimi; Anacletus excommunicatur.

Rhemense, mense Octobri, anno M.CXXXI. frequentissimum, Innocentij II. Pontificis præsentiâ cohonestatum; ex omnibus regni partibus Patres confluxêre, imo ex Germaniâ, Angliâ, Hispaniâ, locuplete teste Sugerio in vitâ Ludouici Crassi, cuius filius Ludouicus VII. puer Rex oleo sacro & coronâ fuit donatus ab ipso Innocentio, die XXVI Octobris: huic Concilio interfuit S. Norbertus Magdeburgensis Archiantistes, nec non D. Bernardus; duæ orationes habitę in plenâ Synodo, vna ad Clericos, altera ad Episcopos, referuntur inter ipsius Diui Archimandritæ opera; Anacletus in eadem Synodo fuit denuo diris deuotus.

Iotrense, Gaufrido S.R.E. Legato Carnotensium Episcopo præside, præsentibus Raynaldo Rhemensi, Hugone Rothomagensi, Hugone Turonensi Archiepiscopis, & eorum Suffraganeis, anno Christi M.CXXXII. contra homicidas Thomæ Prioris S. Victoris Parisiensis (quem Martyrem vocat S. Bernardus epistola centesimâ quinquagesimâ octauâ & sequenti) & Archembaldum Subdiaconum Aurelianensem. Interfectus fuit Thomas die Dominica, iuxta Gorniacum, decimo tertio Calendas Septembres, anno M.CXXX inter brachia & amplexus Stephani Episcopi Parisiensis, à nepotibus Theobaldi Archidiaconi, reprehensis ob illicitas exactiones, quas ille Archidiaconus à Presbyteris exigebat. Petrus iacet apud S. Victorem Lutetiæ, eodem tumulo, quo Burchardus Episcopus Meldensis. De hoc Concilio Petrus Abbas Cluniacensis, libro tertio, epistola decimâ septimâ,

&

& Innocentius epistolâ ad Patres Synodi conscriptâ.

Lateranense II. Oecumenicum x. die VIII. Aprilis in Quadragesimâ, anno Christi MCXXXIX. pro reformatione morum & disciplinæ Ecclesiasticæ, præfuit Innocentius Pontifex, anno x. sui Pontificatus; visæ sunt mille virgæ Pastorales; XXX. Canones sunt editi: fautores, & Asseclæ Petri Leonis, anno præcedenti mortui absque pœnitentia, excommunicantur; etiam condemnatur Arnaldus Hæreticus Petri Abaylardi discipulus.

Rhemense, præfuit Samson Archiepiscopus Rhemensis, Henricus Senonensis cum suis Suffraganeis adfuit; anno MCCXL. contra Petrum Abaylardum nobilem Britonem Armoricum, è parœcia de Paletz, iuxta Clissonium, Diœcesis Nannetensis, Abbatem Sancti Gildæ de Rhuys, Philosophum, ab inferis reuocantem Arium, Nestorium, Pelagium hæreticorum Calyphas, desiderantem manus conserere cum S. Bernardo, qui illuc aduolauit.

Senonense, in quo Abaylardi errores, præsente Ludouico Rege, disputante S. Bernardo, condemnati fuêre, anno eodem, præside Henrico Metropolitano; præter Suffraganeos, interfuerunt Samson Rhemensis, Iosselenus Suessionensis, & Gaufridus Catalaunensis. Victus & damnatus Abaylardus ad sedem Apostolicam appellauit; Libris crematis, eorum auctor & discipulus eius Arnaldus de Brixiâ, in loca religiosa separatim sunt missi & reclusi; hæreses referuntur à S. Bernardo epistolâ CXXCIX. Innocentio Papæ scriptâ. Romam iter habens Abaylardus pro appellatione ad sedem Apostolicam, Cluniaco transiens, conuertitur à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi, & S. Bernardi colloquiis, ibidem Monachus effectus, vt patet literis ad ipsum Innocentium missis ab Abbate Cluniacensi, libro quinto, epistolâ tertiâ; idem Petrus Venerabilis, mortui pœnitentis Abaylardi epitaphium composuit. Gaufredus Monachus Cisterciensis quondam discipulus Sancti Bernardi, rogatus ab Henrico Cardinale Episcopo Albano, res in Galliâ gestas in causâ Hæreticorum, illius æui scriptis mandauit. Porrò in Senonensi Concilio Henricus inuestiuit Gilduinum I. Abbatem S. Victoris Parisiensis, Ecclesiâ B. Mariæ Floriaci, Diœcesis Parisiensis, cuius Concilij meminit Monachus Antissiodorensis in Chronico. Alterius Synodi multo antiquioris habitæ Suessioni, anno M.CXVI. meminit Ioannes Picardus San-victorianus in notis ad epistolam centesimam nonagesimam primam, quo anno Albertus Rhemensis & Leutaldus Nouariensis egerunt cùm Radulpho Archiepiscopo Rhemensi vt Cono S. R. E. Legatus ad Synodum Suessioni indictam euocaret Abaylardum, vt profiteatur se ferme lapidatum à discipulis dictantibus illum esse trium Deorum prædicatorem & assertorem. Legatus porro iussit Abaylardum porrigere librum suum Archiepiscopo; interim ille palam differebat de Theologicis in eodem tractatis. Tandem vero liber vt pote Trinitarius Concilij decreto fuit combustus, Abaylardusque iussus recitare Symbolum B. Athanasij quod inter singultus & lachrymas legit.

Celestinus II. Typhernas,	1143	1144. 8. Martij.	166
Lucius II. Bononiensis,	1144	1145. 25 Februarij.	167

 Eugenius III. Pisanus, 1145 1153. 8. Iulij.

Vezeliacense Diœcesis Æduensis, anno M. CXLV. pro terrâ sanctâ recuperandâ, præside Eugenio III. Pontifice à Romanis expulso, tunc Pontio fratre Petri Venerabilis Abbate Vezeliacensi S. Magdalenes, & Ludouico VII. dicto Iuniore Rege, orationem habuit S. Bernardus; Edessâ captâ ab infidelibus, missus fuerat ex Syriâ Legatus Episcopus Gabulensis ad Romanum Pontificem, ob Ecclesias Orientales Latinorum periculo proximas; quare in Occidente tractatur de nouâ expeditione, cuius secretum votum alias emiserat Rex Ludouicus ob Vitriacum (quod erat ex ditione Comitis Blesensis) ab eodem Rege impotenti irâ dirutum, cuius templum præcipuum M. D. vtriusque sexus & ætatis cuiusuis ad aras confugientibus inclusum. Rex sceleris pœnitentiâ ductus, votum, inquam, emiserat consilio D. Bernardi: Hoc anno post Concilium Romam rediit Eugenius, Ludouico sacram militiam profitenti dedit crucem idem S. Bernardus in hac Vezeliacensi Synodo, ex Ottone Frisingensi in Friderico, libro primo, capite trigesimo sexto.

Carnotense, anno M. CXLVI. tertiâ Dominicâ post Pascha, nationale ex omnibus Galliæ Prouinciis, cui Rex Ludouicus VII. cum regni Proceribus interfuit, in eo S. Bernardus (quem omnes vt Prophetam & virum sanctissimum reuerebantur) fuit electus in Principem & militiæ Ducem: Acta vitæ, eius epistolæ, & Otto Frisingensis in Chronico; Rex Ludouicus duos post annos, bene excepto Eugenio Pontifice Parisiis (sed male tractato, vt & ipso Rege apud Sanctam Genouefam, hinc mutati Canonici sæculares in Regulares) Dominicâ secundâ post Pentecosten itineri se commisit per Hungariam & Bosphorum, & Quadragesimâ in Syriam peruenit.

Antissiodorense, Hugone ex I. Abbate Pontiniacensi Episcopo Antissiodorensi: præfuit Concilio Eugenius Pontifex reuersus in Galliam hac secundâ vice, anno M. CXLVII. fugiens rabiem Romanorum Arnaldistarum (ab Arnaldo de Brixiâ) seu Politicorum è solis decimis Pontificem sustentari debere asserentium. In hac Synodo actum de negotiis Ecclesiasticis, & in Gilbertum Porretanum Episcopum Pictauiensem solâ Philosophiâ, quam mirè callebat, gloriantem & dicentem inter alia, diuinam essentiam non esse Deum: huius Concilij meminit auctor illius æui Otto Episcopus Frisingensis in Friderico.

Parisiense, eodem præside Eugenio Pontifice, Theobaldo Episcopo Parisiensi contra easdem hæreticas propositiones Porretanas anno eodem; in hac Synodo cum à multis multa obiicerentur Gilberto, inter cætera hoc est effatus audacter, confiteor Patrem alio esse Patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc, & hoc; Eugenius ad Synodum Rhemensem sequenti anno celebrandam quidquid esset difficultatis remisit. Actum etiam de aliis Ecclesiæ negotiis.

Rhemense amplissimum ab Eugenio summo Ecclesiæ Pastore celebratum, die XI. Calendas Aprilis anno MXLVIII. Sansone Archipræsule Rhemensi, S. Bernardo præsente aliisque innumeris. Actum de Gilberto Porretano, qui ad Papam, & Concilium prouocarat, eius hæreses sunt damnatæ:

etiam tractatum de homine idiotâ, magicis cantationibus dementato, cuius nomen Eudo de Stellâ natione Brito oriundus è loco vicino syluæ de Loudeac, cæterùm vir illustris prosapiæ, qui Clerum & Episcopos persequebatur, eo inscitiæ est redactus vt cùm Gallicè, aut potius Britonicè nuncuparetur *Eon*, se esse crederet *Eum*, qui in Ecclesiasticis exorcismis dicitur venturus iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem; ita potens diabolicis prestigiis ad inescandas simplicium animas, vt multi amentes amentem sequerentur, multum laborante Conano Crasso Duce Britanniæ ad eum & asseclas ab illâ syluâ eiiciendos; Samson Archiepiscopus comprehendit hominem oblatum Eugenio & Concilio, multósque eius sequaces brachio seculari traditos, postea igni deuotos. Statuti Canones XVII. desumpti ferè omnes ab Oecumenicâ Synodo Lateranensi postremâ, sub Innocentio secundo.

Baugenciacum ad Ligerim Diœcesis Aurelianensis, Hugone Archiepiscopo Senonensi, anno M.CLI. pro dissoluendo coniugio, contracto inter Ludouicum VII. Iuniorem, filium Ludouici Crassi, & Eleonoram Guillelmi Ducis Aquitaniæ filiam, quod ob consanguinitatis gradum satis supérque probatum, de mutuo partium consensu fuit in Synodo dissolutum; Eleonora postea in Regis odium alteri nupsit marito, Henrico Comiti Andegauensi Regi Angliæ futuro, ad quem Rege Franco inuito suam priorem attulit dotem Pictones & Aquitaniam. Matrimonium hoc maximi belli Anglici causa fuit. Concilio Sanson Rhemensis Archiepiscopus interfuit, Manasse II. Episcopo Aurelianensi, in cuius Diœcesi situm Balgiacum, vbi Abbatia ordinis D. Augustini Deiparæ sacra.

Anastasius IV. Romanus,	1153.	1154. 2. Decemb.	169
Hadrianus IV. Anglus,	1154	1159. 1. Septemb.	170
Alexander III. Senensis,	1159	1181. 27. Augusti.	171

Bellouacense habitum anno Christi M. CLXI. post compositam pacem mense Maio inter Ludouicum VII. Franciæ & Henricum II. Angliæ Monarchas, vterque Synodum congregauit mense Iulio ad recipiendum legitimum Pontificem Alexandrum III. omnes vnanimi consensu & voce illum admisêre, ille in hâc Synodo, hic in Concilio ex omnibus Normaniæ Episcopis, & Cœnobiarchis, congregato apud Nouum-mercatum, ex Roberto de monte in appendice ad Sigebertum: Victor IV. Antipapa nuncupatus Octauianus fuit in reprobum sensum datus, quem Fridericus Imperator intruserat, odio Alexandri veri Pontificis.

Claromontense Româ profugus Alexander III. celebrauit anno Christi M. CLXI. Æmilius in Francorum Annalibus.

Turonense die octauâ Pentecostes in Basilicâ S. Martini, anno M.CLXIII. contra Hæreticos & Schismaticos habitum, Alexander Papa fuit Præses, cum eo interfuêre Cardinales septemdecim, Episcopi centum viginti quatuor, Abbates & Priores quadringenti quatuordecim; interfuit S. Thomas Cantuariensis Archipræsul, Angliæ Primas, in cuius occursum misit Pontifex extra ciuitatem omnes Cardinales præter duos ipsi assistentes; Egidius Ebroicensis Episcopus concione habuit, ad hanc Synodum perrexit ex Germaniâ Conradus Archiepiscopus Moguntinus pulsus à Friderico

primus ex Episcopis creatus Cardinalis Sabinus (vt notauimus in Apparatu nostro) nolens Octauiano Schismatico adhærere in hac Synodo Turonensi excommunicato: Nouem decreta constituta, finito Concilio Senonas se recepit Alexander se Senonensem origine asserens quia Senensis, ibique plures menses permansit vsque ad reditum in Italiam.

Abrincense præsidentibus Apostolicæ sedis Legatis Theodino & Alberto Cardinalibus, qui anno M.CLXXII. ad Henricum Angliæ Regem missi fuerant ab Alexandro pro nece S.Thomæ Cantuariensis Martyris, pro quâ graues subiit pœnitentias Henricus senior inter alias profecturum Ierosolymam cum copioso militum delectu; is confitetur literis suis apud Petrum Blesensem epistolâ centesimâ trigesimâ sextâ Angliam esse feudum Ecclesiæ; Abrincis vterque Rex, Henricus enim iunior filius ex Angliâ venit, vt cum Patre iuraret de conditionibus: vocati sunt testes Iodocus Archiepiscopus Turonensis, & Suffraganei, interfuit Concilio Rotrodus Archiepiscopus Rothomagensis Metropolitanus, & Suffraganei Richardo tunc Episcopo Abrincensi. Rogerus Houedenus in Annalibus Anglicanis recitat acta Concilij Abrincensis ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia.

Albiense Christi anno M.CLXXVI. Gerdo Episcopo Albiensi, ad conuincendas eorum hominum, qui se bonos homines nuncupabant, hæreses Manichæorum potiùs, quàm Arianorum: dicti sunt Tolosani, vel Albienses; Vetus Testamentum repudiabant, solo recepto Nouo; eas hæreses refert Rogerus Houedenus: ab vtrâque parte fuerat petitus Episcopus Albiensis, & constitutus Iudex disputationum, vt & aliqui Cœnobiarchæ; egregiè disputauit Lugdunensis Archipræsul, missi post biennium verbi diuini annunciandi gratiâ conuersionis, aut excommunicationis ergò Petrus Cardinalis Presbyter tituli S. Chrysogoni sedis Apostolicæ Legatus, Guarinus ex III. Abbate Pontiniacensi Archiepiscopus Bituricensis, Petrus Aurelli Narbonensis, Bathoniensis Episcopus, & Ioannes Bellesme Pictauiensis, Abbas etiam Claræuallensis, idem Rogerus Houedenus in Annalibus Anglicanis, & Guillelmus du Puy-Laurent Historiæ capite tertio.

Lateranense III. Oecumenicum XI. die V. mensis Martij anno Christi M.CLXXIX. Catholica Ecclesia vbique pace gaudente, contra VValdenses à VValdone Lugdunensi, & Tyrannos; actum etiam de Ecclesiasticis, præside Alexandro III. nouissimè ex Galliis Romã reuerso & ne infidelibus arma deferrentur; trecenti interfuerunt Episcopi, inter cæteros Guillelmus Archipræsul Tyri, qui Synodum descripsit libro sacri belli vigesimo primo, capite vigesimo sexto: tribus diebus fuit absoluta Synodus viginti septem capitibus; Actum etiam de Bertoldo electo Episcopo Bremensi, cuius electio fuit irrita: & de Petro Lombardo olim Episcopo Parisiensi accusato quòd malè sensisset de Christi humanitate.

Parisiense anno Christi M.C.LXXIX. Guillelmo ad Albas manus Archiepiscopo Senonensi qui accepit literas ab Alexandro III. contra errores Petri Lombardi authoris quatuor librorum sententiarum, Matthæus Paris. in Historia Anglicana eodem anno; inter alios, Quòd Christus secundum quod est homo non est aliquid: celebrata hæc Synodus Mauricio Episcopo Pari-

siensi, qui primus Basilicam Parisiorum S. Mariæ inchoauit, vt habet epitaphium.

Lucius III. Lucensis, 1181 1185. 25. Nou. 172

Vrbanus III. Mediolanensis, 1185 1187. 20. Octob. 173

Parisiense, Petro de Corbolio Archiepiscopo Senonensi Metropolitano mense Martio, anno Christi M.CXXCVI. contra Turcas Odone de Sully Episcopo Parisiensi: vnde decimæ Saladinæ à Philippo Augusto impositæ, contra quas Petrus Blesensis scripsit epistolam CXII. lectione dignissimam; ad Henricum Episcopum Aurelianensem Roberti Comitis Drocarum filium, *Nunquam*, inquit, *pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt euentus auspicium.* Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus, cum magno Magistro templi venerat ad Philippum Augustum suppetias imperaturus contra Saladinum.

Rothomagense, eodem anno Christi M.CXXCVI. Valthero de Constantiis Archiepiscopo Rothomagensi ex Lincolniensi, Henrico Baiocensi, Guarrino Ebroicensi, Lisiardo Sagiensi, Guillelmo Abrincensi, & Guillelmo Constantiensi Episcopis.

Gregorius VIII. Beneuentanus, 1187 1187. 20. Decemb. 174

Clemens III. Romanus, 1188 1191. 10. Aprilis. 175

Gisortianus Conuentus, pro expeditione terræ sanctæ XII. Calendas Februarij anno Christi M.CXXCVIII. interfuit Guillelmus Archiepiscopus Tyri, multi Archiepiscopi & Episcopi è Franciâ, & Nortmanniâ (quæ tunc subiacebat dominio Regis Angliæ postea à Philippo Rege tota subacta in fidem rediit Francorum ducentesimo & septuagesimo anno, quàm attributa Rolloni fuerat eam amittente Ioanne dicto *sine terra*) ipsi Reges Philippus Augustus Franciæ, & Henricus II. Angliæ fuere præsentes, orationem habuit Archiepiscopus Tyrius, quâ permoti Reges, mutua odia deposuerunt, & ex eius manu crucem accepêre, eadémque horâ apparente signo crucis in cœlo; milites Regis Francorum cruces erant laturi rubeas, Anglicani albas, & milites Philippi Comitis Flandriæ virides; pax breui turbata est inter illos Reges; ita Rogerius Houedenus in Annalibus Anglicanis; missus eo belli fine in Gallias Henricus Cardinalis Episcopus Legatus.

Celestinus III. Romanus, 1191 1198. 8. Ianuarij. 176

Innocentius III. Anagninus, 1198 1216. 17. Iulij. 177

Senonense Concilium, Legato Apostolico Petro Diacono Cardinale S. Mariæ in viâ latâ præside, anno M.CXCVIII. contra diuortium Philippi cum Gelbergâ Danici Ducis sorore, quam intra tertium mensem repudiatam, & in Stamparum arcem coniectam asseruari iubet, mense Iunio sequenti Agnem Ducis Meraniæ (sic enim legendum, non Morauiæ) filiam accipit; hinc dolor, hinc lachrymæ, toti regno sacris Legatus interdixit, id habens in mandato, exceptis solùm baptismo paruulorum, & pœnitentiâ morientium; sic cadauera remanebant insepulta clausis cœmeteriis, sic sexcentorum malorum ilias. In eo Concilio Abbas Niuernensis S. Martini deponitur, & Decanus Cathedralis Ecclesiæ suspenditur notati hæresi populicanâ (cuius Hæresiarcha Terricus combustus) ad sedem Apostolicam destinantur.

Diuionense, mense Decembri in festo S. Nicolai, eodem Legato, anno M.CXCIX. Garnerio Episcopo Lingonensi (cuius Diœcesis est Diuio) interdicti sententiam promulgauit Legatus mandans omnibus Episcopis Franciæ, vt ipsi illud obseruarent religiosè sub pœnâ suspensionis.

Suessionense, mense Aprili anno Christi M.CCI. totos XV. dies actum de matrimonio Regis, missi sunt ab Innocentio Legati Octauianus Cardinalis Episcopus Ostiensis, & Ioannes tituli S. Priscæ Cardinalis Presbyter: ad mandatum eorum Rex Philippus, qui Concilio cum omnibus fere Episcopis Regni & Principibus interfuit, coactus est Reginam Gelbergam recipere, eodem secum equo insidentem reduxit, tædio moræ Concilij affectus, absolutus tamen est & Regni interdictum leuatum, Octauianus mansit in Galliâ perpetuus Legatus. Agnes alia prætensa vxor grauiter commota doloris impatientiâ apud Pontiniacum obiit. Rege procurante, Innocentius Pontifex, quos ex ea liberos susceperat, Philippum, qui postea Comes Bononiensis est factus, & Mariam, quæ Comiti Louaniensi nupsit, legitimos pronuntiauit

Magalonense, apud Volcas Arecomicos à Petro de Morâ Beneuentano, Legato Apostolico, Diacono Cardinale S. Angeli congregatum, quinque Archiepiscopis vicinioribus præsentibus, & viginti octo Episcopis, anno M.CCXIV. contra Albigenses: Simon Comes Monfortius Princeps constitutus Prouinciarum debellatarum anno præcedenti, inito apud Muretum prælio, qui Principatus est illi confirmatus anno sequenti in Synodo Oecumenicâ Lateranensi. De Monte-pessulana Synodo ita Chronicon Ludouico Crasso Regi coæuum. Infra octauas Assumptionis B. Mariæ apud Montempessulanum authoritate Apostolicâ Concilium celebratur; postea Honorius Papa Narbonensi Archiepiscopo dedit in mandatis, quòd ille modum pacis, quam Raymundus Comes Tolosanus, & alij Albigenses S. Matri Ecclesiæ offerebant, audiret; & quod in ea re faceret, ipsi mandaret.

Lateranense IV. Oecumenicum XII. Calendis Nouembris, anno M.CCXV. præfuit Innocentius Pontifex pro terrâ sanctâ recuperandâ, & etiam contra Albigenses, vox *Transsubstantiationis* recipitur; actum præterea de Abbate Ioachimo; confirmatus Simoni Monfortio Comitatus Tolosanus: Iudæis certus habitus est assignatus. Hæc Synodus omnium Europearum, quæ vnquam sunt habitæ, celeberrima.

178 Honorius III. Romanus, 1216 1227. 18. Martij.

Parisiense anno M. CCXXIII. cùm Philippus Augustus Meloduni in castro moritur, pridie Idus Iulij, tunc temporis erant Parisiis congregati Patres pro negotio Albigensium terminando, nimirum duo Archiepiscopi Guillelmus Rhemensis, & Galterus Senonensis, viginti Episcopi, Conradus etiam Cardinalis Portuensis Legatus, & in terrâ Albigensium sedis Apostolicæ Vicarius interfuerunt exequiis, vt & Ioannes Brennus Rex Hierosolymitanus.

Parisiense, Romanus Cardinalis Diaconus S. Mariæ in porticu, & Petrus Duacensis Cardinalis præfuerunt contra Albigenses, anno Christi M.CCXXV. paulò post extitit Albigensium finis, nam Raymundus iunior Comes Tolosanus Parisiis, anno M.CCXXIX. abiuratâ hæresi Albigensium, vt Legatus

Apoſtolicus reſtituit eum Eccleſiæ poſt publicam pœnitentiam peractam, cuius filia, & hæres coniuncta connubio Alphonſo Ludouici Regis fratri, pacem attulit, & finem bello Albigenſi.

Foxenſe, præfuit Romanus S. R. E. Legatus Cardinalis S. Angeli in loco apud S. Ioannem de Virginibus, tunc Diœceſis Toloſanæ, nunc Apamiarum ad abſoluendum ab hæreſi Albigenſium Rogerium Bernardum Comitem Fluſſatem, anno M. CCXXVI. hanc Synodum pro ſuâ ſingulari humanitate mihi indicauit nunquam ſatis laudandus Illuſtriſſimus Henricus Spondanus Apamiarum Præſul, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ alter Baronius.

Bituricenſe, eodem anno contra Albigenſes, Simone de Soliaco Metropolitano Bituricenſi Apoſtolico Legato, Cardinale tituli Sanctæ Cæciliæ: huic Simoni Patriarchæ confirmatur ius Primatiæ in Gerardum Burdegalenſem in C. final. de Maioritate, & obedientiâ.

Gregorius IX. Campanus,	1227	1241. 2. Martij.	179
Cæleſtinus IV. Mediolanenſis,	1241	1241. 8. Octobris.	180
Innocentius IV. Genuenſis,	1243	1254. 13. Decemb.	181

Fugit in Gallias ob furorem Imperatoris Friderici perpetuò Eccleſiam perſequentis, primo Genuam, deinde Galliam petit vnà cum Cardinalibus.

Lugdunenſe I. Oecumenicum XIII. contra Fridericum Imperatorem, qui non comparens excommunicatur, & imperio abdicatur vt Eccleſiæ hoſtis; præfuit Innocentius IV. menſe Iunij, anno M. CCXLV. De bello ſacro etiam actum; dati galeri muricati Cardinalibus ad exponendum caput, & ſanguinem pro Eccleſiâ Catholicâ Romanâ.

Alexander IV. Anagninus,	1254	1261. 25. Maij.	182

Copriniacenſe in Prouinciâ Burdegalenſi, præſide Petro Archiepiſcopo Burdegalenſi pro diſciplinâ Eccleſiaſticâ, anno MCCLX. ſunt typis mandati Canones; alia Synodus Copriniacenſis ſed particularis, & ſolius Diœceſis Burdegalenſis idibus Aprilis M. CCLV. celebrata à Gerardo Burdegalenſi, qui ſuas conſtitutiones Synodales edidit.

Vrbanus IV. Trecenſis,	1261	1264. 2. Octobris.	183
Clemens IV. Narbonenſis,	1264	1268. 29. Nouemb.	184

Vacat ſedes fere tres annos, quod non conuenirent Cardinales de futuro ſucceſſore, vnde Conclaue inuentum ad maturandam Pontificum electionem.

B. Gregorius X. Placentinus,	1271	1276. 10. Ianuarij.	185

Metenſe Henrico Archiepiſcopo Treuirenſi Metropolitano, circa annum M. CCLXXII. Guillelmo de Treignel Epiſcopo Metenſi, Roberto Virdunenſi, Ægidio Tullenſi.

Lugdunenſe II. Oecumenicum XIV. menſe Maio, anno MCCLXXIV. præfuit Gregorius, qui anno ſuperiore Lugdunum venerat honorificentiſſimè exceptus à Philippo Audaci S. Ludouici filio, & ſucceſſore, Concilium mille Patrum, ei adfuerunt Græci & Tartarorum Proceres, adfuit S. Bonauentura, Seraphicus Doctor rubro galero donatus, qui ibidem obiit, exequiæ à Papa peractæ, S. Thomas Doctor Angelicus Neapoli vocatus ad Concilium, obiit in itinere, in Monaſterio Ciſtercienſis ordinis: actum de terrâ ſanctâ recuperandâ, & contra errores Græcorum, qui tamen ſubſcri-

pserunt capitibus exhibitis, tam de Spiritu Sancto à Patre Filioque, vt vno principio procedente, quàm de primatu Ecclesiæ Romanæ; actum etiam de septem Imperij Electoribus, anno ante Concilium Lugdunense post longum tempus fuerat electus Rodolphus Comes Habspurgensis absens, tunc in obsidione Basileæ, qui conuenit Gregorium Pontificem Lausanæ, à quo confirmatur. Henricus Leodiensis Episcopus deponitur in hoc Concilio, & substituitur Ioannes d'Anguien, antea Tornacensis Antistes, Francorum Regis nepos, Doctor Theologus, & Stabulanus Abbas, qui ab Henrico prædecessore & depositointerficitur die XXIV. Augusti anno MCCXCI.

186	Innocentius V. Burgundus,	1276	1276. 22. Iunij.
187	Hadrianus V. Genuensis,	1276	1276. 18. Augusti.
188	Ioannes XX. aliis X X I Lusitanus,	1276	1277. 21. Maij.

Bituricense, Idibus Septembris anno M. CCLXXVI. pro disciplinâ Ecclesiasticâ celebratum, à Simone de Beaulieu, (postea Cardinale) Legato in Regno Franciæ, in ciuitate & Diœcesi Lugdunensi, vt fert diploma legationis, concessum à Gregorio Papâ X. Viennæ die VII. Calendas Octobris Pontificatus anno tertio. Citatur hæc Synodus à Concilio Vaurensi capite XV.

189	Nicolaus I I I. Romanus,	1277	1280. 22. Augusti.
190	Martinus I I. dictus IV. Turonensis,	1280	1285. 29. Martij.

Arelatensia duo Concilia Prouincialia interuallo duorum annorum, quibus sedi Arelatensi præfuit Bernardus Languisellus Cardinalis Archipræsul Arelatensis, ex Saxio in Pontificio Arelatensi.

191	Honorius I V. Romanus,	1285	1287. 3. Aprilis.
192	Nicolaus I V. Asculanus,	1288	1292. 4. Aprilis.

Auenionense Concilium Prouinciale, Almarino Archiepiscopo Arelatensi, ex eodem Saxio ibidem.

Viennense die XVIII. Octobris, S. Lucæ sacrâ, anno MCCXCIX. Guillelmo de Valentiâ Archiepiscopo Viennensi; interfuerunt Ioannes Valentinensis & Diensis, Hugo Viuariensis, Guillelmus Gratianopolitanus, & Aymo Maurinensis.

193	S. Celestinus V. Iserniensis,	1294	1294. 13. Decemb.

Eiurauit Summum Pontificatum, incensus amore Anachoreseos, sed incarceratur vsque ad obitum à successore Bonifacio.

194	Bonifacius V I I I. Anagninus,	1294	1303. 11. Octobris.

S. Ludouicum I X. Regem Francorum in Catalogum SS. Confessorum retulit Vrbe veteri, tertio Idus Augusti, anno Pontificatus tertio, Christi verò M CCXCVII.

Ansanum, Diœcesis Lugdunensis, anno M. CCXCIX. Berardo Archiepiscopo Lugdunensi fratre Clementis V. interfuit Bartolomæus Æduensis, & alij.

Compendiense, die Veneris post festum Circuncisionis, anno Christi MCCCIII. Roberto de Courtenay Metropolitano Rhemensi, Guidone Episcopo Suessionensi, in cuius Diœcesi est Compendium, nuncupatum Carolopolis, à Carolo Caluo fundatore Andrij SS. Cornelij & Cypriani; In-

terfuit

terfuit Guillelmus de Mascon Episcopus Ambianensis, & alij Suffraganei.
Benedictus X. dictus XI. Taruisinus, 1304 1304. 7. Iulij. 195
Clemens V. Burdegalensis, 1305 1314. 18. Aprilis. 196
Viennense Concilium Oecumenicum XV. anno MCCCXI. mense Octobri, durauit in sequentem annum, præside Clemente V. in præsentiâ trium Regum Philippi Pulchri Franciæ, Eduardi Angliæ, & Alphonsi Aragoniæ, ac Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni, Episcoporum centum quatuordecim; Suppressus est Templariorum ordo; & decretum de festo corporis Christi celebrando feriâ quintâ post Octauam Pentecostes. Professores linguarum Orientalium in Academiis sunt instituti pro Fide propagandâ; definitum etiam animam rationalem esse formam corporis per se, & essentialiter; Clement. vna de summâ Trinitate; Beguardi, Beguini, & Beguinæ extincti, & hæretici declarati.
Ioannes XXI. dictus XXII. Cadurcensis, 1316 1334. 4. Decemb. 197
Syluanectense, anno Christi MCCCXVII. Roberto de Courtenay Archiepiscopo Rhemensi, interfuit Guido de Bôloniâ Episcopus Tornacensis postea Cardinalis S. Cæciliæ, Angeramnus Morinorum Episcopus, aliique Suffraganei; Petrus Cameracensis, & Bernardus Atrebatensis miserunt Procuratores; Actum contra Dominos temporales, qui bona Ecclesiasticorum inuadebant, promulgatum est interdictum.
Tolosanum, à Ioanne omniũ primo Archiepiscopo, postea Cardinale S. Vitalis, congregatũ anno MCCCXIX. cùm mense Iunio, anno MCCCXVII. Sedes Tolosana antea Narbonensi subiecta, fuisset erecta in Archiepiscopalem, & septem Suffraganei attributi, Apamiensis, Mirapiensis, Montalbanensis, Vaurensis, S. Papuli, Riuensis, Lombariensis. Huic primo Concilio Tolosano interfuit Pilus Fortis Episcopus Apamiarum, postea Cardinalis S. Anastasię.
Benedictus XI. dictus XII. Tolosanus, 1334 1342. 27. Aprilis. 198
Auenionense, Guasberto Archiepiscopo Arelatensi præside, in Ecclesiâ S. Rufi extra muros Auenionenses, pro disciplinâ Ecclesiasticâ; alij duo Archiepiscopi interfuerunt, Bertrandus Deucius Ebredunensis, cum Suffraganeis, (quorum memoriam facimus libro nostro tertio in Bertrando Cardinale S. Mariæ) & Armandus Aquarum-sextiarum, cum Suffraganeis.
Clemens VI. Lemouicensis, 1342 1352. 6. Decemb. 199
Innocentius VI. Lemouicensis, 1352 1362. 12 Septemb. 200
Vrbanus V. Mimatensis, 1362 1370. 19. Decemb. 201
Vaurense Gaufrido Archiepiscopo Tolosano Metropolitano, Roberto Foxio Vaurensi Episcopo mense Iunio, anno MCCCLXVIII. pręfuit Petrus Narbonensis, Patres concesserunt in hoc Concilio Indulgentiam XL. annorum visitantibus quotannis Ecclesiam nuper erectam Vaurensem S. Alan; subscripserunt Petrus Primas, Sanctæ sedis Romanæ prouisione Narbonensis, Gaufridus eadem prouisione Tolosanẽsis Archiepiscopus, Philippus Abbas Soricinij Vicarius Generalis in spiritalibus, & temporalibus Reuerendissimi Patris in Christo Domini Arnaldi Archiepiscopi Auxitani, Bernardus Conuenarum, Petrus Lodeuensis, Robertus Vaurensis, Hugo Biterrensis, Ioannes Cadurcensis, Arnaldus Aletensis, Petrus Vasatensis, Guillelmus Lombariensis, Guillelmus Apamiarum, Otho Lescarensis.

202 Gregorius XI. Lemouicensis, 1370 1378. 26. Martij.

203 Vrbanus VI. Neapolitanus, 1378 1389. 15. Octobris.

Parisiensia duo Concilia vno anno, MCCCLXXIX. primum tertio Idus Septembres, secundum die XVI. Calendas Decembres; pars maior Episcoporum Ecclesiæ Galli anæ interfuit, ob Clementis VII. Roberti Gebennensis electionem, anno MCCCLXXVIII. contra Vrbanum VI. mordicùs Clementi adhæsit Gallia cum Scotiâ. Hæ duæ Synodi fuerunt celebratæ Ademaro Robert Senonensi Metropolitano, & Aymerico de Maignac Episcopo Parisiensi, postea Cardinale S. Eusebij.

204 Bonifacius IX. Neapolitanus, 1389 1404. 1. Octobris.

Parisiense, cui Rex Carolus VI. interfuit, cum maiori parte Episcoporum Galliæ contra Petrum de Lunâ Benedictum XIII. Antipapam, in eo depositum: verùm cedere noluit, habitum Concilium MCCCXCIV. Petro d'Orgemont Episcopo Parisiensi, & Petro de Dormans Senonensi Metropolitano.

205 Innocentius VII. Sulmonensis, 1404 1406. 6. Nouemb.

206 Gregorius XII. Venetus, 1406 1409

Depositus in Concilo Pisano, vt & Benedictus Petrus de Luna qui cedere noluerunt.

207 Alexander V. Cretensis, 1409 1410. 3. Maij.

Nonagenarius electus in Synodo Pisana, ordinis S. Francisci.

208 Ioannes XXII. dictus XXIII. Neapolitanus, 1410 1415.

Constantiense, Oecumenicum XV. incoeptum die V. Nouembris, anno MCCCCXIV. tres annos durauit, tollendi Schismatis gratiâ, occasione diuersorum Pontificum Ioannis, Gregorij, Benedicti; Ioannes Summus Pontifex præfuit, adfuit Sigismundus Imperator, qui electi Martini V. pedes deosculatur. Conuenerunt, quod mirum dictu, sexaginta hominum millia, adfuerunt XXIX. Cardinales, XLVII. Archiepiscopi, CLX. Episcopi, DLXIV. Coenobiarchæ & Doctores; Concilia Florentinum & Lateranense vltimum improbarunt hanc Synodum quoad sessiones initio Concilij habitas, quæ Concilium supra Papam determinabant; approbauit tamen Martinus V. quæ sunt in eo statuta, in vltimis sessionibus. Ioannes Hus Princeps Hussitarum, & Hieronymus de Praga artium liberalium Magister, Heresiarchæ damnati sessione vltimâ, & igne concremati, ille anno MCCCCXV. hic anno sequenti. In eadem Synodo Constantiensi definitum est hæreticum asserere tyrannum posse, & debere licitè & meritoriè occidi per quemcunque Vasallum, etiam per clanculares insidias, non obstante iuramento præstito, & non expectatâ iudicis sententiâ.

209 Martinus III. dictus V. Romanus, 1417 1431. 20. Februarij.

210 Eugenius IV. Venetus, 1431 1447. 23. Februarij.

Florentinum, Oecumenicum XVI. Ferrariæ incoeptum, die IX. Aprilis anno MCCCCXXXVIII. ob pestem, Florentiam translatum; durauit quindecim menses; præfuit Eugenius Pontifex, adfuit Ioannes VIII. Palæologus Græcorum Imperator, cum Demetrio fratre Peloponesi Principe, adfuere Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus, Bessarion Trapezuntinus Episcopus Nicænus, Isidorus Thessalonicensis Archiepiscopus Ruthenorum, hi duo creati Cardinales, viri græcè latinéque

doctissimi. Recepti à Græcis articuli de Purgatorio, de Processione Spiritûs Sancti à Patre Filióque, de Primatu Romanæ Ecclesiæ in vniuersum orbem: tempore huius Synodi celebratur Concilium Schismaticorum Basileense, ad quod citatur Eugenius, non comparens, indignus pronuntiatur & deponitur, in cuius locum eligitur Amedeus quondam primus Sabaudiæ Dux, postea Ripaliæ eremum ingressus, cui datum nomen Felicis V. post nouem annos cessit Nicolao V. Totus ferè orbis Eugenium recepit vt legitimum, & præ aliis Carolus VII. Rex Franciæ, quamuis antea pragmaticam sanctionem Basileensem suscepisset. Post Concilium Florentinum Græci redeunt ad vomitum, Marco Ephesino auctore.

Nicolaus V. Sarsanensis, 1447 1455. 24. Martij. 211

Andegauense, sic enim nominandum à loco, in quo est celebratum, non verò Turonense, vt aliqui nuncupant, anno Christi MCCCCXLVIII. Pro personis Ecclesiasticis reformandis, Ioanne Bernard Archiepiscopo Turonensi præside, Ioanne de Beauuau Episcopo Andegauensi; interfuêre Petrus Macloujensis Episcopus, Ioannes Cenomanensis, Guillelmus Nannetensis, Robertus Rhedonensis; alij Episcopi per Procuratores. Huius Concilij sunt XVII. capita; in primo. Quilibet Sacerdos singulis diebus non solemnibus dicat officium mortuorum ad minus cum tribus Lectionibus, maximè cum pro fidelibus Defunctis celebrabit: & in capite XIII. Insultationes, clamores, sonos, & alios tumultus fieri solitos in secundis, vel tertiis quorundam nuptiis, quos Chariuarium vulgo vocant, fieri omnino prohibemus sub excommunicationis sententiâ, & aliâ pœnâ arbitrariâ.

Lugdunense, Carolo Borbonio Archiepiscopo, anno MCCCCXLIX. Ad persuadendum Felici V. Antipapæ, vt Pontificatu, ob bonum pacis, se abdicet, quod fecit eodem anno, etiam rogatus à Friderico Imperatore, mortuus Cardinalis anno sequenti.

Calixtus III. Borgia Hispanus Valentinus, 1455 1458. 6. Augusti. 212

Suessionense, mense Iulio, anno Christi MCCCCLV. congregatum à Ioanne Iuuenale de Vrsinis Archiepiscopo Rhemensi pro disciplinâ Ecclesiasticâ restituendâ & abusibus tollendis. In quo Concilio orationem habuit Thomas de Courcellis Archidiaconus Gandauensis Doctor Theologus.

Veneticum in Britanniâ minore, pro celebrandâ Canonisatione, & sacro corpore leuando Sancti Vincentij Ferrerij ordinis Dominicani mense Iunio, anno Christi MCCCCLVI. peractâ Romæ anno præcedenti. In eum finem rogatu Petri II. Ducis Britanniæ & Franciscæ d'Amboise (quæ, mortuo marito, ingressa est Monasterium Sanctimonialium Carmelitanarum) missus Venetum Legatus à latere, Alanus de Coetiui Cardinalis Auenionensis, interfuêre Radulphus Rousset Archiepiscopus Rothomagensis, Laurentius de Faye Episcopus Abrincensis, Leo Guerinet Pictauiensis, Andreas de la Roche Lucionensis, Philippus Rouault de la Rouxeliere Maleacensis, Ioannes Bernard Archipræsul Turonensis Metropolitanus non adfuit morbo detentus, sed adfuêre omnes Suffraganei, Martinus Berruyer Cenomanensis, Ioannes de Beauuau Andegauensis, Iacobus Despinay Rhedonensis, Guillelmus de Malestroit

Nannetensis, F. Yuo de Pont-Sal Dominicanus Episcopus Vennetensis, Ioannes de Lesperuier Maclouiensis, Ioannes de Les-Preuez Corosopitensis, Radulphus de la Moussaye Dolensis, Ioannes de Coatquiz Trecorensis, Ioannes Regent Briocensis, Guillelmus Ferron Leonensis, Mathurinus de Leonnais Abbas S. Melanij Rhedonensis, & alij Cœnobiarchæ Armorici.

Auenionense, Petro Foxio Cardinale Archiepiscopo Arelatensi, & Legato Auenionensi, anno MCCCCLVIII. tunc Alaho de Coëtiui Episcopo Auenionensi Cardinale absente, in hoc Episcopatu Alani fuit successor Iulianus Roboreus ex Carnotensi, qui curauit sedem Auenionensem erigi in Metropolitanam à Sixto IV. Patruo.

Pius II. Æneas Siluius, 1458 1464. 4. Augusti.

213 Paulus II. Venetus, 1464 1471. 25. Iulij.

214 Sixtus IV. Sauonensis, 1471 1484. 12. Augusti.

215 Innocentius VIII. Genuensis, 1484 1492. 25. Iulij.

216 Alexander VI. Valentinus, 1492 1503. 18. Augusti.

217 Pius III. Senensis, 1503 1503. 18. Octobris.

218 Iulius II. Sauonensis, 1503 1513. 21. Februarij.

219 Lateranense V. Oecumenicum XVII. inchoatum, anno MDXII. præfuit Pontifex Iulius II. postea Leo X. Florentinus, finem accepit die XVI. Martij MDXVII. contra Pisanum Conuenticulum; etiam pro expeditione in Turcas, quorum potentia in dies crescebat: cuius occasione Cruciatam, & Indulgentias curauit publicari Leo Pontifex in Germaniâ, cùm autem non esset demandata Prouincia ab Alberto Moguntino Archiepiscopo illarum publicandarum Martino Luthero, & suis Augustinianis, sed Ioanni Tetzellio Dominicano, ipse Lutherus cœpit debacchari in Indulgentias & Pontificem, vnde fuit postea excommunicatus à Leone, & scripta damnata anno MDXX. etiam combusta; Ipse verò ius Canonicum, & Bullam Pontificiam suæ damnationis publicè cremauit Vitembergæ, defensus in omnibus à Friderico Electore Saxoniæ. Hoc Lateranensi Concilio, reprobatum Basileense Sessione XI. & Pisanum Conciliabulum Sessione II. & III.

Leo X. Florentinus, 1513 1521. 2. Decemb.

220 Hadrianus VI. Traiectensis, 1521 1523. 14. Septemb.

221 Præceptor Caroli V. Imperatoris, non mutauit nomen, vt alij Pontifices.

Clemens VII. Florentinus, 1523 1534. 25. Septemb.

222 Senonense, potius Parisiense nuncupandum à locô, die XX. Februarij, anno Christi MDXXVIII. contra hæreses Lutheranas, habetur tomo IV. Conciliorum, præside Antonio du Prat Archiepiscopo Senonensi Cardinale S. Anastasiæ & Franciæ Cancellario, Lutetiæ fuit celebratum, Francisco de Poncher Episcopo Parisiensi.

Viennense, pro disciplinâ Ecclesiasticâ, Petrus Palmerius Archiepiscopus Viennensis præfuit, anno MDXXXIII. interfuerunt Ioannes Valentiniensis, Hugo Viuariensis, Guillelmus Geneuensis.

Paulus III. Romanus, 1534 1549. 2. Nouemb.

223 Tridentinum Oecumenicum XVIII. sub Paulo III. anno Christi MDXLV. die

XIII. Decembris incœptum,& MDLXIII sub Pio IV. finitum die IV. Decembris, contra Lutheranos & Caluinistas, & ad mores Cleri reformandos, præsidibus tribus Legatis Pontificiis Cardinalibus. Definitum in hac Synodo Sessione XXIV. clandestinata matrimonia esse nulla, sed vt sint valida, fieri debere coram parocho,& duobus saltem testibus.

Iulius III. Aretinus,	1550	1555. 23. Martij.	224
Marcellus II. Politianus.	1555	1555. 1. Maij.	225
Paulus IV. Neapolitanus,	1555	1559. 18. August.	226
Pius IV. Mediolanensis,	1559	1565. 10. Decemb.	227
B. Pius V. Alexandrinus,	1566	1572. 1. Maij.	228
Gregorius XIII. Bononiensis,	1572	1585. 10. April.	229

Rothomagense Concilium, Carolo Cardinale Borbonio seniore Archiepiscopo Rothomagensi, pro moribus reformandis & disciplinâ Ecclesiasticâ iuxta Synodum Tridentinam, anno Christi MDXXCI. interfuit Claudius de Sainctes ordinis Augustiniani Doctor Theologus insignis(qui claruit in Synodo Oecumenicâ Tridentinâ) Episcopus Ebroicensis, hoc Concilium Rothomagi habitum descripsit Georgius Pericard Abrincensis, Bernardus à Sancto Francisco Baiocensis,hoc anno Concilij obiit, Artus Cossæus de Brissac Constantiensis, Ioannes de Vasses Lexouiensis,Ludouicus du Moulinet Sagiensis.

Rhemense,mense Maio anno Christi MDXXCIII. De Sacramentis & morum reformatione secundùm normam Concilij Tridentini ; quædam sunt editæ Constitutiones pro Regularibus, præfuit Ludouicus à Lotharingiâ Cardinalis de Guise Archiepiscopus Rhemorum, nondum pallio accepto, ex indulgentiâ, & concessione Gregorij XIII. Summi Pontificis ; ita subscripserunt,Nos L. Cardinalis à Guisiâ Archiepiscopus Rhemensis, definientes subscripsimus. Ego Carolus de Roucy Episcopus Suessionensis subscripsi. Ego Valentinus du Glas Episcopus Laudunensis subscripsi. Ego Nicolaus Fumée Episcopus Bellouacensis subscripsi. Ego Cosmus Clausse Episcopus Catalaunensis subscripsi. Ego Claudius Episcopus Nouiomensis subscripsi. Ego Geofridus Martonius Episcopus Ambianensis subscripsi. Ego L. de Creil Procurator Reuerendissimi Episcopi Syluanectensis eius nomine interfui, approbaui & subscripsi. Futurum Concilium Patres indixerunt in ciuitate Suessionensi Dominicâ secundâ post Pascha celebrandum, anno Christi MDXXCVI. quod tamen occasione bellorum ciuilium non fuit celebratum.

Burdegalense, anno eodem MDXXCIII. Antonio Preuost de Sansac Archiepiscopo,pro disciplinâ Ecclesiasticâ,interfuerunt Godefridus de Sainct Belin Pictauiensis, Nicolaus de la Courbe Santonensis, Franciscus de Bourdeilles Petragoricensis, Ianus Fregosius Agennensis,& alij Suffraganei.

Turonense anno eodem, præside Simone de Maillé Archipræsule Turonensi, ad reformandos mores & disciplinam Ecclesiasticam restituendam ; adfuerunt Guillelmus Ruzé Andegauensis, Carolus d'Angennes Rambouillet Cenomanensis,Aymarus Hennequin Rhedonensis, Philippus du Bec Nannetensis, Ludouicus de la Haye Venetensis, Nicolaus Langelier

Briocensis, Franciscus de la Tour Corosopitensis, Rolandus de Neuuille Leonensis, qui in eo Episcopatu quinquaginta & vnum annos permansit, Baptista le Grãs Trecorensis, Franciscus Thomé Maclouiensis, Carolus Despinay Dolensis.

Bituricense Reginaldo de Beaune Archiepiscopo, & Patriarcha Bituricensi Primate Aquitaniæ conuocante, & præsidente, mense Septembri anno MDXXCIV. pro reformatione morum & disciplinâ Ecclesiasticâ: interfuêre Antonius de S. Nectario, *Sennetaire* Episcopus Claromontanus, Franciscus de Corneliano Rutenensis, Ioannes de l'Aubespine Lemouicensis, Antonius Ebrardus Sulpitius Cadurcensis, Ioannes de Fosse Doctor Theologus Parisiensis Episcopus Castrensis, qui obiit omnium Europæ Episcoporum antiquissimus. Flotardus de Genoilhac Tullensis, Petrus de la Baume Floriensis, Antonius de Sennetaire Podiensis, N. Vabrensis, Adam de Heurteloup Abbas loci restaurati Procurator Episcopi Mimatensis, & Capituli, postea Episcopus Mimatensis, Matthæus Toscanus Procurator Iuliani Medicei Episcopi Albiensis.

230 Sixtus V. de Montealto, 1585. 1590. 27. Augusti.

Aquense, Alexandro Canigiano Archiepiscopo Aquensi mense Septembri, anno Christi MDXXCV. de rebus Fidei, de cæremoniis Ecclesiæ, ac morum reformatione; ita subscripserunt Patres. Nos Alexander Canigianus Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Aquensis, de consilio & consensu Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorum definientes subscripsimus. Ego Petrus Paparinus de Calidomonte Episcopus, Comes, & Dux Vapincensis consentiens subscripsi. Ego Elzias Rastelis Episcopus Regensis consentiens subscripsi. Ego Antonius de Cuppis Episcopus Cistaricensis consentiens subscripsi. Ego Helsias Massonus Procurator Reuerendissimi Domini Episcopi Foroiuliensis eius nomine interfui & subscripsi. Hæc Synodus fuit approbata à sede Apostolicâ, & typis edita Parisiis anno eodem.

Tolosanum, mense Maio, anno Christi MDXC. Francisco de Ioyeuse Cardinale & Archiepiscopo Tolosano præside, pro disciplinâ Ecclesiæ & moribus reformandis, secundum Synodi Tridentinæ decreta. Interfuêre Bertrandus Parron Apamiensis, Petrus de Donnaud Religiosus Benedictinus, & Doctor Parisiensis, Episcopus Mirapicensis, N. Montalbanensis, Horatius Biragus Vaurensis, Alexander de Burdis Florentinus Episcopus S Papuli, Ioannes Baptista Bufgius Riuensis, Petrus de l'Ancrau Lombariensis.

231	Vrbanus VII. Romanus,	1590	1590. 27. Septemb.
232	Gregorius XIV. Mediolanensis,	1590	1591. 15. Octobris.
233	Innocentius IX. Bononiensis,	1591	1591. 29. Decemb.
234	Clemens VIII. Florentinus,	1592	1605. 3. Martij.
235	Leo IX. Florentinus,	1605	1605. 27. Aprilis.
	Paulus V. Romanus,	1605	1621. 28. Ianuarij.

Parisiense, die XIII. Martij, anno Christi MDCXII. Iacobo Dauy Perronio Cardinale Archiepiscopo Senonensi Metropolitano, pro condemnando libello auctoris anonymi De Ecclesiasticâ & politicâ potestate edito

contra Summum Pontificem. Interfuêre Henricus de Gondy Parisiensis, Franciscus de Donnadieu Antissiodorensis, Ioannes de Vieux-Pont Meldensis, Gabriel de l'Aubespine Aurelianensis, Renatus de Brelay Trecensis, Eustachius du Lys Niuernensis, Philippus Hurault Carnotensis.

Aquense, die XXIV. Maij, anno eodem pro censurâ edendâ eiusdem libelli de Ecclesiasticâ & politicâ potestate, præside Paulo Hurault de l'Hospital Archiepiscopo Aquensi & Metropolitano, Carolo Regiensi, Bartholomæo Foroiuliensi, Tussano Cistaricensi.

Gregorius XV. Bononiensis, 1621 1623. 8. Iulij. 2,6

Vrbanus VIII. Florentinus, 1623. quem Deus æternùm beet. 237

Burdegalense, mense Septembri, anno Christi MDCXXIV. de reformatione & Iurisdictione Ecclesiasticâ, præfuit Franciscus de Sourdis Cardinalis S. Praxedis Archiepiscopus Burdegalensis & Aquitaniæ Primas. Interfuerunt Antonius Engolismensis, Claudius Agennensis, Henricus Ludouicus Pictauiensis, Franciscus Petragoricensis, Michaël Santonensis, Henricus Maleacensis, Emericus Lussonensis Episcopi.

CONCILIA PRÆTERMISSA.

Apud Airiacum Synodus in pago Antissiodorensi, eam congregante Roberto Rege circa annum MXII. adfuerunt Leotericus Senonensis, & Goslinus Bituricensis Archiepiscopi, Episcopi & Abbates: è variis locis & vicinioribus allata sunt Sanctorum corpora; In eo Concilio multa fuêre statuta Ecclesiarum statui profutura. Ex Chronico Antissiodorensi.

Apud Exoldunum Castrum Synodus in Biturigibus, anno MXXCI. celebrata; ex eodem Chronico.

Meldense Concilium, defuncto Episcopo Meldensi, Hugo Diensis Episcopus & Apostolicæ sedis Legatus, anno Christi MXXCII. celebrauit, Robertum Ecclesiæ Resbacensis Abbatem Episcopum inaugurauit; quod Richerius Senonensis Archiepiscopus sine assensu suo & præsentiâ fieri indignans, eundem Robertum excommunicauit, aliúmque postea eius loco Episcopum ordinans subrogauit.

Tolosanum, Amelino Episcopo Tolosate celebratum, contra Hæreticos damnantes Sacramentum Eucharistiæ, Baptismi, Ordinis Calixto II. Summo Pontifice VI. Iunij anno MCXIX. Dalmatio Narbonensi.

Aliud Tolosæ Concilium, à Legatis Calixti II. habitum, in quo damnati ficti quidam Religiosi qui plures hæreses publicè, & secretò disseminabant, & maximè contra Sacramenta, & bona Ecclesiarum.

Parisiense conuocatum ab Octauiano Cardinale Episcopo Ostiensi sedis Apostolicæ Legato, anno Christi MCCI. in quo arguitur Euraudus miles terræ Henrici Niuernensis Comitis, Hugone Antissiodorensi Episcopo contra eum insistente: conuincitur Euraudus brachióque seculari traditur, datus postea Comiti Niuernensi comburendus Niuerni.

Bituricense, à Roberto Cardinale S. Stephani conuocatum, anno MCCXV. hic Cardinalis biennio Galliam peragrauit ob Albigenses: aliqui Franciæ Episcopi noluerunt interesse, Roberto ob vitam exoso, ad Pontificem scripserunt.

CATALOGVS OMNIVM SYNODORVM GALLICANARVM VETERVM, ET RECENTIVM.

CONCILIA.

ABRINCENSE anno 1172
Agathense anno 506
Apud Airiacum, anno 1012
Albiense anno 1176
Andegauense I. an. 453. ij. an. 1448
Andelanense anno 587
Aniciense anno 1130
Ausanum I. anno 1025. ij. Vrbano II. Pontifice III. anno 1299
Antissiodorense I. anno 578. ij. anno 1147
Aquense I. anno 1585. ij. anno 1612
Aquisgranense anno 862
Arausicanum I. anno 412. ij. anno 529
Arelatense I. anno 314. ij. anno 353. iij. anno 452. IV. anno 455. V. anno 475 VI. anno 524. VII. anno 554. viij. anno 813. IX. & X. anno 1280
Aruernense I. anno 535. ij. anno 549. iij. anno 588
Attiniacense I. anno 765. ij. anno 822. iij. anno 870
Auenionense I. anno 1080. ij. anno 1288. iij. anno 1334. IV. anno 1457
Augustodunense I. anno 670. ij. anno 1055. iij. anno 1094
Aurelianense I. anno 511. ij. anno 531. iij. anno 538. IV. anno 541. V. anno 549. VI. anno 645. vij. anno 767. viij. anno 1017. IX. anno 1029
Baugenciense I. anno 1104. ij. anno 1151
Beluacense I. anno 845. ij. anno 1034 iij. anno 1114. IV. anno 1161
Biterrense anno 356
Bituricense I. anno 1034. ij. anno 1225. iij. anno 1226. IV. anno 1276. V. anno 1584
Brennacense anno 580
Burdegalense I. anno 385 ij. anno 1079. iij. anno 1583. IV. anno 1624
Cabilonense I. anno 579. ij. anno 603. iij. anno 650. IV. anno 813. V. anno 839. VI. anno 873. vij. anno 887. viij. anno 915. IX. anno 1072
Calense Gregorio V. Pontifice.
Carilocense anno 926
Carisiacense I. anno 848. ij. anno 857
Carnotense anno 1146
Carpentoracense anno 527
Catalaunense anno 1115
Claromontanum I. anno 1095. ij. anno 1130. iij. anno 1161
Clipiacense anno 659
Compendiense I. anno 757. ij. anno 835. iij. anno 1303
Copriniacense anno 1260
Diuionense anno 1199
In villa Duria I. anno 761. ij. anno 775
Ducianense I. anno 871. ij. anno 874

Apud

Apud S. Dionysium I. an. 768. II. anno 834
Epaonense anno 517
Floriacense anno 1107
Foxense anno 1226
Genauense anno 772
Gentiliacense anno 767
Gisortianum anno 1188
In villa Hollonia anno 843
Iotrense anno 1132
Laudunense anno 948
Lauriacense anno 843
Lemouicense I. an. 1029. II. an. 1034.
Lingonense I. an. 859. II. an. 1080
Lugdunense I. anno 475. II. anno 567. III. anno 583. IV. anno 1054. V. anno 1080. VI. anno 1245. Oecumenicum. VII. anno 1274. Oecumenicum. VIII. anno 1449
Apud S. Macram I. an. 881. II. an. 935
Magalonense I. an. 894. II. an. 1214
Mantalense anno 879
Matisconense I. an. 581. II. an. 585. III. an. 627
Ad Matronam Fluuium, an. 962
Meldense I. an. 845. II. an. 1080. III. an. 1082
Metense I. anno 590 II. anno 753. III. anno 859. IV. anno 863. V. an. 888. VI. anno 1272
Apud Montem S. Mariæ an. 983
Mosomense I. an. 948. II. an. 995
Nannetense I. an. 658. II. an. 900. III. an. 1125. IV. an. 1264
Narbonense anno 589
Nemausense I. S. Damaso Pontifice II. an. 886. III. an. 897
Nemetodorense anno 591
Niuernense anno 763
Nouiomense anno 814. II. an. 1344
Parisiense I. anno 362. II. anno 555. III. anno 557. IV. anno 573 V. anno 577. VI. anno 615. VII. anno 824. VIII. anno 846. IX. anno 847. X. anno 1059. XI. anno 1147. XII. anno 1179. XIII. anno 1186. XIV. anno 1201. XV. anno 1223. XVI. an. 1225. XVII. & XVIII. an. 1379. XIX. anno 1394. XX. an. 1612
Pictauiense I. an. 587. II. an. 590. III. an. 1100. IV. anno sub Paschale II.
Pontigonense anno 876
Ratisbonense an. 792. supplicantibus Galliæ Episcopis.
Regense anno 439
In villa Regia anno 685
Rhedonense anno 1069
Rhemense I. an. 630. II. an. 813. III. an. 923. IV. an. 975. V. an. 994. VI. anno 995. VII. an. 1049. VIII. an. 1085. IX. an. 1109. X. an. 1115. XI. an. 1119. XII. an. 1131. XIII. an. 1158. XIV. an. 1240. XV. an. 1583

Rothomagense I. an. 682. II. an. 1072. III. an. 1107. IV. an. 1118. V. anno 1186. VI. an. 1581
Santonense I. an. 563. II. an. 579
Sauriacense an. 589
Senonense I. an. 992. II. an. 1048. III. an. 1080. IV. an. 1117. V. an. 1198. VI. an. 1240. VII. an. 1528
Stampense I. an. 1048. II. an. 1092. III. an. 1112. IV. an. 1130
Stramiacense Greg. IV.
Suessionense I. an. 744. II. an. 853. III. an. 866. IV. an. 941. V. anno 1078. VI. an. 1094. VII. an. 1201. IX. an. 1455
Syluanectense I. an. 863. II. an. 873. III. an. 1317
Taurinense an. 397. pro rebus Galliæ.
Apud Theodonis villam I. an. 821. II. an. 835. III. an. 844
Ad Castellum Theodorici I. an. 933. II. an. 953
Tolosanum I. an. 406. II. Steph. 5. III. an. 1056. IV. an. 1090. V. an. 1119. VI. an. 1317
Trecense I. an. 867. II. an. 878. III. an. 1104. IV. an. 1107. V. an. 1114. VI. 1127
Tournusianum I. an. 944. II. an. 1117
Trosleianum I. an. 900. II. an. 924. III. an. 927
Tullense I. S. Vigilio Pontifice. II. an. 855. III. an. 860
Turonense I. an. 461. II. an. 567. III. an. 813. IV. an. 849. V. an. 1055. VI. an. 1096. VII. an. 1163. VIII. an. 1583.
Valentinum I. an. 374. II. an. 584. III. an. 855. IV. an. 890
Vasense I. an. 442. II. an. 529.
Vaurense anno 1368
Veneticum in Britanniâ Armoricâ I. an. 465. II. an. 1456
Vermeriense I. an. 752. II. an. 853. III. an. 869
Vernense I. an. 755. II. an. 844
Vezeliacense an. 1045
Viennense I. an. 892. II. an. 1112. III. an. 1119. IV. an. 1289. V. an. 1311. Oecumenicum. VI. an. 1533
Virdunense anno 947
Vormatiense an. 781. pro rebus Galliæ.

IN APPENDICE AD GALLIAM PVRPVRATAM.

Andegauense an. 1269. aliud anno sequenti.
Apud Castrum Gonterij I. an. 1221. II. an. 1232. III. an. 1235. IV. an. 1253. V. an. 1268. VI. an. 1336
Compendiense an. 1329. Nannetense an. 1264. Nouiodunense an. 1344
Rhedonense an. 1263. Apud Roffiacum in Pictauis an. 1326
Salmuriense I. an. 1253. II. an. 1276
Turonense an. 1236. aliud 1239. aliud 1282. aliud 1315. aliud 1510
Apud Vallem Guidonis an. 1242

INDEX I. CVM SVMMORVM PONTIFICVM, TVM OMNIVM GALLIÆ Cardinalium ordine temporis descriptorum.

LIBER PRIMVS.

Summi Pontifices è Galliâ oriundi.

LIBER SECVNDVS.

Cardinales Sedem Auenionensem præcedentes.

LIBER TERTIVS.

Cardinales Sedis Auenionensis.

INDEX ANTIPONTIFICVM ET CARDINALIVM E GALLIA ORIVNDORVM

in illo triginta nouem annorum Schismate creatorum.



LIBER QVARTVS.

Cardinales sedem Auenionensem subsequentes.

SCISMA FELICIS V. AMEDEI CONTRA EVGENIVM IV.

HACTENVS DE SCHISMATE.

INDEX II. PONTIFICVM, ET CARDINALIVM ORDINE ALPHABETICO

SVMMI PONTIFICES.



CARDINALES.

INDEX III. CARDINALIVM, PRÆSVLVM IN QVOLIBET EPISCOPATV ARCHIEPISCOPI.

Aquenses, seu Aquarum sextiarum; Ecclesia S. Saluatoris.



ETRVS du Pré Cardinalis S. Prudentianæ, Ioanne XXII. an. 1320
Petrus Aureolus Cardinalis, Ioanne XXII. an. 1327
Guillelmus Philasterius Cardinalis S. Marci, Ioanne XXII. an. 1411
Alphonsus du Plessis de Richelieu Cardinalis Lugdunensis, Vrbano VIII. an. 1629

Arelatenses ad Rhodanum, Gallula Roma; Ecclesia S. Trophimi.

Bertrandus à S. Martino Cardinalis Sabinus, Gregorio X. an. 1273.
Bernardus de Languisello Cardinalis Portuensis Martino IV. an. 1281.
Arnaldus de Falqueriis Cardinalis Sabinus, Clemente V. an. 1310.
Stephanus de Gardiâ Cardinalis SS. Syluestri & Martini, Clemente VI. an. 1342.
Guillelmus de Gardiâ Cardinalis, Innocentio VI. an. 1360.
Petrus du Cros Cardinalis, Clemente VII. Gebennensi an. 1383.
Ioannes de Embroniaco Cardinalis Viuariensis, Alexandro V. an. 1409.
Petrus senior Cardinalis de Foix Martino V. an. 1417.
B. Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatensis Martino V. an. 1426.
Philippus Cardinalis de Leuis, Sixto IV. an. 1473.

Auenionenses ad ripam sinistram Rhodani; Ecclesia S. Mariæ de donis.

Guillelmus de Mandagot Cardinalis Prænestinus, Clemente V. an. 1312
Iacobus de Viâ Cardinalis SS. Ioannis & Pauli, Ioanne XXII. an. 1316.
Arnaldus de Viâ Cardinalis S. Eustachii, Ioanne XXII. an. 1367.
Angelicus Præsul Auenionensis Cardinalis S. Petri ad vincula, Vrbano V. anno 1366
Faiditus d'Agr-Fueille Cardinalis SS. Syluestri & Martini in montibus, Clemente VII. Gebennensi an. 1385.
Iacobus Deüsa Cadurcensis, Pontifex Ioannes XXII. an. 1316.
Simon de Cramaud Cardinalis Pictauiensis, Ioanne XXIII. an. 1413.
Alanus Cardinalis de Coëtiui Nicolao V. an. 1448.
Georgius Cardinalis d'Armagnac, Paulo VI. an. 1594.

Augustæ Ausciorum, non longè ab Elusâ olim Metropoli; Ecclesia Deiparæ.
Ioannes Flandrin diœcesis Viuariensis, Clemente VII. an 1390.
Ioannes Armeniacus nothus Benedicto XIII. an. 1409
Philippus Cardinalis Alenconius, Vrbano VI. an. 1388.
Philippus Cardinalis de Leuis, Sixto IV. an. 1473.
Ioannes de la Trimoüille Cardinalis Auxitanus, Iulio II. an. 1506.
Franciscus Cardinalis de Tournon, Clemente VII. an. 1530.

Bituricenses, Auaricum Biturigum; Ecclesia S. Stephani.

Henricus de Sully Cardinalis Bituricensis, Vrbano III. an. 1186.
Simon de Sully Cardinalis S. Cæciliæ, Gregorio IX. an. 1232.
Simon de Beaulieu Cardinalis Episcopus Prænestinus, Cœlestino V. anno 1292
Ægidius Columna Cardinalis, Bonifacio VIII. an. 1300.
Reginaldus de la Porte Cardinalis SS. Nerei & Achillei, Ioanne XXII. an. 1320.
Petrus d'Estain Cardinalis Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim, Vrbano V. an. 1369.
Bertrandus de Chanac Cardinalis Hierosolymitanus, Gregorio XI. anno 1371.
Petrus du Cros Cardinalis, Clemente VII. Gebennensi, an. 1383.
Antonius Cardinalis Bohier, Leone X. an. 1517.
Franciscus Cardinalis de Tournon, Clemente VII. an. 1530.

Burdegalenses Biturigum Vibiscorum ad Garumnam Aquitaniæ secundæ Metropolis; Ecclesia S. Andreæ.

Bertrandus de Gouth Burdegalensis postea Pontifex Clemens V. an. 1305.
Arnaldus Frigerius Cardinalis S. Martini, Clemente V. an. 1305.
Petrus senior Cardinalis de Foix, Martino V. an. 1417.
Carolus I. Cardinalis Borbonius, Sixto IV. an. 1476.
Andreas d'Espinay Cardinalis Burdegalensis, Innocentio VIII an. 1489.
Gabriel Cardinalis de Grammont, in eo Carolus frater successor, Clemente VII. an. 1530.
Ioannes Cardinalis du Bellay sacri Collegij Decanus, Paulo III. an. 1535.
Franciscus Cardinalis de Sourdis, Clemente VIII. an. 1599.

Cameracenses ad Scaldim fluuium, Ecclesia Deiparæ antea sub Rhemensi Archiepiscopo in 2. Belgicâ.

Guido de Boloniâ Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, Clemente VI. an. 1342.
Robertus Gebennensis, postea Clemens VII. Pontifex, an. 1378.
Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, Ioanne XXIII. an. 1411.

Ebredunenses ad Druentiam fluuium; Ambronum ciuitas, Ecclesia Deiparæ.

Bertrandus Deucius Cardinalis sancti Marci, Benedicto XII. an. 1337.
Pastor d'Aubenas Minorita Cardinalis SS. Marcellini & Petri, Clemente VI. an. 1350.
Petrus de Soreenats Cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tyberim, Clemente VII. Gebennensi, an. 1378.
Franciscus Cardinalis de Tournon, Clemente VII. an. 1530.

Lugdunenses Segusiani ad confluentem Araris & Rhodani; Ecclesia Sancti Ioannis, olim Sancti Stephani.

Hugo Diensis Cardinalis, Alexandro II. an. 1070.

Petrus Tarentasiensis primus è Prædicatorum Ordine Pontifex, Innocentius V. an. 1276.

Hugo Seguin Cardinalis de Billon, Nicolao IV. an. 1288.

Berardus de Gouth Cardinalis Albanus, Cœlestino V. anno Christi 1294.

Guido de Boloniâ Cardinalis S. Cæciliæ, Clemente VI. an. 1342.

Ioannes de Talaru Cardinalis Archiepiscopus Lugdunensis, Clemente VII. Gebennensi, an. 1389.

Amedeus de Talaru Cardinalis, Felice V. Amedeo, an 1440.

Carolus primus Cardinalis Borbonius, Sixto IV. an. 1476.

Andreas d'Espinay Cardinalis Burdegalensis, Innocentio VIII. an. 1489.

Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.

Franciscus Cardinalis de Tournon, Clemente VII. an. 1530.

Dionysius Simon Cardinalis de Marquemont, Vrbano VIII. an. 1626.

Alphonsus du Plessis de Richelieu Cardinalis Lugdunensis, Vrbano VIII. an. 1629.

Narbonenses ad exitum Atacis fluuij in mare mediteraneum; Ecclesia S. Iusti.

Guido Grossus è Sancto Ægidio Pontifex, Clemens IV. an. 1265.

Petrus le Iuge Cardinalis Narbonensis, Gregorio XI. an. 1375.

Guillelmus Brissonetus Cardinalis Maclouiensis, Alexandro VI. an. 1495.

Georgius Cardinalis d'Amboise, Alexandro VI. an. 1498.

Franciscus de Castelnau Cardinalis de Clermont, Iulio II. an. 1503.

Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.

Franciscus sacri Collegij Decanus Cardinalis de Ioyeuse, Gregorio XIII. an. 1583.

Parisienses antea Episcopi, vrbs Lutetia; Ecclesia Deiparæ.

Gualo Cardinalis, Paschale II. an. 1104.

Petrus de la Forest Cardinalis SS. XII. Apostolorum, Clemente VI. an. 1350

Androinus Albert Cardinalis Magalonensis. Innocentio VI. an. 1353.

Stephanus de Poissy Cardinalis Sancti Eusebij, Vrbano V. an. 1365.

Haymericus de Magnac Cardinalis Sancti Eusebij, Clemente VII. Gebennensi, an. 1385.

Ioannes de la Rochetaillé Cardinalis Rothomagensis, Martino V. an. 1426

Dionysius du Moulin Cardinalis, Felice V. Amedeo, an. 1440.

Ioannes Cardinalis du Bellay sacri Collegij Decanus, Paulo III. an. 1535.

Petrus Cardinalis de Gondy, Sixto V. an. 1587.

Henricus de Gondy Cardinalis de Rets, Paulo V. an. 1618.

Rhemenses seu Duro cortori Rhemorum; Ecclesia Deiparæ.

Gerbertus Aurilacensis postea Pontifex, Syluester II. an. 998.

Guillelmus ad Albas manus Cardinalis Blesensis, Alexandro VI. an. 1179.

Guido Paré Cardinalis Prænestinus, Clemente III. an. 1190.

Guillelmus de Tria Cardinalis, Ioanne XXII. an. 1316.

Simon de Cramaud Cardinalis Pictauiensis, Ioanne XXIII. an. 1413.

Reginaldus de Chartres Cardinalis Rhemensis, Eugenio IV. an. 1439.

Guillelmus Briſſonet Cardinalis Maclouienſis, Alexandro VI. an. 1495.
Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.
Carolus I. Cardinalis Guiſianus, nuncupatus à Lotharingiâ, Paulo III. an. 1547.
Nicolaus Cardinalis de Pelleué, Pio V. an. 1570.
Ludouicus II. Cardinalis à Guiſia, Gregorio XIII. an. 1578.
Ludouicus III. Cardinalis à Guiſia, Paulo V. an. 1615.

Rothomagenſes ad Sequanam; Eccleſia Deiparæ.

Petrus de Colmieu Cardinalis Albanus, Innocentio IV. an. 1245.
Nicolaus de Beſſe Lemouicenſis Cardinalis Sanctæ Mariæ in Via latâ, Clemente VI. an. 1343.
Petrus de la Foreſt Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum, Clemente VI. an. 1350.
Petrus du Cros Cardinalis SS. Syluestri & Martini, Innocentio VI. 1356.
Petrus le Iuge Cardinalis Narbonenſis, Gregorio XI. an. 1374.
Petrus Rogerius Lemouicenſis, Pontifex Clemens VI. an. 1342.
Philippus Cardinalis Alenconius, Vrbano VI. an. 1388.
Ioannes de la Rochetaillé Cardinalis Rothomagenſis, Martino V. an. 1426.
Ludouicus Cardinalis de Luxembourg, Eugenio IV. an. 1439.
Guillelmus d'Eſtouteuille Cardinalis Rothomagenſis, Eugenio IV. an. 1439
Georgius Cardinalis d'Amboiſe, Alexandro VI. an. 1498.
Georgius II. Cardinalis d'Amboiſe primas Neuſtriæ, Paulo III. an. 1546.
Carolus II. Cardinalis Vindocinenſis dictus poſtea Borbonius, Paulo III. an. 1547.
Carolus III. Cardinalis Vindocinenſis dictus poſtea Borbonius, Gregorio XIII. an. 1583.
Franciſcus Cardinalis de Ioyeuſe ſacri Collegij Decanus, Gregorio XIII. an. 1583.

Senonenſes, ſeu Agendici ad Ionam; Eccleſia S. Stephani.

Guillelmus ad Albas-manus Cardinalis Bleſenſis, Alexandro III. an. 1179.
Ademarus Robert Cardinalis Sanctæ Anaſtaſiæ, Clemente VI. an. 1342.
Petrus Rogerius Lemouicenſis, poſtea Pontifex, Clemens VI. an. 1342.
Ludouicus Cardinalis de Bourbon, Leone X. an. 1517.
Antonius Cardinalis du Prat, Clemente VII. an. 1527.
Ludouicus I. Cardinalis à Guiſia, Iulio III. an. 1553.
Ioannes Bertrandus Cardinalis Senonenſis Franciæ Procancellarius, Paulo IV. an. 1557.
Nicolaus Cardinalis de Pelleué, Pio V. an. 1570.
Iacobus Dauy Cardinalis du Perron Magnus Franciæ Eleemoſynarius, Clemente VIII. an. 1604.

Toloſani ad Garumnam; Eccleſia S. Stephani.

Gallardus de la Motte-Preſſage Cardinalis S. Luciæ, Ioanne XXII. an. 1316
Ioannes primus Toloſanus Archiepiſcopus Cardinalis Conuenarum, Ioanne XXII. an. 1327.
Raymundus de Canillac Cardinalis Sanctæ Crucis in Hieruſalem, Clemente VI. an. 1343.

Raymundus de Vis Cardinalis Tusculanus, Clemente VI. an. 1350.
Petrus Rauarius Cardinalis Tolosanus Benedicto XIII. an. 1417.
Dionysius du Moulin Cardinalis, Felice V. Amedeo. an. 1440.
Gabriel Cardinalis de Grandmont, Clemente VII. an. 1530.
Odetus de Colligny Cardinalis de Chastillon, Clemente VII. an. 1533.
Ioannes d'Orleans Cardinalis de Longueuille, Clemente VII. an. 1533.
Antonius Sanguin Cardinalis de Meudon, Paulo III. an. 1539.
Georgius Cardinalis d'Armagnac, Paulo III. an. 1544.
Franciscus sacri Collegij Decanus Cardinalis de Ioyeuse, Gregorio XIII. an. 1583.
Ludouicus Cardinalis de la Valete, Paulo V. an. 1621.

Turonenses ad Ligerim Cæsaroduni Turonum, Ecclesia Sancti Gratiani, olim S. Mauritij.

Philippus de Coatkiz Cardinalis, Felice V. Amedeo, an. 1440.
Elias de Bourdeille Franciscanus, Cardinalis Turonensis, Sixto VI. anno 1486.

Vesuntionenses seu Bisuntini ad Dubim, Ecclesia Sanctorum Ioannis, & Stephani.

Ioannes Halgrin, dictus de Abbatis-villâ, Cardinalis Episcopus Sabinus, Gregorio IX. an. 1227.
Ioannes Francioge Cardinalis Sancti Laurentij in Lucinâ, Innocentio IV. an. 1245.
Guillelmus de Vergy Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, Clemente VII. Gebennensi, an. 1391.
Ioannes de la Rochetaillé Cardinalis Rothomagensis, Martino V. an. 1426
Petrus de la Baume Cardinalis Gebennensis, Paulo III. an. 1539.
Antonius Perenottus Cardinalis Granuellanus, Pio IV. an. 1561.
Claudius Cardinalis de la Baume, Gregorio XIII. an. 1578.

Viennenses Allobrogum ad Rhodanum, Ecclesia Sancti Mauritij, olim SS. Machabæorum.

Guido Princeps postea Pontifex, Callixtus II. an. 1119.
Simon d'Archiac Cardinalis Sanctæ Priscæ, Ioanne XXII. an. 1320.

EPISCOPI.

Abrincenses, seu Arboricenses Ecclesia S. Andreæ, sub Archiepiscopo Rothomagensi.

Adurenses, seu Vicoiulij ad Atyrum, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Auscensi.

Ludouicus Cardinalis Albretius, Pio II. an. 1461.
Petrus iunior Cardinalis de Foix, Sixto IV. an. 1476.

Æduenses, seu Augustodunenses & Bibractenses; Ecclesia S. Lazari, olim S. Nazarij, sub Archiepiscopo Lugdunensi.

Petrus Bertrandus senior Cardinalis S. Clementis, Clemente VI. an. 1342.
Petrus de Bareriâ Cardinalis SS. Marcellini & Petri, Clemente VII. Gebennensi, an. 1378.
Ioannes Rolin Cardinalis Æduensis, Nicolao V. an. 1448.

Agathenses ad Rhaurarim; Ecclesia Sancti Andreæ, sub Archiepiscopo Narbonensi.

Philippus Cardinalis de Leuis, Sixto IV. an. 1473.
Franciscus de Castelnau Cardinalis de Clermont, Iulio II. an. 1503.

Agennenses, Nitiobrigum ciuitas; Ecclesia S. Stephani sub Archiepiscopo Burdegalensi.

Simon de Cramaud Cardinalis Pictauiensis, Ioanne XXIII. an. 1413.

Albienses seu Albigenses ad Tarnem; Ecclesia S. Cæciliæ sub Archiepiscopo Bituricensi.

Bertrandus des Bordes Cardinalis Albanus, Clemente V. an. 1310.
Bernardus de Chastenier Cardinalis Portuensis, Ioanne XXII. an. 1316.
Petrus de Montesquieu Præsul Albiensis, Cardinalis SS. XII. Apostolorum, Clemente VI. an. 1350.
Ioannes Geoffroy Cardinalis Albiensis, Pio II. an. 1461.
Ludouicus Cardinalis d'Amboise, Iulio II. an. 1506.
Adrianus Gouffier Cardinalis de Boisy, Leone X. an. 1515.
Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.
Antonius Cardinalis du Prat, Clemente VII. an. 1527.
Ludouicus I. Cardinalis à Guisiâ, Iulio III. an. 1553.

Alectenses seu Alethenses ad Atacem fluuium sub Archiepiscopo Narbonensi, Ecclesia S. Benedicti.

Ambianenses ad Samonam; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Rhemensi.

Ioannes de la Grange Cardinalis Sancti Marcelli, Gregorio XI. an. 1375.
Ioannes Rolland Cardinalis, Clemente VII. Gebennensi, an. 1386.
Ioannes le Icune Cardinalis Morinensis, Eugenio IV. an. 1439.
Claudius de Longuic Cardinalis de Giury, Clemente VII. an 1533.
Carolus Hemard Denonuille Cardinalis Matisconensis, Paulo III. anno 1536.
Antonius Cardinalis de Crequy, Pio IV. an. 1565.
Nicolaus Cardinalis de Pelleué Pontifice, Pio V. anno Christi 1570.

Andegauenses, Andium ciuitas & Iuliomagus ad Ligerim, Ecclesia S. Mauritij sub Archiepiscopo Turonensi.

Guillelmus d'Estouteuille Cardinalis Rothomagensis, Eugenio IV. an. 1439.
Ioannes Baluë Cardinalis Andegauensis, Paulo II. an. 1464.

Apamienses ad Aurigeram; Ecclesia S. Antonini Martyris, sub Archiepiscopo Tolosano.

Pilus Fortis de Rabastens Cardinalis Sanctæ Anastasiæ, Ioanne XXII. an. 1320.
Iacobus Fornerius Sauardunensis, Pontifex Benedictus XII. an. 1334.
Arnaldus Cardinalis S. Sixti, Clemente VI. an. 1350.
Amaneus Cardinalis Albretius, Alexandro VI. an. 1500.

Aptenses, seu Apta Iulia Vulgiensium sub Aquensi Archiepiscopo; Ecclesia Sanctæ Annæ.

Aquenses, Aquæ Augustæ & Tarbella ad Atyrum; Ecclesia Deiparæ.
Arnaldus Caupenus Cardinalis Albanus, Clemente V. an. 1312.
Petrus Iterius Cardinalis SS. quatuor Coronatorum, Innocentio VI. an. 1361
Bernardus Laplanius Monachus Benedictinus Cardinalis SS. Nerei & Achillei, Felice V. Amedeo, an. 1440.
Petrus senior Cardinalis de Foix, Martino V. an. 1455.

Arausienses seu Arausicani, ad fluuium Argennam sub Archiepiscopo Arelatensi.

Alethenses; vide Maclouienses.

Atrebatenses; seu Origiaci ad Scalpam; Ecclesia Deiparæ, sub Archiepiscopo Cameracensi, antea sub Rhemensi.
Rodulphus Cardinalis, Innocentio III. an. 1198.
Ioannes Galuanus Episcopus Atrebatensis Cardinalis, Ioanne XXII. anno 1331.
Ademarus Robert Cardinalis Sanctæ Anastasiæ, Clemente VI. an. 1342.
Andreas Gini Cardinalis S. Susannæ, Clemente VI. an. 1342.
Petrus Rogerius Lemouicensis, postea Pontifex, Clemens VI. an. 1342.
Petrus Bertrandus iunior Cardinalis S. Susannæ, postea Episcopus Ostiensis, Clemente VI. an. 1344.
Ioannes Geoffroy Cardinalis Albiensis, Pio II. an. 1461.
Philippus Cardinalis Luxemburgius, Alexandro VI. an. 1497.

Audomarenses, seu vrbs S. Audomari ad fluuium Aa; erant Præpositi, deleta Teroana, seu vrbe Morinorum anno 1553. erectus est postea Episcopatus, cuius primus Antistes Girardus de Americourt inauguratus anno Christi 1563. sub Archiepiscopo Cameracensi.

Aurelianenses ad Ligerim: Genabum Cæsari; Ecclesia Sanctæ Crucis sub Archiepiscopo Parisiensi.
Reginaldus de Chartres Cardinalis Rhemensis, Eugenio IV. an. 1439.
Ioannes d'Orleans Cardinalis de Longueuille, Clemente VII. anno 1533.
Antonius Sanguin Cardinalis de Meudon, Paulo III. an. 1539.

Antissiodorenses Autrici, & Velaunoduri; Ecclesia S. Stephani sub Archiepiscopo Senonensi.
Hugo Cardinalis Ostiensis & Veliternus, Eugenio III. an. 1150.
Petrus de Mortemer Cardinalis Sabinus, Ioanne XXII. an. 1327.
Talairandus Petragoriensis Cardinalis Sancti Petri ad vincula, Ioanne XXII. an. 1331.
Audoenus Albert Cardinalis Magalonensis, Innocentio VI. an. 1353.
Petrus du Cros Cardinalis SS. Syluestri & Martini, Innocentio VI. anno 1356.

Philibertus Cardinalis de la Bourdesiere, Pio IV. an. 1561.
Philippus Cardinalis de Lenoncourt, Sixto V. an. 1586.

Baiocenses ad Auram fluuium; Ecclesia Deiparæ, sub Archiepiscopo Rothomagensi.

Renatus de Prie Cardinalis Baiocensis, Iulio II. an. 1506.
Arnaldus Cardinalis d'Ossat, Clemente VIII. an. 1599.

Baionenses seu Lapurdenses ad Aturi exitum in Oceanum, sub Archiepiscopo Auscensi; Ecclesia Deiparæ.

Ioannes Cardinalis du Bellay sacri Collegij Decanus, Paulo III. an. 1535.

Bellicenses, à ciuitate Bellicio comitatûs Beugesij capite, Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, sub Archiepiscopo Bisuntino nunc ditionis Franciæ ab anno MDCI. die 17. Ianuarij ob permutationem Marchionatûs Salutiarum cum Bressiæ Comitatu; in hanc vrbem translata fuit sedes Episcopalis Niueduno ciuitate & colonia Equestrium ad ripam dextram lacus Lemani. Episcopus Niueduni inuenitur in Concilio Arelatensi anno CCCXIV.

Bellouacenses Cæsaromagus, & Bratuspansium Bellouacorum, Ecclesia Sancti Petri, sub Archiepiscopo Rhemensi.

Gualo Cardinalis, Paschale II. an. 1104.
Ioannes de Dormant Cardinalis SS. quatuor Coronatorum, Vrbano V. an. 1368.
Philippus Cardinalis Alenconius, Vrbano VI. an. 1388.
Odetus de Colligny Cardinalis de Chastillon, Clemente VII. an. 1533.
Carolus senior Cardinalis Borbonius, an. 1572.

Biterrenses, seu Bederenses ad Orobum fluuium, Ecclesia S. Nazarij sub Archiepiscopo Narbonensi.

Berengarius Fredole Cardinalis SS. Nerei & Achillei, Clemente V. anno 1305.
Simon de Cramaud Cardinalis Pictauiensis, Ioanne XXII. an. 1413.
Guillelmus d'Estouteuille Cardinalis Rothomagensis, Eugenio IV. anno 1439.
Carolus II. Cardinalis Vindocinensis dictus postea Borbonius, Paulo III. an. 1547.

Bononienses, & Morinenses seu Teroanenses ad Oceanum Britannicum, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Rhemensi.

Ademarus Robert Cardinalis S. Anastasiæ, Clemente VI. an. 1342.
Ægidius Aiscelin de Montaigu Cardinalis S. Martini in Montibus, Innocentio VI. an. 1361.
Robertus Gebennensis, Pontifex Clemens VII. postea factus.
Ludouicus Cardinalis de Luxembourg, Eugenio IV. an. 1439.
Ioannes le Ieune Cardinalis Morinensis, Eugenio IV. an. 1439.
Guillelmus d'Estouteuille Cardinalis Rothomagensis, Eugenio IV. anno 1439.
Philippus Cardinalis Luxemburgius, Alexandro VI. an. 1497.
Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.

Philippus de la Chambre Cardinalis Boloniensis, Clemente VII. an. 1533.
Antonius Cardinalis de Crequy, Pio IV. an. 1565.

Briocenses, vrbs S. Brioci ad Oceanum Septentrionalem Britanniæ Armoricæ sub Archiepiscopo Turonensi.

Hugo de Montrelaix Cardinalis à Britanniâ, Gregorio XI an. 1375.
Ioannes de Maleſtroict Cardinalis Sancti Onuphrij, Felice V. Amedeo, an. 1440.

Cabellicenses, Cauarum, seu Colonia Cabellicorum ad Druentiam fluuium, Ecclesia S. Verani sub Archiepiscopo Auenionensi.

Philippus Cabaſſole Cardinalis SS. Marcellini & Petri, Vrbano V. anno 1368.

Cabilonenses in Æduis ad Ararim, Ecclesia S. Vincentij, sub Archiepiscopo Lugdunensi.

Ioannes Rolin Cardinalis Æduensis, Nicolao V. an. 1448.

Cadurcenses, Diuona ciuitas, Ecclesia Sancti Stephani sub Archiepiscopo Bituricensi.

Ludouicus ſenior Cardinalis Albretius, Pio II. an. 1461.

Carcassonenses vrbs Tectosagum ad Atacem, Ecclesia Sancti Nazarij sub Archiepiscopo Narbonensi.

Stephanus Albert Cardinalis Sanctæ Mariæ in Aquiro, Innocentio VI. an. 1361.
Girardus du Puy Cardinalis Maioris-Monaſterij, Gregorio XI. an. 1375.
Simon de Cramaud Cardinalis Pictauienſis, Ioanne XXIII. an. 1413.
Odetus Cardinalis Carcaſſonenſis, Sixto IV. an. 1476.

Carnotenses Autricum subluitur fluuio Adurâ, Ecclesia Deiparæ assumptæ sub Archiepiscopo Parisiensi.

Guillemus ad Albas-manus Cardinalis Bleſenſis, Alexandro III. an. 1179.
Petrus des Chappes Cardinalis, Ioanne XXII. an. 1327.
Haymericus de Chalus Cardinalis Sancti Martini, Ioanne XXII. an. 1331.
Guillelmus de Chanac Cardinalis Mimatenſis, Gregorio XI. an. 1371.
Erardus Cardinalis de la Martz, Leone X. an. 1521.

Carpentoractenses Meminorum ex ruinis Vindiscæ, Ecclesia S. Suffredi sub Archiepiscopo Auenionensi.

Castrenses ad fluuium Acutum Ecclesia Sancti Benedicti sub Archiepiscopo Bituricensi.

Ioannes Cardinalis d'Armagnac Benedicto XIII. Antipapa, an. 1409.
Raymundus Mayroſius Cardinalis Caſtrenſis, Martino V. an. 1426.
Ioannes Caſtrenſis Cardinalis, Felice V. Amedeo Antipapa, an. 1440.

Catalaunenses ad Matronam fluuium Ecclesia S. Stephani sub Archiepiscopo Rhemensi.

Ludouicus Cardinalis Dux Barri, Alexandro V. an. 1409.
Robertus Cardinalis de Lenoncourt, Paulo III. an. 1538.
Philippus Cardinalis de Lenoncourt, Sixto V. an. 1586.

Cenomanenses ad Sartam Ecclesia primò Deiparæ, deinde S. Geruasij, tandem S. Iuliani sub Archiepiscopo Turonensi.

Theobaldus designatus Cardinalis de Luxemburgo, Sixto IV. an. 1474.

Philippus Cardinalis Luxemburgius, Alexandro VI. an. 1497.

Ludouicus Cardinalis de Bourbon, Leone X. an. 1517.

Ioannes Cardinalis du Bellay sacri Collegij Decanus, Paulo III. an. 1535.

Carolus d'Angennes Cardinalis de Ramboüillet, an. 1570. Pio V.

Cistaricenses Segestericorum ciuitas ad Druentiam Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Aquensi.

Henricus à Segusio Ebredunensis Archiepiscopus Cardinalis Ostiensis, Vrbano IV. an. 1261.

Rainulphus Cardinalis de Monteruco, Vrbano VI. an. 1378.

Claromontani, olim vrbs Aruernum, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Bituricensi.

Stephanus Albert Lemouicensis, dictus Cardinalis Claromontanus, postea Pontifex Innocentius VI. an. 1352.

Carolus I. Cardinalis Borbonius, Sixto IV, an. 1476.

Franciscus Cardinalis de la Rochefoucault, Paulo V. an. 1607.

Condomienses; Ecclesia S. Petri sub Archiepiscopo Burdegalensi.

Guillelmus de Testâ Cardinalis Codomiensis, Clemente V. an. 1312.

Conseranenses Ecclesia Sancti Liceriij, vulgò Sainct Licart, *sub Archiepiscopo Auscensi.*

Ioannes le Ieune Cardinalis Morinensis, Eugenio IV. an. 1439.

Amelinus Lautrecus, an. 1375. Episcopus, Cardinalis Antipontificis Clementis VII an. 1386.

Gabriel Cardinalis de Grammont, Clemente VII. Medicæo, an. 1530.

Constantienses, Castra Constantia in Neustriâ, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Rothomagensi.

Ægidius des Champs Cardinalis, Ioanne XXIII. an. 1411.

Richardus de Longueil Cardinalis Constantiensis, Calixto III. an. 1466.

Adrianus Gouffier Cardinalis de Boisy, Leone X. an. 1515.

Conuenenses, Lugdunum Conuenarum; Ecclesia S. Bertrandi sub Archiepiscopo Auscensi.

Bertrandus Gouth an. 1397. Clemens V. Pontifex an. 1305.

Bertrandus de Chanac Cardinalis Hierosolymitanus, Gregorio XI. an. 1371

Amelinus de Lautrec Cardinalis tituli Sancti Eusebij, Clemente VII. Gebennensi, an. 1386.

Petrus senior Cardinalis de Foix, Martino V. an. 1417.

Ioannes Bertrandus Cardinalis Senonensis Franciæ Procancellarius, Paulo IV. an. 1557.

Corisopitenses, vrbs Curiosolitanorum ciuitas; Ecclesia S. Corentini sub Archiepiscopo Turonensi.

Albanus Cardinalis de Coëtiui, Nicolao V. an. 1448.

Philippus de la Chambre Cardinalis Boloniensis, Clemente VII. an. 1533.

Dienses, Augusta Colonia Diensium ad Droniam; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Viennensi.

Dinienses, vrbs Dinia Sentiorum; Ecclesia Deiparæ sub Ebredunensi Archiepiscopo.

Dolenses, vrbs Diablintrum; Ecclesia S. Sansonis sub Turonensi Archiepiscopo.

Alanus Cardinalis de Coëtiui, Nicolao V. an. 1448. bis Episcopus Dolensis.

Ebroicenses, Mediolanum Aulercorum Eburonicum ad Itonem fluuium; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Rothomagensi.

Rodulphus de Cheurieres Cardinalis Albanus, Vrbano IV. an. 1261.

Guillelmus d'Estouteuille Cardinalis Rothomagensis, Eugenio IV. an. 1438

Ioannes Baluë Cardinalis Andegauensis, Paulo II. an. 1464.

Engolismenses in monte, ad cuius radices Charantonus fluuius; Ecclesia S. Petri sub Archiepiscopo Burdegalensi.

Gallardus de la Motte-Pressage Cardinalis S. Luciæ, Ioanne XXII. an. 1316.

Philibertus Cardinalis de la Bourdesiere, Pio IV. an. 1561.

Florienses, Floriopolis, Ecclesia S. Flori, olim Indiciatus, in monte edito ad cuius radices Adia fluuius sub Archiepiscopo Bituricensi.

Raymundus Cardinalis Sancti Eusebij, Ioanne XXII. an. 1327.

Raymundus de Canillac Cardinalis S. Crucis in Hierusalem, Clemente VI. an. 1343.

Petrus d'Estain Cardinalis Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim, Vrbano V. an. 1369.

Foroiulienses Forum-Iulium Colonia Octauanorum, Argentio irrigatur, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Aquensi.

Iacobus Deüsa Cadurcensis, Pontifex Ioannes XXII. an. 1316.

Geneuenses, Aurelia & Genabum Allobrogum, ac Gebenna ad locum Lemanum; Ecclesia S. Petri sub Archiepiscopo Viennensi.

Ioannes de Muroliis ab antiquâ & nobili familiâ d'Estain, Clemente VII. Gebennensi an. 1386.

Ioannes Cardinalis de Embroniaco, Alexandro V. an. 1409.

Ioannes de la Rochetaillé Cardinalis Rothomagensis, Martino V. an. 1426.

Franciscus Cardinalis S. Marcelli, Felice V. Amedeo, an 1440.

Petrus de la Baume Cardinalis Gebennensis, Paulo III. an. 1539.

Glandatenses, Glanatenna ciuitas ad Varum fluuium; Ecclesia S. Iusti sub Archiepiscopo Ebredunensi.

Petrus Lagier Minorita Cardinalis Glandeuensis, Gregorio XI. an. 1371.

Grassenses, vrbs Grinnicum; Ecclesia Deiparæ, huc translata sedes Episcopalis Antipoli vrbe maritimâ ob frequentes prædonum incursus sub Archiepiscopo Ebredunensi; hæc translatio facta ab Innocentio IV. die XIV. Cal. Aug. anno MCCXLIII. Bertrando Grassensi Episcopo, & Berengario Prouinciæ Comite.

Gratianopolitani, vrbs Gratiani Imperatoris, olim Accursium ad confluentem Draconis in Isaram; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Viennensi.

Franciscus de Cousaco memoratur Episcopus Gratianopolitanus, ac postea Ebredunensis Archipræsul etiam Cardinalis & S. R. E. Camerarius,

memoratur,

memoratur, inquam, in Episcopis Gratianopolitanis, verum Cardinalitias illius infulas alibi non reperio.

Laudunenses, Lugdunum Clauatum in colle editissimo; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Rhemensi.

Petrus Aiscelin de Montaigu Presbyter Cardinalis S. Marci, Clemente VII. Gebennensi, an. 1385.

Ludouicus Cardinalis de Bourbon, Leone X. an. 1517.

Lectorenses, vrbs Lectoratum Comitatûs Armeniaci caput in monte, subluitur Ægirtio; Ecclesia SS. Geruasij & Protasij sub Archiepiscopo Auscensi.

Bertrandus des Bordes Cardinalis Albanus, Clemente V. an. 1310.

Gerardus du Puy Cardinalis, Gregorio XI. an. 1375.

Renatus de Prie post Bernardum Lustracum Cardinalis. Iulio II. an. 1505.

Lemouicenses, Rattastum ciuitas ad Vigennam fluuium; Ecclesia S. Stephani sub Archiepiscopo Bituricensi.

Reginaldus de la Porte Cardinalis SS. Nerei, & Achillei, Ioanne XXII. an. 1320.

Nicolaus de Besse Lemouicensis Cardinalis S. Mariæ in viâ latâ, Clemente VI. an. 1343.

Ioannes du Cros Cardinalis Lemouicensis, Gregorio XI. an. 1371.

Renatus de Prie Cardinalis Baiocensis, Iulio II. an. 1506.

Ioannes Cardinalis du Bellay sacri Collegii Decanus, Paulo III. an. 1535.

Leodienses Tunrensibus vicini, Legia vrbs primaria Eburonum ad Mosam, Ecclesia S. Lamberti sub Archiepiscopo Coloniensi.

B. Albertus Martyr Cardinalis Leodiensis, Cœlestino III. an. 1192.

Ioannes Ægidius Cardinalis Leodiensis, Innocentio VII. an. 1405.

Erardus Cardinalis de la Martz, Leone X. an 1521.

Leonenses, seu Ocismorenses à Leg one Ocismorum ad Oceanum Britannicum; Ecclesia S. Pauli primi Episcopi sub Archiepiscopo Turonensi.

Philippus de Coatkiz Cardinalis, Felice V. Amedeo, an. 1440.

Lescarenses, olim Bearnum; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Auscensi.

Petrus senior Cardinalis de Foix, Martino V. an. 1417.

Georgius Cardinalis d'Armagnac, Paulo III. an. 1544.

Lexouienses, vrbs quibusdam Neomagus; Ecclesia S. Petri sub Archiepiscopo Rothomagensi.

Ademarus Robert Cardinalis Sanctæ Anastasiæ, Clemente VI. an. 1342.

Ioannes Cardinalis le Veneur, Clemente VII. an. 1533.

Iacobus Cardinalis d'Annebaud, Paulo III. an. 1544.

Annas d'Escars Cardinalis de Giury, Clemente VIII. an. 1599.

Lingonenses, Andematunum, Ecclesia olim S. Ioannis Euangelistæ, nunc S. Mammetis sub Archiepiscopo Lugdunensi.

Ludouicus Cardinalis Dux Barri, Alexandro V. an. 1409.

Claudius de Long-vic Cardinalis de Giury, Clemente VII. an. 1533.

Petrus Cardinalis de Gondy, Sixto V. an. 1587.

Lodeuenses nonnullis Foroneronienses Luteua vrbs; Ecclesia S. Genesij Martyris Arelatensis, sub Archiepiscopo Narbonensi.

Guido de Malsec Cardinalis Pictauiensis, Gregorio XI. 1375.

Petrus Girard de Podio Cardinalis Episcopus Tusculanus, Alexandro V. an.1409.
Guillelmus d'Estouteuille Cardinalis Rothomagensis, Eugenio IV. an.1439
Renatus Cardinalis de Birague Franciæ Nomophylax, Gregorio XIII. an.1578.

Lombarienses ad Sauam fluuium; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Tolosano.

Petrus senior Cardinalis de Foix, Martino V. an 1417.
Ioannes de la Grolaye de Villiers Card. S. Sabinæ, Alexandro VI. an. 1493.

Lausanenses, Lausodunum ad ripam dextram Lacus Lemani, huc translata sedes Episcopalis Auentico vrbe, Mario Auenticensi Episcopo, anno Christi DXC. nunc Friburgi resides Episcopus sub Archiepiscopo Vesuntionensi.

Antonius de Chalant Diaconus Cardinalis, Alexandro V. an.1409.
Ludouicus de la Palu Cardinalis de Varambon, Nicolao V. an. 1449.

Lucionenses prope Oceanum Aquitanicum, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Burdegalensi.

Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.
Armandus Ioannes du Plessis Card. de Richelieu, Gregorio XV. an. 1623.

Maclouienses seu Alethenses, Maclouiopolis ex Alethæ ruinis; B. Ioannes de la Grille ex Abbate S. Crucis de Quincamp Episcopus Maclouiensis transtulit sedem Episcopalem Aletha Maclouium, qui locus dicebatur antea insula Aaron; Ecclesia S. Macuti seu Maclouij I. Episcopi sub Archiepiscopo Turonensi.

Guillelmus de Mont-fort Cardinalis de Dinan, Martino V. an. 1430.
Guillelmus Brissonet Cardinalis Maclouiensis, Alexandro V. an. 1495.

Magalonenses, seu Montis-pessulani, vrbs dicta Mons-puellaris, Ecclesia S. Petri sub Archiepiscopo Narbonensi ex Insula Magalona translata fuit sedes Episcopalis Montem-pessulum, cuius Patronus erat S. Germanus Paulo III. Francisco I. Rege, Guillelmo Pellicerio Episcopo Magalonensi, anno 1536.

Ioannes Cardinalis Conuenarum, Ioanne XXII. an. 1327.
Androinus Albert Cardinalis Magalonensis, Innocentio VI. an. 1353.
B. Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatensis, Martino V. an. 1426.

Maleacenses ad Separim fluuium; Ecclesia S. Remigeri sub Archiepiscopo Burdegalensi.

Petrus Cardinalis de Thureio, Alexandro V. an. 1409.

Massilienses ad oram maris Gallici Mediterranei, Ecclesia Deiparæ la Maiour *sub Archiepiscopo Arelatensi.*

Fortanerius Vasellus Cardinalis, Innocentio VI. an. 1361.
Guillelmus Sudré Dominicanus Cardinalis SS. Ioannis & Pauli, Vrbano V. an. 1366.

Matisconenses in Æduis ad Ararim, Ecclesia S. Vincentij Martyris Cæsaraugustani sub Archiepiscopo Lugdunensi.

Ioannes le Ieune Cardinalis Morinensis, Eugenio IV. an. 1439.
Philibertus Hugonetus Cardinalis Matisconensis, Sixto IV. an. 1473.
Carolus Hemard Denonuille Cardinalis Matisconensis, Paulo III. an. 1536

Maurianenses ad Arcum fluuium vrbs S. Ioannis in Valle Maurianâ, ad Alpes Cottias sub Archiepiscopo Viennensi.

Ludouicus de la Palu Cardinalis de Varambon, Nicolao V. an. 1449.

Meldenses latinum oppidum Meldorum ad Matronam fluuium, Ecclesia S. Stephani sub Archiepiscopo Parisiensi.

Petrus Cardinalis S. Chrysogoni, Alexandro III. an. 1173.

Ioannes le Moine Cardinalis SS. Marcellini, & Petri, Cœlestino V. an. 1294

Antonius Cardinalis du Prat, Clemente VII. an. 1527.

Metenses, Diuodurum Mediomatricum ad confluentem Mosellæ & Saliæ; Ecclesia S. Stephani sub Archiepiscopo Treuirensi.

Stephanus Cardinalis de Mont Beliard, Callixto II. an. 1120.

B. Petrus de Luxemburgo Cardinalis S. Georgij, Clemente VII. Gebennensi, an. 1386.

Robertus Cardinalis de Lenoncourt, Paulo III. an. 1538.

Ludouicus I. Cardinalis à Guisia, Iulio III. an. 1533.

Carolus II. Cardinalis à Lotharingia, Sixto V. an. 1589.

Annas d'Escars Cardinalis de Giury, Clemente VII. an. 1599.

Mimatenses, vrbs in Valle Gabalorum caput, deleto Andereto, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Bituricensi.

Guillelmus de Chanac Pompadurius Cardinalis Mimatensis, Gregorio XI. an. 1371.

Mirapicenses ad Lertium fluuium, Ecclesia S. Mauritij sub Archiepiscopo Tolosano.

Iacobus Fornerius Sauardunensis, Pontifex Benedictus XII. an. 1334.

Petrus Cardinalis de Thureyo, Alexandro V. an. 1409.

Ioannes Suauius Cardinalis Reümanus, Paulo IV. an. 1555.

Montalbanenses ad Tarnem fluuium, Ecclesia S. Martini sub Archiepiscopo Tolosano.

Georgius I. Cardinalis d'Amboise, Alexandro VI. an. 1498.

Nannetenses, vrbs Conduicum ad ostium Ligeris, Ecclesia S. Petri sub Archiepiscopo Turonensi.

Hugo de Montrelaix Cardinalis à Britanniâ, Gregorio XI. an. 1375.

Ioannes de Malestroict Cardinalis Sancti Onuphrij, Felice V. Amedeo, an. 1440.

Robertus Guibé Cardinalis Nannetensis, Iulio II. an. 1505.

Antonius Cardinalis de Crequy, Pio IV. an. 1565.

Nemausenses, vrbs Nemausus Volcarum Arecomicorum; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Narbonensi.

Ioannes de Blandiaco Episcopus Nemausensis Cardinalis S. Marci, Innocentio VI. an. 1361.

Guillelmus Brissonet Cardinalis Maclouiensis, Alexandro VI. an. 1495.

Nicienses, Nicæa ciuitas condita à Maßiliensibus ad Ligusticum mare sub Archiepiscopo Ebredunensi.

Niuernenses Niuerdunum ad ripam dexteram Ligeris, Ecclesia S. Cyrici sub Archiepiscopo Senonensi.

Petrus Bertrandus senior Cardinalis, Clemente VI. an. 1342.

Petrus Bertrandus iunior Cardinalis Sanctæ Susannæ, postea Episcopus Ostiensis, Clemente VI. an. 1344.

Ioannes Cardinalis de Neuchaſtel, Clemente VII. Gebennenſi, an. 1385.
Carolus I I. Cardinalis Vindocinenſis, dictus poſtea Borbonius, Paulo III. an. 1547.

Nouiomenſes, Nouiodunum prope Oeſiam fluuium, ſucceſſit Auguſtæ Veromanduorum, ecclesia Deiparæ ſub Archiepiſcopo Rhemenſi.

Stephanus Albert Lemouicenſis, Pontifex Innocentius VI. an. 1352.

Oleronenſes, Olorionum ad Garum fluuium, Eccleſia Deiparæ ſub Archiepiſcopo Auſcenſi.

Amaneus d'Albret Cardinalis, Adminiſtrator Eccleſiæ Olorenſis, an. 1500.

Papulienſes Sampapulum vrbs Lauracenſium Eccleſia S. Papuli ſub Archiepiſcopo Toloſano.

Raymundus Cardinalis S. Euſebij, Ioanne XXII. an. 1327.
Petrus du Cros Cardinalis, Clemente VII. Gebennenſi, an. 1383.
Ioannes de Rochetaillé Cardinalis Rothomagenſis, Martino V. an. 1426.
Raymundus Mairoſius Cardinalis S. Praxedis, Martino V. an. 1426.

Petragoricenſes, vrbs Veſunna ad Illam fluuium; Eccleſia S. Stephani ſub Archiepiſcopo Burdegalenſi.

Elias de Bourdeille Franciſcanus Cardinalis Turonenſis, Sixto IV. an. 1486

Pictauienſes, Auguſtoritum Pictonum iuxta flumen Clanium, Eccleſia S. Petri ſub Archiepiſcopo Burdegalenſi.

Arnaldus d'Aux Cardinalis Sabinus, Clemente V. an. 1312.
Guido de Malſec Cardinalis Pictauienſis, Gregorio XI. an. 1375.
Ludouicus Cardinalis Dux Barri, Alexandro V. an. 1409.
Simon de Cramaud Cardinalis Pictauienſis, Ioanne XXII. an. 1413.
Ioannes de la Trimoüille Cardinalis Auxitanus, Iulio II. an. 1506.
Gabriel Cardinalis de Grandmont, Clemente VII. an. 1530.
Petrus de Long-vic Cardinalis de Giury, Clemente VII. an. 1533.

Podienſes ſeu Anicienſes vrbs Vellaunorum, Eccleſia Deiparæ ſub Archiepiſcopo Bituricenſi.

Guido Groſſus è S. Ægidio, poſtea Pontifex, Clemens IV. an. 1265.
Bernardus de Chaſtenier Cardinalis Portuenſis, Ioanne XXII. an. 1316.
Bertrandus de Chanac Cardinalis Hieroſolymitanus, Greg. XI. an. 1371.
Petrus Girard de Podio Cardinalis, Alexandro V. an. 1409.
Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, Ioanne XXIII. an. 1411.

S. Pontij Tomeriarum ad fontem copioſiſſimum ex antro ſcaturientem, Eccleſia eiuſdem S. Pontij cuius feſtum die XIV. Maij, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi.

Petrus Rauarius Cardinalis Toloſanus Benedicto XIII. Antipapa, an. 1417

Rhedonenſes, Condate ad fluuium Vigelaniam, Eccleſia S. Petri ſub Archiepiſcopo Turonenſi.

Robertus Guibé Cardinalis Nannetenſis, Iulio II. an. 1505.
Arnaldus Cardinalis d'Oſſat, Clemente VIII an. 1599.

Regienſes, Albecum Reiorum; Eccleſia S. Maximi ſub Archiepiſcopo Aquenſi.

Petrus du Pré Cardinalis S. Pudentianæ, Ioanne XXII. an. 1320.
Antonius Perenottus Cardinalis Granuellanus, Pio IV. an. 1361.

Riuenſes, ad Rizam fluuium; Eccleſia Deiparæ ſub Archiepiſcopo Toloſano.

Pilus Fortis de Rabaſtens Cardinalis S. Anaſtaſiæ, Ioanne XXII. an. 1320.

Rutenenses, Segodunum; Ecclesia S. Stephani sub Archiepiscopo Bituricensi.
Bernardus de Albia Cardin. S. Cyriaci in Thermis Benedicto XII. an. 1337.
Hugo Monstrius Cardinalis Sancti Laurentij in Damaso Cardinalis, Clemente VI. an. 1342.
Fayditus d'Agrifueille Cardinalis, Clemente VII. Gebennensi, an. 1385.
Georgius Cardinalis d'Armagnac, Paulo III. an. 1544.

Sagienses, ciuitas Saiorum, seu Sesuuorum ad Olenam fluuium, huc translata sedes Episcopalis deleto Oximo, Hiemes; *Ecclesia SS. Geruasij & Protasij, sub Archiepiscopo Rothomagensi.*

Sanicienses, Ecclesia S. Augustini sub Archiepiscopo Ebredunensi.

Sanctonenses, Mediolanum Santonum ad Carantonium fluuium, Ecclesia S. *Petri sub Archiepiscopo Burdegalensi.*
Stephanus de Gardia Cardinalis, Clemente VI. an. 1342.
Girardus de Podio, aliis Gallardus Cardinalis, Gregorio XI. an. 1375.
Raymundus Perault Cardinalis Gurcensis, Alexandro VI. an. 1493.

Sarlatenses, Ecclesia S. Sacerdotis Lemouicensis Episcopi S. Sadroc, *sub Archiepiscopo Burdegalensi.*
Petrus Iterius Cardinalis SS. IV. Coronatorum, Innocentio VI. an. 1361.

Siluanectenses, Augustomagus; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Rhemensi.
Petrus du Cros Cardinalis SS. Syluestri & Martini, Innocentio VI. an. 1356.
Franciscus Cardinalis de la Rochefoucault, Paulo V. 1607.

Suessionenses, Augusta Suessionum ad Axonam fluuium, Ecclesia SS. Geruasij & Protasij sub Archiepiscopo Rhemensi.

Tarbenses, seu Bigorrenses ad Atyrum fluuium; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Auscensi.
Petrus de Foix senior Cardinalis administrator huius Ecclesiæ, an. 1460.
Gabriel Cardinalis de Grandmont, Clemente VII. Medicæo, an. 1530.

Tolonenses, Telo Martius ad Mare Mediterraneum sub Archiepiscopo Arelatensi; Ecclesia S. Stephani.

Tornacenses, Tornacum Neruiorum ad Scaldim fluuium; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Cameracensi, antea Rhemensi.
Andreas Gini Cardinalis S. Susannæ, Clemente VI. an. 1342.
Guido de Boloniâ Cardinalis S. Cæciliæ, Clemente VI. an. 1342.
Petrus de la Forest Cardinalis SS. XII. Apostolorum, Clemente VI. an. 1350
Ferricus de Clugny Cardinalis Tornacensis, an. 1480.

Trecenses, Augusta Tricassinorum ad Sequanam Ecclesia S. Petri sub Archiepiscopo Senonensi.
Ludouicus I. Cardinalis à Guisia, Iulio III. an. 1553.

Trecorenses Lantriguerium, seu Trecora minoris Britaniæ oppidum ad Oceanum, in hac Ecclesia S. Yuo colitur, sub Archiepiscopo Turonensi, huc translata sedes Episcopalis deletâ antiquâ vrbe Lexouiorum.
Yuo Begaignon Cardinalis de Morlaciâ Episcopus Trecorensis, an. 1360. Papæ Pœnitentiarius.

Hugo de Montrelaix Cardinalis à Britanniâ, Gregorio XI. an. 1375.
Raphael Gerbe Cardinalis Episcopus Trecorensis, an. 1456.
Hugo de Coat-tretrez Cardinalis Episcopus Trecorensis, an. 1467.
Robertus Guibé Cardinalis Nannetensis, Iulio II. an. 1505.
Ludouicus Cardinalis de Bourbon, Leone X. an. 1517.

Tricastini, Augusta Tricastinorum, vrbs S. Pauli sub Archiepiscopo Arelatensi.

Raymundus Cardinalis S. Eusebij à Ioanne XXII. an 1327.
Raymundus Mayrosius Cardinalis Castrensis, Martino V. an. 1426.
Franciscus de Castelnau Cardinalis de Clermont, Alexandro VI. an. 1503.

Tullenses, Leucorum vrbs iuxta Obrincum, seu Mosellam fluuium; Ecclesia S. Stephani sub Archiepiscopo Treuirensi.

Bruno vrbis Leucorum, postea Pontifex B. Leo IX. an. 1049.
Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.
Carolus II. à Lotharingiâ Cardin. de Vaudemont, Gregorio XIII. an. 1578.
Nicolaus Franciscus Cardinalis à Lotharingiâ, Vrbano VIII. an. 1627.

Tutelenses, vrbs cincta duobus fluuiolis Curresiâ & Solanâ; Ecclesia S. Martini, sub Archiepiscopo Bituricensi.

Hugo Monstrius Cardinalis S. Laurentij in Damaso, Clemente VI. an. 1342.
Androinus de la Roche Cardinalis S. Marcelli, Innocentio VI. an. 1361.
Ioannes Fabri Cardinalis Tutelensis, Gregorio XI. an. 1371.
Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.

Vabrenses, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Bituricensi.

Guillelmus Bragose Cardinalis S. Georgij, Innocentio VI. an. 1361.
Georgius Cardinalis d'Armagnac, Paulo III. an. 1544.

Valentinenses, Valentia Segalaunorum ad ripam sinistram Rhodani, Ecclesia S. Apollinaris, olim S. Stephani sub Archiepiscoqo Viennensi.

Franciscus de Castelnau Cardinalis de Clermont, Iulio II. an. 1503.
Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.

Vapincenses, ciuitas Vapetensium seu Gabicensium, Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Aquensi.

Vasatenses Cossium Vasatum, Ecclesia S. Ioannis Baptistæ sub Archiepiscopo Auscensi.

Gallardus de la Motte-Pressage Cardinalis S. Luciæ, Ioanne XXII. an. 1316.
Petrus Montesquieu, an. 1334. postea Albiensis Cardinalis, Clemente VI. an. 1350.
Girardus du Puy, Episcopus an. 1359. ex Abbate maioris Monasterij, Cardinalis, Greg. XI. an. 1375.
Raymundus Mayrosius Cardinalis Castrensis, Martino V. an. 1426.
Amaneus Albretius post Ioannem Goualum Episcopus Vasatensis Cardinalis, Alexandro VI. an. 1500.

Vasionenses, Vocontiorum forum in colle, subluitur Sellâ fluuiolo; Ecclesia S. Ioannis Baptistæ sub Archiepiscopo Auenionensi.

Vaurenses ad Agotum fluuium; Ecclesia S. Alani sub Archiepiscopo Tolosano.

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, Ioanne XXIII. an. 1411.

Vticenses, Vticense castrum familiæ Crussoliorum; Ecclesia S. Theodoreti Martyris Antiocheni sub Archiepiscopo Narbonensi.

Elias de S. Irier Cardinalis S. Stephani, Innocentio VI. an. 1356.

Vencienses, Vintium Nerusiorum; Ecclesia S. Lamberti sub Archiepiscopo Ebredunensi.

Venetenses, Ciantum, Ecclesia S. Petri sub Archiepiscopo Turonensi.

Petrus iunior Cardinalis de Foix, Sixto IV. an. 1476. frater Margaretæ de Foix Ducissæ Britanniæ, illa Margareta fuit vxor secunda Francisci II. Ducis, & mater Annæ Ducissæ Francorum Reginæ.

Virdunenses, ad Mosam fluuium; Ecclesia Deiparæ sub Archiepiscopo Treuirensi.

Iacobus Pantaleo Trecensis, postea Pontifex Vrbanus IV. an. 1261.

Ludouicus Cardinalis Dux Barri, Alexandro V. an. 1409.

Ioannes Cardinalis Lotharenus, Leone X. an. 1518.

Carolus II. à Lotharingia Cardinalis de Vaudemont, Gregorio XIII. an. 1578.

Viuarienses, Ecclesia S. Vincentij, huc translata fuit sedes Episcoporum Albensium, seu Eluensium, deletâ à Vandalis Albâ Augustâ sub Archiepiscopo Viennensi.

Petrus de Mortemer Cardinalis Sabinus, Ioanne XXII. an. 1327.

Petrus de Bernie Cardinalis S. Laurentij, Gregorio XI. an. 1375.

Ioannes de Embroniaco Cardinalis Viuariensis, Alexandro V. an. 1409.

INDEX IV. PONTIFICVM ET CARDINALIVM RELIGIOSORVM,

SVMMI PONTIFICES.

EX ORDINE S. BENEDICTI.

GERBERTVS Aurilacensis Pontifex, Syluester II. an. 998.

Guido Princeps Pontifex, Callixtus II. an. 1119.

Guido Grossus è Sancto Ægidio Pontifex, an 1265.

Petrus Rogerius Lemouicensis Pontifex, Clemens V. an. 1342

Guillelmus Grimoardus Mimatensis Pontifex, Vrbanus V. an. 1362.

CARDINALES.

Hubertus Cardinalis Syluæ Candidæ, Leone IX. an. 1049.

Richardus S. Victoris Massiliensis Abbas Cardinalis Episcopus Albanus, an. 1070.

Guitmundus Monachus Crucis S. Leufredi Cardin. Alexandro II. an 1071.

Yuo Abbas S. Melanij Rhedonensis Cardinalis, Gregorio VII. an. 1084.

CLVNIACENSES.

Ex ordine S. Augustini.

Gualo Episcopus Parisiensis Cardinalis, Paschale II. an. 1104.
Yuo Sanuictorianus Cardinalis SS. Syluestri & Damasi, Honorio II. anno 1127.
Hugo à S. Victore Cardinalis Tusculanus Innocentio II. an. 1138.
Iacobus de Vitriaco Cardinalis Tusculanus, Gregorio IX. an. 1228.
Ægidius Columna Cardinalis, Bonifacio VIII. an. 1300.
Anglicus Cardinalis S. Petri ad vincula, Vrbano V. an. 1366.

Ex ordine Carthusianorum.

Alphonsus Ludouicus du Plessis de Richelieu Cardinalis Lugdunensis, Vrbano VIII. an. 1629.

Ex ordine S. Dominici.

Petrus Tarentasiensis primus è Prædicatorum ordine Pontifex Innocentius V.
Hugo de S. Theodorico primus ordinis Dominicani Cardinalis S. Sabinæ, Innocentio IV. an. 1245.
Hugo Seguin Cardinalis de Billon, Nicolao IV. an. 1288.
Nicolaus à Prato Cardinalis Ostiensis, Benedicto XI. an. 1304.
Nicolaus Farinula primus è ministris Regiæ Cardinalis S. Eusebij, Clemente V. an. 1305.
Guillelmus Godin Cardinalis S. Cæciliæ, Clemente V an. 1312.
Girardus à S. Domaro Cardinalis S. Sabinæ, Clemente VI. an. 1342.
Ioannes des Moulins Cardinalis S. Sabinæ, Clemente VI. an. 1350.
Guillelmus Sudré Cardinalis SS. Ioannis & Pauli, Vrbano V. an. 1366.
Yuo Begaignon Cardinalis Morlacensis Dominicanus, Gregorio XI. anno 1371 in Appendice.
Nicolaus de S. Saturnino Cardinalis S. Sixti, Clemente VII. Gebennensi, an. 1378.

Ex ordine S. Francisci.

Odo Rigault Cardinalis S. Rufinæ, Innocentio IV. an. 1248.
Vitalis du Four Cardinalis Vasatensis, Clemente V an. 1312.
Bertrandus de Mont-fauenton Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Aquiro, Ioanne XXII. anno 1316.
Petrus du Pré Cardinalis S. Pudentianæ, Ioanne XXII. an. 1320.
Petrus Aureolus Cardinalis, Ioanne XXII. an. 1327.
Elias Patriarcha Hierosolymitanus Cardinalis S. Vitalis, Clemente VI. anno 1342.
Pastor d'Aubenas Cardinalis SS. Marcellini & Petri, Clemente VI. an. 1350.
Guillelmus Farinerius Cardinalis SS. Marcellini & Petri, Innocentio VI. an. 1356.
Fortanerius Vasellus Cardinalis, Innocentio VI. an. 1361.
Petrus Lagier Cardinalis Glandeuensis, Gregorio XI. an. 1371.
Petrus senior Cardinalis de Foix, Martino V 1417.
Elias de Bourdeille Cardinalis Turonensis, Sixto IV. an. 1486.

Illustrißimi pietate, & Historiâ Ecclesiasticâ Henrici Spondani Appamiarum Episcopi Approbatio.

HISTORIAM Cardinalium Gallorum, insigni diligentiâ, & accurato iudicio, atque sincerâ Orthodoxiâ, ab amico nostro D. PETRO FRIZONIO Facultatis Parisiensis Theologo, & magnæ Eleemosynariæ Franciæ Vicario Generali collectam, & ordine temporum sedulò digestam, vnà cum suis Appendicibus de Cardinalatu, de Synodis Gallicanis, & magnis Eleemosynariis magnâ cum voluptate legimus; & ad multiplicium reconditarum rerum cognitionem, dignissimam existimauimus, quæ prodiret in publicum; placitura omninò tam iis, quos antiqua, quàm quos recentia delectant; cùm scriba existens in regno cælorum, exemplo opulenti Patrisfamilias, proferat de thesauro suo noua & vetera. Cuius studium si cæteræ nationes æmulentur, nulla futura sit Oeconomiæ Ecclesiasticæ, orbisque Christiani familiarum certior vtiliorque notitia. Datum Parisiis Calendis Martiis MDCXXXVIII.

HENRICVS SPONDANVS Episcopus
Appamiarum Prouinciæ Tolosanæ.

Approbatio Doctorum Parisiensium.

NOs subsignati in sacrâ Theologiæ Parisiensis facultate Doctores notum facimus diligenter perlegisse, & examinasse librum, cui titulus est *Gallia Purpurata*, auctore M. Petro Frizon eiusdem Facultatis Doctore, nihilque inuenisse, quod Orthodoxæ Fidei consonum non sit, opus lectu dignissimum. Datum die nonâ Ianuarij anni millesimi sexcentesimi trigesimi septimi.

OVRRY, LE GENDRE, LE MOINE, HOVBREL.

V. C.

PETRO FRIZON DOCTORI THEOLOGO PARISIENSI, ac in magnâ Franciæ Eleemosynariâ Vicario Generali,

Scæuola, & Ludouicus Sammarthani Scæuolæ FF.

GALLIÆ Purpuratæ opus tuum sanè luculentum cum fructu & voluptate perlegimus. Quippe in eo memoranda plurima cùm antiqua tum recentia posteritati prodis. Onuphrius Panuinus primæ notæ Historicus, Ciaconius, Petramellarius, aliique exteri præterito sæculo Maximos Pontifices, ac omnium ferè gentium Eminentissimos S. R. E. Cardinales publico dederunt. Sed in confesso est quantum ad Gallos summos viros pietate, natalibus, doctrinâ, & agendarum rerum peritiâ illustrissimos, sæpius hos scriptores hallucinari, multa singulari notatione digna omittere, multa perperam tradere, velut in alieno solo facillimum est à rectâ viâ aberrare. At bonâ sorte contigit, vt hoc scribendi argumentum illustrandæ patriæ desiderio, itidem indefesso labore tractares V. C. quin imo illud locupletares. E tenebris plurima hactenus incognita eruisti, confusis & inconditis ordinem attulisti, eâ curâ, eo studio, vt à piis & doctis viris gratiam inieris non minimam; præsertim cùm tot Sacrorum Heroum varia exhibeas celestis ingenij monumenta, & sapientiæ ciuilis egregia exempla, multa de dignitate, nomine ac titulis Cardinalium, de Conciliis Gallicanis, plura denique de Regum nostrorum Archisacellanis, ac magnis Eleemosynariis. Ne sinas igitur istam nostratis Historiæ partem eximiam tam longas moras pati, sed in aspectum lucémque profer Ecclesiæ bono, & Galliæ ornamento; Vale. Issiaci propè ripam Sequanæ ad secundum ab vrbe lapidem VI. Cal. Nouemb. an. Sal. M. DC. XXXVII.

Summa Priuilegij Regiæ Maiestatis.

REGIO diplomate cautum est, ne quis Typographorum hanc Galliam Purpuratam siue totam, siue partem, aut Latinè aut Gallicè imprimat, aut imprimi curet in regno Galliæ infra nouennium, præter eum, cui PETRVS FRIZON Doctor Theologus Parisiensis & Vicarius Generalis magni nostri Franciæ Eleemosynarij licentiam concesserit, sub pœnis diplomate contentis. Datum Lutetiæ die v. Martij anno Christi M.DC.XXXVIII. Et regni nostri XXVII.

LE TELLIER.

LIBER PRIMVS SVMMI PONT. E GALLIA ORIVNDI.



GERBERTVS AVRILACENSIS, PONTIFEX SYLVESTER II.

ANNO CHRISTI D. CCCC. XCVIII.

IN Aquitaniâ primâ Gerbertus Agilberti filius, ignobili loco oriundus Aurilaci Superioris Aruerniæ vulgò, *Oriliac*, primùm Monachus Ordinis Benedictini in Andrio Aurilacensi, olim Claromôtar:æ, vel (vt antiquo verbo vtar) Aruernæ Sidonij Præsulatu notissimæ; nunc D. Flori diœceseos, quod sanctus Giraldus construi curauit; in præsenti Cœnobium est sæculare: deinde Floriacum ad Ligerim paucis locorum interuallis ab Aurelia dissitum venit. Miror sanè Abrahamum Bsouium libello ante paucos annos Romæ edito, cuius est Epigraphe, *Sylucster II. Cæsius Aquitanus Pontifex Maximus*, multis velle contendere gentem Cæsiam Italam (quæ sine dubio nobilissima est) edidisse Syluestrum II. cùm apertissimè refragetur Glaber Rodulphus, S. Germani Antissiodorensis Monachus, non remotus ab illo æuo auctor, cuius sunt verba. *Is Gerbertus è Gallis oriundus extitit, Minorum etiam gerens prosapiam sed tamen ingenio acerrimus, artiumque liberalium studiis plenissimè instructus*; nec etiam Bsouio suffragatur Othonis epistola inferiùs à nobis citanda, cùm in ea verba faciat Otho de suo stemmate, non de Gerberti Prosapia. Adeò porrò Philosophicis & Mathematicis disciplinis

Aymon. l. 5. hist. Franc. c. 46.

Glab. l. 1. hist. Frãc c. 4.

cæteris præstitit, vt in Roberti F. Hugonis Capeti Francorum Regis institutorem selectus fuerit, qui quidem Regum pientissimus & literatissimus fuit, siue vt loquitur Concilium Lemouicense AN. M. XXIX. Regum doctissimus: prætereà Othonem III. Imperatorem discipulum habuit, & Leothericum Senonensem Archipræsulem, Seguini successorem, cui postcà pallium datum est ab ipso Syluestro. Sancti Columbani Cœnobiarcham egit, vt ipsemet testatur, conqueriturque apud Bosonem Comitem Imperatoris generum, cuius famuli bona Abbatiæ dilapidabant & surripiebant; eadem de re scribit ad Petrum Papiensem Episcopum. Abbas etiam extitit Bobiensis, vt notum est ex epistolâ Ioanni XV. Pontifici missâ, & aliâ Bobiensibus Monachis conscriptâ.

Aymon. loc. cit. Baron. an. 1004.

Ep. 3.

Ep. 4. & 5.

Ep. 14. Ep. 83.

Curialium gratia, & beneficio, ac assentatione ad Rhemensem primò Archiepiscopatum, inde Othone Cæsare procurante ad Rauennatem, ac demum ad summi Ecclesiæ Pontificatus apicem sibi aditum patefecit. Hinc Helgardus Monachus Floriacensis, in vita Roberti Regis summa fide conscripta, tradit Gerbertum de se ita in R. litera lusisse.

Scandit ad R. Gerbertus in R. post Papa viget R.

Quod ad Ecclesiam Rhemensem attinet, operæ-pretium est aurem præbere electioni Gerberti & destitutioni; Rex Hugo Capetus, synodo vel potiùs Pseudosynodo Rhemis anno Christi DCCCCXCII. die V. Cal. Iulij, in Ecclesia sancti Basoli congregratâ, Arnulphum Lotharij Regis ex concubina F. Archiepiscopum Rhemensem in ordinem redigi curat, & Gerbertum substitui. Huic Pseudosynodo interfuerunt, Odo Episcopus Syluanectensis, Godesmanus Episcopus Ambianensis, & alij Suffraganei Ecclesiæ Rhemensis cum Seguino Archipræsule Senonensi, qui Conciliabulo subscribere noluit, hæc sunt verba electionis.

Eligitur Rhemis & destituitur.

Nos Episcopi Rhemorum diœcesis, secundum has Constitutiones Patrum fauore & conniuentiâ vtriusque Principis vestri domini, videlicet Augusti, & Excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum, qui Dei sunt in Clero & Populo, elegimus nobis Archiepiscopum, Abbatem Gerbertum ætate maturum, naturâ prudentem, docibilem, affabilem, misericordem. Huius vitam ac mores à puero nouimus; studium in diuinis ac humanis rebus experti fuimus; huius consiliis, ac magisterio informari quærimus; eius electionem subscribendo confirmamus; stabilimus, corroboramus, communi bonorum omnium consensu. Idem Gerbertus à Leone Legato Apostolico Abbate sancti Bonifacij sede Rhemensi priuatur; Arnulphus substituitur carcere liberatus in alia Synodo Rhemensi, cui præfuit Seguinus anno DCCCCXCV. quâ de re Gerbertus scripsit epistolâ ad Adelaidem Augustam: in qua obseruatione dignum post Leonis sententiam eundem Gerbertum ad Synodum interpellasse, cuius adhuc iudicium præstolabatur. *Non, inquit, Ecclesiam, quam Episcoporum indicio regendam accepi, sine Episcoporum indicio relinquere volo;* sed tunc temporis loquebatur vt schismaticus, nam Episcopi primæ Synodi fuerant excommunicatione à Ioanne Summo Pontifice XV. huius nominis perculsi.

De hoc Cõcilıab. pluribus Baron. an. 992.

Gerbert. epist ad Adel.

Audiamus Ditmarum auctorem Germaniæ, Synchronon Syluestri ei fauentem. Gerbertus natus ex occiduis regionibus à puero liberali arte nutri-

Ditm. lib. 6. hist.

tus, & vltimò ad Rhemorum vrbem regendam iustè promptus (iniustè dicendum, vt notat Baronius) optimè callebat Astrorum cursus indagare, & contemplatores suos variæ artis notitiâ excellere. Hic tandem à finibus suis expulsus Othonem adiit Imperatorem, & cum eo diu versatus in *Maddeburg*, horologium construxit, illud rectè constituens consideratâ per fistulam quadam stellâ Nautarum duce.

Hydraulicorum restaurator habetur; vnde Vincentius Bellouacensis; Existens, ait, Syluester Archiepiscopus Rhemensis fecit arte mechanicâ horologium, & organa hydraulica, vbi mirum in modum per aquæ calefactæ violentiam implet ventus emergens concauitatem barbiti, & per multiforabiles tractus æreæ fistulæ modulatos clamores emittunt. Exemplum huius organi extat Tiburi XVI. ab vrbe lapide in Sabinis, & hortis Cardinalis Estensis; Horologij verò aquatilis, seu clepsydræ figura est Rauennæ in Herculis regione, quam Gerbertus construxit, Archiepiscopus tunc Rauennas. Vitruuius organi, & horologij Hydraulici meminit ante multas annorum decadas; propterea Gerbertum dixi reparatorem. Vincent. Bel. in spec. hist. l.24.c.98. Vitr. l.10. c.13.

Maximi pretij sibi compatauit bibliothecam, antequam Romanus esset Pontifex, vt ipse testatur epist. ad Adalberonem Godefridi Comitis filium Archiepiscopum Rhemensem, & ad Raynardum Monachum, denique ad Abbatem Turonensem sancti Martini, cui ita scribit; Cui rei præparandæ bibliothecam assiduè comparo, & sicut Romæ dudum ac in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica scriptores, authorumque exemplaria multitudine nummorum redemi. Epist.7. Epist.116. Epist. 22.

Calendis ipsis Nouembris anno reparatæ salutis DCCCC.XC.VIII. Summus Christianorum Pontifex electus statim Pipini Breuis, Caroli Magni & Ludouici Pij priuilegia Ecclesiæ collata curat ab Othone Imperatore sibi amicissimo renouanda, qui contra Romanos anno M.I. Syluestrum est tutatus; ambo in Galliam Transalpinam contendunt. Moritur Cæsar Paterni XII. Calendas Februarias, anno M.II. religione clarissimus.

Habemus Othonis Cæsaris ad Gerbertum Pontificem epistolam; Reuerendissimo Papæ Gerberto; Quia diuinitate propitiâ, non solum sanguinis lineâ, verùm etiam inter cunctos mortales quadam sui generis eminentiâ connectimur affectuum qualitate circa Domini cultum non dispares esse debemus; ideoque nostro animo vestrum metuentes ingenium, hunc Abbatem Petrum vestro commendamus Apostolatui, vtque honesta & vtilia circa suum Monasterium fore agenda, & à se, & à nostro Legato cognoueritis, cum omni diligentiâ exequi studeatis, vt dum Martyrum memorias in commune honoramus, eorum beneficia in commune sentiamus. Valete. Otho ad Gerb. ep. 55.

Primus classicum occinit Syluester sacræ militiæ alio tempore promouendæ, ad Ecclesiæ Hierosolymitanæ subsidium afferendum, introducens per Prosopopeiam ipsam Hierosolymorum Ecclesiam verba facientem Romanæ Sedi, & vniuersali Ecclesiæ in epistolâ cui titulus est, Ex personâ Hierusalem deuastatæ Vniuersali Ecclesiæ, sceptris Regnorum imperanti. Initium Sacræ Militiæ. Epist. 28.

Hoc Pontifice Transyluania salutarem Christi doctrinam amplexa, belli occasione inter S. Stephanum Hungariæ Regem, & eius Auunculum

Transsyluania Christiana.

Transsyluaniæ Ducem Giülam iniquo animo ferentem dispáris Religionis nepotem; hostis profligatur, Princeps Giüla capitur, qui vnà cum tota familia fit Christianus; ita testantur Annales Hungarici.

Ademarus sancti Martialis Lemouicensis Monachus meminit vnius Constitutionis Syluestri de Vidone Vicecomite Lemouicensi turri captiuum detinente Grimoaldum Præsulem Engolismensem, qui Pontificem Summum super suâ custodiâ interpellauit; pœnáque est constituta in eos, qui captiuitati traderent Episcopos; nimirùm vt ad colla indomitorum equorum disrumperentur; hanc Constitutionem refert Papirius Massonus.

Papir. Masson. in Syluest.

S. Maiolus.

Amicissimum habuit sanctum Maiolum nobilissimis parentibus in Prouinciâ natum Cluniacensem Abbatem, qui Cluniaco præfuit annos quadraginta: etiam virum pientissimum Eberardum, vt constat ex Epistolis ipsius Gerberti.

Nullos creauit Cardinales in Sede Diui Petri, moratus annos quatuor menses sex, dies duodecim.

Syluester moritur die XII. Maij, anno M.III. in Lateranensi Ecclesia sepultus, cui Sergius IIII. posuit Mausolæum, quo conficta à Bennone Presbytero Cardinale in doctissimum Pontificem fabula de obtento diabolicâ arte Pontificatu refellitur. Miror Platinam ausum, vt & alia multa in medium proferre desumpta ex Martino Polono Cisterciensi Monacho, postea Archiepiscopo Cosentino; quorum primus author Benno Cardinalis Schismaticus, quam fabulam de Gerberti magiâ & pacto cum Dæmone inito, confutat doctissimè Bellarminus. Huic figmento ansam præbuit cognitio matheseos, quâ pollebat Syluester, vnde Astrologus & Magus rudi illo sæculo à plebe appellabatur, tamen Blondo teste nullus scriptorum affirmare dubitat Syluestrum II. litteris moribusque fuisse commendandum.

Bellar. in Controuers. l. de Summ. Pont.

Superest nobis in eius gratiam referre Epitaphium à successore Sergio compositum.

Iste locus mundi Syluestri membra sepulti
Venturo Domino conferet ad sonitum:
Quem dederat mundo celebrem doctissima virgo,
Atque caput mundi culmina Romulea.
Primùm Gerbertus meruit Francigena Sede
Rhemensis populi Metropolim patria.
Inde Rauennatu meruit conscendere summum
Ecclesiæ regimen nobile, fitque potens.
Post annum Romam mutato nomine sumpsit
Vt toto Pastor fieret orbe nouus.
Cui nimium placuit sociali mente fidelis
Obtulit hoc Cæsar tertius Otho sibi.

Tempus vterque comit clara virtute Sophiæ.
Gaudet & omne seclum, frangitur omne reum.
Clauigeri instar erat, cœlorum sede potitus,
Terna suffectus cui vice pastor erat.
Iste vicem Petri postquam suscepit, abegit
Lustrali spatio sæcula morte sui.
Obriguit mundus discussâ pace triumphus
Ecclesiæ mutans dedidicit requiem,
Sergius hunc loculum miti pietate Sacerdos,
Successorque suus compsit amore sui.
Quisquis ad hunc tumulum deuexa lumina vertis,
Omnipotens Domine, dic Miserere sui.

OBIIT anno Dominicæ Incarnationis M. III. INDIC. I. M. MAII. D. XII. Scripsit librum centum quinquaginta nouem Epistolarum ante adeptum Archiepiscopatum Rhemensem.

Librum de Arithmetica, seu Numeris ad Constantinum Floriacensem Monachum.

Vitam sancti Adalberti Martyris Pragensis Episcopi, quæ habetur in Bibliotheca Cassinensi; & à paucis annis Romæ in lucem emissa à Bsouio Adalbertum Vrsinum vocante.

De Geometriâ.

De Spherâ.

De Compositione Astrolabij.

Dialogum, cuius Interlocutores ipse Gerbertus, & Leo Nuncius Apostolicus.



Visuntur numismata Syluestri II. cum duabus pendulis clauibus, & symbolo epigraphico, *Claues Regni Cælorum.* Insignia fronti huius-ce narrationis affixa notantur Romæ in antiquis Summorum Pontificum monimentis, putà scuto cæruleo plura aurea lilia ordine impressa. Bsouius in libell. Syluest. 2.



Anno Christi. M.XLIX.

BRVNO VRBIS LEVCORVM PONTIFEX B. LEO IX.

IN Ecclesia Tullensi à Bertholdo Episcopo adhuc quinquennis Bruno educatus, & Canonicus posteà effectus singulari virtute excellens curâ optimæ Heilluuidis, ex quâ natus est XI. Kalendas Iulij Anno M.II. Indictione XV. cuius parens Hugo nuncupabatur Imperatoris Conradi cõsobrinus; Parentes Cœnobium VVoffenense in sanctæ Crucis honorem construxêre; totum Brunonis corpusculum quasi cruciculatum stigmatibus insignitum, quod posteà ieiuniis & vigiliis macerabat, vt illud B. Iobi de ipso vsurpari possit: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Eius collega fuit Adalbero contribulis, & eiusdem prosapiæ, qui posteà ad Pontificium Mediomatricæ Vrbis, voto Cleri & plebis magis quàm suo assumptus, ita VVibertus Archidiaconus Brunonis coætaneus, qui vitam huius B. Leonis scripto mandauit.

Iob. c. 19.

VVibert. lib. vitæ S. Leonis IX.

Tullensium Vrbis Episcopus eligitur die Ascensionis Dominicæ XIII. Kalendas Iunij anno MXXVI. post Herimannum quintum à sancto Girardo Coloniæ Agrippinæ oriundo, dilectus Deo & hominibus columbinæ innocentiæ, & serpentinæ prudentiæ. A Popone Treuirorum Archipræsule inungitur, & à suo Consobrino Theodorico Mediomatricum Præsule in Cathedrâ est locatus. Medianensis, ac B. Mansueti Cœnobij Prælatos deposuit in ipso suæ electionis limine, atque Domno Guidrico tunc temporis Præposito Monasterij B. Apri commendauit. Pauperum miserias

Virtutes Leonis.

eleemosynis ante omnia, & super omnia subleuare satagebat.

In Brunonem Odo vicinæ Commarchiæ Francorum Comes bellum mouet, multisque hominem persequitur aduersis, sed Lotharingiæ Dux Gozelo Odonem profligat, & morti tradit.

Idem ibidem.

In Franciam missus Legatus noster Præsul pro pace inter Conradum Romanorum Principem, & Robertum Regem Franciæ stabiliendâ. In die Christi Natiuitati sacrâ Leucis excepit Hugonem Pisanum Legatum Sedis Apostolicæ, Eucrardum Archiepiscopum Treuirensem, Adalberonem Metensem, & Theodoricum Virdunensem Præsules.

Sumpto peregrino habitu Romam contendit, & Teronem fluuium egressum diebus septem aluei fines inuocato diuino auxilio in eundem alueum recipi coëgit; Brunonique ipsi & aliis omnibus iter securum datur; sæpè in itinere pedes nudis plantis incedit ad Apostolorum limina.

Ad Summum Ecclesiæ Pontificatum vitâ functo Damaso II. assumitur anno Verbi Incarnati M. XLIX. Dominicâ Quadragesimæ primâ, pridiè Idus Februarij, & in Apostolicâ Cathedrâ constituitur.

Quamdiu vixit Tullensem Episcopatum retinuit, voluitque Tullensis Episcopus appellari, vt notauit Cardinalis Baronius in Leone IX.

Retinet Episcopatum Tullen.

Initio Pontificatus eodem anno Synodum habuit aduersus Simoniacos, de qua Petrus Damianus: Cum autem Romam ex Galliis contenderet, inquit Sigebertus, ad capessendam sedem Apostolicam, audiuit voces Angelorum occinentium, *dicit Dominus ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*; Ita erga Sanctos Angelos nostræ custodiæ à Deo destinatos benè erat affectus, vt eodem quo ordinatus est anno, montem Garganum, Sancto Michaeli Archangelo sacrum, petierit, vt testatur Leo Ostiensis.

Damianus epist. ad Henric. Rauēnatē letem. 29. Sigebert. in Chron. Leo Ostien. in Chron.

Ad nouum Pontificem scripsit Petrus Damianus Heremita Mōtis Auellani in Vmbria, contra nefanda carnis vitia, inscripsitq; Librum *Gomorræum*, qui Pontifex Petri gladio acutiore quam Phinees, confecit turpissimos homines. Rebus in Italiâ benè constitutis in Germaniam iter habet, & in Galliam: de quo itinere suscepto Otto Frinsingensis Episcopus & Germanus Princeps. Bruno, inquit, qui & Leo Tullensium Episcopus Romanam Ecclesiam gubernandam suscepit; hic ex nobili Francorum prosapiâ oriundus auctoritate Regalis excellentiæ, ad Sedem Beati Petri destinatus fuerat, cumque assumptâ purpurâ Pontificali per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, vbi fortè tunc Hildebrandus obedientiam Prioratus administrabat. Is Leonem adiens Dei æmulatione plenus, constanter eum de incœpto redarguit, illicitum esse per manum Laicam Summum Pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter peruenire. Leo ducens secum Hildebrandum ad Vrbem venit. Ipsius Hildebrādi consilio à Clero & populo Bruno in Summum Pontificem eligitur. Ex quibus Ottonis verbis duplex electio notatur, Prima ab Henrico II. Cæsare, rogantibus Romanis non Canonica anno M. XLIX. Secunda secundum Iuris Ecclesiastici apices.

Otto Frising. in Chron.

Leo bis eligitur.

Lambertus.

Tempore Autumnali eiusdem anni celebrauit Synodum Rhemis tribus diebus, in templo D. Remigii, cuius Basilicam restitutam dedicauit, Herimaro huius loci Abbate procurante, & facta est sacrorum lipsanorum Diui

Conciliū Rhemis celebratur.

Remigij translatio Summo Pontifice Leone humeros supponēte cum aliis. Huic Synodo interfuere viginti Galliarum Episcopi, & quinquaginta ferè Cœnobiarchæ. Rex Syluanectensem misit Episcopum Frolandum ad Summum Pontificem Synodi impediendæ causâ (nescio quo maleuorum & impiorum suasu) sed frustra. Tullum Herimarus Abbas progreditur obuiam Pontifici secum habenti Hugonem Chrysopoleos Archiepiscopum, virum eloquentissimum; cùm ad Curmolensem villam peruenisset, omnia victui necessaria & Papæ, & comitatui abundanter suppeditauit. Itinerarium Leonis in Gallias descripsit pluribus Anselmus Monachus Rhemensis. In ea Synodo querela inter Archiepiscopos Rhemensem & Treuirensem mota, quod vterque se Primatem in Gallia asseueraret: propterea Cōsessus Synodi ita à Papa dispositus. Imprimis Summus Pontifex in medio chori verso vultu ad Sepulchrum B. Remigij, ante oculos ipsius ad Orientalem plagam Rhemensis in dextrâ, Treuirensis in sinistrâ. Post Rhemensem resederunt Berollus Suessionensis, Trogo Morinensis, Frolandus Syluanectēsis, Adalbero Metēsis: Ad meridiem Aylenardus Archiepiscopus Lugdunensis, Hugo Lingonensis, Iosfridus Constantiensis, Yuo Sagiensis, Herbertus Lexouiensis, Hugo Baiocensis, Hugo Abrincensis, Theodoricus Virdunensis: Ad Septentrionem, Hugo Vesontiensis, Hugo Niuernensis, Eusebius Andegauensis, Pudicus Nannetensis, Episcopus Anglorum, & Ioannes Portuensis. Post quorum terga in modum coronæ residebant Abbates; Domnus scilicet Abbas sancti Remigij Herimarus, Domnus Hugo Cluniacensis, Sigefridus Corziensis, Fulco Corbeiensis, Robertus Pemmiensis, Raynaldus sancti Medardi, Giruinus sancti Richarij, Gotfridus Vezelliacensis, Arnoldus Pultariensis, Rudolphus Mosomensis, Oylardus Catalaunensis, Milo Deruensis, Norgandus Alteuillarensis, Albertus sancti Theodorici, Stephanus sancti Vrbani, Vulurinus sancti Augustini Catalaunensis, Alcuinus sancti Benedicti de terra Anglorum, & alij nonnulli.

Anſel. Itin. Leonis.

Tres fuere Sessiones huius Concilij; In primâ inter alia declaratum est solum Romanæ Sedis Pontificem vniuersalis Ecclesiæ Primatem esse, & Apostolicum. In secunda Archiepiscopus Rhemensis purgauit se à multis obiectis criminibus, & Turonenses Clerici per Lugdunensem Archiepiscopum questi sunt super Dolensi Episcopo Britanniæ Armoricorum, qui se cum octo Suffaganeis à Turonensi Archiepiscopo subtraxerat, sibique Archiepiscopi nomen contra fas vendicabat. Multa obiecta sunt in Hugonem Episcopum Lingonensem, à quibus se oneratum sentiens noctu aufugit; posteà Pœnitentiâ ductus rediit & publicè crimina fassus, & à Leone absolutus, Romamque nudis petijt pedibus; In tertiâ Sessione Hugo Niuernensis confessus est plurimum pecuniæ à Parentibus pro suo Episcopatu datum, se nesciente, & eo instanti volens libens pedum Pastorale ante Pontificis pedes deposuit; re discussâ, ei fuit restitutum.

VViberr. loc. cit.

Eodem anno M. XLIX. post Rhemensem Synodum Leo aliam habuit Moguntiæ Bardone Archiepiscopo Moguntino quadraginta prope Episcoporum, coram Henrico Imperatore. In eâ Synodo Spirensis Epis-

copus

copus Sibico, cui crimen adulterij & sacrilegij, ac alia objiciebantur; examinatione diuini sacrifici intendens se innocentem declarare, maxilla contorta remansit toto vitæ spatio. In vrbe Mediomatricum dum iter ageret, poscente Abbate Guarino consecrauit S. Arnulphi Basilicam. Colonia transiens Herimanni Archipræsulis precibus concessit Coloniensi Ecclesiæ hoc priuilegium, vt ad altare sancti Petri septem Presbyteri Cardinales quotidiè diuinum celebrarent officium in Sandalijs; ei que dedit S. R. E. Cancellarij officium, & Successoribus, illi tribuens D. Ioannis Ecclesiam ante portam Latinam. Romam reuersus omni temporetribus per Hebdomadam diebus à Lateranensi Ecclesia vsque ad sanctum Petrum priuato habitu, nudisque pedibus in comitatu duorum aut trium Clericorum noctu psallendo, & orando pergebat, vt testatur Leo Ostiensis.

Herimib.

Antiqua Coloniens. Ecclesiæ priuilegia

Leo Ostien. loco citato.

Anno M. L. duas habuit Synodos Romanam & Vercellensem, in quibus causa Berengarij agitata; Romana celebratur paucis à Paschate diebus, Vercellensis vero mense Septembri. Interfuit Lantfrancus, qui in Berengarium scripsit, quique à Berengario literas accepit, eas Clerico Rhemensi deferente: in Synodo lectæ sunt de corpore & sanguine Domini, & damnatæ. In eodem Concilio Patriarchalis Sedes Veneta approbata.

Quando Patriarcha Venetus.

Leonem Pontificem circa hæc tempora adiit B. Robertus Aruernensis erecto Monasterio, *Casa Dei*, nuncupato, Ordinis Benedictini, diœceseos Claromontanæ, quod Pontifex variis ornauit Apostolicis priuilegiis, ipsi præficiens D. Robertum primum Cœnobiarcham, cuius festum agimus die vigesimâ quartâ Aprilis; in eo andrio posteà Clemens VI. Monachismum est professus, vt in Clemente VI. significabimus. Synodo Romæ habitâ anno M. LII. in quâ D. Girardum Tullensem Episcopum albo sanctorum inscripsit, ex Sigeberto. Tres insigni pietate & doctrinâ Legatos misit Constantinopolim, Hubertum syluæ candidæ, Federicum Lotharenum S. R. E. Cancellarium, & Petrum Amaphiltanum Archipræsulem pro Græcæ Ecclesiæ Schismate extinguendo anno M. LIV. de quâ legatione pluribus statim cum de Federico à Lotharingia Pontifice Stephano X. & libro secundo cum de Huberto Cardinale syluæ candidæ agemus.

Cœnobiũ Casæ Dei.

S. Girardus Tullen.

Pro foribus cuiusdam domus iacens Leprosus defertur ipsius mandato in lectum ipsius Leonis, & curatur; verum statim disparuit, creditus que est Christus, vel potius Angelus, specie Leprosi, ipse enim est apud Prophetam visus *tanquam Leprosus, cui non est species neque decor.*

Leprosus cubat in lecto Leonis.

Isa. 53.

Beneuenti æger factus Pontifex Romam delatus paucos post dies sanctè decedit iuxta Oratorium Diui Petri XIII. Cal. Maii anno M. LIV. Sedit in Pontificatu annos quinque, menses duos, dies octo.

Terræ mandatur apud D. Petrum iuxta B. Gregorii Sepulchrum; Ad Leonis tumulum plurima tunc temporis signa effecit Deus, ex Leone Ostiensi; Mutus est sanatus, vt testatur Desiderius Abbas Cassinensis, qui posteà Papa Victor III. B. Leonis festus dies celebratur decimo nono Aprilis; VVibertus refert Epitaphium.

VVib. loco citato.

Leo Ostiens. li. 2. c. 88.

Victrix Roma dolet nono viduata Leone,
Ex multis talem non habitura Patrem.

Sanctus Pontifex caritate, misericordiâ, patientiâ, vigiliis, ieiuniis, orationibus noctu diuque viuens se exercebat, omnem lecti mollitiem fugiebat, sumpto cilicio & tapete terræ strato, capiti lapide summisso tantillum dormiebat, integrum aliquando recitans psalterium, singulis diebus Diuinum offerebat Sacrificium.

Scripsit vrbis Leucorum Præsul Responsoria in veneratione Martyris Cypriaci, sancti Hidulphi Treuirorum Archiepiscopi, B. Odiliæ Virginis, D. Gregorii Doctoris, & Pontificis, Anglorum Apostoli.

Sigefridi Abbatis Gorziensis precibus composuit S. Gregorii Presbyteri Martyris nocturnalia Responsoria Metis transiens.

Libellum Romæ edidit contra Episcopos Michaelem Constantinopolitanum & Leonem Acridanum, eorum calumnias contra Latinam Ecclesiam diluens. *VVib. loco citato.*



FEDERICVS A LOTHARINGIA PONTIFEX STEPHANVS X.

Anno Christi M. LVII.

PATRE Gozelone Godefredi Ardennæ filio natu minore, Mosellani & Lotharingiæ Duce in Ducatus possessionem ingresso ANNO M. XXV. & matre Yunca Berengarii Longobardorum Regis filiâ, fratribus Godofredo Barbato huius nominis II. Lotharingiæ & Tusciæ Duce ob Beatricem vxorem Bonifacii Marchionis viduam, & Gozelone natu maiore, qui mente fuit captus ex Hermano Contracto. Nepotem habuit Godefredum, cognomento Gibbosum ob corporis deformitatem, qui patri successit in solo Lotharingiæ Ducatu, non Tusciæ; cùm fuerit filius non Beatricis sed primæ vxoris. *Herm. Cōtract. in Chron.*

A puero vacauit liberalibus artibus, & Ecclesiasticis ceremoniis, assiduus in Ecclesiæ ministerio; Imprimis Canonicus Regularis sancti Lamberti Martyris Leodiensis Antistitis, cuius Cœnobium Notgerus Præsul Leodiensis XLVI. & à Diuo Lamberto duodeuigesimus cultui Diuino consecrauit, & longè in melius, quàm fuerat antea, immutauit templum magnificentissimum sexaginta Canonicorum miræ amplitudinis, sublimitatis, & pulchritudinis. Ecclesi. D. Lamberti Leodien.

Leo Papa IX. anno Pontificatus sui secundo, sæculi verò M.L. defert Federico consanguineo honores Cardinalis Diaconi tituli sanctæ Mariæ in Dominica, Bibliothecarium & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarium instituens, loco Hermanni Archipræsulis Coloniensis.

Anno sequenti Priuilegium scripsit à Leone Pontifice concessum Metropolitanatus Salernitanæ Ecclesiæ, quæ est Virginis Deiparæ, in quâ etiã Venerandum Diui Mathæi Apostoli, & Euangelistæ corpus quiescit; in cuius diplomatis fine legitur. *Datum II. Calend. Febr. per manus Federici Diaconi sanctæ Apostolicæ Sedis Bibliothecarij, & Cancellarij.*

Historiæ Bauaræ Ratisbonensis Ecclesiæ referunt eundem Federicum Lotharenum S.R.E. Diaconum anno M.LII. scriptis mandasse declarationem corporis sancti Dionysij Parisiorum primi Episcopi & Patroni, Ratisbonæ existentis. Verum id esse commentitium apertissimè docet Rigordus, qui Ludouico Philippi Francorum Regis filio claruit, ostenditque sacra Diuorum Dionysij, Rustici & Eleutherij corpora, non Ratisbonæ in Abbatiâ sancti Emerani Martyris, sed in Gallia apud Ecclesiam extra Parisios à Dagoberto Rege ædificatam, & dotatam conseruari; cuius causâ Lutetiam profecti sunt Imperatoris Henrici II. ex Germania Legati, & veritate compertâ redierunt ad Augustum. Corpus Dionysij in Frãciâ, non Ratisbonæ. Rigord de gestis Philip. August. an. 5.

Leone mandante Priuilegia Cassinensibus Monachis concessa describit noster Federicus, eodem Pontifice ex Germaniæ partibus Cassinum reduce: *Federico Cancellario* (inquit Leo Ostiensis) *mãdat Pontifex priuilegium conscribi, Monasteriumque sancti Stephani supra Terracinam cœnobio Cassinensi assignari.* Leo Ost. l. 2. c. 88.

Legatus à Latere Bizantium vnà cum Huberto Cardinale Episcopo Syluæ Candidæ, & Petro Amaphiltano Archipræsule missus à Leone IX. anno M.LIV. de qua Legatione supra actum, materiâ suæ legationis Constantino Monomacho apertâ disputationem instituit cõtra Michaelem Cærularium Patriarchã, & Nicetam Monachũ; ille perpetuo Schismati adhæsit, hic Federico Lothareno manus dedit, alijsque duobus Legatis. Super hac legatione scripsit Cærularius ad Petrum Antiochenum; & inter cætera hæc habet. Tertio Legato, nimirum Federico, personam, quæ Papæ placuerit, tributam Cancellarij scimus, idque coram Romanâ dignitate, pro insigni quadam versutiâ, vt talem se diceret abduxit, quò posset per eum, quæ machinabatur, obtinere. Legatio Constantinop.

Peractâ Legatione, & defuncto Leone Pontifice, Romam rediens cum Collegis spoliatur à Theatino Comite; multa enim ipsi & sociis donarat magni pretij Constantinus Augustus, tum pro Ecclesiâ Diui Petri, tum pro monasterio Montis Cassini. Henricus II. Imperator Occidentalis Fe- Rediens spoliatur.

derico negotium facessit ob pecuniam, & dona accepta à Constantino; Duci enim Godofredo, Federici germano fratri infensissimus tunc temporis erat, vt refert Leo Ostiensis; Henricus sibi timens in Italiâ propter Beatricem Tusciæ Dominam datam in coniugium Godofredo mulierem potentissimam.

Idem ibid. c. 90.

Patientissimo tulit animo Cancellarius calumniam sibi illatam ab Henrico, proponitque apud se clam Romæ conuenire Richerium Abbatem Cassinensem ex Imperatoris Curiâ redeuntem, vt impetret monachismum, sprctis sæculi pompis; Annuit libentissimè Richerius, tunc Federicus in præsentiâ Nunciorum Imperatoris pretiosissimam vestem, quâ tunc vtebatur, exuit, ipsosque precatur, vt renuncient Augusto; quæ omnia refert citatus Leo. Centuplum accepit pauper Religiosus; duos enim post menses creatur Abbas Cassinensis, & tandem summus Pontifex.

Federicus fit Monachus.

Certior factus de Imperatoris obitu Victorem Pontificem adit, narrátque sacrilegium Trasimundi Comitis contra Legatos Apostolicæ Sedis, qui excommunicationis fulmine percellitur, quo audito, Comes omnia ablata Romam retulit, & absoluitur.

Richerio Cœnobiarchâ mortuo, eligitur in Abbatem Cassinensem trigesimum sextum, die Veneris post Pentecostem IV. Cal. Iunij anno M.LVII. omnium Monachorum votis, & calculis; deposito Petro, qui præproperè fuerat intrusus, tunc Præside Humberto Legato Episcopo syluæ candidæ, quod ingentis gaudij segetem omnibus Cassinensibus præbuit ob eximiam Federici sapientiam, illustres natales, & virtutes Heroe dignas. Pro controuersiâ terminandâ Victorem in Hetruriâ agentem adit, comite Cardinale, & octo Monachis. In omni Episcoporum & Principum Conuentu superiorem Abbatibus omnibus locum ipsi, & Successoribus decernit Pontifex.

Creatur Abbas Cassin.

Prouehitur à Victore ad titulum sancti Chrysogoni, ex Archidiacono tituli sanctæ Mariæ factus Presbyter Cardinalis secunda promotione, isque solus anno M.LVII.

Cardinalis.

Impetratâ veniâ Cassinum redeundi, Româ iter habens, summum Pontificem vita functum Florentiæ accipit die vigesimâ octauâ Iulij; Bonifacio Albanensi Episcopo nuntium afferente.

Federicus die Augusti II. eiusdem anni Romæ in Romanum Pontificem assumitur, cum ingenti omnium gaudio, non verò Florentiæ Tuscorum, vt vult Ricordanus Florentinus; ante Electionem in Ecclesia sancti Petri ad vincula factam, Pontificatum ipsi procurantibus aiebat mœrens, *de me non potestis agere, nisi quod permiserit Deus, & absque illius nutu, nec mihi dare nec auferre istud potestis*; nomine Stephani X. donatur; nomen hoc sumpsit, quòd dies suæ Electionis Diuo Stephano Papæ, & Martyri sacra celebraretur, inquit Leo Ostiensis. Nonnulli IX. Stephanum vocitant, non adscribentes Pontificum catalogo Stephanum huius nominis II. Zachariæ Pontificis successorem; cum dies tres solummodo in Pontificatu transegerit, quæ ratio non debet illum ab albo summorum Pontificum expungere.

Summus Pontif.

Ricord. in hist. Florent.

Eâ tempestate vitâ fungitur Michael ille Cærularius Patriarcha Constantinopolitanus Ecclesiæ Romanæ, & Federici hostis acerrimus, in exilium amandatus ab Imperatore Isaacio Comneno. Moritur Cærularius.

Toto vitæ Spatio Abbatiam Cassinensem sibi reseruauit, constituto illic eiusdem Cœnobij Monacho Desiderio vices gerente, exemplo Papæ Leonis IX. qui sibi Episcopatum Tullensem, quoad vixit, retinuerat, dato Suffraganeo. Retinet Stephan. Abbatiã Cassinẽn.

Petrum Damianum Rauennatem profitentem anachoresim (quibusdam cognomento Peccatorem, sed aberrant, nam fuit alter Petrus Peccator, cognomento de Honestis Rauennas, qui in portu Adriatici littoris fundato à se Cœnobio diem extremum clausit) in Collegium Cardinalium cooptat renitentem, & Episcopum Ostiensem consecrat: proinde ipse Damianus in Epistolâ ad Nicolaum Papam, *suum* vocat *persecutorem Stephanum*, vir omni doctrinâ & sanctimoniâ præstantissimus, qui multos exarauit libros Epistolarum, Sermonum, Opusculorum nuntio remisso posteà Cardinalatui & Ostiensi Episcopatui, vt dicemus in Nicolao II. Quantus vir Damianus.

Multa & præclara in animo versabat Pontifex, alioquin infirmæ valetudinis, sed morte præuentus ad felicem exitum omnia perducere non potuit. Ecclesiam Mediolanensem à Romanâ ab annis penè ducentis diuisam eidem æternâ pace sociauit. in eum finem congregatâ Synodo apud Lateranum. Cum Florentiam adiisset Româ ad Godefredum fratrem Tusciæ Ducem (cui coronam imperij procurabat) contigit eum solitò peius habere; decumbentem B. Hugo Cœnobiarcha Cluniacensis inuisit, morientique opem præstitit, Dæmonem Stephano infestum suâ fugans præsentiâ IV. Calendas Aprilis anno M. LVIII. sepultus in Ecclesiâ Sanctæ Reparatæ Virginis & Martyris; septem menses & duodetriginta dies Pontifex, cuius venerandum corpus anno M. CCC. LVII. apud eandem Ecclesiam, iuxta sancti Zenobij altare vnà cum Pontificijs vestibus repertum Canonici incluserunt marmoreo cœnotaphio. Suo tempore refert Leo Ostiensis multa patrata fuisse ad sepulchrum miracula, ad cuius, inquit, sacrum corpus interuenientibus meritis plurima signa Christus ostendit. Ecclesia Mediol. reconciliatur Romanæ. Miracula post mortem. Leo Ostien. in Chron.

Scripsit de veritate corporis Domini contra Michaelem Patriarcham.

De re eâdem contra Monachum.

Epistolam ad Geruasium Archipræsulem Rhemensem, non verò ad Guillelmum; cum nullus hoc nomine reperiatur toto illo sæculo Rhemensis Archiepiscopus; ansam errori dedit litera solitaria G. pluribus Guillelmum pro Geruasio Rhemensi substituentibus, qui anno M. LIX. Lutetiæ Philippum Regem Septennem sacrâ tinxit vnctione, Patre Henrico præsente, posteà magnus Franciæ Cancellarius. Epistola Stephani X. ad Geruasium habetur apud Papyrium Massonum Patronum Senatus Parisiensis virum eruditissimum. Masson in Steph. X.



Insignia à Ciaconio relata Stephani X. Lothareni sunt ea, quibus in præsenti gaudent Lotharingiæ Principes, tres nimirum Aleriones, siue Scutum aureum baltheo miniato, & tribus argenteis Aquilulis rostro & cruribus mutilatis impressum, quòd ad Dauidis turrim Hierosolymis Godofredus Bullionæus Rex Hierosolymitanus, & Dux Lotharenus tres volitantes Aquilulas vnâ transfixit sagittâ anno M. XCVII. quas in perennem memoriam pro Gentilitiis imaginibus ferunt Lotharingiæ Duces; Verum Fedricus Papa Stephanus X. multos præcessit annos Godofredum, cuius magnus fuit Patruus qui obijt anno M. LVIII. Godofredus verò Bullionæus in Ducatum Lotharenum ingressus anno M. LXXXV. & mortuus XV. Calend; Augusti anno M. C. quare Alcriones non deberc Federico Lothareno dari pro insignibus, sed antiquum suæ Gentis Scutum argenteum solido Ceruo coccineo natiui coloris, cornua aurea incerto numero gestante exaratum; quo ante Godofredum Bullionæum vtebantur Lotharingiæ & Mosellani Proceres.

Solidum Lotharingiæ scutũ.

Solidum Lotharingicæ familiæ hodiernum Scutum transuersè sectum, & ab summo quadratim dispertitum. I. capitis Laterculus Hungaricus octonis ex argento, & minio taniis transuersis exaratus. II. Neapolitanus cæruleus confusè liliatus, cum fasciolâ trifidâ coccineâ. III. Hierosolymitanus argenteus, cum aureâ cruce patibulatâ, & quatuor ad angulos eiusdem metalli cruciculis mutilis. IV. Aragonicus aureus palo quadruplici coccineo impressus. I. pedis laterculus Andegauensis cæruleus liliis aureis frequentatus, margine coccineo. II. Geldricus cæruleus Leone in læuam obuerso aureo; corona aurea lingua & falculis coccineis exaratus. III. Flandricus in aureâ parmulâ leo niger linguâ & falculis rubeis. IV. Barrensis cæruleus cruciculis aureis brachiatis, & in imo spiculatis, incerto numero sparsus, mullis item barbatulis aureis duobus, tergis obuersis, dentibus & oculis argenteis impressus. Omnibus symbolis in sede honoraria impositum scutulum Lotharingicum aureum baltheo coccineo, & tribus argenteis Aquilulis rostro & cruribus mutilatis exaratum.



GIRARDVS BVRGVNDVS PONTIFEX
NICOLAVS II.

GIRARDVS cognomento Burgundus, natione Gallus, Florentiæ Tuſcorum Præſul, Axio vitâ functo, Cardinalatus honore eſt decoratus à Stephano X. Quæ autem poſſet ſuboriri dubitatio, vtrum è Galliâ ſuos traxerit natales, ſatisfecit apertiſſimè Geruaſius Rhemenſis Archipræſul (qui malè à nonnullis nuncupatur Guillelmus, vt in Stephano ſummo Pontifice notauimus) in eâ enim epiſtolâ, quam ſcripſit ad Nicolaum II. Pontificem, qui noſter eſt Girardus, ſic loquitur. Nos ſic honoraſtis prudentiâ, & ſanctitate veſtrâ, vt de Regno veſtro Roma eligeret, quem ſibi & mundo caput ordinaret. Electus in Pontificem aſſumpto nomine Nicolai II. Senis anno M. LVIII. Calendis Ianuarij, Hildebrando procurante ad tollendum ſchiſma; in Vrbem conſecrandus venit cum Godefredo fratre Stephani Pontificis ad eliminandum Benedictum IX. Antipapam Minium Velitris oriundũ (ex cuius familiâ ſeptẽ fuerant Pontifices) quem vi, & armis Laici elegerant; at poſteà fuit in perpetuum Velitras proſcriptus, verè Apoſtaticus, non Apoſtolicus. Damianus in epiſtolâ ad Mainardum Epiſcopum Vrbinatem, inter cætera notat Nicolaum nunquã toto anni ſpatio diem prætermiſiſſe, quin pedes duodecim pauperum ablueret. ANNO CHRISTI. M. LVIII.

Hildebrandus Cardinalis fuerat in Germaniam miſſus à Stephano X. ad Agnetem Imperatricem filiam Guillelmi Ducis Aquitaniæ (quæ tunc temporis clauum imperij regebat cum Henrico filio) ob Electionem noui Pō-

tificis,cum malè haberet Stephanus,nec ſpes eſſet vitæ, qui ſtatuerat, inquit Petrus Damanus in epiſtolâ ad Henricum Archiepiſcopum Rauennatem, Anathematis fulmine,ne quis antè Hildebrandi Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi reditum,qui omnium conſilio mittebatur,in Papam eligeretur. Creauit Pontifex Deſiderium,qui Abbas erat Caſſinenſis,ſecundo quadrageſimæ Sabbatho, id eſt, pridie Nonas Martij Cardinalem præſbyterum, & ſequenti Dominica Abbas fuit inauguratus.

Algerus lib. de Sacram. c. 19. De Berengario Lanfran. lib de Euchariſt.

Concilium Romanum anno M. L I X. à Nicolaò II. celebratum in Laterano,ad quod teſte Algero,cauſam dicturus,vocatus eſt hæreſeos reus Berengarius,altera vice damnatus Hæreſiarcha;cui interfuerunt centum tredecim Epiſcopi coram quibus ſuum anathematizauit errorem; *inclinato corpore*,vt loquitur Lantfrancus Cantuarienſis, *ſed non humiliato corde*. Libros à ſe editos in rogum ardentem coniecit. Adelmus è ſcholaſtico Leodienſi Epiſcopus Brixienſis ſcripſit Epiſtolam ad eundem Berengarium,in quâ ſuum vocat Collactaneum ob contubernium in ſchola Carnotenſi ſub Fulberto,rogatque ne conturbet Rempublicam Chriſtianam.

Pontifex in Apuliam profectus aliud Concilium habuit Malphiæ; in quo depoſitus Tranenſis Epiſcopus, qui cum Græcis conniuebat contrà Romanam Eccleſiam, vt docebimus lib. ſequenti in Huberto Cardinale ſyluæ candidæ. Eodem anno celebrata eſt Synodus Pariſienſis, in quâ viginti duo Epiſcopi fuere præſentes. Henricus I. Galliæ Rex filium ſuum Philipum I. impuberem, & ſeptennem Regem conſtituit, & ſolemni ritu iuſſit coronandum Rhemis IV. Kalendas Iulij, die Pentecoſtes in Metropolitanâ Eccleſiâ ab Archiepiſcopo Geruaſio, filio Guidonis II. Lauallij ex Bertrude Caſtri Ledi vulgò *Chaſteau du Loir*. In Philippi conſecratione, & coronatione expoſuit puero Regi fidem Catholicam Archiepiſcopus; ſciſcitatus ab eo (vt refert hiſtoria Eccleſiæ Rhemenſis) vtrum in hanc crederet,eamque armis tueri vellet, liberè annuenti allata eſt Fidei profeſſio ſcripto exarata,quam ipſe legit, & ſubſcripſit. Nicolaus ſcripſit ad Geruaſium,vt corriperet Regem Henricum,quem *ſui pupillam oculi* vocat Pontifex, nec audiat Rex Valterium Epiſcopum Matiſconenſem ſemina diſcordiarum contrà Romanam Eccleſiam ſeminantem. Anno ſequenti mortuus eſt Henricus Berengario inimiciſſimus, vt & anteà Rex Robertus parens.

Sub finem Pontificatus Nortmannos,& eorum Ducem Robertum Guiſcardum vtramque Siciliam tenentem in gratiam recipit, cuius operâ & armis vſus eſt ad debellandos Eccleſiæ hoſtes, manſitque Robertus Feudatarius Eccleſiæ.

Nicolao II. Pontifice Petrus Damianus voluit eiurare Epiſcopatum Oſtienſem, & Cardinalatum, & in eremum ſuam reuerti, ſed non obtinuit; tamen eam repetit ſolitudinem anno M. L X V. Alexandri II. Pontificatus primo ſucceſſoris Nicolai: Ad eundem Alexandrum, & Hildebrandum Cardinalem miſit Epiſtolam redditâ ratione ſui diſceſſus, in quâ hunc vocat *Sanctum Satanam*, vt pote bonâ intentione aduerſarium; quòd tempore Nicolai Pontificis votis de repetendâ eremo conceptis pertinaciter obſtitiſſet; aliam ad eundem Hildebrandum ſcripſit de Legatione, quam obiit pro Romanâ Eccleſiâ ad Mediolanenſes contra Simoniacos, & Ni-

colaita-

colaitarum Sectam, siue concubinatum Clericorum; epistolam inscribit Domino Hildebrando Venerabili Archidiacono Petrus Peccator Monachus syncerissimæ deuotionis affectu.

Vltimo defungitur die Nicolaus Pontifex M. LXI. die septimâ Iulij, Florentiæ sepultus post sedem duorum annorum, & sex mensium.



ODO DE CHASTILLON RHEMENSIS, PONTIFEX, VRBANVS II.

E Castillonæo Oppido ad Matronam fluuium diœcesis Rhemensis prodiit Odo, aliàs Otho Alia eiusdem nominis Oppida in alijs Galliæ partibus; Parentem habuit Milonem Castellionis & Basochii Dominum, in familiâ Theobaldi de Pierrepont Episcopi Suessionensis (posteà à Sede suâ depositi in Synodo Meldensi) educatus. Ex hac illustrissimâ Castillonæâ familiâ alij prodiere sanctitate celebres, vt B. Carolus Castillionæus dictus Blesensis Dux Britanniæ, alij Summi Militiæ Præfecti, vulgò stabuli Franciæ Comites, vt Galcherus Comes Portiani Philippo Valesio M. CCC. XXVII. alij Franciæ Archiœconômi, vt Ioannes Dominus Castillionæus & de Gandelus M. CC. L. alij Franciæ Polemarchi vt Henricus I. alij Thessalarchi vt Iacobus; alij Franciæ Pares, vt Robertus Episcopus & Dux Laudunensis Par Franciæ. Genealogiam huius Familiæ integro volumine typis mādauit, curâ & doctrinâ singulari (vt omnia) Andreas du Chesne in sacrâ prophanâq; Historiâ versatissimus G. R. Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Rhemensis Odo, adolescens Romam est profectus postmodū, in Galliam breui rediit; Monachus Cluniaci admittitur ab Abbate Hugone, & postea ibidem Magnus Prior Cœno-

Anno Christi M. LXXXVIII.

Gens Castillionæa illustris.

Andr. du Chesne in Geneal. Castill.

biarchâ Odilone præfuit Prioratui D. Petri Baisonij, cuius prouentus annuos pater dederat Abbatiæ de Coiney.

Gregorius huius nominis VII. anno Christi M. LXXIII. Cardinalem creauit & Episcopum Ostiensem.

Summum adipiscitur Pontificatum anno reparatæ Salutis humanæ M. LXXXVIII. nomenque Vrbani II. assumpsit, Victore III. antecessore id à Cardinalibus paulò ante obitum postulante, quod indicto priùs tridui ieiunio effectum est omnium calculo, & sententiâ Terracinæ Oppidi ad mare Mediterraneum, vt pluribus testatur Petrus Diaconus Cassinensis in Auctario ad Leonem Ostiensem.

Petrus Diacon. in Auctar.

Primo ipsius Pontificatus anno decessit ex hac vitâ Berengarius Hæresiarcha propemodum nonagenarius, die Epiphaniæ Domini consecratâ. Aliquot post Berengarium mensibus Lantfrancus Cantuariensis in Angliâ Archipræsul extremum diem obiit, ipsi Berengario in causâ Religionis infensissimus; cui successit in Cantuariensi Archiepiscopatu post quadrienniũ Diuus Anselmus vir ob sanctitatem & eruditionem apprimè notus. Quàm mortis dispar vtriusque conditio! falsâ sæpè numero pœnitentiâ Berengarius Ecclesiam Dei elusit. Nihilominus post mortem vnum habuit præconem Hildebertum Cenomanensem Archidiaconum vitæ satis impuræ, inquit Yuo, postea Cenomani Episcopum qui hos cecinit versus in demortui Berengarij Amici laudem, vt refert Malmesburiensis.

Yuo Epistola 275 Malmes. l. 3. Hist. Anglic.

Quem modo miratur semper mirabitur Orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacra Fidei fastigia summa tenentem
Iani sexta dies abstulit ausa nefas.

Reliquos versus censeo obuoluendos esse silentio; Porro Guillelmus ille Malmesburiensis recitat Berengarium Epiphaniâ ipsâ mortis die anno M. LXXXVIII. exclamasse: *Hodie in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus propter pœnitentiam, vt spero ad Gloriam, vel propter alios, vt timeo ad pœnam.*

Anno secundo Synodum habuit Romæ centum quindecim Episcoporum, & Abbatum in causa Schismatis, expulso turpiter Guiberto Antipapâ dicto Clemente III.

Hac tempestate Lues Antoniana grassabatur (vulgo *le feu de sainct Antoine*) hinc cultus sancti Antonij creuit mirum in modum apud Viennensem Prouinciam. Propterea institutus ministrãtiũ Ordo paucos post annos sub S. Augustini Regula, ipso Vrbano adhuc viuente; institutus, inquam, à Gastone & Guindo filio, nobilibus Viennensibus, qui præsto essent omni operâ infirmis illo igne & morbo laborantibus. Insigne ipsius Ordinis S. Antonij Viennensis signum T. Crucis Christi tessera, & figura.

Tolosana Synodus anno M. XC. celebratur à sanctæ Sedis Apostolicæ Legatis, cui interfuere Galliæ præsules; in eâ Synodo decreta est Legatio pro Christianitate redintegranda Toleti, Rege Hispano exposcente, Tolosanus Episcopus ab obiectis sibi criminibus expurgatur.

Conc. I. Tolosa.

Yuo sancti Quintini Bellouacensis Præpositus Vrbani Pontificis mani-

bus consecratur Carnotensis Præsul anno M. XCII. Capuæ Gaufredo ob Simoniæ labem expulso, depositóque; quâ de re ad Carnotenses præclaram scripsit Epistolam Vrbanus, in hæc verba: *Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis in Christo filijs clero & Populo Carnotensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.* Nos quidem tum pro Beatæ Mariæ semper Virginis deuotione & reuerentiâ, tum pro nostri officij debito, Ecclesiæ vestræ dilectionem, protectioné, & curam specialius impendentes eiusque labores diuturnos, quos à Gaufredo quondam Episcopo passa est, propensiore animo perpendentes rei veritate diutiùs atque diligentiùs pertractatâ, largiente Domino Iustitiæ satisfecimus. Bonam itaque animi vestri voluntatem præuenientes, ac subsequentes, Venerabilem virum Yuonem Presbyterum, quem Gaufredo per Nos deposito Catholicè, atque Canonicè secũdùm nostra monita elegistis, ne quod vlteriùs hac in re detrimẽtum Vestra Ecclesia pateretur, sine moræ longioris obstaculo consecrauimus. Nunc ad vos eum remittentes, tanquam B. Petri manibus consecratum, B. Petri vice Vos rogamus & obsecramus, quatenus eum benignè suscipientes, debitâ, vt Pastoris veri membrum, obedientiâ honoretis, debitâ sollicitudine, quæ Vobis annuntiauerit, obseruetis. Yuo consecratur manibus Vrbani.

Super eadem chirotoniâ, & manuum impositione abs se præstitâ scribit Vrbanus ad Richerium Senonensem Archipræsulem, qui Yuonem renuit admittere ipsum contumeliâ non paruâ afficiens, ad quem Yuo Epistolam mittit hoc inscriptam titulo: *Richerio Dei gratiâ Senonensi Archiepiscopo*, Yuo per eandem gratiam Petri manibus Ecclesiæ Carnotensi consecratus & delegatus Episcopus à Romanæ Ecclesiæ pace non discedere, & si quid aliter sapuit, valde celeriter resipiscere. Richerius non eâ contentus Epistolâ Stampis aduersus Yuonem iudicium Gaufridi Parisiensis, Galtheri Meldensis, & Philippi Tricassini Episcoporum collegit, quo damnatur Yuo, sed interpellat ad Sedem Apostolicam, vt patet ex aliâ Yuonis Epistolâ. Yuo ep. 8. Senonẽsis turbat Yuonem. Idem epistola 12.

Ex Cartusiâ maiore sanctissimo habitaculo in Delphinatium finibus, inter præalta iuga, rupesque cœlum minitantes Gratianopolitanæ diœceseos, in quâ cum suis iam annos sex fuerat commoratus sanctus Bruno, Romam vocatur à Summo Pontifice, & triennio integro retinetur inuitus. Posteà in Calabriam se recipit ad Anachoreses Cartusianas illic extruendas. S. Bruno vocatur Romam.

Apud Aruernum vrbem, nunc Claromontem, indicitur Concilium Oecumenicum, quò confluunt trecenti & decem Episcopi & Abbates, anno M. XCV. præsente Vrbano; causa potissima huiusce Concilij fuit expeditio in terram Sanctam & Palæstinam, cui promouendæ multum fauit Petrus Eremita Natione Gallus, patriâ Ambianensis. Totus penè Occidens ad arma cucurrit, Præcipuo Duce Godofredo Bullionæo, hanc Gregorius VII. expeditionem Hierosolymitanam in animo versabat, sed Ecclesiasticis turbis præpeditus, & ab Henrico Cæsare impeditus perficere nõ potuit. Expeditio hæc in Sarracenos & Turcas celeberrima (quâ captæ Antiochia, & Hierosolyma, Asia minor, Syria, Palæstina) ortũ habuit à Francis, Põtifex enim maximus, qui eam persuasit Francus noster Vrbanus, Legatus Apostolicæ Conciliũ Claromont.

Sedis nimirum Ademarus Podienſis Epiſcopus, Duces & Principes exercitus Franci, Hugo Philippi Francorum Regis frater, Godofredus Bullionæus Lotharingiæ Dux, duoque eius fratres, Balduinus & Euſtatius, Potentiſſimi etiam Galliæ Comites, Stephanus Carnotenſium, & Bleſenſium, Robertus Flandriæ, Raimundus Toloſæ, & ſancti Ægidij, Robertus Neuſtriæ, Guillelmi Anglorum Regis filius; hæc pauca ex viginti duobus de eâ expeditione ſcriptis libris ante trecentos triginta annos à Guillelmo Archipræſule Tyriorum excerpta.

Guil'l. Tyrius de bello ſacro.

Præſtat elegantem Vrbani orationem in eâ Oecumenicâ Synodo Claromontanâ audire, quâ animos iniecit omnium pectoribus ad ſacram hanc expeditionem ſuſcipiendam, quam orationem dignam ſummo Pontifice habet Nauclerus his conceptam verbis.

ORATIO VRBANI II.

EXiſtimatis fortè; qui huc loci ad Nos acciti conueniſtis, veri Chriſtiani, ſolam fuiſſe rei Eccleſiaſticæ ad normam fidei Religionis componendæ cauſam, quæ me ab Vrbe venire compulerit; fuit equidem in eo aliquid cauſæ, ſed alia vrgentior, & quâ maior vlla dici non poſſit, nec excogitari. Nos traxit paucos ante annos gẽs à Perfide Agarena, quam corruptè Sarracenam dicitis, ſanctam ciuitatem Hieruſalem, ſanctamq; Terram inuadẽs, cepit, diripuit, incendit, Sacroſanctum Domini Sepulchrum (quod ſine lachrymis dicere nequimus) prophanatum, fœdata etiam Eccleſiæ ſacella, templáque ritus noſtri, aut ſolo æquata ſunt, aut in prophanos vſus commutata; Abacti inde Chriſtiani, pars fragilis, & cruciatuum impatiens, ſaluti abrenunciauit, circumciſo præputio, facta eſt Sarracena: Pars in Fide conſtans, per varios mortis modos lacerati laniatique; vt felix fuerit, quem carnifex petitum gladio obtruncauit. Mulieres Chriſtianæ in vrbibus oppidiſque frequentiſſimæ, quas ex veſtris quorumdam, qui aſtatis, vrbibus & oppidis, deuotio ad Sancta inſpicienda, & adoranda loca, per tot maria, tot terras traxerat, omnia paſſæ ſunt, quæ dictu obſcœna crudelis Chriſti hoſtis, non ad ſuam magis explendam libidinem, quam ad Chriſtianorum dedecus excogitare potuit. Ea ſi Chriſtiani, imo ſi viri eſtis, nec æquo audire animo poteſtis, nec patienter tolerare: in quæ omnia, vt illis pro dignitate nominis Chriſtiani prouidere velitis, Maiorum exempla, maximum, quod imminet negligentibus, periculum, & præmiorum ſpes, vos non ducere magis, quàm trahere debebunt. Etenim ſubiectas quondam Romanorum Imperio ciuitates, & Terram ſanctam à Turcis Sarraceniſque noſtris hoſtibus poſſideri, neminem eſſe Veſtrum, qui ignoret, certum habemus. Quas verò Europæ prouincias, quas vrbes iidem premant, occupent, lacerentque Infideles, ſi omnes ſimul ignoratis, vnuſquiſque in ſuâ Prouinciâ nouit: niſi fortè vos Galli remotiores, hæc non ſentitis, qui Hiſpanorum, Aquitanorumque ab eâ gente oppreſſorum, dum in ſeruitutem rapiuntur, in Africam abducuntur, clamores eiulatuſque ſingulos per dies audire debetis. Sed numquid vos Germani, Saxones, Poloni, Bohemi, Hungari, & ſi Turcas & Sar-

racenos intra viscera sæuire vestra nondum sentitis, quàm à vobis distent, vel fretis, vel fluminibus, ignoratis? Italiam nunc alloquor, quàm multos antè annos Sarraceni dimidiam penè occuparunt, in eamque adeò penetrarunt, vt Christianorum caput, Petri sedem, Romam, Martyrum sanguine adhuc madentem, inuasam obsederint, captasque Apostolórum Petri & Pauli Basilicas inquinauerint. Venetos hic video, Dalmatas, & alios sinus Adriatici accolas, qui, dum perpetua cum Sarracenis prælia, vt se tueantur, exercent, quod est Italiæ reliquum defensant. Quid multis? fuit hactenus in extremis ad Septentrionem partibus Europæ Constantinopolitanum Imperium obex & tanquam murus, qui Turcas atque Sarracenos continuit, & prohibuit, ne Hungaros, Polonos, Bohemos, ipsosque Alemannos primò, deinde cæteros obruerent Christianos. Pulsus verò antè paucós annos Asiâ Imperator, de retinendis Constantinopolitanis Europæ regionibus laborat. Si nunc ea respicitis, consideratisque sola, quæ ante oculos sunt, si irruituro breui Turcæ & Sarraceno obsistere non pergitis, qui Sacrum Domini Sepulchrum, sacram Iesu Christi terram pedibus conculcatam à spurcissimâ Gente tot annos inquinari neglexistis, eandem in vestram capur ruere breui senrietis, matronas à complexu vestro, vestras virgines ab earum sinu, pueros & adolescentes vestros in seruitutem vobiscum rapi, dolentes mœstique videbitis. Melius & maiori cum gloriâ nostri Progenitores, inchoatam Romæ & in Italiâ, & per Europam dignitatem, ad totius orbis Monarchiam extulerunt, per cuius omnes Prouincias & Regiones nomen floruit Christianum, quod nostris temporibus ad paruum orbis angulum coangustari, & quotidiè de exeidio periclitari videmus. Sed propinquiora attingamus. Carolus ille cognomento Magnus vester, Germani, penè auitâ origine; vester, Franci, Rex vestrum ingens decus, Hispaniæ, Aquitaniæ, & ipsis Franciæ finibus incumbentes Sarracenos infinita mortalium examina deturbauit. Carolus Sarracenos Italiâ & (vt famâ vos vulgatis) terrâ Sanctâ Hierosolymisque expulit. Et quo audebitis pacto post hæc dicerè; solam esse, vel primariam Gentem Francicam, quam verè Christianam liceat appellare, si in ea, quæ vobis adest, opulentiâ, Sarracenos & Turcas, post captum inquinatumque Domini Sacrum Sepulchrum, populi etiam Christiani reliquias capi opprimique per ignauiam permiseritis? expergiscimini, obtestamur, & per viscera misericordiæ Dei nostri oramus, Viri fortes, orbi Christiano exemplum incitamentumque futuri, arma capite, turmas, cohortes, legiones educite, tam multos habituri sequaces quàm id ardenti animo facere ostendetis. Aderit vobis omnipotens Deus, Angelos suos antè faciem vestram, qui dirigant gressus vestros, cœlo demittet. Capite igitur, & arripite arma, Christiani, Dominicum Sepulchrum liberaturi, in quo omnes æternam vobis comparabitis gloriam, tum etiam rerum sæculi incomparabiles diuitias parabitis. Nos denique de misericordiâ Dei, Beatorum Petri & Pauli auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra Paganos venerabilia loca huiusmodi detinentes, arma susceperint, cunctas sibi pro delictis suis pœnitentias relaxamus. Interim verò eos, qui ardorè Fidei laborem istum assumpserint, sub Ecclesiæ

Romanæ protectione, tanquam veræ obedientiæ filios suscipimus, & ab vniuersis inquietationibus tam in personâ, quam in rebus, statuimus manere securos.

Inclamarunt omnes, *Deus vult, Deus vult.* Philippus I. Rex Francorum ob reiectam coniugem legitimam Bertam nomine, Balduini Hollandiæ Comitis filiam, quâ viuente, Bertranam pellicem duxit Fulconis vxorem Comitissam Andegauensem, matrem Fulconis, posteà, Hierosolymitanorũ Regis. Ad eas nuptias, proh dolor, Galliarum Episcopi inuitati, quibus Yuo Carnotensis hanc scribit epistolam, cui titulus. *Archiepiscopis, ac Episcopis ad Regales nuptias inuitatis. Yuo humilis cum spiritu consilij spiritum habere fortitudinis.* Litteras idem Yuo dederat ad Philippum Regem super illo nefando coniugio cum hac epigraphe. *Domino suo Philippo magnifico Francorum Regi, Yuo humilis Carnotensium Episcopus.* Sic militare in regno terreno, vt non priuetur æterno. Scripsit etiam de eodem detestando matrimonio ad Rainaldum Archiepiscopum Rhemensem, cuius erat nuptias benedicere, ad Valterium Meldensem Præsulem & ad Abrincensem.

Nuptiæ illicitæ Philipp.

Yuo ep. 13. & 14.

Quæ fuerint mala Bertæ prænunciata à sancto Arnulpho audiamus ex Lisiandro Episcopo. *Iustitia*, inquit, *Domini recta & iustificata in semetipsa*; Dum Berta, quæ fecit, eadem patitur; expulerat enim Girardum Abbatem sancti Medardi; quem B. Arnulphus in sui locum elegerat, posteà Suessionensis Episcopus, cui Reginæ prophetico spiritu Diuus Arnulphus, *si tu fratrem Girardum hinc eieceris, Deo vindice tu quoque ante obitum tuum è regno extruderis, contemptaque, & ærumnosa morieris.* Lisiandrus Episcopus Suessionensis & successor in vitâ Arnulphi, capite octauo.

Psalm. 8.

In Superiori Concilio Claromontano Deiparæ Virginis officium quálibet Sabbati die recitandum præscribitur, & cultus eiusdem Virginis Matris renouatur, qui iam in vsu erat apud Eremitas à Petro Damiano institutos.

Cultus B. Mariæ Sabbato.

Alia Synodus habita ab Vrbano Turonibus, quâ finitâ Pontifici recedenti Romam Rex Philippus satisfecit, & ab eodem absoluitur, cogitatque de milite pro Expeditione sacrâ à Concilio decretâ contra infideles legendo & congregando.

Cum in Galliis moraretur Vrbanus, Romanorum Pontificum primus Cluniacum adijt, antiquam illam pietatis sedem & solemni ritu sancti Petri Cluniacensis Ecclesiam dedicauit; etiam sancti Martini Maioris Monasterij & sancti Nicolai Andegauensis. Idem ergastulo liberauit Godofredum Martellum Comitem Andegauensem detentum à fratre iuniore Fulcone.

Sanctus Anselmus tunc Abbas Beccensis in Neustriâ scripsit aduersus quendam Clericum Gallum nouæ hæreseos auctorem (Yuo Carnotensis Roscelinum vocat) de Verbi Incarnatione; Librum Vrbano misit examinandum; Roscelinus inter alia, vt alter Sabellius, defendebat Patrem & Spiritum sanctum vnâ cum Verbo esse Incarnatos, non distinguens tres in Triade hypostases.

Yuo ep. 7.

Sub finem Pontificatus Vrbani, congregatio Cifterciensis anno M. XC. VIII. fumpfit exordium.

Anno centeno milleno bis minus vno
Sub Patre Roberto cœpit Cistercius Ordo.

Ita creuit per Orbem, vt duo millia Monafteria habuiffe dicatur. Robertus antea fuerat Albas molifmenfis, idem ab Epifcopo Cabillonenfi Galterio confecratus Cœnobiarcha Cifterciensis; cuius dies feftus celebratur III. Kalendas Maias. Huiufce Ordinis duo fummi Pontifices, Gregorius VIII, & Benedictinus XII. Ordinis Cifterciensis Celeberrimi initia.

Dies obitus Vrbani Romæ contigit IV. Kalendas Augusti, anno MXCIX. quem vt Epifcopum luxit Roma, Gallia vt Parentem, Orbis vt Paftorem. Corpus ad D. Petri ædes in Vaticano delatum marmoreo Cœnotaphio conditum; in palatio Apoftolico hæc legebantur.

VRBANVS II. AVCTOR EXPEDITIONIS IN INFIDELES.

Ordericus Vitalis Angligena, Cœnobij Vticenfis feu Sancti Ebrulfi Monachus in fuâ Normannorum Hiftoriâ Ecclefiafticâ anno M. LXXXVIII. præclarum refert teftimonium & in Pontificis demortui laudes excurrit. Hic erat, inquit, natione Gallus, nobilitate & manfuetudine clarus, ciuis Rhemenfis, Monachus Cluniacenfis, ætate mediocris, corpore magnus, modeftiâ difcretus, Religione maximus. De eiufdem gloriofo fine ita Guibertus Abbas in hiftoriâ Hierofolymitanâ. *Finis eius*, inquit, *fuit fplendefcens miraculis.* Orderic. l. 6. Eccl. hiftor. Norman. Guibert. l. 2.

Scripfit de iniurijs fibi ab Henrico Imperatore illatis, dum in Germaniâ perfonam Legati fuftineret Gregorio VII.

Orationes tres in Concilio Claromontano habitas, quarum duæ reperiuntur apud Tyrium, Nauclerum, & Malmefburienfem, tertia verò in Vaticanâ Bibliothecâ feruatur.

Epiftolas plures ad Mathildem Comitiffam, Alexium Imperatorem Conftantinopolitanum, Yuonem Carnotenfem & alios; Extant viginti apud Eminentiffimum Cardinalem Baronium totius Antiquitatis iubar fplendidiffimum. Baron. to. 11. Annal.

Contra Hæreticos quædam, vt author eft Platina. Plat. in Vrb. 2.

Regiftrum (vt refert Petrus Diaconus) à Leone Caffinenfi compofitum.

Præfationem Miffæ, quæ incipit, *Et te in Veneratione Beatæ Mariæ femper Virginis collaudare.*



GVIDO PRINCEPS, PONTIFEX CALLIXTVS II.

Anno Christi. M. C. XIX

Claud. Rob. in Episc. Ven. Tyr. l. 12. Bel. Guri. Petrus Ven. l. 2. mira. c. 12.

GVILLIELMI magni Burgundiæ Comitis, non Ducis (vt voluit Trithemius Abbas) cognomento *Teste-hardie* ex Gertrude Lemburgicâ filius, Adeleidis Sabaudæ Francorum Reginæ Ludouici Crassi vxoris Auunculus, Hugonis Bisuntini Archipræsulis, qui extremum diem obijt mense Septembri anno M. C. Frater, Stephani Metensis Episcopi & Cardinalis Barri Ducis fratris Proauunculus, Henrici IIII. Imperatoris consanguineus. Apud Petrum Venerabilem dicitur Regij Sanguinis nobilitate insignis, sed moribus, probitate, ac liberalis animi magnificentiâ longè insignior. Apud Sugerium Abbatem Sandionysianum in Ludouico Crasso imperialis, & regiæ celsitudinis deriuatâ consanguinitate generosus. Apud Petrum Cassinensem regiâ stirpe progenitus, in rebus sæculi strenuus, & in Ecclesiasticis rebus apprimè eruditus.

Petr. Cas. l. 4. hist. Cassin. c. 66.

* Monachismum professus est in Cœnobio Faueriano, ordinis Benedictini, Diœcesis Bisuntinæ Burgundici Comitatus; quo in loco post aliquot annorum hecatontadas celebre habitum sanctæ Hostiæ inter medios ignes miraculum, die Pentecostes anno M. DCVII.

Edinerus in vita S. Ansel.

Viennæ ad Rhodanum (quæ olim prætoria fuit) Archipræsul, post Guntardum, adhortante Vrbano II. electus; Viennâ Romam iter habentem D. Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum, in festo sancti Mauritij, gratissimo suscepit animo & hospitio, vt habet Edinerus.

Pro

Pro Paschali II. aduersus Henricum IV. Imperatorem Ecclesiæ hostem stetit; nemo fuit promptior ad damnandam in eo licet consanguineo perfidiam, nemo tum illi postea carior mutata voluntate, ac iure relicto Pontificibus inuestiendi Episcopos, & Abbates, vt infra notabimus.

Eidem Guidoni creato Sedis Apostolicæ Legato scribit Pontifex Paschalis Clericos pro sua Ecclesia posse testamentum condere. *Capite Super, Decima tertia.* Idem Paschalis anno M.CXII. ad eundem misit Epistolam, super Electione, & Inuestituris, quæ sic habet. *Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei Venerabili fratri Viennensi Archiepiscopo Guidoni, & Apostolicæ Sedis Legato salutem, & Apostolicam Benedictionem.* Si Constantiam tuam sæua illa Barbaries, minis, blandimentis, aut alijs modis tentat inflectere, prudentia tua immobilis perseueret; *deinde addit.* Quæ cognoscere postulasti, hæc sunt. In tentorijs cum multitudine Clericorum, & Ciuium Vrbis & totius Prouinciæ custodiebamur pro libertate Ecclesiæ, & pro absolutione captiuorũ omnium, & pro excidio, quod Ecclesiæ, & Vrbi, ac Prouinciæ, superincũbente vndique Gladio, imminere videbatur. De Electione, seu de Inuestituris personarũ hæc facta sunt, videlicet, vt Electione libere factâ sine vi, & simoniâ consensu Regis, facultatem habeat Rex inuestiendi per virgam, & annulum, & electus à Clero, & populo non consecretur, nisi à Rege inuestiatur. Ego canonicâ censurâ cassa omnino, & irrita iudico, & sub damnatione perpetua permanere decerno, vt nullius vnquam authoritatis sint, & nullius bonæ memoriæ. Ea verò quæ sacri Apostolorũ Canones, & Antiochenum, ac Vniuersa Concilia, & Prædecessores nostri, & præcipuè felicis memoriæ Domnus Gregorius, & Vrbanus de his prohibuerunt, damnauerunt, statuerunt & firmauerunt, Ego prohibeo, damno, constituo, & confirmo, & me illorũ sanctiones profiteor seruaturũ. Contra Inuestituras Regum.

Interfuit Synodo Romano, anno M.C.XII, in Constantini Basilicâ nondum Cardinalis, Præside Paschale, in quâ actum contra Henricum IV. Imperatorem; vbi lecta à Girardo Episcopo Engolismensi Sententia Synodalis lata in priuilegium pro liberatione captiuorum, vi extortum à Paschale per Henricum. Concil. Roman. contra Henric. Imp.

Abbatiam Bonæ-Vallis ordinis Cisterciensis Diœceseos Viennensis anno M.C.XVIII. quinto idus Iunij dotauit, in qua se Apostolicæ Sedis Legatum pronuntiat, eius verò postea fuit Cœnobiarcha Bernardus Bonæ vallis, vitæ sancti Bernardi Claræuallis auctor.

Gelasius II. agens Matiscone post annum & dies aliquot Pontificatus in pleuresim incidit, iussitque se lecticâ ferri in Cluniacense Cœnobium, vbi mortẽ oppetijt, IV. Kalendas Februarij, strato humi corpore, postea sepulto in monumento marmoreo, opere tusco, & lapide candido, cui Petrus Pictauiẽsis Epitaphiũ posuit metris heroicis. Inter morbi moras aduocatur à Pontifice Episcopus Prænestinus, vt Romanæ Sedi præponeretur. Verum ille, absit inquit, omnino absit, & versus ad Cardinales, ait, si meis acquiescere velitis consilijs, Viennensem Archiepiscopum virum vtique Religiosum, prudentiaque animi, potentiâ, & Nobilitate sæculari pollentem, ornatum virtutibus, ad tale tantumque Patrocinium eligamus, Dei namque consilio, & B. Petri meritis, & verè huius solatio Romanam Sedem sub tantæ Humi procumbens moritur Gelasius.

persecutionis periculo diutissimè oppressam, credimus ad serenitatem atque triumphum subleuandam. Quid multa? Gelasio ægrotanti, & alijs Cardinalibus, & cæteris qui aderant, sermo placuit, nec mora Archiepiscopum accersiri iubent, & vt dicta factis compleant, perseuerant; Cum iter fuisset aggressus audiuit magno suo dolore ipsum Pontificem ex hac vitâ migrasse. Si quidem die IV. Kalendas Februarij Gelasius Pontifex in eodem Monasterio, feliciter ex huius corporis ergastulo migrauit ad Dominum.

Cluniaci Guido creatur Pontifex.

Cis Alpes igitur Guido, & in Patria sua renitens eligitur Cluniaci summus Pontifex in capellâ Abbatis Kalendis Februarij anno M. C XIX. quam ante duos annos dedicarat in Virginis Deiparæ honorem; Sugerius Abbas in Ludouico refert Guidonem vidisse in somnis à personâ præpotente sibi lunam sub clamyde repositam committi, nè causa Ecclesiæ periclitaretur obitu Domni Apostolici, adduci nunquam potuit vt Pontificio ornatu indueretur, quin Roscemannum Diaconum Cardinalem Romam miserit, & certiorem fecerit Petrum Portuensem Gelasij Vicarium, aliorum Cardinalium suffragia & calculos petiturus. A Lamberto Ostiensi Episcopo fuit consecratus, & Callixti nomen sumpsit, quod die sacrâ Diuo Callixto Pontifici & Martyri fuerit peracta consecrationis formula.

Rhemis Concilium celebrandum statuit, in quo Turstinus Archipræsul Eboracensis ab eo est consecratus, præsente Ludouico Francorum Rege. In ea Synodo excõmunicationis fulmine perculsus Imperator Henricus IV. à quadringentis viginti quatuor Prælatis, cuius causâ Rhemensem ciuitatem solo æquare in animo habuit, sed irrito conatu. Ibidem pœnâ contra simoniã & inuestituras laicorum statutâ, concubinæ sunt Ecclesiasticis interdictæ.

Callixtus Gisortium profectus conuenit Henricum Regẽ Anglorum offensum super Eboracensis consecratione. Rhemos accedit D. Nortbertus Ordinis Præmonstratẽsis sub regula & patrocinio Sancti Augustini pro obtinenda à Pontifice disseminandi verbi diuini licentiâ, Ordinis cõfirmatione cõcessa à Gelasio Callixti antessore, vt tradit Hugo primus è socijs eiusdẽ S. Nortberti dictus Cameracensis in vita ipsius; antequam Pontifex in Italiam regrederetur in sua Viennensi Prouincia dedicauit ædes sacras Diuo Antonio magno, celebres tunc temporis frequentissimo populo. Iter habuit Montẽ Pessulũ & ad sanctum peruenit Ambrosium debellaturus monstrum ingens, horrendum, videlicet Mauritium Burdinum Hispanum Antipapam dictum Gregorium VIII. Sutrij morantem ab Imperatore protectum. Anno sequenti ducto exercitu, cui præfuit Ioannes Cardinalis sancti Chrysogoni, pugnatur acrius, vincitur, capiturque à Sutrinis Burdinus, & Camelo impositus adducitur, quem his vocibus sunt prosecuti Sutrini. *Tu es, qui Christi tunicam attentasti diuidere, & dilacerare Catholicam vnitatem præsumpsisti*; Tandem perpetuo carceri est mancipatus: Talis est Schismaticorum exitus.

Hug. Camer. l. 6. vitæ cap. 16. & 17.

Contra Schismaticos.

Iis temporibus Rex Ludouicus Crassus misit Legatum Sugerium posteà Abbatem Sandyonisianum ad Pontificẽ in regno Neapoleos agentẽ; hanc Legationem idem Sugerius absens Abbas electus sic describit. Domino Callixto cum in Apuliâ apud ciuitatem Bitontum missus à Domino Rege Ludouico pro quibusdam regni negotijs occurrissem: Vir Apostolicus

Suger in Lud. Crasso. Sugerius legatus honorificè excipitur.

tam pro Domini Regis, quàm pro Monasterij nostri sancti Dionysij reuerentiâ honorificè nos recepit, ita vt diutiùs retinere vellet, si Ecclesiæ nostræ amore, & sociorum, Abbatis etiam sancti Germani socij conuocantis, & aliorum persuasione non reuocaremur.

Sancti Iacobi Compostellani fuit studiosissimus; Episcopum Compostellanum Metropolitam instituit; vnde Guillelmus Malmesburiensis obseruat Callixtum admonuisse Anglos peregrinos, vt potius ad sanctum Iacobum, quàm Romam pergerent consideratâ viæ longitudine, & ad illum locum bis se conferentibus idem planè Benedictionis commodum refundendum, quod consequntur, qui semel Romam petunt. Guil. Malm. l. 5. de reb. gest Anglor. Peregrinatio Compostellana.

Synodum Lateranensem conuocat tempore quadragesimali anno M. CXXII; cui interfuere trecenti & amplius Episcopi, & Abbates, vt & Sugerius Sandionysianus Abbas, & Pontius Cluniacensis Cœnobiarcha hospes Romanorum Pontificum Gelasij & Callixti; vt præfecturam abdicaret; Eo Concilio Ecclesia pristino restituta est splendori, deletâ Schismaticorum factione, missis ab Imperatore Henrico legatis, qui pacem poposcêre; *bonum nuntium de longinquo*, inquit Sapiens, *tanquam aquam frigidam in æstate*. Henricus Imperator pacis tandem studiosus cum Ecclesiâ & Callixto redit in gratiam, à vinculo excommunicationis solutus; proinde in Germaniam missi Lambertus Cardinalis Episcopus Ostiensis, & alij duo Cardinales, factóque vniuersali Conuentu apud Vangionum Vrbem (quæ in præsenti Vormacia nuncupatur) Deus in cuius manu cor Regis est omnem Augusti rancorem & iras sub sedis Apostolicæ obedientiam causâ matris Ecclesiæ, præter spem plurimorum, inflexit. Quod fælix faustumque sit, palam ita protestante Henrico, vt refert codex Vaticanus. *Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callixti, & remedio animæ meæ, Dimitto Deo, & sanctis eius Apostolis Petro & Paulo, & sanctæ Catholicæ Ecclesiæ omnem inuestituram per annulum, & baculum; & concedo in omnibus Ecclesiæ fieri Electionem & liberam consecrationem.* Codex Vatican. de Legat. ad Henric. Henricus renuntiat inuestituris.

Pomeranorum Apostolus iure meritoque est nuncupatus, cum sanctum Ottonem Episcopum Bambergensem anno M.C.XXIV. in Pomeraniam transmiserit.

Nunquam donis vacuus hic Pontifex liberalissimus est Diui Petri Ecclesiam ingressus, sacrum Missæ Sacrificium peragens.

Sub anni illius finem febre correptus Callixtus moritur, sepeliturque in Lateranensi Basilicâ, ipso sanctæ Luciæ Virginis & Martyris festo, iuxta Paschalem Pontificem.

Scripsit de sancti Iacobi Apostoli miraculis volumen vnum, cuius nonnulla fragmenta recitantur in historiali speculo Vincentij Bellouacensis, & eorum mentionem facit Ioannes Mariana Societatis Iesu in libro de Aduentu sancti Iacobi in Hispaniam. Ioan. Marian. l. de S. Iacobo c. 2.

Thesaurum Pauperum.

De obitu, & vitâ Sanctorum.

De inuentione corporis Turpini MS. in Bibliothecâ Cantabrigensi.

Vitam Caroli Magni Imperatoris, vt refert Ludouicus Golutius. Gol. hist. Burgu. lib. 5.

Decreta quædam Coloniæ excusa.

Epistolas ad diuersos, quarum plures habes apud Vspergensem, Malmesburiensem,& Cardinalem Baronium.

Scutọ suo gentilitio Comitatus Burgundiæ cæruleo exarato Leone aureo, plinthidibus aureis, addidit noster Callixtus creatus Pontifex sanctæ crucis signum, & duos characteres sanctum Petrum significantes. His occultis signis vtebantur circa hæc tempora Romanorum Cæsares, loco sigilli, aut subscriptionis nominis; quæ suâ linquâ vocat Ioannes Baptista Palatinus *cifre quadrate*, ita Henricus IIII. Imperator,hostis Pontificum Romanorum, & Ecclesiæ.



Cuius symboli characteres significant Henricum IV. Romanorum Imperatorem.

Ita etiam Lotharius II. Cæsar, qui occubuit pridiè Cal. Octobris anno M. C. XXXVIII.



Onuphrius Pannuinus hoc signum Lotharij nobis tradidit, quọ docemur nullum inauditum damnandum, secundum veterem legem Atticam, quæ præcepit æqualiter vtramque partem audire.

Cusa porro fuere numismata in Calixti II. gratiam, quibus insculptus Christi vultus cum hoc lemmate, *sacer vultus Orbi.*



IACOBVS PANTALEO TRECENSIS, PONTIFEX VRBANVS IV.

DIVINÂ virgulâ effectum, vt Iacobus Pantaleo Trecis in Campaniâ humili loco natus Patre sutore veteramentario, fuerit in Summum Pontificem electus, omnium Cardinalium vno ore, qui tunc temporis octo numerabantur multùm diuque dissentientes de Summo Pontificatu. Cuidam natales obscuros ante Pontificatum exprobranti respondit, *Virum non nasci, sed fieri virtute nobilem*, Adolescens studij ergò Parisios profectus animum applicuit litteris humanioribus, Philosophicis, & Theologicis, laureâque Doctoratus Parisiensis redimitus Trecas rediit. Minora eius Sacerdotia recitat Vallisceolor Poëta illius æui. ANNO DOMINI M.CC.LXI.

Præsulis hic Trecis primùm fit Clericus, inde
Parrochiæ vnius rector in Vrbe fuit.
Canonicum post hæc suscepit, & Archileuitam
Laudunum tanti nouerat acta Viri.

Itaque in Ecclesiâ sancti Petri primariâ fit Canonicus, Lauduni Archidiaconatu donatur, postea Leodij eâdem dignitate decoratur.

Virduni in Lotharingiæ finibus sub Metropolitâ Treuirensi eligitur Canonicorum suffragiis Episcopus Ioanne Daice anno M. CC.LII. vitâ functo.

In Pomeraniam, Prussiam, Liuoniam sanctæ sedis Apostolicæ Legatus mittitur ab Alexandro IV. anteà ab Innocentio IV. Orientis Legationem obtinuerat ab omni munere manus innocuas seruans.

Patriarcha Hierosolymitanus ab eodem Alexandro IV. creatur, anno M.CC.LXI. Hunc Patriarchatum postea Vrbanus Pontifex electus contulit Episcopo Agennensi.

Pontifex creatus pridie Nonas Septembris Viterbii in Prædicatorum Ecclesia coronatur anno eodem, Vrbem veterem, vulgò Oruieto, Tusciæ ciuitatem adiit ob Manfredum Neapolitanum Regem Ecclesiæ hostem, qui in Latio milites armarat igne ferroque omnia deuastantes.

Legatio ad S. Ludouicum. Legatum misit ad sanctum Ludouicum Galliæ Regem Archiepiscopum Cosentinæ Ecclesiæ initio sui Pontificatus. Primò, vt ei persuaderet profectionem fratris Caroli in Italiam contra Manfredum, & de suscipiendo Regno Neapolitano ageret; secundò, pro Christianis ab Infidelibus in Palæstina detentis. Tertiò, ad dandum auxilium Michaeli Palæologo Imperatori Constantinopolitano.

Vrbeveteri ædes sacras & Cœnobium D. Augustino dicatum extruxit, Prædicatorum fratrumque Minorum ecclesias restituit.

Manfredus diris deuouetur ex suggestu ab Vrbano, septimo Aprilis die, quo Cœnæ Dominicæ memoria recolitur, cùm hic Ecclesiæ hostis D. Petri patrimoniū in Hetruria occupasset & Flaminiam, vulgo Marcam Anconitanam, aliaque sexcenta mala procreasset: contra cuius Tyrannidem Concilium celebrauit; Simone de Bria Cardinale, postea Pontifice Martino IV. misso ad Carolum Prouinciæ Comitem, & Ducem Andegauensem eo fine, vt Rege Ludouico fratre assentiente in Italiam se reciperet, cum Regis Neapolitani titulo, quod tempore Clementis IV. Vrbani successoris est executioni mandatum, deleto Manfredo, & Infidelium copiis. Constantia anno proximè memorato Manfredi filia despondetur Petro Arragonio cum dote Siciliæ, & Apuliæ; quòd Manfredus prole masculâ careret.

Carolus Andeg. vocatur in Italiam contra Manfredum. Mariana de rebus Hispan.

Michaelis Palæologi exercitus profligatur à Michaele Epyri Despotâ, sed inter eos Principes pace initâ, ipse Ducam pupillum suum oculis impiè priuat, ex Gregora; breuì post Constantinus Tæchus Bulgariæ Rex, qui vxorem habebat sororem Ducæ excæcati, Thraciam ingressus Palæologūaciem aggreditur; Vrbanus ad eum quatuor Ordinis Minorum Fratres mittit, & duos Episcopos Girardum de Prada, & Raynerium de seruis, vt auertat hominem à persequendis Latinis Christianis, & inuitet etiam ad vnitatem Fidei, & Ecclesiæ Romanæ.

Gregora l.b.4.& 5. Ducas pupillus excæcatur.

Exortum est bellum inter Reges Abasiæ, & Aden: quorum hic Episcopum in contumeliam Religionis Christianæ more Sarracenorum vi circumciderat, ille vindictam sumpsit, Adenam regionem vastando.

S. Richardus Anglus. Richardum Episcopum Cicestrensem, qui claruit Innocentio IV. (ad quem tanquam ad asylum confugit, persecutionem Regis Angliæ declinans) catalogo Sanctorum adscripsit, & tertio Aprilis die festum celebratur. Litteræ Canonizationis datæ sunt Viterbij X. Kalendas Martias, Pontificatus anno primo; quarum Exordium. *Exultet Angelica tuba* Radulphus Cicestrensis vno & altero libro complexus est huius sancti res

præclarè gestas.

Templum D. Vrbano Martyri (cuius festo die Alexander IV. prædecessor decesserat) sacrum in vrbe Tricassinâ loco natali curauit extrui; & quidem in paternarum ædium solo Collegium duodecim Canonicorum dotauit, in quo Decanum, Thesaurarium, Cantorem soli sanctæ Apostolicæ Sedi subiici voluit, & ab Ordinario loci exemit. Ancherus Cardinalis mortuo Vrbano Patruo opus auxit etiam collatâ supellectile sacrâ. Multa Ecclesiæ Romanæ castra recuperauit ab iniustis possessoribus vsurpata, & duas Insulas, Marchanam vnam, alteram Bizuntinam, nunc à suo nomine Vrbanam appellatam. Templū S. Vrbani Martyris.

Alphonsum cognomento Sapientem Castellæ Regem Philippi Imperatoris nepotem, & Richardum Cornubæ Comitem fratrem Regis Angliæ in Reges Romanorum Electos de Imperio contendentes vtrumque pro Cæsare se gerentem coram suo Tribunali comparere iussit, vt secundum allegata & probata, ac iuris apices sententiam ferret. Alphonsus Electorum suffragio Treuirensis, Saxoniæ Ducis, & Bohemiæ Regis est vsus; Richardus verò Palatini Comitis, Archiepiscopi Moguntini, & Conradi Coloniensis, à quo Aquisgrani coronâ redimitur Guillelmo Romanorum Rege perempto; de quâ electione scripsit Vrbanus ad vtrumque, sexto Kalendas Septembris, anno Pontificatus secundo Vrbeveteri. Lis pro Imperio.

Mediolanum interdicto subijcit anno M. CC. LXIII. ob reiectum Archiepiscopum Othonem mortuo Leone; Raymundum enim Turonensem, & Septalam non admisit Pontifex, qui disceptabant de Archiepiscopatu. Mediolanenses re[iic]iunt Archiepisc.

Albertus Magnus eodem anno Nobilis Sueuus Dominicanus, abdicato Episcopatu Ratisbonensi, Coloniam se recipit, iterum Theologiam publicè docturus, vt meritò tulerit cognomen Magni; Clarissimum Ecclesiæ lumen sanctum Thomam Aquinatem auditorem habuit, qui breui postea Doctoratus honore Parisiis vnà cum sancto Bonauentura Franciscano est cohonestatus. Albertus M. eiurat Episcopatum.

Multa sanctus Thomas rogatu Vrbani, cui erat charissimus, litteris mandauit, inter alia, opus contra errores Græcorum ipsi summo Pontifici dicatum. Anno M. CC. LXIV. instituta solemnitas Corporis Christi Domini, celebranda quolibet anno post Pentecosten feriâ quintâ; & habetur cap. primo de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum: occasione sumptâ à miraculo in Ecclesiâ sanctæ Christinæ Diœceseos Vrbevetanæ circa ea tempora edito, sanguine viuo manante ex hostiâ consecratâ, quam Sacerdos de Transsubstantiatione dubitans præ manibus habebat; Corporale, vt vocant, totum eo sanguine tinctum est, & singulis annis illud defertur, dum habetur sanctissimi Sacramenti processio, seu supplicatio solemnis. D. Thomas Aquinas preces, hymnosque solemnes hac celebritate, & supplicatione decantandas composuit. Operæ pretium est hic referre Diploma ab Vrbano in hunc finem editum doctrinâ singulari, & pietate mirabili refertum. Festum corporis Christi. S. Thom. Opusc. 57

TRANSITVRVS de hoc mundo ad Patrem Saluator noster Dominus Iesus Christus, cùm tempus suæ Passionis instaret, sumptâ Cœnâ, in memoriam mortis suæ instituit summum, & magnificum suum corporis & Bulla sanctiss. Sacramenti.

ſanguinis Sacramentum, corpus in cibum, & ſanguinem in poculum tribuendo; Nam quoties hunc panem manducamus, & Calicem bibimus, mortem Domini annunciamus. In inſtitutione quidem huius Sacramenti dixit ipſe Apoſtolis, *Hoc facite in meam commemorationem*; in principium, & inſigne Memoriale ſui amoris eximij, quo nos dilexit, eſſet nobis hoc præcelſum, & venerabile Sacramentum: Memoriale inquam mirabile, ac ſtupendum, delectabile, ſuaue, tutiſſimum, ac ſuper omnia pretioſum: in quo innouata ſunt ſigna, & mirabilia immutata: in quo habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur: in quo vtique vitæ ſuffragium conſequimur. Sanguinis hoc eſt memoriale dulciſſimum, memoriale ſacratiſſimum, & memoriale ſaluificum; in quo gratam redemptionis noſtræ recenſemus memoriam: in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa: in quo profectò proficimus ipſius corporali præſentiâ Saluatoris. Alia namque quorum memoriam agimus, ſpiritu ménteque complectimur, ſed non propter hoc realem illorum præſentiam obtinemus, in hac verò Sacramentali Chriſti commemoratione Ieſus Chriſtus præſens ſub aliâ quidem formâ, in propriâ verò ſubſtantiâ eſt nobiſcum. Aſcenſurus enim in cœlum dixit Apoſtolis, & eorum ſequentibus: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi*: benignâ ipſos promiſſione confortans quòd remaneret, eſſet cum eis, etiam præſentiâ corporali. O digna, & nunquam intermittenda memoria! in qua mortem noſtram recolimus mortuam, noſtrumque interitum interiiſſe, ac lignum viuificum ligno Crucis affixum, fructum nobis attuliſſe ſalutis. Hæc eſt commemoratio glorioſa, quæ Fidelium animos replet gaudio ſalutari, & cum infuſione lætitiæ deuotionis lachrymas ſubminiſtrat. Exultamus nimirum noſtram memorando liberationem, & recolendo Paſſionem Dominicam, per quam liberati ſumus, vix lachrymas continemus. In hac itaque ſacratiſſimâ commemoratione adſunt nobis, ſuauitatis gaudium ſimul & lachrymæ: quia & in eâ congaudemus lachrymantes, & lachrymamur deuotè gaudentes lætas habendo lachrymas, & lætitiam lachrymantem; nam & cor ingenti perfuſum gaudio, dulces per oculos ſtillat guttas. O diuini Amoris immenſitas, diuinæ pietatis ſuperabundentia, diuina affluentia largitatis! dedit enim nobis Dominus omnia, quæ ſubiecit ſub pedibus noſtris, & ſuper vniuerſas terræ creaturas contulit nobis dominij Principatum; ex miniſtris etiam ſpirituum ſuperiorum nobilitat, & ſublimat hominis dignitatem. Adminiſtratorii namque ſunt omnes in miniſterium propter eos, qui hæreditatem ſalutis capiunt deſtinati. Et cùm tam copioſa fuerit erga nos eius munificentia, volens adhuc ipſe in nobis ſuam exuberantem charitatem præcipuâ liberalitate monſtrare, ſemetipſum nobis exhibuit, & tranſcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, tribuit ſe in cibum. O ſingularis, & admiranda liberalitas! vbi Donator venit in donum, & datum eſt idem penitus cum Datore. Quàm larga, & prodiga largitas, cum tribuit quis ſeipſum. Dedit igitur nobis ſe in pabulum: vt quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipſe releuaretur ad vitam, cecidit homo per cibum ligni mortiferum,

Luc. 22.

Memoriale.

Math. 28.

Gaudium & lachrymæ.

Liberalitas infinita.

rum, releuatus est homo per cibum ligni vitalis: in illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum, illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanitatem: gustus sauciauit, & gustus sanauit. Vide quia vnde vulnus est ortum, prodiit & medela: & vnde mors subiit, exinde vita euenit. De illo siquidem gustu dicitur, *Quacunque die comederis, morte morieris:* de isto verò legitur: *Si quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum.* Hic est cibus, qui plenè reficit, verè nutrit, summéque impinguat: non corpus, sed cor, non carnem, sed animam, non ventrem, sed mentem. Homini ergo, qui spiritali alimoniâ indigebat, Saluator ipse misericors, de nobiliori & potentiori huius mundi alimento pro animæ refectione, piâ dispositione prouidit. Decens quoque liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, vt Verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus est, & refectio, *Factum caro*, se rationabili creaturæ, carni & corpori, homini videlicet in edulium largiretur: *Panem* enim *Angelorum manducauit homo*; & ideo Saluator ait, *Caro mea verè est cibus.* Hic panis sumitur, sed verè non consumitur: manducatur, sed non transmutatur, quia in edentem minimè transformatur: sed si dignè recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum Sacramentum! O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, honorandum studiis, deuotis prosequendum obsequiis, & synceris mentibus retinendum! O memoriale nobilissimum intimis commendandum præconiis, firmiter animo illigandum, diligenter reseruandum in cordis vtero, & meditatione ac celebratione sedulâ recensendum! Huius memorialis continuam debemus celebrare memoriam, vt illius, cuius ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus: quia cuius donum, vel munus frequentius aspicitur, huius memoria strictius retinetur. Licet igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solemniis frequentetur: conueniens tamen arbitramur, & dignum vt de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticam perfidiam & insaniam, memoria solemnior, & celebrior habeatur; in die namque Cœnæ Domini, quo die ipse CHRISTVS hoc instituit Sacramentum, vniuersalis Ecclesia pro Pœnitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis quamplurimùm occupata plenè vacare non potest celebrationi huius maximi Sacramenti; Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa obseruat Ecclesia, vt (quamuis in Litaniis & Missis, ac aliis etiam ipsorum memoriam sæpius renouemus) nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solemnius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitum, aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut aliàs ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater Ecclesia certam diem, in qua generaliter Omnium Sanctorum commemoratio fieret, vt in hac ipsorum celebratione communi, quicquid in propriis ipsorum festiuitatibus omissum existeret, solueretur. Potissimè igitur exequendum est erga hoc viuificum Sacramentum corporis & sanguinis Iesu Christi, qui est SS. omnium gloria & corona, vt festiuitate ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus

Qualis cibus.

Gen. 2.

Ioan. 6.

Ioan. 1.

Psal. 77.

Ioan. 6.

Hoc festo confunduntur Hæretici.

Quare festum omnium SS.

in eo quod in aliis Missarum officiis, circa solemnitatem est forsitan prætermissum, deuotâ diligentiâ suppleatur: & fideles (festiuitate ipsâ instante) intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solemniis sæcularibus forsan agendis impliciti, vt aliàs ex negligentiâ vel fragilitate humanâ minus plenè gesserunt, tunc attentè in humilitate spiritus, & animi puritate restaurent. Intelleximus autem olim, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis diuinitus reuelatum festum huiusmodi generaliter in Ecclesiâ celebrandum. Nos itaque ad corroborationem, & exaltationem Catholicæ Fidei, dignè ac rationabiliter duximus statuendum, vt de tanto Sacramento præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, & solemnior, & specialior annuatim memoria celebretur: certum ad hoc designantes, & describentes diem, videlicet, feriam quintam proximam post Octauam Pentecostes: vt in ipsâ quintâ feriâ deuotæ turbæ Fidelium propter hoc ad Ecclesias affectuosè concurrant, & tam clerici, quam populi gaudentes, in Cantica laudum surgant. Tunc enim omnium corda & vota, ora & labia hymnos persoluant lætitiæ salutaris. Tunc psallat Fides, Spes tripudiet, exultet Charitas, Deuotio plaudat, iubilet Chorus, Puritas iucundetur. Tunc singuli alacri animo pronâque voluntate conueniant, sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solemnia celebrantes. Et vtinam ad Christi seruitium, sic eius Fideles ardor inflammet, vt per hæc & alia proficientibus ipsis meritorum cumulis, apud eum qui sese dedit pro eis in pretium, tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post huius vitæ decursum eis se in præmium largiatur. Ideóque Vniuersitatem vestram monemus, & hortamur in Domino, & per Apostolica scripta, in virtute sanctæ Obedientiæ districtè præcipiẽdo mandamus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus tam excelsum, & tam gloriosum festum prædictâ quintâ feriâ singulis annis deuotè ac solemniter celebretis, & faciatis studiosè per vniuersas Ecclesias ciuitatum vestrarum & Diœcesum celebrari: & subditos vestros, in Dominica, dictam quintam feriam proximè præcedente, salutaribus monitis sollicitè per vos, & alios exhortantes, vt per veram, & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas & sedulas orationes, & alia deuotionis, & pietatis opera taliter se studeant præparare, quod huius pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum. Nos enim CHRISTI fideles ad colendum tantum festum, & celebrandum, donis volentes spiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi eiusdem in Ecclesiâ, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum: qui vero Missæ, totidem: qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint, similiter centum, qui vero in secundis, totidem; illis vero, qui Primæ, Tertiæ, & Sextæ, Nonæ ac Completorij officijs interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta; illis autem, qui per octauas illius festi, matutinalibus vespertinis, Missæ ac prædictarum horarum officiis interfuerint, centum dies singulis octauarum ipsarum diebus de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac BB. Apostolorum Petri & Pauli authoritate confisi, de iniunctis sibi pœnitentiis relaxamus; *hactenus Vrbanus.*

Feriâ v. post Octauam pentec. celebratur.

Anglia eodem anno, pace cum Ludouico Rege compositâ, intestino bello laborat, & commisso Prælio Henricus ipse Rex cum fratre Richardo, & filio Eduardo capitur à ductore contrarij exercitus, Simone iuniore Comite Mont-fortio. Ad hoc bellum sedandum eò misit Pontifex Guidonem Cardinalem Sabinum, postea Papam Clementem IV. qui eligitur agens in Anglia. Elapsus Eduardus comparato nouo exercitu ope Gilberti Clarentini Simonem Mont-fortium, & filium eius Henricum occidit. Chronicon Mont fort.

Zygum Gens, quæ sæpius Coloniam vastauerat à Boleslao Pudico Rege ferè tota deletur; Conathus eorum Dux inter primos pugnans occiditur vigesima secunda Iunij, & militum reliquiæ eius ad suscipiendam Religionem Christianam adiguntur. Ne Regio hæc vasta & inculta remaneret colonias eo deduci curauit Vrbanus mandauitque Archiepiscopo Guesnensi, vt nouum Genti præficeret Antistitem. Oranti Cunegundi Boleslai vxori duo astitere viri candidati, qui futurum belli euentum prædixerunt; tunc celebrabatur dies festus Sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij. Histor. Polonica.

Sultanus Ægypti Palæstinam infestare incipit, vnde in Occidente indicitur sacra expeditio in Palæstinæ & terræ Sanctæ subsidium; ex Guillelmo Nangio Monacho Sandionysiano Franciæ. Nangius in vita S. Ludou.

Azo Marchio Estensis Princeps laudatissimus, qui tum de suis, tum de Ecclesiæ hostibus fœliciter triumphauit, moritur hoc anno, cuius soror Beatrix nobilissima Virgo, & eiusdem nominis filius Religionis habitum suscepere. Estenses pij Principes.

Extremum diem obijt Vrbanus Perusij die Iouis, sexto Nonas Octobris, anni eiusdem M. CC. LXIV. Eius obitum portendere visus est Cometes, qui die Dominico sexto Kalendas Augusti in vndecimo Leonis gradu apparuit. Vacauit Sedes menses quatuor; sedit tres annos, mensem vnum & dies quatuor: cuius corpus in Ecclesiâ Cathedrali Diui Laurentij terræ mandatum; fuit paruæ staturæ, sed crassæ & corpulentæ.

Scripsit decretales epistolas complures, quarum volumina duo seruantur in Bibliotheca Vaticana.

Gregorius Decanus Ecclesiæ Baiocarum in Lugdunensi secundâ scripsit vitam Vrbani; etiam Valliscolor Poëta eandem metro edidit, suasu Cardinalis Ancheri Vrbani Nepotis.

Cusa numismata in Vrbani IV. gratiam cum hoc symbolo epigraphico, *Optimo Principi.*



GVIDO GROSSVS E S. ÆGIDIO PONTIFEX, CLEMENS IV.

Anno Christi. M CC.LXV.

NATALES Guidonis Grossi in oppido S. Ægidij Volcarum ad Rhodani ripam in Prouinciâ Narbonensi, genere nobili, Diœceseos Nemausensis; qui militiæ nomen ineunte ætate dedit, postea vtrique Iuri egregiam operam nauauit. Pater Fulcodius Grossus, mater Germana, post huius obitum in Cartusianorum se recepit anachoresim, Iancelino X. totius Ordinis Priore, quem Reuerendum Patrem vocitant optimi filij. Guido vxoratus duas ex coniuge suscepit filias, quarum vna Deo se consecrauit, altera maritum duxit; magnâ cum admiratione patronum egit in forensi puluere, cum non paruo clientium bono, in Senatu Ambulatorio à Pipino Rege Caroli-Magni Patre instituto, integritatem cum summâ Iurisprudentiæ cognitione coniungens; ita vt ipsi Regi S. Ludouico huius nominis IX. pareret admirationem: Propterea Senatorem Consistorianum creauit. A Durando I C. notissimo vocatur *Lumen iuris.* Sexennium in Regis consistorio consumpsit; quâ de causâ scutatorium & gentilitium mutauit Symbolum, nimirum Aquilam in sex cyanea lilia scuto aureo impressa memor Ludouici Franci, & annorum consilij Regij: Viterbij in sepulchro tessera eius Gentis est Aquila nigra in scuto aureo fasciâ nigrâ circumdato, in quâ octo globi argentei; An verò Grossorum Gens sit eadem & Arecomicorum in Galliâ Narbonensi, & Subalpinorum (nonnulli affirmant) relinquo

Pater Guidonis Carthusianus.

Guido Iurecon-sultissimus.

discutiendum genealogias inuestigantibus. E viuis ereptâ vxore animum conuertit ad res Ecclesiasticas Patris sequens vestigia volebat se in sanctissimam Cartusiæ solitudinem abdere, in quâ palæstrâ suum agonem feliciſſimè Parens consummauit. Primùm Archidiaconus Podiensis, posteà eius loci Episcopus anno M.CC.LIX. post Armandũ de Polignac, cuius Gẽtis fuit S. Sidonius Claromontanus. Animaduerte Ciaconium in Clemente IV. distinguere Episcopatum Aniciensem & Podiensem, cum vnus idemque sit, quem Gregorius Turonensis locum vrbis Vellanæ nuncupat; Anicium itaque, & Podium eadem ciuitas sub Archiepiscopatu Bituricensi: Primaria illius vrbis Ecclesia est Deiparæ sacra miraculorum frequentiâ celebris. Chronic. Cartusian. Gregor. Turon. l. 10. cap. 25.

Archiepræsul Narbonensis post Guillelmum de Broa anno M.CC.LX. assiduè vacauit verbo Dei, quod est diuinum semen, disseminando. Cardinalitio honore exornatur ab Vrbano IV. conferente Episcopatum Sabinum anno sequenti, Pontificatus primo, mense Decembri Viterbij cum septem alijs Patribus purpuratis.

In Angliam Legatus anno M.CCLXII. ab Vrbano IV. ad pacem conciliandam inter Henricum (bello à subditis excitato) Angliæ Regem & Simonem Comitem Montis-fortis, quem non appositè Platina vocat Comitem Montis-ferrati, erant enim Marchiones non Comites. Vnde Vrbanus Pontifex XVI. Kalendas Octobris scripsit Vrbeueteri Richardo Regi Romanorum electo, vt fratrem Henricum adiuuaret; Scripsit idem Pontifex sancto Ludouico Regi Franciæ, reddidit literas Guido datas Vrbeueteri secundo Idus Decembris, iter habens per Galliam communicato negotio cum Rege prudentissimo & sanctissimo, vt in mandatis dederat Vrbanus. Re feliciter peractâ mendicantis Religiosi habitu, alijs, Mercatoris specie insidias à Manfredo paratas euasit incolumis Perusium aduentans. Naucler. Gener. 43.

Sub finem Februarij creatur summus Pontifex D. Agathæ festo die, Viterbij VIII. Kalendas Martii, anno à Virginis partu M.CC.LXV. die Cathedræ sancti Petri Cathedram ingressus ascito Clementis IV. nomine suæ coronationis insignia capite gestauit; tunc temporis erant Cardinales viui duodeuiginti,

Initio Pontificatus Clementis Viterbij agentis Carolus Andegauensis sancti Ludouici frater Massiliâ soluens triginta triremibus vigiliâ Pentecostes dicens virtutem esse fortunâ Superiorem, Romam cum vxore Beatrice appulit à Legatis Pontificijs exceptus regio apparatu. Firmandæ erant cum Carolo Fœderis conditiones nomine Pontificis & Ecclesiæ, de quibus transegere quatuor Cardinales Itali, in eum finem missi, hi fuere Franciscus Hannibaldus Cardinalis duodecim Apostolorũ, Richardus sancti Angeli, vterque è familia Hannibaldensium, Ioannes Caietanus Vrsinus sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Iacobus Sabellus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi; icti Fœderis sunt clausulæ. Fœderis conditiones pro Regno Neapol.

1. Vt Carolus se Sacramento obstringat vtriusque Siciliæ regnum beneficiario iure à Romanâ Sede suscipere, & singulis annis census nomine octo millia auri vnciarum, seu quadraginta millium aureorum an-

nuorum, & equum niuei candoris pendere.

II. Ne Romanum imperium etiam vltro oblatum tum penè nutans & vacans accipiat.

III. Vt fœminæ legitimi masculi defectu succedant, quæ nonnisi Apostolicæ Sedis authoritate nubant.

IV. Beneuentum Ecclesiæ relinquat.

V. Ne nouorum Prælatorum litteras & electiones impediat.

V. Appellationes ad Sedem Apostolicam permittat.

Sub finem Decembris anno M.CC.LXV. copiæ Gallicanæ Philippo Montfortio Duce Alpibus Graiis & Cotiis superatis Parmam, & tandem per Æmiliam & Marcham Anconitanam aduenere Romam, superatis omnibus viarum difficultatibus, & impedimentis à Manfredo & Huberto Palauicino obiectis.

Æmilius in Ludouico V.

In Regnum Neapolitanum Romà se contulit Carolus stipatus magno exercitu. Manfredus Equitibus fortior in patenti campo non longè à Beneuento, planitie pugnæ Equitum commoda, præstolabatur, sed infausto omine, cum Manfredi copiæ salutem pedibus sibi consuluerint, ipse Manfredus Sabbato vigesimâ septimâ die Februarij anno M. CC. LXVI. à Carolo interficitur; præmium fuit suffocati Patris, occisi Henrici, & veneno extincti Conradi vtriusque fratris; hæc victoria plurimas ciuitates deditione voluntariâ in vtroque regno & Siculo, & Neapolitano peperit. Quadraginta Episcopos officio indignos Pontifex amouit, qui Manfredo publico Ecclesiæ hosti adhærebant.

Alphonsus Castellæ Rex insignem reportauit victoriam de Mauris. Murciæ ac Granatæ Reges, qui rebellauerant, & Maurorum ingentem exercitum ex Africâ aduocarant, ad priora ipsius iura redire durioribus pacis conditionibus coacti sunt.

Marian. de reb. Hispan.

Celebrantur in Anglia anno M.CC.LXVI. ab Otthobono Cardinale Sedis Apostolicæ Legato, iam antea ab Vrbano Pontifice ad bella intestina componenda misso, Concilia Northanthonij, & Londini de rebus ad Religionem spectantibus.

Polydorus.

Diuus Ludouicus Rex Franciæ, cum Sacerdotia nulla conferre vellet, sed ius integrum relinqueret Ordinarijs talium beneficiorum collatoribus iuxta antiquorum Canonum præscriptum, Diploma Pontificium, quo talis sibi data potestas contineri dicebatur, coniecit in ignem, sibi satis esse dicens de temporalibus rebus à Deo creditis rationem reddere.

Gaguinus.

Scripsit epistolam Clemens contra Guillelmum de Sancto amore Doctorem Theologum Dominicanis Religiosis infensissimum hostem, cuius initium. *Si circa veritatem*, datum Viterbij XV. Nouembris anno M.CC.LXVI. Eodem anno ad sanctum Ludouicum misit Petrū Cambellanum Caroli Regis Neapolitani familiarem, & militiæ præfectum, qui ad opem terræ sanctæ ferendam inuitaret, Clemente & Carolo promittentibus triginta triremes, quæ Ludouicum Ptolemaidem deducerent.

Arragonensem Asphonsum importuniùs petentem ab Apostolicâ Sede sacri Romani Imperij coronam, reiecit, quam Rodulpus Apsburgensis Co-

mes, postea in Concilio Lugdunensi à Gregorio X. accepit, cum creatus fuisset Cæsar ab Electoribus anno M. CC. LXXIII. quarto Idus Octobris.

Diuam Heduuigem miræ sanctitatis viduam Poloniæ Ducissam albo sanctorum inscripsit Viterbij anno eodem *in Prædicatorum Basilica: sacra Lipsana anno sequenti fuere translata.* E viuis fuerat erepta anno M. CC. XLIII. cuius dies festus ab Ecclesia celebratur Idibus Octobris. Dum inter mortales vixit curandis pauperibus & ægrotis mirum in modum est affecta.

Anno sequenti Conradinus de Stuoffen Friderici II. olim Imperatoris nepos ex Conrado filio vltimus è familia Barbarossæ ad lacum Fucinum ingenti prælio vigesimâ secundâ die Augusti, Cæperani in agro Palento superatur à Carolo Andegauensi Diui Ludouici Regis fratre iuniore, idemque fugiens annulo agnitus retardatur, & captiuitati addicitur anno M. CC. LXIX. Neapoli publicè securi percussus vnâ cum Friderico de Aspurg Austriæ Duce vltimo, ipsius cognato. Noluit parcere Conradino Carolus, licet à multis vita expostularetur, quibus hoc vnicum dedit responsum. *Vita Conradini, mors Caroli*: Sicque extincta est Sueuorum familia, ex Æmilio Canonico Parisiensi. Conradinus vincitur à Carolo Andegauensi. Paul. Æmil. in rebus gestis Franc.

Prophetiæ spiritu in medio suggestu Clemens concionans Viterbij significauit exitum pugnæ infelicem pro Conradino ipsomet die conflictus, vt ipse euentus comprobauit. Hoc habuit in antiquis, quamdiu Pontificatum gessit, ne quid inconsulto Cardinalium collegio faceret, aut aggrederetur: quod Cardinales obiecerunt postea Gregorio XI. teste Diuâ Catharinâ Senensi in epistolâ ad eundem Gregorium missâ. Ab stinentiam à carnibus obseruabat, cilicium ad nudum corpus adhibebat, erga pauperes effusus, Religiosam vitam profitentes magno prosequebatur amore, & potissimum sanctos Thomam Aquinatem & Bonauenturam huius lectione, illius consuetudine mirum in modum delectabatur, cui obtulerat infulam Ecclesiæ Neapolitanæ. Sur. in vita S. Th. Aquin. Nauclet. gener. 43. Ptolom. Luc. in annal. ad annum 1265.

De Clemente præclarum hoc elogium retulit Ptolomæus Lucensis Episcopus Torcellensis in annalibus. *Quantò plus creuit in dignitate, tantò plus floruit in sanctitate.*

Toto Pontificatus tempore nullos creauit Cardinales. Senio confectus tertio Kalendas Decembris anno M. CC. LXVIII. Viterbij moritur; ex quâ ciuitate nunquam discessit Pontifex, vrbis amœnitate captus: marmoreo conditur Cœnotaphio apud Dominicanos in Diuæ Mariæ ad gradus; hoc epithaphio inscripto.

Lector fige pedes admirans, quàm breuis ædes
Pontificem quartum Clementem contegit arctum.
En datur in cineres Petri successor, & hæres.
Cuius si memores, non mundi gaudia quæres.
Hic Iudex primùm, quem sic successus opimum
Reddidit, vt fertur, miles probus efficeretur.

Taléque sortitus nomen, iurisque peritus.
Virginis vnius fuit vnicus ipse maritus.
Qui viduatus eâ, mox Christi sorte potitus.
Aniciensis ita dignus fuit Archileuita.
Præsul ibi factus, post Archiepiscopus actus.
Pastor vt egregius, Narbonæ præfuit auctus.
Vtque Deogratus, vir Cardinalibus sociatus.
Papatus nomen clarum suscepit, & omen.
Hic sublimatus, sic denique clarificatus,
Perficiendo gradus censetur ad astra leuatus.
Annis sex denis octo cum mille ducentis
Transactis Christi, Clemens tumulo datur isti.
Vt finalis ei det gaudia summa diei, Amen.

Orta est controuersia inter Sacerdotes Cathedralis Ecclesiæ, & Dominicanos Viterbienses de Clementis cadauere anno M.CCLXXVI. Patribus Dominicanis Innocentius V. Dominicanus adiudicauit asserens sanctissimum Pontificem id ita statuisse, dum in viuis esset.

Illustrissi Nomen cl. Cardin.

Scripto reliquit vitam Diuæ Heduuigis.

De recipiendarum causarum ratione, vt refert Cortesius.

Epistolas, quarum aliquæ habentur in historia Regum Arragoniæ apud Henricum Steronem.

Vnam contra Ægidium de Sancto amore, de qua supra actum.

Regesti eius volumina quinque in Bibliotheca Vaticanâ.

In hoc Pontifice Chronicon suum finijt Martinus natione Polonus, Archiepiscopus Cosentinus & Pontificius Pœnitentiarius, cuius Chronico multas fabellas & mendacia inseruerunt Hæretici in medium primi proferentes apud eum Ioannam Papissam.

Vacauit Sedes duobus annis & nouem mensibus, quòd Cardinales nullo modo conuenire possent de Successore futuro eligendo. Eius vitam eleganti stylo descriptam refert Claudius Clemens societ. Iesu editam Lugduni anno M.DC.XXIV.

Mortuo Clemente & inter-Pontificio illo trium fermè annorum sanctus Ludouicus anno M.CC.LXX. Kalendis Martij Classe paratâ, Massiliâ soluit cum tribus liberis, at moritur sanctissimus Rex in cinere constitutus has pronuncians voces. *Introibo in domum tuam.*



PETRVS TARENTASIENSIS
PRIMVS E PRÆDICATORVM ORDINE PONTIFEX
INNOCENTIVS V.

TOTO terrarum orbe celeberrimi Ordinis illius Dominicani Petrus è Centronum ciuitate ortum duxit inter Alpes Graias Penninas præclari ingenij adolescens, qui pietatem cum doctrinâ singulari coniunxit. ANNO CHRISTI M.CC. LXXVI.

Doctor Lutetiæ Parisiorum, in quâ ciuitate multos annos docuit, reserauitque diuinæ Scripturæ arcana, & magnam sibi comparauit apud omnes authoritatem, cùm sermones ad populum habendo, tum scribendo.

Lugdunensis Archiepiscopus anno M.CC.LXXI. post Philippum de Sabaudiâ ad nuptias Aleidis Comitissæ Burgundię conuolantē Comitē Sabaudū.

Oecumenicæ Synodo Lugdunensi secundæ adfuit, in sua Metropolitanâ Ecclesiâ celebratæ, septimo Maij ante festū Christi in Cœlū ascendētis, quā suâ cohonestauit præsentiâ Gregorius X. eiusdē Ecclesiæ olim Canonicus.

Noster Archipræsul funebrem orationem habuit super felici morte B. Bonauenturæ è Balneo-regio Cardinalis in Concilio Lugdunensi defuncti anno ætatis quinquagesimo primo, XV. Iulij, die Dominicâ anno M.CC.LXXV, qui ordinem Sancti Francisci duodeuiginti annis rexerat; annum trigesimum quintum attigerat, cùm Minister Generalis præsente Alexandro IV. eligitur: successit Lugduni in Generalatu frater Hieronymus Asculanus, postea Nicolaus huius nomenclaturæ IV. S. Bonauentura moritur.

Purpuram induit cum sancto Bonauenturâ (non in Concilio Lugdunensi, vt asserit Ciaconius, sed ante, cùm adfuerint primæ sessioni) eamque ac-

cepit à Gregorio X. anno M.CC.LXXIV. creante Episcopū Cardinalem Ostiēsem, ac Veliternum, & prouinciam maioris Pœnitentiariæ ipsi committente.

Absens eligitur Aretij in summum Pontificem à duodecim Cardinalibus, quorū quinque Galli, XIII. Kalendas Februarias anno M. CC. LXXVI. vocatur Innocentius V. & eodē anno coronatur Romæ in Basilicâ Vaticanâ à Ioanne Caietano Vrsino Diacono Cardinale die Cathedræ Diui Petri. Constitutio de eligendo Pontifice à Gregorio X. eius prædecessore facta, primùm est obseruata.

Leges Conclauis.

I. Vt noui Pontificis comitia habeantur loco idoneo, vbi Pontifex præcedens cum suâ Curiâ residens, causarūque & litterarū Apostolicarū audientiā habens, mortuus fuerit, quod si in villâ, pago aut oppido obierit, & propterea ibidem comitia haberi commodè nequiuerint, in vrbe, in cuius Diœcesi villâ, pagus, vel oppidum fuerint, habeantur; nisi interdicta sint. Quo casu in proximiore vrbe non interdictâ ipsa electio fieri debet; si verò ipsa Obedientia alio loco fuerit, tunc non vbi Papa obierit, sed vbi eadem Obedientia fuerit, futuri Pontificis habeatur creatio.

II. Vt mortuo Pontifice comitia non habeantur, nisi ad minus decem dierum spatio interiecto; quo tempore & Cardinales absentes expectari, & nouemdialia mortui Pontificis per Cardinales præsentes celebrari debent.

III. Vt Cardinales omnes quauis ratione à Conclaui absentes nullum ferendorum suffragiorum ius habere possint.

IV. Vt non solum Cardinales absentes, sed & omnes cuiusuis ordinis, & conditionis homines in Romanum Pontificem creari possint.

V. Vt finitis nouemdialibus, sacrisque die decimo ritè sancto Spiritui factis, omnes Cardinales, qui adsunt (siue absentes venerint, siue non) in palatio, in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto vndique clauso, ac optimè custodito (Conclaue vocant) concludantur, cum duobus tantum, vel si ægritudine laborent (*vt nunc consuetudo est*) tribus aut quatuor famulis, qui eis necessaria subministrēt in loco comitiorū. Nec alicui præterea fas sit locum ingredi, vel egredi, nisi infirmitatis causâ, certisque quibusdā hominibus, quorū opera in Conclaui existentibus maximè est necessaria. Is porrò locus Conclauis nullum intermedium parietem habeat, sed omnes Cardinales in cellulis suis, laneis distinctis pannis, ipsum inhabitent in communi.

VI. Vt locus, & portæ Conclauis diligentissimè custodiantur: si Romæ electio habeatur, primùm à Prætorianis, deinde à Regulis Romanis, & Oratoribus Principum sacramento prius adstrictis; demum in loco ostio Conclauis proximiore ab Episcopis, & Conseruatoribus Vrbis. Si autem extra Vrbem comitia hæc habeantur, à loci eiusdem dominis temporalibus eodē iuramento fidelitatis obligatis. Quorum munus est Conclaue custodire, & diligēter cauere ne quid Conclaui inferatur, seu exportetur, quominus legitima suffragia ferri possint, atque singula scrutari; quæ, vel cibi vel alterius rei causâ inferūtur ad eos, & prouidere, ne quid detrimēti patiantur Cardinales, omnibusque ipsorum nutibus præsto esse: milites verò Prætoriani ac Reguli Romani Conclaue ab omni impressione tutum reddere debent.

VII. Vt Cardinales Conclaui egredi nullâ ratione possint, nisi Romano Pontifice creato.

VIII. Vt Cardinalibus venientibus post ingressum Conclauis, & ante Papæ creationem potestas sit Conclaue ingredi, & cum cæteris suffragia ferre, nullusque Cardinalis, quauis occasione, aut prætextu, etiam excommunicationis vinculo innodatus ab electione ipsâ arceri possit.

IX. Vt post triduum ingressûs Conclauis, nisi Pontifex renunciatus fuerit, Episcopi cum Regulis Romanis, & his, qui Conclauis custodiæ præsunt, maximam in epulis, & cibis, quæ Cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis non nisi ferculum vnum inferri permittant.

X. Vt in Comitijs habēdis sub anathematis pœnâ nulli fas sit, aut largitione vti, aut quidquam polliceri, aut prensare, siue ambiendo, animos Cardinalium sibi in nouâ creatione deuincire: Quo interim tempore Cardinalibus nulli alio negotio vacandi ius, potestasque sit, quò electio maturetur.

XI. Vt nemo Romanus Pontifex renuntiari possit, nisi duarum partium ex tribus Cardinalium in Conclaui præsentium integra suffragia tulerit.

XII. Vt mortuo Romano Pontifice, omnes Ecclesiastici magistratus, & officia statim cessent, atque à muneribus suis vacent, præter Pœnitentiarium maiorem, minoresque, & Camerarium S. R. E. quorum munera etiam mortuo Papâ perdurant. Hactenus Constitutio seruata ad amussim.

Pacis studiosus Pontifex pacare animos Hetruscorum, & Pisanorum studuit, quod est consecutus Legatis eo fine missis; cum idem præstare tentaret cum Venetis, & Genuensibus magnâ animorum, & armorum contentione inter se digladiantibus, morte præuentus finem optatum consequi non potuit.

Tunc temporis anno M. CC. LXXVI. decedit ex hac vitâ Iacobus Aragoniæ Rex post sexaginta tres annos regni, & condita templa ad duo millia. Taraff. & Mariana. de reb. Hispan.

E viuis eripitur decimo Calendas Iulij, anno M. CC. LXXVI. Romæ sepultus in Basilica Constantiniana, quinque menses solum Pontifex, eius Successor Adrianus V. post quadraginta solum dies Pontificatus moritur decimo octauo Augusti; signum Innocentij V. *Oculi mei semper ad Dominum.*

Scripsit.
- In Genesim.
- In Exodum.
- In Leuiticum.
- In Numeros.
- In Deuteronomium.
- In Psalterium.
- In Canticorum Cantica.
- In Lucam.
- In omnes D. Pauli epistolas.
- In quatuor libros Sententiarum.
- Compendium Theologicum.
- De Materia Cœli.
- De Intellectu & voluntate.
- De Æternitate Mundi.

De Vnitate Formæ.

Bellarmi. lib. de Script Eccles. S. Tho. in opusc.

Non defuere, inquit Bellarminus, qui plusquam centum propositiones eius reprehenderent; sed iussu Ioannis Vercellensis Magistri Generalis Ordinis Dominicani à D. Thoma Angelico Doctore fuerunt defensæ, vri patet ex eiusdem Doctoris opusculo.



SIMON MONPITIVS E BRIA PONTIFEX
MARTINVS IV.

ANNO DOMINI M. CC. LXXXI.

Vasburg. lib. 5. Antiquit. Belgicæ Galliæ.

MOs inualuit vt Martinus IV. vocaretur, licet II. esset nominādus; vnus enim præcessit Martinus, & duo Marini, vt eorum monimentis bullisque est luce clarius. Ante Pontificatum Simon Monpitius de Bria appellabatur ab oppido Briæ, ipsi germanus frater Gilo seu Ægidius de Bria vir nobilitate, & militiâ commendatus. Canonicatum & Thesaurarij dignitatem in Diui Martini Turonensis Ecclesiâ possedit Simon, vnde Vasburgius Virdunensis Archidiaconus Turonensem patriâ est opinatus.

Vrbani IV. Capellanus, & Præsul Aniciensis designatus seu Podiensis, sed adduci non potuit ad eum acceptandum; vt eundem Episcopatum posteà recusauit Petrus d'Estainà Canonicis Podiensibus iure meritóque electus, suâ sorte & Archidiaconatu Ruthenensi contentus. Rarum hoc æuo exemplum viris ambitione inflatis, qui omnes neruos contendunt, & equos impellunt ad poscenda eiusmodi Sacerdotia. Ad curas currunt, inquit sanctus Bernardus, vt cum ad curas peruenerint, sine curis viuant.

Sanctæ Ceciliæ Cardinalem Presbyterum fecit Vrbanus IV. secundâ Patrum creatione, mense Decembri anno M. CC. LXIII.

Ad Carolum Andegauensem Prouinciæ Comitem sancti Ludouici tertium fratrem nomine Clementis IV. missus contra Manfredum Ecclesiæ hostem, vt illum inuitaret in Italiam, Regni Neapolitani, & Siculi ergò. Cui Legato scripsit Clemens XIV. Kalendas Maij anno M. CC. LXVIII. Legatus ad Carolum Andegauen.

Isabellæ Regis Franciæ sorori asserenti se caput sancti Pauli habere, demonstrans idem Pontifex illud Romæ asseruari, illi mandat. Depone conscientiam: ne fallaris, nec ponas scandalum matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, quæ deceptionem huiusmodi non posset æquanimiter tolerare; si verò Græci se aliquo tempore illud habuisse dixerint: ne mireris; nam odio Latinos habentes facilè sibi formauerunt mendacium, qui de Fide Catholica, quod est maius, minimè mentiri dubitauerunt. Benignè igitur facies, si quid habes dilecto Filio nostro reddideris, nobis per eundem mittendum, ne si ad alias manus deuenerit, possit inde cum erroris periculo scandalum suscitari. De capite D. Pauli.

Interfuit anno M. CC. LXXIV. Concilio Lugdunensi secundo tempore Gregorij X. habito in præsentiâ ipsius Gregorij; quò Michael Palæologus VII. Comnenus Imperator Constantinopolitanus cum Patriarchis Opizio Hierosolymitano, & Pantaleone Constantinopolitano legauit Græcos Proceres. Tartarorum Cham etiam suos misit Nuntios, & literas ad Pontificem, & Synodum Oecumenicam. Platina, & Trithemius.

Finitâ Synodo Legatus in Galliis anno M. CC. LXXVII. maximâ cum potestate causâ belli sacri instaurandi, & anno secundo Pontificatus Nicolai nimirum M. CC. LXXVIII. priuilegium rationemque, & ritum eligendi Rectoris Academiæ Parisiensis dedit, cum esset Nongenti ad Sequanam Kalendis Octobris. Post Gregorij obitum in Curiam se recepit mandato Nicolai III. quo vitâ functo ad summum assumptus est Pontificatum Viterbij duobus Vrsinis Cardinalibus vi detractis à Conclaui, & custodiæ mancipatis, Caroli Andegauensis Regis Neapolitani rogatu, votis, & suffragiis decem Cardinalium die Cathedræ sancti Petri anno M. CC. LXXXI. Noluit consecrari Viterbij interdicti sacris ob Cardinales ibi malè exceptos, & excommunicationem in sceleris auctores prolatam; statim Mathæum, & Iordanum Vrsinos Cardinales carcere liberauit. Cum frater (cuius supra est mentio) ad fratrem Pontificem se recepisset de tanto munere gratulabundus, sperànsque multa se obtenturum, statim Pontificis iussu domum abire cogitur, affirmante Martino bona Ecclesiæ sua non esse, sed Christi. Inter alios Cardinales purpurâ fulgentes Caietanum Lugdunensis Ecclesiæ Canonicum creauit Cardinalem, qui postea Pontifex Bonifacius VIII. Carolum Andegauensem Siciliæ Regem venientem Vrbemveterem anno M. CC. LXXXI. benigno excepit animo, Senatoriæ Romanæ dignitati præfecit, vt & Hetruriæ vicariatum ei restituit, quo priuatus fuerat à Papa Nicolao ob particulares inimicitias, & maximè, quòd nuptias fratris sui filiæ cupidè à Pontifice oblatas Rex tanquam impares spreuisset. Carolus Andeg. curat creari Martinum.

Instante eodem Carolo Michael Palæologus Imperator Bizantinus ex-

Eberar-dus in Chronico.

communicatur post cæsum ipsius Caroli militem, Synodi Lugdunensis decreta non obseruans, pariterque Græci.

Vesperæ Siculæ.

Vesperæ Siculæ anno M. CC. LXXXI. accidêre tertio Kalendas Aprilis, ipsâ die Paschæ Christo resurgenti sacrâ, quibus mira Gallorum supra octo millia vtriusque sexûs, & cuiuscunque ætatis & ordinis etiam mulierum prægnantium cædes facta à Siculis, suasu & astutiâ cuiusdam amici Regis Manfredi defuncti Ioannis Prochytæ insulæ sibi cognominis ad Siciliam Principis, & etiam operâ Conradi Dynastæ Antiocheni dato signo, cùm Vesperarum nola exaudiretur. Panormi cæde inceptâ, Galli Italicè verba facientes noscebantur vnius vocabuli Itali pronunciatione, nimirum, *Ciceri*, vulgò, *pois chiches*. Prægnantes ex Francis euiscerabantur, ne quid Gallorum stirpis in Siciliâ superesset. Inter moras aduenit infaustus nuncius ad Carolum, qui apud Pontificem conqueritur de immani Gallorum internecione. Pontifex in Hetruriâ morans Legatum à latere Girardum Cardinalem Albanum cum Carolo misit in Siciliam; sola Messana in fide perstiterat Gerberti Aurelianensis auctoritate insulæ præfecti, sed non diu, Petro Rege Aragonensi numerosâ classe suppetias ferente, & suscipiente Regni Siculi diadema ab Episcopo Cephaludensi: Petrus mouebatur potissimù precibus Constantiæ vxoris, filiæ Manfredi occisi, & Beatricis carcere, alterius filiæ Manfredi, necnon hæreditate filiorum. Rogerius Doria ducit in eum finem quinquaginta triremes excitatus à Prochyta paulò ante Bizantium profecto, & statim reuerso. Petrus Aragonensis specie Legationis ad Martinum nouum Pontificem pro relatione Raymundi Pennafortij in album Sanctorum, misit Augonem Metaplanem, vt Pontificis consilia detegeret, antequam Rex Panormum appelleret; quò aduenit quarto Nonas Augusti, die sancti Laurentij; simulabat se Hierosolymitani belli causâ armatum, aliqua Africæ littora perlustrare, donec aduocetur à Siculis. Iecit excommunicationis fulmen in Aragonensem Martinus, & ipsum Aragoniæ regnum secundogenito Philippi Francorum Regis Carolo Valesio ex sorore Aragonij dedit. Salerni Princeps Carolus Claudus absente Patre vincitur & capitur à Rogerio Doriâ, & in Aragoniam captiuus ducitur Conradini supplicium præstolans, sed B. Magdalenâ apparente in ergastulo, liberatur: Pater ex Hetruriâ rediens Rhegium peruenit classem Gallicanam operiens; tandem anno M. CC. LXXXIV. septimâ die Ianuarij in Apuliâ obiit anno suæ ætatis LVI. Regni vndeuigesimo; terræ mandatum corpus Neapoli in Ecclesiâ Cathedrali Regio apparatu, cum hoc Epitaphio.

Nang. Æmil. & alij.

Sylvester, Prieras, & Syluester Lucensis in Chronico.

Carolus I Rex Neapolis moritur.

Carolus hac paruâ Rex primus conditur vrnâ.
Parthenopes Galli sanguinis altus honos.
Cui sceptrum, & vitam sors abstulit inuida, quando
Illius famam perdere non potuit.

Sanctius spoliat Patrem Regno.

Alphonsus Castellæ Rex anno M. CC. LXXXII. à Sanctio filio Regno spoliatur; quâ de causâ Sanctium diris deuouit Summus Pontifex, eumque abdicat, restituto parente ab Hispalensibus, qui filium exhæredauit, iuréque regni priuauit, sexto Idus Nouembris eiusdem anni, frequentissimo

populi conspectu Hispali in Regali sedens solio.

Concilium habuit Herbipolense in Germania Præside Legato Apostolicæ Sedis, & Rudolpho Cæsare præsente cum Imperij principibus viris; vbi inter alia Legatus nomine Pontificio contributionem decimi denarij à Clero, Imperator ab vniuerso populo exigere cœperunt.

Noruergiæ Regem auaritiæ arguit, qui pecuniam in terræ Sanctæ subsidium collectam è Regno efferri recusabat litteris datis Vrbeveteri, quarto Nonas Martias.

Denarium sancti Petri, seu censum octo annorum præteritorum ex Angliæ, Hiberniæque Regnis recepit; & vt Almaricum Mont-fortium incarceratum libertati restitueret, Anglo scripsit Vrbeveteri duodecimo Kalendas Octobris. Denarius S. Petri in Angliâ.

Ioannes Alexij Comneni Nepos Byzantium profectus Eudoxiam Michaelis Imperatoris filiam sumit vxorem anno M. CC. LXXXI. Filius ei natus infra annum, Alexius Comnenus Iunior, qui Patri successit. Martinus Polonus Archiepiscopus de quo in Clemente IV. Bononiæ moritur, & in Diui Dominici, pone S. Vincentij sacellum, sepelitur.

Pontifex Martinus Franciscanorum habitu indutus obiit vir multis virtutum nominibus colendus Perusij lentâ febri, IV. Kalendas Aprilis, anno M. CC. LXXXV. in Cathedrali Ecclesiâ Diui Laurentij tumulatus. Post mortem variis clarus miraculis, vnde Martinus Polonus testis oculatus vsque ad diem duodecimum Maij, quo scribebat, surdos, cœcos, mutos asserit fuisse sanitati restitutos.

Signum Martini Papæ. *Portio mea Domine sit in terra viuentium.*

Eiusdem Pontificis, & Monpitiorum, ac Nobilium de Villers Dominorum Insulæ Adami in Bria, in aureo solo scutarium cæruleum, brachio dextro sacra obeuntis Hermionico impressum, cum eiusdem velleris manipulo, argento fimbriato, in totum scutum pendulo. Scutum Martini descriptũ.

Duo eius rescripta è Chartulario, archiuisque Ecclesiæ Diui Martini Turonensis refert Papirius Massonus in Martino IV. Alias habemus epistolas in historiâ Regum Aragoniæ.

Tres Reges fatis concedunt anno M. CC. LXXXV. Hugo Lusignanus Rex Cypri, decimo sexto Martij, relicto Ioanne successore. Petrus Aragonensis pridie Nonas Octobris, Alphonso filio succedente, & Philippus Audax sexto Idus Nouembris, Philippo Valesio cognomento Pulchro Regni hærede.



BERTRANDVS DE GOVTH BVRDEGALENSIS PONTIFEX
CLEMENS V.

ANNO CHRISTI. M CCC.V.

Bened. XI. venenomoritur.

COLLEGIVM Eminentissimorum Cardinalium Perusij post Benedicti XI. ficubus venenatis extincti obitum sibi pro eligendo Pontifice satisfacere, annum penè integrum, non potuit; Cardinalibus in duas æquas distractis factiones, Gallicã & Italicam. Verum astutiâ Fratris Nicolai Martini Pratensis, Ordinis Dominicani Cardinalis Ostiensis, qui Philippo Pulchro Regi Francorum adhuc memori simultatum Bonifacii VIII. gratificari voluit, vnus inter omnes designatur Bertrandus Archipræsul tunc absens, & Burdegalæ commorans, qui à Bonifacio hoc Archiepiscopatu donatus fuerat, contra ipsius Regis voluntatem: læsus in bello Aquitaniæ ob iniurias propinquis illatas ab ipso Rege, & Carolo Valesio. Bertrandus facili negotio in Philippi gratiam rediit, obtinendi Pontificatus ergò, postquam in quodam cœnobio conuenissent, & celeri nuntio accepto de electione suâ futurâ in Pontificem; modo ipse, & Philippus Rex euadant amici. Rem patefecit Archipræsuli Philippus, & petiit, si Pontificatum adipiscatur, an sit effecturus ea, quæ ab ipso poposceret contra Bonifacij memoriam; è vestigio annuit, & firmauit chirographo dans suæ sponsionis obsides fratrem & fratris filios. E tribus propositis à Cardinalium Italorum factione, instar omnium electus à viginti & vno Cardinalibus Bertrandus Nonis Iunij, anno à Partu Virginis M. CCC. V. omnibus de electione lætis, sed Italis ignorantibus quid lateret in herba. Legati mittuntur

Bertrandus in gratiam redit cum Philippo pulchro.

in

in Aquitaniam, offenduntque Parœcias suæ Diœcesis lustrantem Bertrandum tunc in Prioratu de Lesinaco. Audiamus litteras ad eum scriptas, quas Arnaldus Episcopus Vasatensis doctissimus ante aliquot lustra publicas fecit ex Originali.

Sanctissimo Patri Domno, & Domno Bertrando Archiepiscopo Burdegalensi, diuinâ prouidentiâ in Pontificem Summum electo miseratione diuinâ, Christi Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales pedum oscula Beatorum. Recordatus est Dominus misericordiæ suæ, & plebem suam non despexit in finem: quia dum prolixæ vacationis Romanæ, & per consequens quodammodo vniuersalis Ecclesię respexisset incommoda, & longa illius ex variis causis suspiria cognouisset, in tempore accepto exaudiuit eam, & in die salutis miseratus est eius. Sanauit quidem, quia commotus erat contritione ipsius, & vidua, per electionem canonicam generoso sponso oblata speciosa facta est, & (sicut crapulatus à vino) à somno dormiens excita surrexit, & vbi desperabat magis, vt lucifer est exortus: vnde serenus dies illuxit nobis, & sancti Spiritus illustratus ardore, populis, qui orbati patre gradiebantur in tenebris, tanquam quoddam sydus apparuit, quod fulgore proprio velut stella matutina coruscans cunctos Fideles irradiat suo lumine claritatis: dudum siquidem eadem Romana Ecclesia per mortem sanctæ memoriæ Domini Benedicti Patris, Reuerendi Pastoris solatio destituta, de Vobis, sicut per electionis ipsius decretum, quod sanctissimæ Paternitati vestræ vnà cum præsentibus litteris, per prouidos & discretos viros Apostolicæ Sedis, Fratrem Guidonem Abbatem Monasterij Belli-loci Cluniacensium Ordinis, Virdunensis Diœceseos & Magistros Petrum de Montegiello Sacristã Ecclesiæ Narbonensis, ac Andream de Hugugio Canonicum Catalaunensem, eiusdem Sedis in Romanâ curiâ nostris cõmunibus obsequiis insistentes, nostros ad id speciales transmittimus Nuncios, liquere poterit, est nuper ad summum Pontificem electio celebrata. Igitur Pater Vos exoramus, vt ad locum dictę Sedis, & ad partes terrarum ipsius, exemplo felicis recordationis Clemẽtis IIII, & S. memoriæ Gregorij x. Romanorum Pontificum accedentes præsentiâ vestrâ, sicut noster æternus medicus, qui præsens iacentem mundum erexit, & curauit infirmũ, Ecclesiæ laboribus consulatis. Fluctuat itaq; Petri Nauicula, sagena rumpitur piscatoris, pacis serenitas in nubilũ versa est, ac Ecclesiæ Romanæ terras, & nonnullas adiacentes Prouincias vastat bellorum calamitas, & in eis sagittæ zizaniam Seminantis ardentibus effectæ complentur; ex quibus rerum, personarum, & animarum, quod grauius est, pericula subsequuntur. Soldanus insuper Babylonicus hostis insultat Christi fidelibus, & vrbium Christianarum excidia minatur, & residuum, quod ibi Christiani possident, vt singularis ferus exterminare satagit. Succurrite inquimus, succurrite Pater, & sauciorum vulnera præsentialiter purgate, & vario purgata oleo confouete: Non dubium quippe, quod in Sede Petri residebitis fortior; lucebitis clarior, in terrâ eius viuetis quietior, & remotis Regibus, Principibus atque populis admirabilior eritis, & ipsorum deuotionem & obedientiam plenius acquiretis; in suâ namque domo est vnusquisque planeta potentior, in Ecclesiâ propriâ quiescere, quid dulcius? visa frequenter spernuntur, sæpius ac

Litteræ missæ Burdegalam pro Pontificatu.

facilius adita veluti quæ sita vilescunt. Venite ergo, atque nostris in hac parte votis assentiat vestra Benignitas, quam benè diuque valere cupimus, iterum supplicamus. Vt autem adhibeatur his nostris litteris plena fides, eas sigillorum nostrorum munimine roborari fecimus & muniri. Datum Perusij anno Domini M. CCC. V. indictione tertiâ, sexto Iunij: Sigilla decem & octo impressa ceræ miniatæ visebantur.

Villan. li. 8. cap 81. Missus in lucem fuerat Bertrandus de Gouth, non Raymundus (vti eum nuncupat Ioannes Villanæus) in pago de Vilandtan Burdegalensis diœcesis, Patre Berardo Equite opulento. In illius vici conspectu trans fluuiũ Cyrionẽ est in Diœcesi Vasatensi Vsesta, in cuius Ecclesiâ ipse tumulatus, vnde à popularibus, vulgò *Papa Vsesta* nuncupatur. Ex eâ gente & familiâ nobilissimus Marchio de Roulliac, & alij Clementi de Gouth cognomines.

Gens de Gouth.

Aureliæ ad Ligerim nauauit operam Iuri Ciuili: propterea studiorum memor diplomate confirmauit Pontifex priuilegia illi Academiæ concessa à Philippo Pulchro. Conuenarum fuit Episcopus sub Auxitano Archiepiscopo; Ecclesia Primaria est Diuo Bertrando sacra, Bertrandus transfert Summus Pontifex creatus sancti Bertrandi corpus anno M. CCC. VIII.

Auger. in Actis. Pontif. Rom. Archipræsul Burdegalensis Bonifacij VIII. gratiâ anno M. CCC. seditque quinquennio; cui successit Arnaldus de sancto Lupo Cardinalis affinitate ipsi coniunctus, vt testatur Almaricus Augerius; de illo in lib. secundo.

Translatio sedis. In æde Diuo Andreæ Apostolo sacrâ XII. Kal. Augusti, nomen Bertrandi in Clementem commutauit. Recta fuit Pontificis mens in translatione Sedis Pontificiæ ob Italicas seditiones, quibus præsens remedium afferre non poterat. Lugdunum proficiscitur coronandus, in eum finem conuocatis ex Italiâ Cardinalibus, pridiè Idus Nouembris die Dominico illius anni M. CCC. V. initio memorati, in Ecclesiâ Diui Iusti extra muros à Caluinistis euersâ anno M. D. LXII.

Coronationis insignia dedit Mathæus Vrsinus Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu Prior Diaconorum; Cæremoniam suâ cohonestarunt præsentiâ

Paul. Æmil. in Philippo, Platin. & alij. Philippus Franciæ, Eduardus Angliæ, Ferdinandus Arragoniæ Reges, Valesij Comes Philippi frater germanus, Ioannes Dux Britanniæ, aliique Proceres. Sed, proh dolor! in mediâ pompâ Ioannem Britannicum cum aliis duodecim muri ruina de repente opprimit: Pontifex iacturam fecit carbunculi sex millium aureorum pretio æstimati.

Quæ pollicitus fuerat ante Pontificatum Regi Philippo, ad exitum perduxit: nam ipsum, initio sui Pontificatus, Ecclesiæ restituit: Regni decimas quinquennales concessit Cardinales Gallos creauit, duos Columnenses: Iacobum & Petrum, Bonifacij hostes pristino honori redintegrauit.

Abrogatæ quædam Bonif. Constitutiones. Bonifacij VIII. binas abrogauit Constitutiones anno M. CCC. VI. vnam, quâ declararat Gallorum Regem quoad temporalia Ecclesiæ & Pontifici subiectum, *vnam sanctam de Maioritate, & Obedientiâ*, alteram quæ VI. *Decretalium* est inserta, incipitque *Clerici Cardinales*; sic loquitur Clemens Pontifex, Meruit Charissimi filij nostri Philippi Regis Francorum illustris synceræ affectionis ad Nos, & Ecclesiam Romanam integritas, & Progenitorum suorum præclara merita meruerunt; meruit insuper Regnicolarum puritas, ac deuotionis synceritas, vt tam Regem, quàm Regnum fa-

uore beneuolo prosequamur. Hinc est, quòd nos Regi, & Regno per definitionem, & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit; *Vnam Sanctam*, nullum volumus, vel intendimus præiudicium generari, nec quod per illam Rex, Regnum & Regnicolæ præhabiti amplius Ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quàm antea existebant, sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam: cùm quantum ad Ecclesiam, quàm etiam ad Regem, Regnum, & Regnicolas superius nominatos.

Christianis in Syriâ residuis, omni ope iuuandis animum intendit Pontifex, anno M. CCC. VI. propterea Lugduno scribit, Kalendis Februarij, anno primo sui Pontificatus Carolo Valesio, cui iure hæreditario ob Catharinâ coniugem Imperium Constantinopolitanum contingebat, scribit inquam illius recuperandi gratiâ; seque eum non modò consiliis, verùm etiam opibus belli neruis adiuturum. Veneti Mari potentes cum Carolo in Palæologum Iuniorem Constantinopoli imperantem fœdus percutiunt. Rassiæ Despota sibi timens ab Ecclesiâ Romanâ in communionem missis Legatis recipitur à Clemente. Sabellicus Ennead. 9. li. 7.

Iudæi omnes à finibus Franciæ amandati à Philippo Rege, eorumq; bona subhastata. Eodem anno contigit sacræ Hostiæ miraculum Lutetiæ, quam Iudæo fœneratori dederat Parisiensis mulier rei domesticæ necessitate cõpulsa vestẽ oppignerando acquieuit Iudæo pollicenti, se vestẽ & pecunias redditurum, si hostiam afferret à Sacerdote dandam in festo Paschæ. Pecuniâ ex pacto receptâ, sacram porrexit hostiam: è vestigio infans miræ pulchritudinis apparet, inter aquas bullientes instrumẽto ferreo puerum confodere tentat, qui ab ea parte, quâ ferrum vibrabat Iudæus, in alteram declinabat puer. Mirati rem nouam infantes, matri, & aliis viciniæ pueris eam patefecerunt. Tandem ad aures Episcopi Parisiensis Guillelmi Bausfeti peruenit, qui hostiam sacram è mediis aquis ereptam, & illæsam decenter, vt par erat, in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ ab Arenis, vulgò à Grauia, collocauit, quæ etiamnum nunc temporis in eodem loco asseruatur, miraculo sculpto lapidi pone eandem Ecclesiam ad vicum. Miraculũ hostiæ S. Ioann. à Grauia.

Dulcinus & Margareta eius vxor Nouariæ virus hæreseos diffundunt anno M. CCC. VII. ille tam effrœnatæ fuit libidinis, vt ad sex millia vtriusque sexus prætextu & specie charitatis cohabitare docuerit, vir suadelâ pollẽs; Alpes incolebant, in eos missi armati milites: Dulcinus & Margareta membratim concisi, in ignem proiecti, & in cineres sunt redacti. Bernardus Luxemburg. in catal. hæretic.

Robertus Ecclesiæ Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiasticæ libertatis vindex acerrimus anno M. CCC. VIII. proscribitur à Rege Eduardo, Auenionem se recipit ad Clementem, qui post Eduardi obitum restituit Robertum vltro annuente alio Eduardo filio, quem vt Patrem dilexit, vt Pastorem est veneratus, eius acquiescens consilijs. Polydor. Virgil. l. 16. histor. Anglic.

Carolus Neapolitanorum Rex cognomento Claudus moritur anno sequenti; vir pietate singulari, numerosâ sobole rebusque præclarè gestis illustrissimus, sanctum Ludouicum Tolosanum Episcopum procreauit, educauitque ad sanctitatis fastigium. Basilicam Archiepiscopalem Neapoli & viginti templa ædificauit. Molem Mari insilienti, & feroci oppositam Carolus Claudus multis rebus clarus.

extruxit in medijs aquis, præclarâ victoriâ auxilio Amedei Allobrogum Ducis de Turcis Rhodum Insulam obsidentibus reportatâ. Ab eâ parta victoriâ mense Augusto anno M. CCC. X. Magni cognomen est datum Amedeo, & pro Gentilitio insigni hos quatuor characteres sumpsit F. E. R. T. *Fortitudo eius Rhodum tenuit*; prius Aquilæ clypeum exornabant, has in crucem argenteam miniato campo nitentem mutauit.

Scutum Sabaudicum.

Philippus Rex Pictauos adierat anno M. CCC. VI. Pontificémque conuenerat, vt Bonifacij memoriam execraretur; sed sapiens Pontifex rem in Synodo Oecumenicâ Viennensi tractandam distulit, quæ celebrata est anno M. CCC. XI. decimo tertio Nouembris à trecentis Patribus. Tres fuêre sessiones; in primâ Expeditio transmarina constituta, & Ecclesiasticorum Reformatio decreta. Secundâ, Templariorum Ordo extinctus est, & Summus Ordinis Magister Iacobus Mola extremo affectus supplicio Philippi Regis imperio, & bona Hospitalariis Equitibus sancti Ioannis Hierosolymitani attributa. Tertiâ, Cardinales tres Richardus & Gentilis peritissimi tam in iure Pontificio, quàm Cæsareo, & Theologus insignis Ioannes Mamurrensis probauêre Bonifacium legitimum, & Catholicum Pontificem; sed, vt Clemens aliquo modo Regi gratificaretur, sanciuit Bonifacij prædecessoris occasione ex Concilij sententiâ, vt imposterum neque Rex, neque Regis hæredes simili afficerentur iniuriâ. In eodem Concilio decretum Animam rationalem esse formam corporis humani, *Ex Clement. primâ de Trinitate & Fide Catholica*; & Christi corpus post mortem lanceâ fuisse vulneratum; & damnatos Begardos & Beguinas asserentes vsuram non esse peccatum.

Templarij extincti.

Clementem adit anno M. CCC. IX. Robertus Dux Calabriæ, mortuo enim parente Carolo Rege huius nominis II. Pontifex Robertum coronauit diademate vtriusque Siciliæ (Tilius meminit solius Apuliæ) clientelæ Sacramento se Rex obstrinxit.

Tilius in monimê. Reg. Fra.

Finitâ Synodo Pontifex Auenionem reuertitur. Henricus VII. Cæsar Romæ coronatur à tribus Cardinalibus anno M. CCC. XII. Kalendis Augusti, Fidei professionem emisit; & similem formulam iurisiurandi, quo se obstrinxit, habemus in iure Canonico. Imperator Germaniâ repetere cogitâs Aretium peruenit, vbi Robertum Neapolis Regem læsæ Maiestatis reum regno priuauit; quod Pontifici valde displicuit, cum regna Siculum, & Neapolitanum ad Romanum Pontificem spectent, illorumque Reges tantum sint Feudatarij & clientes. Interim moritur Cæsar Bonconuenti in agro Senensi, IX. Kalendas Septembris, anno M. CCC. XIII. Fabula est veneno extinctum in sacrâ Synaxi exhibitâ à fratre Bernardo Politiano Ordinis Dominicani technis & præmijs allecto, hâc fabulam explodit Trithemius, aliique plurimi, de quâ pluribus libro tertio in Nicolao Cardinale Ostiensi Dominicano.

C. tibi Domine dist. 63.

Trithe. in chron. Hirsaug.

Cœlestinum V. antea nuncupatum Petrum à Mucrone multis insignem miraculis decimo quarto Kalendas Iunij, die obitus, decimo septimo post decessum anno Clemens in sanctorum album, titulo sancti Petri Confessoris retulit, rogantibus, Philippo Francorum, & Roberto Siciliæ Regibus. Se abdicarat Summo Pontificatu volens libens mense Decembri, anno M.

S. Petrus Cœlest. canonizatur.

cc. x~iv. publico omnium Cardinalium Consistorio, his verbis. Ego Cœlestinus Papa V. motus ex legitimis causis, id est, causâ humilitatis, & mediocris vitæ, & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate personæ, & vt præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte ac liberè cedo Papatui, & expressè renuncio loco & dignitati, honori & oneri dans plenam & liberam facultatem huic sacro cœtui Cardinalium eligendi & prouidendi dumtaxat canonicè vniuersali Ecclesiæ de Pastore. Poterat ad solitudinem rediens dicere Cælestinus illud ex epitaphio Sorani. Eiurauit Summum Pontificatum.

Viderit anne aliquis post me mea facta sequatur,

Exemplo mihi sum primus, qui talia feci.

Clemens duodecimo Kalendas Maij anno M. CCC. XIIII. vt ait Paulus Æmilius, in Roca maura ad Rhodanū morti proximus suos accersit domesticos percunctatus quid cuique opus esset, ad victum prouidet, vt sui apud Deū sint memores, illum quæ timeât hortatur, petitque sepeliri in Ecclesiâ de Vzesta à se ædificatâ, cui se vouerat antea Parrochialis ædes sanctę Raddundis appellabatur; post datam omnibus Benedictionem moritur, propinquis innumerabiles pene gazas relinquens. Sepultus in villulâ ignobili Vasatinæ Diœceseos. Sedit annos octo, menses decem. Lis mota de corpore inter Canonicos Vzestæ & Carpentoracti; ceciderunt causâ Carpentoractenses. Duralij hodie habent ius conferendi beneficia illius Ecclesiæ, tanquam emptores vici Villandrini; tale est epitaphium.

Hic iacet felicis recordationis D. Clemens Papa V. fundator Ecclesiarum Collegiatarum de Vzesta, & de Villandrando, qui obijt apud Rupem Mauram Nemausensis diœcesis, die Augusti vigesimo, Pontificatus sui anno nono ; portatus verò ad istam Ecclesiam B. Mariæ de Vzestâ anno Domini M. CCC. XVI; *die Augusti vigesimâ septimâ, tunc proximâ & sepultus die* ..... *anno Domini* M. CCC. LIX.

Bertrandus de Gouth Vicecomes Lomaniæ Clementis nepos reponendis eius ossibus arcam argenteam auro & lapidibus pretiosis ornatam pretio supra quinquaginta mille nummûm aureorum comparatat, verum morte præuentus propositum non perduxit ad exitum, eam Ioannes Armeniaci Comes Bertrandique hæres obtinuit, detinuitque bellorum occasione plures annos, quem admonuit Ioannes XXII. Clementis successor, vt voluntati Clementis satisfaceret. Bsouius anno 1330. ex Regist. Ioan.

Inuentum Pontificium cadauer admodum procerum, & ferè pedes octo longum statim in cineres est resolutum.

Sepulchrum eius marmoreum octo columnis ex Iaspide bellissimè exornatum violatur à sectarijs octauo Idus Ianuarias anno M. D. LXXVII. corpus crematur, gemmæ & vasa argentea rapiuntur, ducibus nefarij sceleris Serra, & Forcade Vasatensibus.

Auctor Constitutionum Clementinarum, cuius Regesti volumina no-

Bernard. Guido in Clem. V

uem in Bibliothecâ Vaticanâ seruantur. Anno M. CCC. XIII. circa finem anni in die sacra Diuo Benedicto Abbati in castro de Montilijs, iuxta Carpentoractensem vrbem, in quâ tunc temporis Curia morabatur, Clemens se coram in Consistorio voluit publicari Constitutiones, quas prius curarat ordinari, morte præuentus non potuit iuris publici facere, eas postea Ioannes XXII. quinque contentas libris luci donauit.

Villan. lib 8.& 9. Fiorẽ hist.

Non audiendus Villaneus, qui Clementem simoniam amantem venalia omnia habuisse, libidini quoque deditum, & vnicè dilexisse miræ pulchritudinis fœminam Comitem Petragoriorum, laborans maledicendi vitio retulit, nec etiam audiendus Dantes Poëta Hetruscus, qui odio Gallicæ gentis multa effudit in Clementem, mortuus Rauennæ mense Iulio anni M. CCC. XXI.



IACOBVS DEVSA CADVRCENSIS PONTIFEX IOANNES XXII.

ANNO CHRISTI M. CCC. XVI.

BIENNIVM integrum Ecclesia sine capite visibili permansit, postquam diem clausit extremum Clemens, Cardinalibus de Pontifice non conuenientibus, in magnum totius Ecclesiæ detrimentum. Philippus Pictauiensis Comes, postea Francoruum Monarcha, cognomento Longus Cardinales viginti duos Lugdunum accersiuit, & compromisso die Sabbato, septimo Idus Augusti anno M. CCC. XVI. in conuentu Dominicanorum consensêre, vt Pontifex crearetur, quem Iacobus Cardinalis Portuensis vellet; voluit verò Pontifex designari ipse Iacobus Deüsa Cadur-

censis (Cadurcum porrò vrbs Aquitaniæ, apposita Olto vulgò *Loth* amni in Garumnam influenti) parente Arnaldo sutore vilissimo veteramentario, natus Cadurci, anno M. CC. XLIV. corpore exili, & modico vir fuit, sed solerti ingenio, & acri, qui consilio vsus Cardinalis Vrsini seipsum ascito Ioannis XXII. nomine Pontificem renunciauit; deceptis Cardinalibus Aquitanis, etiam ipso Vrsino, cui promiserat se nunquam equum, aut mulum conscensurum, quin Romam repeteret. Verum statim à creatione nauigio Auenionem appulit, & pedibus Palatium adijt; nunquam postea placari potuit Vrsinus, licet duos è Gente Vrsina Pontifex crearit Cardinales. His facilè non crediderim, quæ iuri communi derogare videntur, vt ipse Massonus fatetur, & hæc scandalo viam sternunt. Quid simile in historia prophana narrat Titus Liuius de ipso Appio Claudio, qui decemuiratus honorem ambiebat, & decemuiros creandi acceptâ auctoritate se primum creauit, quod haud secus factum, inquit Liuius, improbabant boni, quem nemo ausurũ crediderat. Caroli Regis Neapolitani cognomento Claudi, Comitis Prouinciæ fuit Cancellarius. Feronius in libello de Galliæ Cancellarijs narrat Iacobum Cadurcensem fuisse Ludouici Hutini Nomophylacem, quod veritati non est consonum, & eius rogatu summum Pontificem, nam Hutinus decessit, quinto Iunij, anno M. CCCVI. & Iacobus creatus Pontifex mense Augusto eiusdem anni. Tunc temporis Cancellarius Regis fuit Petrus Cardinalis d'Arrablay, cuius gentilitium scutum malè tribuitur Iacobo Cadurcensi ab eodem Feronio.

Villanæus.l.9. hist.cap. 79. D. Anton. part.3. hist.

Masson. in Ioanne 22.

Liu.l.3.

Refellitur Feronius.

In finibus Cadurcorum illustris familia Carmagniorum Comitum, quæ Ioannis summum Sacerdotium adepti statim petijt affinitatem, datáque illius Gentis primogenito in matrimonium Pontificis fratris filia; gentilitium quoque insigne accepit, exaratum videlicet duobus leonibus, qui erectis caudis saliunt, & eorum alteri in summo pede lilium inest, cum quatuor intersecantibus lineolis.

Idem Masson. ibid.

Familiæ Ioannis Cadurci in præsenti nulla extant vestigia, vt auctor est (in Bernardo de Cardaillac Episcopo Cadurcensi) qui librum Episcoporum Cadurcensium typis mandauit.

Lituum imprimis tulit Foroiuliensis Ecclesiæ (cuius Antistes factus est loci Dominus, donatione Ildefonsi II. Comitis, anno Verbi Incarnati M.CC.III.) in Narbonensi secundâ, vel secundum Isidorum in Viennensi tertiâ, sub Archipræsule Aquensi.

Auenionensis Antistes, anno M. CCC. I. successorem habuit Nepotem Arnaldum de Via sororis filium, quem, vt infra videbimus, ipse Cardinalem creauit.

Lib. 2.

Rogante Roberto Neapolitano Rege Caroli Claudi filio, qui in Regno parenti successit, mortuo iam Carolo Martello natu maiore consequitur Cardinalitiam purpuram, fitque Episcopus Portuensis conferente Clemente V. in tertiâ Cardinalium promotione, anno M.CCC.XII. Sabbato quatuor temporum Aduentus.

Coronatur Pontifex die Dominicâ, in templo sancti Ioannis Baptistæ Nonis Septembris manu Neapoleonis Vrsini Diaconi Cardinalis

ſancti Adriani, anno M. CCC. XVI.

Vt Auenionem, poſt adeptum Pontificatum, acceſſit, ſeptem legit Cardinales Francos, & Italum vnum Ioannem Caietanum Vrſinum in gratiam Neapoleonis.

B. Ludouicus Toloſ. Epiſcopus canonizatur viuente Matre.

Beatum Ludouicum Caroli II. Siciliæ Regis filium, Ordinis Franciſcani Epiſcopum Toloſanum, Cœleſtibus Auenione recenſuit diplomate dato, ſeptimo Idus Apriles anno ſequenti: factâ apotheoſi ſcripſit Pontifex ad matrem Ludouici adhuc ſuperſtitem has literas.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ MARIÆ REGINÆ SICILIÆ ILLVSTRI.

EPVLARI filia, in ſinceritatis, & veritatis azymis, & in Domino gaudere te conuenit, quia filius tuus, ab olim mundo moriens, Deo fœliciter viuere, factuſque compatriota Cœleſtium, ac ſiderearum incola manſionum, in Domini tabernaculo meruit habitare; Exultare, ac pium prorumpere debes in Iubilum; de vtero tuo proceſſiſſe virum Angelicum, meditans conſortem eſſe Angelorum, profuſis decet te plaudere gaudijs, quod talem in terris genueris filium, cuius in cœlis pratrocinio, cuiuſque fauore apud homines potiris, vt interceſſionibus apud Deum. Hic eſt ille natus tuus venerandæ memoriæ Ludouicus Epiſcopus Toloſanus, quem Deus ipſe glorioſus in ſanctis ſuis, & in Maieſtate mirabilis, ſuâ immensâ bonitate virtutum operatione mirificans, & gratiâ ſanitatum, ſic immenſis illuſtrauit miraculis, quòd in diuerſitate graduum ſui ſtatus in gratiâ & gloriâ gradatim aſcendit. Hic eſt, quem, vt piè creditur, Rex ipſe cœleſtis ſic honorari decreuit in patriâ, vt ſedi ſupernæ quietis inſideat, æternæ claritatis lumine quaſi veſtimentis amictus regijs, & ſempiternæ gloriæ diademate coronatus. Hic eſt denique, quem & nos propter ſua merita glorioſa noſtro miniſterio per omnem Chriſtiani cultus ambitum, vehiculo debitæ venerationis incedere, ac profuſis per orbem gaudijs, & effuſis vndique laudibus coli cupientes in terris, nuper die Iouis poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ, ſeptimo videlicet Idus Aprilis de Fratrum noſtrorum & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, vnanimi conſilio, & conſenſu concordi Sanctorum catalogo duximus adſcribendum; nec ſine causâ Paſchale tempus ad id faciendum elegimus, vt dies ipſa nouâ feſtiuitate iucunda, ex temporis gaudioſâ celebritate Paſchali, fieret ampliori iucunditate feſtiua. Dignè itaque, Filia, cor tuum delectari debet in Domino, & in Salutari ſuo tuus animus dilatari, & dignè gratias agere teneris Altiſſimo, qui tibi fœcunditatem ſobolis tam ſanctiſſimæ tribuit, & qui in tantâ ſublimitate illius in benedictionibus immenſæ dulcedinis te præuenit. Propera igitur quæſumus, & in odore vnguentorum Beatiſſimi filij curre, tuas corrigendo vias, & bonis operibus vacando, feſtina, vt illum ſequi merearis ad Regnum, quem ſi mundo viueret, affectu regente materno in exilium ſequereris. Datum Auenione quinto Idus Apriles.

Toloſæ, anno M. CCC. XVII. menſe Auguſto Sedem Epiſcopalem erexit

in Archiepiscopalem, septem Suffraganeos attribuens. Primus Archiepiscopus Ioannes Conucnarum; etiam Archiepiscopatum Tarraconensem Hispaniæ in duos secuit, vnam Augustæ Metropolitanam sedem locans; Tarraconensi Antistite vitâ functo, Ioannes Arragonij Regis filius electus, à Ioanne Pontifice confirmationem obtinere non potuit; simoniæ accusabatur, & minor ætas prætendebatur. Electionem cuiuscunque beneficij, tum Cathedralium Ecclesiarum, tum Abbatiarum sibi vendicauit. Hinc orta sunt schismata Canonicorum & Monachorum iuri suo cedere nolentium, hinc maximum Thesaurum coaceruauit, Platinâ teste, viginti quinque auri millionum.

Mariana. l.15. de reb. Hisp. c. 15.

Platina in Ioan. 22.

Pontifex sex Episcopatus nouos erexit eodem anno, decimo septimo Kalendas Iulij in Archiepiscopatu Tolosano opimo & diuite Albanensem, Riuensem, Lombariensem ex Abbatiâ B. Virginis Augustinianâ, S. Papuli, Vaurensem ex Prioratu Ordinis S. Augustini & Mirapicensem, Iacobo Fornerio Præsule creato posteà ad summũ Pontificatũ euocato. Duos in Archiepiscopatu Narbonensi, vnũ in Limoso, paulò post trãstulit in ciuitatem Lectorensem, antiquam sedem; alterum sancti Pontij Tomeriarum etiam ex Abbatiâ Benedictinâ, quam Pontius Comes Tolosæ erexerat.

Noui Episcopatus eriguntur.

Albiensem Episcopatum in duos distribuit, Castrensem vnum ex Abbatiâ D. Benedicti erigens; alterum Albiensem. Ex Agennensi duos fecit, vnum in ciuitate Condomensi ex Abbatia sancti Petri. In Lemouicensi alium creauit, puta Tutellensem ex Abbatia S. Martini, cuius vltimus Abbas fuit I. Episcopus. In Petragoricensi nouum Sarlatensem: in Claromontano nouum sancti Flori, sub Archipræsule Bituricensi. Et vt iura illibata & integra capitulis & dignitatibus manerent; sanxit suo diplomate.

Eodem anno, pridie Idus Martias institutus Ordo de Militiâ Iesu Christi in Lusitaniâ secundum instituta Ordinis Calatrauensis ad Sarracenis Fidei hostibus resistendum. Celebrata Syluanecti Synodus eodem anno ab Archiepiscopo Rhemensi, cui interfuêre Guido Tornacensis, Engerranus Morinorum Episcopus & alij Suffraganei; Petrus verò Cameracensis, & Bertrandus Atrebatensis suos misêre Procuratores; contra Dominos temporales, qui se spiritalibus immiscebant, & Ecclesiastica bona detinebant.

Mariana. l.15. cap. 16.

Annal. Flandr. l. 11.

Albo Diuorum inscripsit sanctum Thomam Aquinatem, qui migrauit ex hac vita in Andrio Cisterciensium Fossæ-nouæ, iuxta Priuernum Pontificij dominij vicum anno M. CC. LXXIV. ætatis quadragesimo nono, veneno so oblato illi munusculo à regio medico Neapoli egredienti, causâ Concilij Lugdunensis: sacrum cadauer iussu Vrbani V. anno M.CCC.LXVIII. Tolosam in sacras Dominicanorum ædes delatum, erecto miri artificij Mausolæo, Serraphino Sicco Generali Ordinis Magistro, in capitulo diebus Pentecostes celebrato.

Villanæus.

Corpus S. Tho. Aquin. defertur Tolosam.

Leprosi aquas fontium & puteorum in Regno Franciæ contaminarunt, vt bona afflictorum morbo partirentur, anno M.CCC.XXI.

Eodem anno Michael Græcorum Imperator Schisma eiurauit.

Contra fratres Minores Bonamgratiam Bergomensem, & Michaelem Cesenatem Pontifex declarauit hæreticum, affirmare Christum & Apo-

stolos nil bonorum habuisse in particulari nec communi (scripturâ contradicente) nec ijs vti posse, nec ea donare; proindeque edidit Constitutionem, cuius initium, *cum inter nonnullos*. Hæc Constitutio torquebat Ludouicum Bauarum, cui cordi erat omnes Ecclesiasticos bonorum priuare dominio, & possessione exuere. Idem Ludouicus Rex Romanorum vicit Fridericum, quem custodiâ reclusit. Illum Italiam inuadentem Pontifex excommunicationis diris deuouet, octauo Idus Octobres anno M.CCC.XXIII. At flocci pendet censuras Pontificias negans eum esse legitimum Pontificem, & ad Concilium generale interpellans: à cuius partibus stabant Guillelmus Ochamus, Ioannes à Gandauo & Marsilius Patauinus Doctores stipendiarij, vt vocat Phigius; populus Romanus Ludouicum Vrbe excipit, Guelphos & Vrsinos expellit. Imperator cum vxore coronaturà quatuor Ciuibus Romanis Laicis, die Dominico XIII. Kalendas Februarij, in Basilicâ Vaticanâ. Consilium sumitur de abrogando Pontifice, & eò audaciæ imò impudentiæ & impietatis venit Nicolaus Fabrianensis ex Eremitico Ordine Apostata, vt verum Pontificem excommunicarit è carceribus profugus, quibus eum perpetuò damnarat Alexander à sancto Ægidio Ordinis Augustiniani Magister Generalis. Deo excitante Iacobus Columna censuras in Bauarum Romæ, in areâ sancti Marcelli publicè legit, & valuis affixit; postea se fugæ dedit, cuius rei memor Pontifex Lombariensem creauit Episcopum. Interim eligitur Antipontifex Petrus Reinalutius Reatinus Ordinis Minorum, antea vxoratus; Ioannâ vxore de Corbeio inuitâ, post connubij quinque annos profitetur regulam sancti Francisci, Ianum Episcopum Reatinum Ioanna adijt, Maritum iure repetens oblato libello, vnde data in fauorem Ioannæ sententia ab Episcopo, penultimâ die Nouembris anno M. CCC. XXVII. Hunc Reinalutium Nicolaum vocitat summum Pontificem Bauarus, pallio vestiri aureo, & annulo curat decorari. Quibus auditis Ioannes Antipontificem ferit excommunicatione, omnesque ei adhærentes, & potissimum octo Cardinales, septem Italos, vnum Germanum, inter eos Nicolaus Fabrianensis numerabatur.

Apostata excommunicat Pontificem.

A Pseudopontifice iterum coronâ aureâ donari cupit Bauarus, more Maiorum in eadem Basilica Vaticana, vndecimo Kalendas Maij, anno M. CCC. XXVIII. Interea moritur Fridericus; Rex Romanorum eo nuntio accepto in Germaniam pergit, quo absente Pisani Legatos Auenionem misêre ad Ioannem Pontificem veniam errati postulantes, quod facile sunt assequuti, eâ conditione, vt Nicolaum Pseudopontificem traderent vinctum, qui in vrbem Auenionensem aduenit nono Calendas Septembris anno M. CCC. XXX. postridie se sistit vero Pontifici, & in publico consistorio frequenti Senatu infœlicissimus insertâ in collû resti ad Ioannis pedes procumbit, errores eiurat confessione factâ, veniam & vitam deprecatur, quem Domnus Papa absoluit ab excommunicationis vinculo & vnitati Ecclesiæ restituit, & osculatus; carceri tamen ad cautelam addixit, in quo triennium & mensem vnum delituit, mortuum habitu Minorum in eorundem Ecclesiâ sepeliri mandauit. Ita schisma triennale & quatuor ferè mensium finijt.

Resti collo impositâ Antipontifex ad genua Ioan. 22.

Guido Gonzaga anno M. CCC. XXVIII. Passarinũ Bonacassium Mantuæ Tyrannum interficit, Mantuamque occupat, quâ potiuntur eius posteri ad hæc vsque Caroli Gonzagæ Ducis optimi tempora. Gonzaga Tyrannum occidit.

Andronicus Senior Palæologus Imperator eodem anno graui morbo iactatus se moriturum breui prævidens habitum petijt monasticum, quem voluit induere & ab Annâ Imperatrice multis precibus impetrauit, licet Magnus Domesticus refragaretur; ita etiam apud Nicetam Manuel Comnenus vestem postulauit monachalem. Vestis Monachalis in morte Impp. Cantacu. l. 2. hist. cap 16. N cet. l. 7.

Rogante Philippo Valesio huius nominis VI. Francorum Rege Pontifex in publico consistorio Auenione, transmarinam expeditionem contra Infideles pro terrâ sanctâ recuperandâ anno M. CCC. XXX. publicauit, cui militiæ Dux ipse Philippus præficitur, eique sexennales decimæ conceduntur.

Robertus Rex Scotiæ anno eodem in vltimo mortis agone constitutus rogat Regni proceres, vt ex eorum numero eligatur aliquis, qui post obitum cor suum deferat Hierosolymam ad Christi Saluatoris Sepulchrum; Iacobus Douglas delectus id officij præstitit. Cor Regis Scotię Hierosolymam latum. Hect. Boet. l. 14. hist. Scoticæ.

Ferrariam Nicolao Duce Estenses occupant, eodem anno pridiè Nonas Augusti (cæso Ecclesiastico præsidio, & Rege Siciliæ Roberto) feudatario iure vsque ad annum M. D. XCVIII. Alphonso Estensi vltimo Duce de functo absque prole masculâ legitimâ; sicque deuoluitur ad Sedem Apostolicam, postea Clemens VIII. cum tota Romana Curia eò se confert. Initiũ & finis Estẽsium Ferrariæ.

Magistris ac Discipulis Academiæ Parisiensis concessit fructus & prouentus beneficiorum Ecclesiasticorum, etiamsi in eis non residerent, quarto Nonas Martij anno M. CCC. XXXII. At Clemens VI. tertio Nonas Maij, anno M. CCC. XLVI. in septennium tantum extendit.

Anno sequenti Henricus VVirmbergius Sedi Moguntinæ à Ioanne Pontifice Archipræsul præficitur, contra Balduinum Treuirensem Archiepiscopum, quem Canonici Moguntini elegerant. Triennalis fuit hæc controuersia, cui dirimendæ missi duo Sedis Apostolicæ Legati. Chronicon Hirsaug.

Ioannes pro concione recitauit Tertuliani, Lactantij, Victorini, Prudentij, Bernardi & Græcorum Iustini Martyris, Irenæi, Origenis, Theodoreti, Oecumenij, Theophylacti, Euthymij opinionem de visione Dei nondum ab Ecclesiâ damnatam, differendo non decernendo dixit animas vsque ad diem Iudicij præstolari. Multi Doctores Parisienses & Dominicani literas ad Pontificem misêre dogmaticas.

Quæstio propterea mota, an Diuorum animæ è sæculo commigrantes intuitiuè, vt loquuntur Theologi, diuinam essentiam, seu *facie ad faciem*, vt sanctus Paulus, videant & contemplentur ante anastasim; an verò tantum Christi Humanitatem. Certissimum est Sanctorum animas in cœlum recipi & frui visione Dei intuitiuâ. Ita docuerunt Vrbanus IV. Clemens IIII. Gregorius X. Nicolaus III. & Nicolaus IV. ante Ioannem XXII. vnde sanctus Hieronymus dixit Victorino Martyri in eius libris eruditionem non eruditionis voluntatem defuisse, docuerat enim Victorinus Sanctorum animas sub terrâ esse, & eorum in nouissimo die remunerationem venturam. 1. ad Cor. 13. De statu animæ separatæ ante Resurrect. Hieronym. in ep. ad mag. Orat. Rom.

Ante obitū edidit constitutionē, tertio Nonas Decembres Pontificatus anno vltimo, quâ asseruit animas sanctorum videre diuinam essentiam facie ad faciem. Antea scripserat Parisios ad Regem super ea re.

REGI FRANCIÆ ILLVSTRI.

LITERAS Regias super responsione cæterorum Prælatorum accepimus adhuc in eisdem literis Regijs vidimus contineri, quod à pluribus dicebatur, quòd nos miseramus dilectum filium Geraldum Othonis Generalem Ministrum Fratrum Minorum Parisios ad docendum & prædicandum, quòd animæ separatæ à corpore, & à peccatis purgatæ Diuinam essentiam, vsque post Resurrectionem corporum non videbant. Ad quod dicimus, & asserimus coram Deo, quòd nunquam hoc cor nostrum intrauit, nec exiuit ab ore; imo supponebamus firmiter, quòd inibi latè exposita legatione suâ Excellentiæ Regiæ, eiusque audito beneplacito an vellet, pro eodem negotio aliquos vel aliquē Nuncios destinare, statim cū collega suo deberet prosequi versus Angliam, & Scotiam cœptum iter: sed ipsis Parisijs stantibus procurator charissimi in Christo filij nostri Regis Scotiæ illustris ad eos veniens, eis insinuare curauit, quod Rex Scotiæ non erat in regno Scotiæ, nec pro eodem aliquis, cum quo posset super negotio pacis, vel alio tractatum habere, ideóque eorum viam ad præsens infructuosam & inutilem reputabat. Hoc autem tam ipsi Nuncij nostri, quàm procurator Regis prædicti nobis per suas literas nunciarunt. Nos autem fidem adhibentes Procuratori prædicto præfatos Nuncios per nostras literas duximus reuocare, hoc adiecto, quòd Generalis Minister, si pro sui Ordinis negotijs quæ habebat, in Angliam, vel alibi proficisci vellet, hoc posset facere Nuncio ad nos alio redeunte. Et quia procuratorem prædictum Regis Scotiæ Parisijs credimus adhuc esse, Excellentiam Regiam precamur attentè, vt cum dicto Procuratore se informare debeat de præmissis, & si hæc, quæ præmisimus, inuenerit esse vera, velit Celsitudo Regia relatoribus talibus minorem in alijs fidem adhibere. Rursus continebatur &c. Datum Auenione sexto Idus Martij, anno decimo octauo.

Polydor. l.6. de inuent. cap. 12.

Rotæ Auditorum tribunal duodecim Ecclesiasticorum instituit, ad quos ex omnibus terræ partibus prouocatio pertineret. A Ioanne fluxit mos sanctus, qui ter pulsatâ campanâ omnes admoneret de Mariâ Deiparâ sub vesperam ter salutandâ, deque Dominicæ ἐνσαρκώσεως renouandâ memoriâ; sanctæ Triadis celebritatem primus instituit. Præalta turris Cadurcensis retinet auctoris nomen, Deüsa enim adhuc nuncupatur. Carthusianorum cœnobium fixit ad mœnia Cadurci in loco, quem Templarij prius occupabant. Concessit ad Christi nomen genuflectentibus quadraginta dies remissionis. Academiam Cadurcensem, vnde præclari viri & reipublicæ vtiles prodierunt, instituit. Basilicam Cadurci B. Bartholomæo sacram extrui curauit.

Multa concessa Cadurcensibus.

Initium Ioannæ Neapolit.

Carolus Martellus Hungariæ Rex, Caroli II. Neapolitani Regis filius, cū Andrea filio septenni, anno M.CCC.XXXIII. in Italiam venit. Neapoli ad diem vigesimam sextam Septembris, Ioannem Caroli Ducis Calabriæ defuncti

filiam, & Roberti fratris Regis Neapolitani ex filio Neptem, annuente Ioanne Summo Pontifice impuberi Andreæ despondit. Bonfi. Rerum Hungar. decade 2. lib. 9

Anno sequenti, pridie Nonas Decembris, diem clausit extremum Pontifex nonagenarius, sepultus Auenione, in Cathedrali Ecclesiâ sanctæ Mariæ de Donis; in Cathedra sancti Petri sedit annos duodeuiginti, & menses ferme quatuor in victu frugalis; post nocturnas preces studijs vacabat, quem doctissimum vocauit Petrarcha, frequenter sacris operabatur, accessu facilis, magnarum rerum auidus, iuris Ecclesiastici vindex acerrimus. Petrarcha lib. rerum memorand.

In delicijs habuit Augustinum Triumphum Anconitanum, qui librum de potestate Ecclesiasticâ Ioanni dicauit, & Aluarum Pelagium Hispanum, qui edidit volumen de planctu Ecclesiæ.

Eodem tẽpore viuebat Franciscus Maironius Minorita Prouincialis Scoti Discipulus, qui celeberrimum actum Theologiæ (Sorbonicum vocant) primus instituit, anno M. CCC. XV. quo sustinet solido die vnus Baccalaureorum primi Ordinis, sine præside, sine pastu omnes impetus suorum collegarum.



IACOBVS FORNERIVS SAVARDVNENSIS PONTIFEX BENEDICTVS XII. ANNO CHRISTI. M. CCC. XXXIV.

DECIMO tertio Calendas Ianuarias, Diui Thomæ Apostoli peruigilio, in Dominicanorum Auenionensium Cœnobio, à Patribus viginti tribus casu eligitur, & non ludentis fortunæ beneficio, in Romanum

Pontificem, anno M. CCC. XXXIV. Cardinalium infimus, scientiâ non postremus, ignobili loco oriundus Iacobus Fornerius, qui Sauarduni oppidi ad Arnald. VVion in lign. vitæ. Aurigeram amnem cis Pyreneos siti, Diœcesis Apamiarum primam lucem aspexit. Is Patre Guillelmo molitore, quo gloriabatur potius parente, quàm matre, Ioannis XXII. Pontificis sorore à Deo sibi datâ.

Ab ineunte ætate (vt ipse in Bulla ad Abbatem Cisterciensem iam Pontifex creatus narrat, datâ Auenione, Idibus Iulij, Pontificatus anno primo) in Balbonensi Ordinis Cisterciensis Cœnobio, monachismum professus Diœcesis Mirapicensis. Vnde conuincitur Petrus Lucius Bruxellensis in suâ Carmelitarum Bibliothecâ, qui auctor est Benedictum fuisse Carmelitam, quod probat quibusdam picturis, leue profectò veritatis fundamentum, ruitque si dicatur non credendum facilè Pictoribus atque Poëtis. Benedictus non fuit Carmelita.

Sic Lutetiæ Parisiorum sedulam nauauit operam Theologicis in Bernarditarum Collegio, vt Doctor Theologus euaserit, Inquisitoris munere functus. Montis Frigidi Abbas in Nouempopulaniâ, primùm à Ioanne XXII. Apamiarum Præsul constitutus: deinde Episcopus Mirapicensis.

Cardinalium numero adlectus ab eodem Ioanne, Presbyter tituli sanctæ Priscæ (vulgò Cardinalis Albus) anno M. CCC. XXVII. Doctissimè satisfecit Fraticellorum seu Beguinarum de paupertate & dominio dogmatibus, tempore sui Cardinalatus: eius responsiones refert pluribus Bsouius in Annalibus Ecclesiasticis. Beguini. Bsouius an. 1335.

Demum Summi Pontificatus apicem attigit, decimo quarto Kalendas Ianuarias, anni initio memorati, rem promouente mirum in modum Raymundo Cardinale Conuenarum; vti notabimus dum inferius de eodem Cardinale differemus. Porrò miratus se Pontificem, publicè significauit Cardinalibus eos asinum elegisse, tamen erat literatissimus & integritate morum illustrissimus, sed forsan intuebatur sui loci, & ortus à Molitore obscuritatem, aut ex intimo veroque virtutis humilitatis sensu illud profitebatur tanto munere se indignum ratus, aut etiam futuram præsagiens vitam, cùm non esset aptus aulico vitæ generi. Collegio Eminentissimorum Cardinalium centena aureorum millia in sumptus electionis dedit. Coronatur à Neapoleone Vrsino Archidiacono Cardinale, tertio Kalendas Ianuarij, anno Domini M. CCC. XXXV. in Dominicanorum Ecclesiâ, Benedicti nomen XII. asciuit. Papirius Masson. Ciaconius. Bsouius. Pannuinus in Chronic.

Sex Cardinales elegit, tempore sui Pontificatus septennalis & quatuor mensium; statim à promotione, quarto Idus Ianuarias, in publico Consistorio iussit omnes Prælatos & Pastores residere, & curam ouium habere, alioquin se velle in eos vti Iuris remedio, cum existimaret residentiam Prælatorum diuino præscriptam esse mandato. Residentia Episcoporum.

Extat Benedicti Decretum de Sanctorum animabus separatis post mortem clarâ & intuitiuâ visione Deum intuentibus, nec esse animarum receptacula vsque ad resurrectionem, vt censuit Lactantius Firmianus, incipit, diploma: *Benedictus Deus in donis suis*, &c. Datum Auenione quarto Kalendas Februarias. Decretũ de animabus separatis. Cherubinus tom. 1 Bullarij.

Ita Pontifex fuit Religiosus in seligendis personis, pro beneficiorum adeptione, vt indignos procul arceret, illud ore frequenter habens, *Nolle*

se luto dare ornamentum. Agnatos pro ignotis habebat, apposité dicens Romanum Pontificem consanguineos non habere, illud Dauidis referens, *Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero*; ita Albertus Argentinẽsis historicus illius æui. Importunis Cardinalium & amicorum precibus Guillelmũ fratris filium Albiensem creauit Præsulem & Cardinalem; sororis verò filium Arelatensem Archiepiscopum Gualbertum de Valle, ex Papyrio Massono. Omnimodo conatus fœdere vnire Philippum Valesium Galliæ, & Eduardum Angliæ Reges, sed incassum; sæpe dimicarunt aduerso Marte. Seligit viros Pontifex pro beneficiis Massonus in Benedic. 12.

Petrus Rex Arragoniæ adhuc iuuenis Auenionem petiit Pontificem salutaturus Comite Iacobo Maioricarum Rege (illius curam & regimen habente) pro Regni Sardiniæ Ecclesiæ Romanæ feudi homagio, & iuramento clientelæ.

Bernarditarum Parisiensium Ecclesiam, & Collegium eo schemate, quo nunc visitur, ædificare cœpit, anno M. CCC. XXXVI. Guillelmus S.R.E. Cardinalis Abbas Cisterciensis Monachus nepos Benedicti perfecit: ante maiorem ianuam Ecclesiæ cum scuto Benedicti hæc leguntur. *Hæc arma sunt sanctissimæ memoriæ Domini Benedicti Papæ XII. Cisterciensis Ordinis, cuius est præsens studentium Collegium Professorum, qui hanc fundauit Ecclesiam, & multis dotauit indulgentijs.* Bernardinæ Parisienses.

In Episcopi Auenionensis ædibus, Palatium miro artificio & mole stupendum à fundamentis erexit, quod oculis hodie patet perfectum à Clemente VI. licet igne, vetustate & temporis iniuriâ deforme. Ædes Arnaldi de Via Cardinalis demortui emptas ab Apostolica Camera dedit Pontifex ipsi Episcopo. Petrus Obrerius fuit operis director, & Gualbertus de Valle Archipræsul Arelatensis Papæ Camerarius Capellam Palatij consecrauit. Palatium Auenionense.

Ludouicus Bauarus ad Benedictum initio Pontificatus mittit Auenionem Legatos, titulo Imperatorio renunciare paratus, vt Ptolomæus Lucensis, qui tunc temporis viuebat, refert; Benedicto datis litteris quinto Martij eodem anno, & aliis die vigesimo octauo Octobris: Oratores erant Guillelmus Comes Iuliacensis, & Robertus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ.

Philippus Valesius Franciæ Monarcha verè Catholicus bellum habuit diuturnum cum Eduardo. Initium huius belli petendum ab Isabellâ Philippi Pulchri filiâ, quam duxit Eduardus huius nominis II. Angliæ Rex, cum nullam sobolẽ masculam habuerint superstitem tres illius filij Ludouicus, Philippus, Carolus; Isabellæ filius Eduardus III. Regni Gallicani hæreditatem prætendit; hinc Ilias malorum & bellorum. Causa belli inter Francum & Anglũ.

Obiit sancta Elizabetha anno eodem, quarto Nonas Quintiles filia Petri Regis Arragonum data in coniugium Dionysio Lusitano Regi, fœmina admirandæ sanctitatis, cuius laudes tribus orationibus Conimbricæ Ioannes Perpinianus est prosequutus. Die tertiâ Iunij, anni sequentis, Venetiis fuit Curiæ sæculari traditus frater Franciscus de Pistorio Ordinis Minorum, & igne vitam finiit, quòd pertinax assereret Christum, & Discipulos nil habuisse, aut impropr io, aut in communi, contrarium edixit Ioannes XXII. S. Elizabetha Regina Lusitaniæ. Bernardi Guidonis appendix in Benedicto. 12.

Ioannes Bohemiæ Rex, die tertiâ Iunij anno M. CCC. XXXVIII. excommunicatur à Pontifice, ob occupatam molem & castrum Mielicz ad Nanterum Episcopum VVratislauiensem pertinens, quod huic petenti ille denegarat.

Luchinus & Ioannes Vicecomites Mediolanenses, diris à Ioanne & Benedicto deuoti; anno M. CCC. XLI. cùm ad mentem rediissent aliarum ciuitatum exemplo, missis ad Benedictum Legatis Auenionem, absoluuntur, cum hac conditione, vt duo Oratoria Diuo Benedicto Abbati sacra erigant, Mediolani vnum in Basilicâ Deiparæ, alterum in Ambrosiano Templo.

Basilicæ Vaticanæ tectum restituit, missis quinquaginta aureorum millibus, cum hac inscriptione in marmore.

Benedictus Papa XII.
Tolosanus
fecit fieri de nouo
tecta huius Basilicæ.
Anno ab Incarn. Domini.
M. CCC. XLI. *Magister Paulus de Senis me fecit.*

Sixtus V. Clemens VIII. & Paulus V. eandem Vaticanam Basilicam nostra tempestate magnificentissimè restituerunt.

Victoria insignis contra Mauros. Regi Castellæ, & Legionis Alphonso XI. adfuit magnâ gratiarum copiâ Cruce signatis attributâ, in Balmarinum Marochiorum Monarcham, & alium Maurum Granatæ Regem: die Lunæ, tertio Calendas Nouembres, anno M. CCC. XL. partam de cœlo victoriam obtinuit Alphonsus, iuxta Tarifam oppidum in Bœtica, versus fretum Herculeum; pene innumeri fuêre cæsi, aut capti ad ducenta Maurorum millia, refert Mariana infra citandus; quindecim aut viginti solum Catholicis militibus desideratis; quolibet anno in honorem sanctæ Crucis, tertio Kalendas Nouembres, huiusce victoriæ recolitur memoria. Rex Benedicto misit partem spoliorum, per Leinam Legatum. Pontifex tertias decimarum Regibus Hispaniæ concessit ad debellandos Mauros, quo iure fruitur hac tempestate Hispanus.

Mariana lib. 16. ca. 7 rerum Hispan. & fast. Toletan.

Bauarus redit ad vomitum, nec flecti potest Benedicti benigno procedendi modo, sed Spiræ in Conuentu Principum conqueritur vix sanæ mentis; Guillelmus Okam & Dantes Poëta animati à Bauaro, acuunt venalem calamum in Pontificem, optimè affectum erga Franciscum Petrarcham Poëtam Laureatum qui fuit Roberto Neapolitano amicissimus, & insignes Theologos Gregorium Ariminensem & Thomam Argentinensem.

Statuta pro Cisterciensibus. Statuit vt singulis annis Cistercij celebretur Capitulum Generale, in quo Abbates vel eorum Procuratores intersint. Præterea decernit mittendos ad litterarum studia è quolibet Monasterio Monachos, qui operam dent Philosophiæ & Theologiæ, non iuri Canonico, aut Ciuili. Ordinem vniuersum diuisit in sex & triginta Prouincias; etiam Benedictinos reformauit, sicque loquitur in Benedictinâ. Nos ob zelum amplioris salutis, & maioris prosperitatis Ordinis Benedictini intra nostra præcordia, & cum nonnullis ex Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & dilectis filiis, Petro Cluniacensi, Ioanne Casæ Dei, Gilberto Massiliensi, Raymundo

Benedictini reformatur.

Psalmodiensi,

Psalmodiensi, Guillelmo montis Oliui & Gregorio Yssidorensi Monasteriorum eiusdem religionis decretorum Doctoribus, diligenti tractatu habito, & super eo digestâ deliberatione sequutâ, vt eadem religio in diuini cultus obsequio floreat decreuimus, &c.

Decessit Auenione, in Palatio à se fabricato Sanctissimus Pontifex re & nomine Benedictus, tibiæ dolore (cuius fluxum medici retardarant) septimo Kalendas Maij, anno M. CCC. XLII. tumulatus in Cathedrali D. Mariæ de Donis; in cuius morte magnus lachrymarum riuus ex oculis plurimorum fluxit. Maximam auri copiam Ecclesiæ coaceruauit non memor parentum: in iure seruando ita constans, vt nec prece nec pretio flecti potuerit.

Scripsit de statu animarum ante iudicium generale, tomos duos. Illustriss. Nomencl. Cardd.

Quæstiones XI. eiusdem argumenti.

Vitam sancti Ioannis Gualberti, apud Surium.

Sermones ad omnes anni festiuitates in Bibliothecâ Vaticanâ.

De statu Canonicorum.

Decretalem Religiosorum.

De Reformatione Benedictinorum, vnde constitutio *Benedictina*, quam Petrus Boërius Abbas sancti Aniani commentarijs illustrauit.

De statu nigrorum Monachorum.

Contra errores Fraticellorum librum.

Carmina quædam.

Epistolas ad Eduardum III. Angliæ Regem apud VValsinghamum.

Regesti & Constitutionum volumina decem, in Bibliothecâ Vaticanâ secretiori cubiculo ad partem sinistram.

Illius æui auctor scripto reliquit Benedictum XII. omnes Pontifices eiusdem nominis præcessisse tum sanctitate, tum meritorum gratiâ, & post obitum, miraculis clarum extitisse; quare iure, meritóque Innocentius IV. anno Pontificatus secundo scripserat Cistercienses alloquens. Thesauro virtutum sic preclara vestra Religio suum semper adstrinxit officium, quòd habetur & in conspectu Regis æterni placita, & in oculis hominum gratiosa; vigilantibus illis, qui primæ sollicitudinis in ea gerunt officium, quòd ibidem nullæ possint vitiorum spinæ succrescere, sed ipsa florum honoris & honestatis immarcessibili polleat vbertate. Ex eo Ordine prodière plures Summi Pontifices; Eugenius III. & Cœlestinus IV. addendi duobus memoratis in Vrbano II. Refert Azorius olim Cœnobia eiusdem Instituti extitisse Virginum Sanctimonialium mille quadringenta.

Innoc. 4. in Bull. 6. cal. Martij.

Laus Cisterciensium.

Azorius lib. 12. ca. 12.



PETRVS ROGERIVS LEMOVICENSIS PONTIFEX CLEMENS VI.

Anno Christi. M. CCC. XLII.

NOVEMDIALIBVS secundum Gregorij X. Constitutionem peractis, pro Benedicti XII. defuncti animæ requie, tertio Nonas Maij ingrediuntur Cardinales viginti duo Conclaue, in Monasterio Dominicanorum Auenionensium. Vno aut altero die electionem fecêre Nonis Maij Petri Rogerij Monstrij in Pontificem Clementem hoc nomine VI. anno Christi M. CCC. XLII. litteratissimum Pontificem appellat Petrarcha illius æui auctor. Guillelmus Rogerius Rosei vici Dominus parens Petti in Oppido Malomonte nati, apud Rosas tenuẽ vicum Lemouicinæ Gentis abluti aquâ Christianâ, in templo Crucis; vnde pro tesserâ scutatoriâ pattiæ suæ Rosas gestabat, quæ in Palatio Auenionensi, & publicis fabricis nunc quoque conspiciuntur. Adolescens Monasterium Casæ-Dei Ordinis Benedictini, Diœcesis Claromontanæ inter Aruerniæ præalta iuga ingreditur; deinde Lutetiam adiit studiorum causâ tam felicis & potentis memotiæ, vt semel lectorum obliuisci non potuerit, licet cupidus. Similis memoriæ Simplicius Philosophus, vt tradit Augustinus Triumphus: Doctot fit Theologus Parisiensis, diuinis litteris instructissimus, ac Iuris Põtificij scientissimus. Lutetiâ Casam Dei repetens, apud Aruernos non procul à Claromonte incidit in latrones saltum de Randan occupantes; nudatus ab ijs se recepit ad vici proximi Turcti Rectorem Stephanum Aldebrandum, à quo benignè hospitio exceptus ei ministrante vestem, & vitæ necessaria: Benedictinus

Petrarcha lib. 8 rer. familiar.

Miranda memoria.

Idem lib. rerum memorabiliũ August. Triumph. lib. 4. de Anima.

Iocosa, & mira gratitudo.

discedens, quid tibi, inquit, hospiti meo pro collato referam beneficio; cui hospes, cùm ad Summum perueneris Pontificatum, par pari referes. In Pontificatu Clemens memor Aldebrandi Pontificium Cubicularium creauit, Abbatem etiam Cellensem & eidem Archiepiscopatum Tolosatem contulit. A minoribus Sacerdotijs incœpit Rogerius, Prior enim sancti Pantaleonis Diœceseos Lemouicensis; vocatus in Curiam Prioratum D. Basilij iuxta Nemausum obtinuit; deinde Abbas Casæ Dei & Fiscani in Neustriâ, postquam Ioanni X X I I. virtus ipsius innotuisset, fauente Petro Cardinale Pictauiensi, à quo vnicè diligebatur.

Præsul Ecclesiæ Atrebatensis; duos deinde Archiepiscopatus habuit, imprimis Senonensem, deinde Rothomagensem anno M. CCC. XXX. cuius memor Clemens inauguratus Pontifex illi Ecclesiæ non pauca dedit priuilegia: sexdecim enim Presbyteros constituit Rothomagi, eisque assignauit Collegium Sacerdotum Clementinorum: in cuius frontispicio visuntur eius insignia gentilitia, nimirum sex Rosæ, vt & in ponte Auenionensi ad Rhodanum admirandæ profunditatis, cuius arcus quatuor exædificauit tempore sui Pontificatus. Regij Scrinij & sigilli munere donatus, ex Papirio Massono; licet Feronius eum prætermittat in suo Nomophylacum libro.

Beneficus erga Rothomagenses.

Pap. Masson. in Clem. 6.

Benedictus XII. promouit nostrum Rogerium ad Cardinalitiam dignitatem, anno M. CCC. XXXVII. tituli Sanctorum Nerei, & Achillei.

Coronatur Pontifex die sacrâ Pentecostes, in Dominicanorum Ecclesiâ, decimo quarto Calendas Iulij, anno suæ electionis notato, manibus Neapoleonis Vrsini Cardinalis Archidiaconi eodem munere sæpius functi in alijs Pontificibus. Ioannes Philippi Longi Francorum Regis primogenitus aderat solemnitati. Nicolaus Rogerius defuncto Aimerico Archipræsule ornatur ab ipso Clemente Archiepiscopatu Rothomagensi.

Summus Pontifex sororem habuit Ioannam Rogeriam Monstriam, quæ primùm nupsit Domino Chambonij, vici in finibus Lemouicum, cum Clemens tantum esset Cœnobiarcha, nec dum in pinguiore fortunâ; deinde cum Guillelmo Comite Belfortio matrimonium contraxit, ex quo prodiit Gregorius XI. Inter Clementem & sororis suæ virum ita pactum; vt insignia illa gentilitia vtrinque deferrentur, ob idque Belfortij oppidi nomina, atque actiones cessit. Roseus vicus Andium ad Ligerim emptus est postea, quem possederunt Belfortij sorore Clementis Papæ geniti memores alterius rosei vici, in quo Auunculus Clemens renatus: Montigniaca gens hodie roseum vicum possidet iure emptionis.

Bonifacius VIII. Iubilæum decreuerat celebrandum à fidelibus quolibet sæculo, hoc est centesimo quoque anno, ad obtinendam plenariam peccatorum remissionem ab iis, qui limina Principum Apostolorum, & Ecclesiam Lateranensem visitarent; Clemens VI. contraxit in annum quinquagesimum, constitutione *Vnigenitus Dei filius*, datâ Auenione, sexto Kalendas Februarias, anno primo Pontificatus: paucissimi enim mortalium annos centum vix attingere poterant. Celebratum itaque Iubilæum Romæ anno M. CCC. L.

Paradin. in hist. Allobr.

Amedeus V. Sabaudiæ Comes inter viuos esse desijt. Ei bellum fuit aliquando cum Guidone Delphino Viennensi ob finium controuersiam, qui ad Pierercam arcem telo confossus occubuit vir bello inclytus, sed alienarum vxorum pudicitiæ mirum in modum infestus.

Fazellus lib. de rebus Siculis.

Strangulatur Rex Andreas.

Auersæ, strangulatur de nocte in castro, eo loci, vbi postea Cœlestinorum Cœnobium est extructum, laqueo serico à Ioanna Neapolitana vxore olim torto Andreas Caroli Regis Hungariæ natu minor filius, quinto Kalendas Octobris, M. CCC. XLV; cadauer in hortum per fenestram proijcitur à sicarijs, summo mane Ioanna Neapolim aufugit: post eiulatus muliebres ementitos scripsit Clementi Pontifici, Ludouico Hungaro, aliisque Principibus vt à se auerteret crimen occisi mariti. Rescripsit Hungariæ Rex paucis multa. *Inordinata*, inquit, *vita tua precedens, retensio potestatis in regno, neglecta vindicta, vir alter susceptus, & excusatio subsequens, necis viri tui te probant esse participem & consortem; memineris tamen neminem diuini humaniue iudicij pœnas nefario sceleri debitas euasurum.*

Quæstio iuris.

Mota quæstio inter Iureconsultos, occasione Ioannæ Prouinciæ dominæ, quæ in regnum Neapolitanum successit Roberto ex Carolo neptis: nimirum, an auunculus Paternus, an filius fratris regno debeat succedere, Robertus enim erat auunculus, Carolus Hungarus filius Martelli natu Maioris mortui fratris ad quem regnum Neapolis spectabat; vsurpauit tamen Robertus, qui secundo consanguinitatis gradu iungebatur vxori, vnde à Pontifice est dispensatum.

Crantsius histor. rerum Bohem.

Eduardo Anglo victoriâ potito in misero illo prælio Cresciaco vigesimâ sextâ Augusti, reuersus in Germaniam Carolus Bohemus Ioannis cœci Bohemiæ Regis in illo prælio interfecti sagittâ filius, rogante Philippo Valesio Francorum Monarchâ, electus absens Rex Romanorum Rensiæ Diœcesis Treuirensis; Bonnæ postea coronatur ab Volmaro Coloniensi coronâ ferreâ mense Nouembri anno M. CCC. XLVI. nam Franco-furtum & Aquisgranum, loca consueta Coronationis, Ludouico Bauaro fauebant,

Blondus Bonfinius

qui anno sequenti vitam cum morte commutauit quinto Idus Octobris, in venatione præcipiti casu lapsus, & ab equo oppressus Imperatorum vltimus, qui Pontifici Romano ausus sit inferre bellum; eius æuo Comes Luxemburgensis Carolus IV. à Germanis *Sacerdotum Imperator* vocabatur, vir literatus quinque linguas callens.

Vlciscendi fratris Andreæ mortem Regi Hungariæ Ludouico semper animus fuit, quare post aliquot annos, anno videlicet M. CCC. XLVIII. armatâ manu in Regnum Neapolitanum ingreditur, fugientibus in Galliam Ioannâ, & marito Ludouico Philippi Tarentini Principis filio, sed peste in regno grassante, post bimestre cogitur abire Hungarus, Pannoniamque repetere, relicto Præsidio, quod cæditur à Neapolitanis, qui Reginam reuocant facilè persuasam modo pecuniæ suppetant pro itinere & aliis, quarum indiga Auenionem & Comitatum Venaysinum feudum Imperij tricies millies Florenis aureis vendidit. Carolus IV. nouissimè

Villan. lib. 1. Annal.

Cæsar contra Ludouicum Bauarum, confirmauit cum Franco, vt aiunt, Allodio: pars pretij pro feudo Regni decurso dempta est; post aliquot menses missus Neapolim Guillelmus de Guardia Archiepis-

copus Bracarienſis Pontificis conſanguineus, qui Ludouico Regi Ioannæ Marito diadema imponeret.

Romæ iuſſit Pontifex declarari Senatores Petrum Columnam, & Ioannem Vrſinum ad compeſcendam plebem Romanam, quæ multas ciebat turbas abſente Clemente.

Conſtitutionem edidit de victu Cardinalium in Conclaui degentium, pro Pontificis electione (habetur inter acta Concilij Conſtantienſis) & pro duobus ſeruis ducendis aut Clericis, aut Laïcis. Conſtitutio incipit *Licet*. Conſt'i. pro Conclaui.

In Oriente res Chriſtianorum ſupra modum afflictæ, cum Ioannes Cantacuzenus circa ea tempora opitulantibus Græcis ad Imperium ſeſe extulit, & intruſit, & Ioannem Imperatorem puerum tutelæ ſuæ commiſſum imperio exuere conatur. Orchanem Turcam ſibi familiariſſimum fecit, datâ illi in vxorem filiâ & eundem vocauit in opem aduerſus Calo-Ioannem & Annam eius matrem Andronici viduam, multas Prouincias dominio ſuo adiunxit, Ionij & Ægei Maris Inſulas deditioni ſuæ vnire cogitans; ſcriptis ad Clementem litteris Græci auxilium popoſcêre, propterea fœdus ictum cum Rege Cyprio, Republicâ Venetâ & Equitibus Hieroſolymitanis. Adrianopoli Cantacuzenus à Lazaro Patriarchâ Hieroſolymitano, in plurium Epiſcoporum præſentiâ Imperij diadema accepit menſe Maio, dum Conſtantini Magni & Matris eius Helenæ memoria recolitur, ſtatim Irenem coniugem coronari curauit. Ioan. Cantacu. nepotem ſpoliat Imperio. Cantacuz. lib. 3 hiſtor.

Iccius portus, vulgò Caleſium vrbs, extrema paſſis ciuibus deditur Eduardo Anglo, anno M. CCC. XLVI. quæ in poteſtate Anglorum remanſit ducentos annos Regni Galliæ clauem geſtantium. Caleſium Angli poſſident.

Sanctus Yuo Preſbyter Armoricus è pago ſancti Martini diœceſis Trecorenſis Patre Aheloro Cancieti militis filio pauperum & viduarum Patronus XIV. Kalendas Iunij, anno M. CCC. XLVII. Sanctorum Confeſſorum albo eſt inſcriptus. Petr. de natal. lib. 5. c. 31. Baron. in Martyrol.

Peſtis ita peruagata per totam ferè Europam triennio integro, vt vix decimus quiſque ex milleſimo homine ſuperfuerit. Petrarcha lib. 8. de rebus Senil.

Collegij Sorbonici toto orbe celeberrimi Prouiſor Clemens; adhuc eius icon viſitur in vitrea feneſtra Eccleſiæ ipſius ope conditæ, in illa hæc leguntur. Platina in Clem. 6.

CLEMENS P.P. VI. PROVISOR HVIVS DOMVS.

Frater Guillelmus Laudrin diœceſis Vticenſis, Ordinis Prædicatorum cæcitate captus Archiepiſcopatum ſuum Toloſatem demiſit in Clementis manibus, qui promouit Raimundum de Canillac præpoſitum Magalonenſem Ordinis ſancti Auguſtini, aſſignatâ penſione annuâ Guillelmo, qui plures annos vixit, clauſtrumque miræ pulchritudinis in ſuo conuentu Auenionenſi ædificauit. Archiep. Toloſan. cæcus ſ curat.

Inſtante Bohemo Rege anno M. CCC. XLVII. erecta Pragenſis Eccleſia in Archiepiſcopalem, antea Moguntinæ ſuffraganeam. In Abbatia Luthomuſlenſi Ordinis Præmonſtratenſis conſtituta Sedes Epiſcopalis Pragæ Archiep. Sedes noua.

quam ſubiecit Pontifex Pragenſi Metropoli, vt & Olomucenſem antea è Magdeburgenſi.

Ioannâ Franciæ Reginâ mortuâ filiâ Ludouici Hutini, Philippus Valeſius duxit in vxorem Blancam Regis Nauarræ filiam,ſed infra annum M. CCC. L. die Auguſti vigeſimâ tertiâ decedit Philippus, grauidâ remanente Blancâ; primogenitus Ioannes Neuſtriæ Dux ſuccedit iure hæreditario. Regni primordio iuſſit amputari ceruices Comiti ſtabuli,ſeu ſummo militiæ præfecto Rodulpho de Fulcardimonte Comiti Augi ad Oceanum,& Ordinem Equitum ſtellæ auſpicatus, cum hoc lemmate.

Annales. Franciæ Ordo Equitum ſtellæ.

——— *monſtrant Regibus aſtra viam.*

Rex Fr. communicat ſub vtraque ſpecie. Henriquesl. de Euchar. cap. 44. §. 7. Mons peſſulus venditur.

Francorum Rex Chriſtianiſſimus hanc à Clemente obtinuit gratiam ob merita Regum Franciæ in Sedem Apoſtolicam, vt quandocunque libuerit ſacram Synaxim ſumeret ſub vtraque ſpecie; tamen bis ſolum in vitâ Rex hocce vtitur priuilegio,die coronationis & in mortis articulo.

Iacobus Maioricarum Rex à Petro Arragonenſi Regno priuatus,etiam Comitatu Roſſilionæo, à Clemente perhumaniter Auenione excipitur, & ſuſtentatur; Montem-peſſulum Franciæ feudum Franco Regi vendidit;è pretio comparatus exercitus, quo inuadit Petrum; in prælio interimitur Balearis, & filius captiuus ducitur diu detentus carcere.

Humbertus Delphinas fit Dominicanus,& dat Delphinatū.

Poſt expeditionem in Sarracenos non optato fine licet ingenti expenſâ Humbertus Delphinatum Princeps, amiſſo filio vnico, Dominicanorum Ordinem profeſſus anno M.CCC.XLIX.principatum ſuum Philippo Valeſio Francorum Regi reliquit, pretio quadraginta millium aureorum; eâ lege, vt Primogenitus Regis filius Delphini nomen haberet, & principatum. Carolus cognomento Sapiens Ioannis Regis filius anno M. CCC. LIV. primus Delphinus eſt nuncupatus. Philippi poſtulatione Clemens Pontifex Patriarchatum Alexandrinum & Rhemenſem Archiepiſcopatum Humberto contulit, & in die Natalis Domini ad omnes ſacros Ordines eum promouit, in Miſſa enim Gallicinij Subdiaconum,in ſacrificio auroræ Diaconum & in ſolemni holocauſto diei Sacerdotem creauit; timebat Rex ne à promiſſis reſiliret Delphinas.

Nauclerus.

Ob peſtem ingraueſcentem orta fuerat quædam Cruce-flagellatorum ſecta,qui ſpecie Pœnitentiæ multa clam dictu horrida perpetrabant, à Pontifice damnantur & extinguntur.

Guido Chaulia Gabalus peritiſſimus Chirurgus, & Medicus Clementis deceſſit Auenione tempore Vrbani V. tumulatus in cœmeterio Campi floridi iuxta Rhodanum.

Diuiniſſimam Euchariſtiam comitantibus, cum ad ægros defertur, decem dierum conceſſit indulgentiam.

In templo S. Mariæ à donarijs nuncupatæ tres Canonicatus nobiles inſtituit; eorum ſacerdotiorum collatio ad Belfortios pleno iure pertinet agnatorum ipſius Clementis filios.

Sancia Regina ſanctiſſima.

Clemente vixit Sancia Maioricæ Regina, Arragonum Regis filia, Roberti Neapolitani Regis vxor, ex quâ Carolum ſuſcepit mulier ſanctitate clariſſima, quo procurante multa templa cœnobiáque condita Neapoli, vt Diuæ Mariæ, Crucis templum in quo iacet, illuſtre ſanctæ Claræ Mo-

nasterium, quasdam etiam in Prouincia Gallica construi curauit Ecclesias, & Hierosolymis in monte Sion sanctæ Mariæ ædes sacras. Surius to. 5.

Elzearius de Sabran Comes Ariani in Prouincia (cuius vxor sanctissima Delphina) in numerum Sanctorum Confessorum relatus anno Christi M.CCC.LI. à Clemente Pontifice: rogatu Aquensis & Arelatensis Archipræsulum & Suffraganeorum apotheosis celebratur. Obierat ætatis suæ vigesimo octauo, die quarto Kalendas Octobres anni M. CCC. XXV. suis domesticis has præclaras præscripsit leges posteritate dignas, cedro & adamanti inscribendas. Baron. in Martyrol. Elzearius Comes Sanctus declaratur.

I. Vt diebus singulis integrum Missæ sacrificium piâ mente audirent.

II. Castè & purè viuerent, qui nollent, domo excederent, ne alios inficerent, neue peccato diuinam iracundiam prouocarent.

III. Qualibet hebdomadâ animorum sordes per confessionem eluerent, singulis mensibus cœlesti pane se reficerent. Leges seruis præscribendæ à Dominis.

IV. Nobiles Virgines, & Matronæ à primo diluculo vsque ad prandium precibus & diuinarum rerum commentationi incumberent, à prandio operibus manuarijs sedulò vacarent.

V. Nemo diuinam Maiestatem, sacro-sanctam Virginem, vel aliquem Sanctorum blasphemaret: nullus falso, vitiosè, aut leuiter iuraret; sed ne inhonestum etiam aut otiosum verbum proferret. Huius constitutionis violatores hac ratione puniri voluit, vt vel toto prandio, solo pane & aquâ contenti, coram alijs humi procumberent; vel totâ die cubiculo inclusi reatum suum dignè expiarent.

VI. Nulli fas esset tesseris, aut alio lusu illicito ludere, aut turpi vel inhonestæ recreationi indulgere. Si quis contra fecisset, grauis illum pœna manebat.

VII. Omnes è suâ familiâ, communi paci & charitati assiduò studerent. Alius alium neque verbo, neque facto offenderet. Si quis aliquid in alterum peccasset, mox cum offenso in gratiam rediret.

VIII. Quotidie à prandio, vel horâ vespertinâ, nisi legitimum incideret impedimentum, aliqua collatio de Verbis Domini, pro morum reformatione, animarum salute, ipso præsente, ab vno ex familiâ fieret. Cui non tantum auscultarent cæteri, verùm etiam pro dicente preces ex animo funderent, cui Deus subministraret sermonem. Id si quis non obseruasset, à tam pio colloquio, & consortio excluderetur.

In hoc virtutis theatro primus eminebat Elzearius, verbo & exemplo instruens subditos, vt Deum timerent, à peccatis abstinerent, diuinis præceptis obtemperarent, atque imprimis à vitiorum suorum consideratione humilitatis fundamentum struerent, in quo cæteras virtutes superædificarent. Ab hac eius disciplinâ permulti nobilium Castitatem perpetuò coluêre, plerique etiam Virgineam puritatem & integritatem Deo consecrarunt: ipse Comes anteibat, pietate & morum suauitate omnium animos ad æmulationem virtutis prouocabat, alliciebatque.

Quidam vates viuenti Clementi obtulit libellum supplicem, alicuius doni obtinendi gratiâ, & in eum finem versus panxit miro artificio elaboratos, qui in laudem Pontificis legebantur, modo supplicationi fuisset sa-

tisfactum, aliàs eosdem retrogrado ordine vir mercenarius, & maledicus in Pontificis dedecus composuerat.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, nunquam stat ianua clausa.
Fundere res quaris, nec tua multiplicas.
Conditio tua sit stabilis, non tempore paruo
Viuere te faciat hic Deus Omnipotens.

Sensu, & ordine inuersis.

Omnipotens Deus hic faciat te viuere paruo
Tempore, non stabilis sit tua conditio.
Multiplicas tua, nec quaris res fundere, clausa
Ianua stat, nunquam das tua pauperibus.
Eximium decus hoc fecit te scandere rerum
Copia, non virtus, fraus tua, non tua laus.

Obijt, die Diuo Nicolao sacrâ, octaua Idus Decembris, anno M.CCC.L.II. post decem annos Pontificatus, & menses septem; transfertur corpus in Cœnobium Casæ-Dei Aruernorum gentis Vellaunis populis vicinæ, ex postremis tabulis, in illo Monachus & Abbas extiterat: viuens sibi sepulchrum ex pario & niueo marmore posuit in Ecclesiæ choro; Monachi Casæ-Dei sex Rosas solent permiscere suis insignibus, in memoriam munificentissimi Benefactoris. Quinque Cardinales creati è familia, frater, tres nepotes, consanguineus vnus. Hi sunt Hugo sancti Laurentij in Damaso, Guillelmus sanctæ Mariæ trans Tyberim, Guillelmus sanctæ Mariæ in Cosmedin, Nicolaus sanctæ Mariæ in via lata, Petrus S. Mariæ nouæ, qui funus Clementis ad Casæ sunt comitati sexto Kalendas Maij anno M.CCC.LIII. Pontifex Innocentius quinque aureorum millia numerauit pro hac Decessoris translatione. Anno M. D. LXII. à Caluinianis Monasterium & templum diremptum, statua Clementis confracta; res specie formidanda singulæ cadaueris partes plumbo tectæ erant, ita vt videretur armatum cadauer. Propinquis & seruis, vt memores illius essent, thesauros larga manu distribuit & vitæ tempore benefici s Ecclesiasticis eos affecit, coniunxitque cum familijs antiquæ nobilitatis & multarum opum: signum Clementis Papæ.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *in honorem quinque Christi vulnerum.*

Scripsit Sermones varios
Multas Collationes.
Trith. Abb. Epistolarum ad diuersos librum vnum
De Canonizatione S. Yuonis
De Caroli Regis approbatione.



STEPHANVS AVBERT LEMOVICENSIS PONTIFEX INNOCENTIVS VI.

Anno Christi M.CCC. LII.

SCRVTINIO designatus est summus Pontifex, die xv. Calendas Ianuarias, anno M. CCC. LII. Stephanus Aubert è Monte Lemouicensis diœcesis, Innocentij nomine ascito, vir integerrimæ vitæ. Maturata est electio, ne Francorum Rex suæ factionis hominem daret, quod timebatur; duos enim dies tantùm inclusi Palatio Auenionensi Cardinales viginti quatuor.

Ita legibus instructus est, vt Doctor euaserit, causarum in Romanâ Curiâ Auditor; Iudex delectus Maior Seneschalliæ Tolosanæ, quem Canonistam maximum vocat Abbas Trithemius. Ecclesiasticum sequutus Ordinem eligitur in Antistitem Nouiodunensem Successor Guillelmi Bertrandi, qui Petri Senioris Cardinalis Bertrandi fuit frater germanus. Nostro Aubert Regi amicissimo Claromontanæ Ecclesiæ pedum est datum. Assumptus fuit à Clemente VI anno M.CCC. XL.II. in Presbyterum Cardinalem tituli Sanctorum Ioannis & Pauli; postea Episcopus Ostiensis & Veliternus. S.R.E. Maior Pœnitentiarius. Pontificius Legatus cum Annibaldo Tusculano ad Philippum Gallorum & Eduardum Anglorum Monarchas inter se bello certantes; verum parum profuit hæc Legatio; cum irati & affecti ita hi Principes, vt nullum fœdus potuerit iniri, licet omnem mouerit lapidem hic noster Cardinalis, de quâ Legatione Theodoricus à Niem.

Trithem. in Chron

Theodor. à Niem in Innoc. VI.

Coronatur summus Christianorum Pontifex, quarto Kalendas Ianuarias, die Dominico, anno M. CCC. LII. Auenione in D. Mariæ de donis Ecclesiâ, Gaillardo de la Motte Cardinale sanctæ Luciæ in septisolio Seueri Priore Diaconorum, ipsi imponente coronam Pontificiam; annos nouem & nouem ferè menses sedit in Petri Cathedra. Statim Laxiorem Curialium vitam emendare tentauit, Prælatos ad greges suos ire compulit anathematis fulmine, asserens oues non custodiendas à mercenario, sed à propriò Pastore, cuius vocem audiant. Multas reseruationes à Clemete factas suspendit; stercora Curiæ nuncupabat iuuenes aliquos Cardinales carnis illecebris irretitos, qui alijs deberent esse exemplo ob dignitatem.

Præcipi tur residentia Prælatorum. Ioan.10

Vratislauiensis Episcopus initio Pontificatus Innocentij Auenionem pergit separationem postulans à Guesnensi Ecclesia, quæ Poloniæ est Metropolis. Idem negotium perurgebat Carolus Rex Romanorum, Oratore misso Abbate Opatonicensi; Postulata negauit, meritò summus Pontifex, nam Casimirus Rex Polonorum, & Archipræsul Guesnensis aiebant sui iuris esse Ecclesiam Vratislauiensem, sicque Episcopus nihil obtinuit.

Annal. Polon.

Cum Ioannes VViclefus Anglus Sacerdos, & Magister artium Vigoriensem Episcopatum non fuisset adeptus, anno M. CCC. LII. vt vult Prateolus, vomit venenum hæresum; Concilium Constantiense quadraginta quinque eius Articulos damnauit, de quibus idem Auctor, iussitque Concilium ossa exhumari & ab Ecclesia proijci. Circa ea tempora cautum in Parlamento Anglicano, ne causæ litigiosæ amplius agitarentur linguâ Gallicâ à Patronis, vt per multos fuit factitatum, sed vernaculâ.

Prat eo lib. hæres.

Vviclefus exhumatur.

Amandato & recluso septis Monasterij Cantacuzeno, & eius filio Mathæo carcere recluso, Ioannes Palæologus dictus Calo-Ioannes filius Iunioris Andronici Imperio potitur Constantinopolitano, fretus fauore Genuensium & Turcarum, datâ Lesbo Insulâ ipsis Genuensibus cum ciuitate Mytilene. Paulò post Amurathes Turcarum Rex ipsum Palæologum fecit vectigalem (ô humanarum rerum vicissitudinem!) accepto eius filio obside.

Chalcondyl. & historiæ Turc.

Contendit Auenionem Richardus Archiepiscopus Armacanus in Hibernia Primas, Doctor Theologiæ, & quæstionem mouit in omnes Mendicantium Ordines de iure Ecclesiarum Parochialium & earum Curionum; paulò post mortuus Richardus.

Valsingh. in histor. Anglic.

Repetijt à Regulis Tyrannis Vrbes Ecclesiasticas in Italiâ occupatas; in eum finem misit Aluarum Cariglium Albornotium Cardinalem S. Clementis, postea Sabinum, natione Hispanum, bellicâ laude insignem copiarum bellicarum Ducem supremum, qui Patrimonium Ecclesiæ à Ioanne Pico Tyranno Viterbiensi occupatum in Innocentij potestatem redegit. Bononiam Ecclesiæ Romanæ acquisiuit. Galeottus Malatesta Ariminium, Pisaurum & alia loca occupabat, Guido Polenta Rauennam, VaraniCamerinum, Antonius Philaretus Vrbinum; Foroiulij sedem constituit, vbi arcem construxit pro publico Ecclesiæ ærario seruando; leges statuit,

Sigon. de Episcop. Bonon.

Miranda à Cardin. Albornotio gesta.

quibus Foroiulienses hac etiam tempestate reguntur; quinque annos commoratus Albornotius in Italiæ partibus, quo interuallo omnia pacauit; cui successit Legatus Androinus de la Roche Abbas & Cardinalis Cluniacensis rebus gerendis non ita idoneus; post Albornotij discessum Itali Principes ad arma confugiunt.

Marinus Falerius Dux Venetiarum, post nouem menses anno M.CCC.LIII. affectatæ Tyrannidis pœnas luit, & capite plectitur super marmoreâ Palatij scalâ, cum nefarium scelus à Bertrando vno ex coniuratis primarijs fuisset detectum: penes se solum prætendebat Falerius Imperium, cæsis Optimatibus: Quadringenti facinoris socij, aut interfecti, aut in exilium acti. Imago Falerij publico Senatus decreto auulsa ex Concilio & Ducum Aulâ, scriptumque. *Hic locus est Marini Falero decapitati pro criminibus.* Iustinianus rem prolixius tractauit. Dux Venetiarum capite plectitur. Iustin. l. 4. hist. Venet.

Carolus IV. Cæsar in Italiam accitus eius subleuandæ gratiâ, coronatur Mediolani coronâ ferreâ in die Epiphaniæ, anno M. CCC. LIV. à Roberto Vicecomite Mediolanensi Archiepiscopo; Romæ postea illi impositum est diadema Imperij, eodem anno, Nonis Aprilibus, die Paschatis in Basilicâ Vaticanâ à Petro Bertrando Cardinale Ostiensi Legato Pontificio, in eam causam misso, & Albornotio Cardinale veteri legato copiarum Pontificiarum per Italiam Duce, hac conditione, vt Germaniam repeteret. Anno M.CCC.LVI. in Comitijs Nurimbergæ decimo Ianuarij Constitutionem Carolinam, seu *auream Bullam* vocatam aureo sigillo munitam promulgauit idem Carolus Româ reuersus continentem leges de Imperatoris electione, iura Electorum, & gradus Ordinum Imperij.

Plurimi è Cardinalium Collegio peste extinguntur, in quorum loca omnes ferè Gallos Cardinales substituit Pontifex.

Petrus Arragonensis Auenionem peruenit, anno M. CCC. LV. transegit festa Natalis Domini, præstititque clientelæ iuramentum pro Sardiniæ Regno feudo Romanæ Ecclesiæ. Misit Legatum à latere Guidonem Cardinalem de Bononia ad Petrum Castellæ, & Petrum Arragonensem Reges pace conciliandos; quâ de re infra in Guidone Cardinale. Lib. 3.

Angli cum Francis pugnant in Pictauiensi agro, hi ab illis vincuntur Eduardo Principe Valliæ decimo tertio Calendas Octobres, anno M.CCC.LVI. Captiuus Ioannes Rex in Angliam ducitur cum Philippo filio minimo, qui in medio conuiuio Anglicano colaphum impegit Pincernæ Regis Angliæ, quòd scyphum prius Eduardo Anglo, quam Ioanni Patri porrexisset; ab ipso Eduardo propterea vocatus Philippus Audax; apud VVestmonasteriũ, in ædibus Ducis Lancastriæ vterque captiuus asseruabatur, pro quo liberãdo datur Aquitaniæ Prouincia, & trecenta aureorum millia post biennium carceris. Infausti huiusce belli meminit Petrarcha auctor illius æui. Gallus & Britannus, inquit, litigant, quinque iam lustra voluuntur, ex quo non Christus & Maria, sed Mars & Bellona inter illos Reges regnant. Ioannes Rex Franciæ captiuus in Anglia. Æmil. in Ioan. Froissard. l. 1. rerum Gallicar. Petrarcha l. 2. de vit. solit. c. 2.

Petrus Infans Arragonum Comes de pratis Franciscanorum habitum induit in Hispania; Carolus verò Primogenitus Comes Alenconius anno M.CCCLIX. filius Caroli fratris Philippi VI. Valesij Galliarum Regis, regij sanguinis adolescens Dominicanum Ordinem ingreditur; Mater Maria de Lacerda omnes contendit neruos auocandi sibi à sacro proposito, & in eum finem scripsit ad Innocentium Pontificem, quá de re idem Pontifex rem discutiendam remisit Ioanni Marchioni Montisferrati.

Carolus Alenconius Dominicanus.

Epistola Innocentij pro Carolo Alenconio Dominicano.

Nuper dilecta in Christo filia, Maria Comitissa de Alenconio, matris gerens officium, & maternæ pietatis affectu compulsa, per suas literas, & proprium Nuncium, quem etiam duxit, vt credimus, ad tuam præsentiam destinandum, nobis humiliter supplicauit, vt cum dilectus filius Nobilis vir Carolus Comes de Alenconio primogenitus eius nouiter sæculari relicto habitu, Fratrum Prædicatorum Ordinem fuerit ingressus, ex quo quidem ingressu, Comitatui suo subditis & Vasallis, consideratis conditionibus partium illarum, continuis guerrarum turbationibus, & hostilibus discursionibus, quibus opprimuntur, nec non eorum, qui castra & fortalitia dicti Comitis custodienda & tenenda eius nomine ab eodem Comite susceperunt, damna plurima & desolatio maxima possent verisimiliter prouenire; prouidere super hoc, & maternis afflictionibus compati misericorditer dignaremur. Nos verò licet præfatæ Comitissæ eiusque filio complacere quantùm cum Deo possumus, ac vasallorum & subditorum dicti Comitis securitati & quieti prouidere plurimùm affectemus: nihilominus animarum salutem & vocationem Domini sæcularibus desiderijs, & inanibus huius mundi honoribus præponentes; nobilitatem tuam rogamus attentè, quatenus ab odem Comite cures sui propositi seriem diligentius indagare. Quod si illum inueneris Euangelica prosequi Consilia, & mundum cum pompis & fallacibus suis illecebris voluisse, & velle constanti perseuerantiâ relinquere propter Deum; Nos laudabile propositum suum multipliciter in Domino commendantes nullatenus eum volumus ab incœptis distrahi, aut etiam aliquatenus impediri. Quin imo nostris eum ad consummanda, quæ cœperit, consilijs exhortamur, & per te cupimus similiter exhortari, eamque egregij Doctoris Hieronymi sententiam suis quotidie auribus inculcari, *Per calcatum patrem esse pergendum; & licet vbera, quibus nos nutrierat Mater, ostendat, ad vexillum Crucis siccis oculis esse euolandum.* Si verò, quod absit, iuuenilis ei hoc leuitas persuaserit, ac deinde vel cõplexionis suæ debilitas, vel fortè ignota sibi prius Religionis asperitas, ex nunc sibi perseuerantiam interdicant. Tunc eum tutioribus præuenire consilijs, & debitâ prouidentiâ præmunire; vt ne peior priore inposterum foret error, dum licet ante statutum à iure professionis terminum futura prouideat, & sibi ac suis pro rerum grauitate consulat, eadem Nobilitas tua velit. Datum apud Villam nouam. Auin. Dioec. x. Kalend. Iul. anno VII. Hic Carolus Alenconius in eo vitæ instituto perseuerauit effectus Archipræsul Lugdunensis.

Mater ponit obicem.

S. Hieron. ep. 1. ad Heliod.

Innocentius Pontifex, à Ludouico & Ioannâ Regibus Neapolitanis, VIII. millia vnciarum auri, pro anno M. CCC. LVII. & x. millia Florenorum

pro anno M. CCC. LVIII. annui census accepit, XV. Kalendas Iunias, anno M. CCC. LX.

Carolo IV. viro doctissimo (qui Lutetiæ Parisiorum multos annos studuit) Romanorum Imperatori natus anno sequenti filius VVenceslaus & aquâ Lustrali Norimbergæ est tinctus, quam infans lotio suo aspersit, & aluum exonerauit in ara Principe, cui impositus bimulus coronabatur; ante obitum Imperio deturbatus homo luxui ignauiæque deditus; idem Carolus Academiam Pragensem instituit. *VVenceslaus in alitari exonerat aluum.* *Hist. Bohem. l. 23.*

Domum Carthusianam Villæ-nouæ, appellatam domum benedictionis, erexit, & aliquos eiusdem Ordinis Monachos illic degendos dotauit.

Diui Martialis gymnasium Tolosæ, vbi studijs operam dederat, exædificari curauit, & in scholarium dotem multos prouentus est largitus.

Muris elegantissimis circumduxit totam ciuitatem Auenionensem, cum amplissimis campis domorum ædificationi destinatis; de quâ ciuitate ciues Auenionenses tradunt Vrbis suæ Portas septem, Palatia septem, Plateas septem, Collegia septem, Parrochiales Ecclesias septem, Monasteria virorum & septa Virginum septem. Porrò dubium est an Palatium Auenionense, an Pons, an Muri maioribus impensis constructi fuerint. *Septenarius numerus.*

Franciscus Cardinalis Vrsinus sexaginta sex annos vixit in Cardinalatu, mortuus anno M. CCC. LXI. tempore Innocentij; creatus à Bonifacio VIII, anno M. CC. XCV. Iacet in Monasterio Cœlestinorum Auenionensium. *Longissima vita in Cardinalatu.*

Obijt pridie Idus Septembres anno M. CCC. LXII. Innocentius Auenione in Palatio Apostolico; in Pontificatu sedit annos ferè decem, instante Pontificis obitu Eclipsis Solis visa.

In Carthusianorum templo Villæ-nouæ, quod condiderat, sepultus cum hoc epitaphio.

Hic iacet Beatissimus Papa Innocentius Sextus, primus fundator huius domus, qui obijt M. CCC. LXII. *die vero* XII. *mensis Septembris, cuius anima in pace requiescat.* Amen.

Symbolum Innocentij, *Fac mecum Domine signum in bonum.*





GVILLELMVS GRIMOARDVS MIMATENSIS, PONTIFEX VRBANVS V.

Anno Christi. M. ccc. lxii.

ABsens, & extra Cardinalium Collegium eligitur ſcrutinio Guillelmus Grimoardus Patriâ Gabalus Summus Pontifex vigeſimâ octauâ die Octobris, anno M. ccc. lxii. à viginti & vno Patribus in Palatio Auenionenſi, annos natus quinquaginta tres; dici voluit Vrbanus ob præcedentium Pontificum Vrbanorum ſanctitatem.

Parentes ei fuêre Guillelmus Grimoardus Griſaci Dominus vir armis inclytus, & Fœlicia de Mont-ferrand nobili genere fœmina, ſed virtute nobilior etiã Gabalitana; natus eſt in Caſtro paternæ ditionis Griſaco, colle editiſſimo Diœceſis Mimatenſis, ad quem contendentibus Mons Loſera conſcendendus, altiſſimum Gabalorum iugum, cuius meminit Sidonius Apollinaris; Maiores Vrbani pro inſigni gentilitio tria acumina, vel cuſpides argenteas habuêre, in fronte Collegij Auenione Roræ dicti viſitur hoc inſigne Gentis Griſacorum.

Sidon. Apollin. in Epiſt.

Priſca & nobiliſſima in Gabalis Griſacorum familia, à quâ oriundus Iacobus de Griſaco Roræ Comes; Rora Griſaco vicina & familia Rorana adhuc floret in Gabalis: porrò Griſacum, Rora, Belua, Priuati vicus & Mombellus oppidula Gabalorum exempta ſunt à Regibus Francorum.

In Chiriacenſi eiuſdem Diœceſis Mimatenſis Andrio Monachiſmum S. Benedicti profeſſus, illicque ſacris omnibus initiatus; habitum Religioſum creatus Summus Pontifex tulit etiam ad extremum vitæ ſpiritum.

Disciplinis liberalibus Montispessuli in primâ iuuentâ imbutus, Tolosæ quadriennio studuit Iuri, Theologiæ Magister Lutetiæ Parisiorum viginti annorum intercapedine docuit Pontificum Decreta, Canones Conciliorum & Sacras Paginas; vir sic inculpatæ vitæ, vt Virgo apud omnes haberetur.

Præsulum Claromontani & Vticensis Vicesgerens, postea Innocentio VI. notus Cœnobiarcha sancti Germani Antissiodorensis, demum sancti Victoris Massiliensis, à quo dependebant olim Vabrincum & Castrum Sacerdotia à Ioanne XXII. in Episcopales Sedes erecta; in illo cœnobio tumulari voluit ipse Vrbanus, vt infra notabimus. Annal. S. Victor.

Legatione Italicâ ad Vicecomites Mediolanenses fungebatur, dum creatus est Pontifex. accepto suæ creationis nuncio rediit Aueniomen, pridiè Kalendas Nouembris.

Arnaldus de Viâ nepos sororius Ioannis XXII. Cardinalis sancti Eustachij S.R.E. Archidiaconus Auenione in Ecclesiâ Cathedrali D. Mariæ à Donarijs Vrbanum coronauit, die Dominicâ, octauâ Idus Nouembris, anno M. CCC. LXII. Initio Pontificatus curauit Curiales, tum Ecclesiasticos, tum Laicos Aduentus Domini tempore à carnium vsu abstinere. Toto anno ferijs quartâ & sextâ etiam Sabbato aquâ & pane vitam tolerauit.

Ioannes Franciæ Rex post carcerem Anglicanum inuisit Pontificem, obsequij ergò, anno M. CCC. LXIII. hic eum animauit ad expeditionē sacram. Intercessit pro Bernabone Vicecomite, sed nihil profecit, Pontifex enim in præsentiâ Legatorum diras in eum pronunciauit genibus flexis & altâ voce. *Te*; inquit, *Cælitum Pater hoc vnum posco, vt tu Bernabonem in cælo liges, quemadmodum à me ligatum nosti.* Ioannes obiit anno sequenti Londini in Angliâ (eò profectus, vt obsides reduceret) quinto Idus Apriles. Corpus translatum in Gallias Sandionysij (vbi Regum Mausolæa) conditum, tertio Nonas Maias. Huius Carolus filius Delphinus, Neustriæ Dux, dictus Sapiens vnctus à Ioanne de Craon Archiepiscopo Rhemensi, more maiorum, decimo quarto Kalendas Iunias, præsentibus Petro Rege Cypri, VVenceslao Duce Brabantiæ, Caroli auunculo. Villan. li. 11. histor. Papyr. Mass. in Vrbano. Ioannes Rex Franciæ moritur in Angliâ

Cæsar Carolus mense Maio Auenionem contendit, anno M. CCC. LXV. Vrbanumque inuisit, cui celebranti in die Pentecostes adfuit diademate redimitus & dextrâ sceptrum gerens.

Petrus Lusignanus Rex Cypri, mortuo Ioanne Franciæ Rege expeditionis sacræ designato Summo Duce, etiam vitâ functo Tailerando Cardinale à latere Legato eiusdem expeditionis designato, vi capit Alexandriam XI. die Octobris eodem anno: cumque non valeret eam conseruare, magnam eius partem incendio consumpsit.

Philippus Audax dictus, filius natu minor Regis Francorum Ioannis cum eo captiuus in Angliâ, duxit vxorem Margaretam Ludouici Comitis Flandriæ filiam, Philippi vltimi Burgundi Viduam; super quo matrimonio Vrbanus dispensauit ob consanguinitatem, licet antea aliam dispensationem denegasset filio Regis Anglorum. Philippo iuuene Burgundię Duce mortuo iure hæreditario Burgundia ad Ioannem spectauit (vt materno latere Brabantiæ Ducatus.) Ad Ioannam matrem pertinebat paternâ hæ-

reditate Flandria, Artesia, Comitatus Niuernensis & Retellensis, & Baronia Salini. Paulus enim Æmilius ait Burgundiam perueniſſe ad Ioannem, quòd ex Ioannâ matre filiâ Roberti Ducis Burgundi, & Amitâ maiore filij Philippi procreatus eſſet; quam ceſſit Philippo filio quartogenito Turonum Comiti chariſſimo.

Amedeus Sabaudiæ Comes Gallipolim è tyrannide Turcicâ exemit, conceſſitque Imperatori Conſtantinopolitano conſanguineo.

Cardinalis Albornotij res præclarè geſtæ.

Legatio Italica confirmatur Ægidio Cardinali Albornotio, qui in Bernabonem Vicecomitem Eccleſiam perſequentem, & in Galleatium bellum mouet, à Pontifice diris deuotos ob detentas Eccleſiæ terras, inito fœdere cum Ludouico Gonzaga, Nicolao Eſtenſi, & Franciſco Carrario; Saucius in bello Bernabo ſe dat pedibus amiſſo filio; poſtea aliquantiſper reſpirauit, & acie de nouo inſtructâ turbas excitat: denuo profligatur à Legato, & Thomâ Obicione Lucenſi egregio Duce. Eccleſiæ hoſtes hac victoriâ territi adeunt Albornotium Bononiæ agētem cum clauibus vrbium: functus eſt eâ Legatione quatuordecim annos; cum Viterbium Vrbanus perueniſſet Auenione popoſcit ab Ægidio ſuggerentibus nonnullis Cardinalibus adminiſtratæ Legationis rationem, claues arcium, vrbiumque receptarum obtulit vir bellicâ laude clariſſimus, vix eas capiente curru; Pontificem comitatur Romam, deinde Viterbium redijt, ibique decedit anno M. CCC. LXVI. vigeſimâ tertiâ Auguſti tribus Pontificibus Clementi, Innocentio, & ipſi Vrbano chariſſimus. Toletum corpori deportādo quicunque humeros ſuppoſuiſſet, ei aliquam peccatorum indulgentiam conceſſit Vrbanus.

Currus clauibus vrbium plenus.

Vrbanus redit in Italiam.

Anno itaque ſui Pontificatus quarto Pontifex Italiam petiit, Cornelio Venetorum Duce tres triremes mittente, earum præfecto Petro Treuiſano, S. Marci Procuratore; poſt longam Pontificum abſentiam hac præſentiâ recreantùr Itali tanquam Numine delapſo.

Carolus IV. Cæſar Romanorum accepto aduentu Pontificis in Italiam, cum vxore & liberis eò ſe contulit, ad tumultus compeſcendos; dum iter peragit Lucam eripit Piſanis, Miniatem Florentinis. Romæ Stratoris officium exhibet Summo Paſtori, & vſque ad D. Petri Baſilicam pedes frænum equi Pontificis tenet.

Ioannes Palæologus Romæ profitetur fidē.

Ioannes Palæologus Byzantinus Imperator, obſeruantiæ ergo Pontificem adit, anno M.CCC.LXIX. præmiſſo Comite Sabaudiæ, Patriarchâ Conſtantinopolitano; Catholicam Fidem, quam Eccleſia Romana docet, palam profitetur ante Principis Apoſtolorum altare maius in Vaticano, errorem Græcorum deteſtatur, aſſerentium Spiritum ſanctum non procedere à Patre & Filio, vt vno principio, nec Romanum Pontificem eſſe Epiſcopum Epiſcoporum (vt loquitur Tertullianus) & Chriſtiani gregis Paſtorem Oecumenicum. Eius profeſſio fidei Græcè & Latinè conſcripta & ſigillo aureo obſignata in Bibliothecâ Vaticanâ aſſeruatur, quam Bſouius refert in Vrbano.

Tertull. l. de Pudicit. c.31.

Veneratio S. Victoris Maſſilien.

Lateranenſem, Vaticanam, & Diui Pauli baſilicas vetuſtate collabentes reſtituit; Cœnobium S. Victoris Martyris Maſſiliæ reparauit, Diuorum eiuſdem Victoris & Caſſiani capita thecis auro gemmiſque recluſit; peculiari

cultu venerabatur ſancti Victoris memoriam, & aliquando Auenione in eius ædes ſacras pedes profectus & pedes reuerſus, altari principe conſecrato.

Medicorum duodecim ſcholarium erexit, dotauitque Collegium Montis-peſſuli; Eccleſiam Mimatenſem Diuæ Mariæ inſtaurandam habuit in animo, quod perficere non potuit morte præuentus; teſtamento reliquit viginti aureorum millia, in eam ædis ſacræ ædificationem & pretioſiſſimis reliquiis & ſacrâ ornamentorum ſupellectile conceſsâ, à Mathæo Merulâ Vticenſi Caluiniano, ciuilibus Galliæ bellis, anno Chriſti M. D. LXXX. ſpoliatâ. Beduæ, vbi Mater quieſcit, Canonicos inſtituit ſæculares, & Griſaci paternæ ditionis oppidi Gabalorum, templum condidit patrimonij redditibus ibidem collocatis. Variæ Eccleſiæ in Gabalis ædificatæ.

Primus eum morem à peſſimis hominibus introductum ſuſtulit, quo ſolebant in Palatio Cardinalium ſe recipere aliquo facinore perpetrato tanquam ad aſylum, quod reis nullatenus prodeſſe debet.

Diuorum Petri & Pauli Principum Apoſtolorum capita diu quæſita, in ſacello Sancta Sanctorum nuncupato repoſita ſub altari, anno M. CCC. LXVIII. ſtatuis argenteis maximi pretij & ponderis affabrè factis, in margaritis gemmiſque incluſa ad triginta millia Florenorum in maiori Eccleſiæ Lateranenſis altari collocauit. Cardin. Viterb. in hiſtor. 20. ſæculo.

Ioanna Neapolitana nupſit Iacobo Regi Maioricarum ab Arragonenſi detentarum.

Adolphus de Marka Monaſterienſis primùm Epiſcopus, poſtea Colonienſis nondum ſacris initiatus Colonienſem Eccleſiam deſeruit contrahens matrimonium; Vrbanus Engelbertum Comitem Marchiani Leodienſem Antiſtitē Colonienſi præfecit, anno M. CCC. LXVIII. loco Petri Adolphi.

Sugerius Gomezius Compoſtellæ Archiepiſcopus de Iuribus Eccleſiæ controuerſiam habens cum vaſallis & ſubditis interficitur.

Caſſinenſem Abbatiam erexerat Ioannes XXII. in Sedem Epiſcopalem, præfeceratque primum Epiſcopum Raymundum; in priſtinum ſtatum Abbatiæ reduxit Vrbanus aſſerens, Monachos melius Abbate quam Epiſcopo regi, Bartholomæo Camaldulenſi Monacho viro religioſiſſimo præpoſito, vices-gerente ipſius Pontificis.

Ioannæ Neapolitanæ, præſente Petro Luſignano Cypri Rege, Dominicâ lætare, decimâ nonâ Martij, anno M. CCC. LXVIII. dedit Vrbanus Roſam auream. Ante aliquot annos Innocentius IV. tunc Lugduni agens, roſam auream ſolemnibus Romanæ Eccleſiæ ceremonijs, rituque benedixerat, & Canonicis D. Iuſti hoſpitibus ſuis dono eam miſerat, quæ in nouâ Iuſti Eccleſiâ in colle ſitâ intra mœnia vrbis aſſeruatur. Porrò ſolent Romani Pontifices in Dominica quarta Quadrageſimæ, in quâ occinitur (lætare Hieruſalem) roſam auream benedicere, quam inungunt balſamo, muſcumque tritum imponunt, aſpergunt aquâ benedictâ & incenſo adolent, precibus finitis, quam poſtea alicui Principi largiuntur, vt laudabili atque honeſto more gratiam eius ineant. Enſis auratus à Pontifice conſecratur die Paſchæ & datur Petro Cyprio Regi, qui poſtea fratrum technis & malitiâ occiditur. De roſa aurea quę à Pontifice benedicitur. Petrus Luſignan. Rex Cypri occiditur malitiâ fratrum.

Bononienses Italiæ scholas, & Parisienses penè stratas erexit, & antiquam illis restituit dignitatem, de quâ re libro tertio in Cardinale Ægidio de Montaigu.

Vnde Stuarij Reges.

David Rex Scotiæ moritur absque liberis, Robertus Stuartius Roberti Brusei ex filia nepos, Rex eligitur cuius familia adhuc rerum potitur; vt & Angliæ post obitum Elisabethæ Reginæ, Iacobo I. Maioris Britanniæ Rege successore, & eius filio Carolo I. qui Henriettam Francicam verè Christianam & Catholicam duxit vxorem, vnde magna spes affulget Catholicæ & Romanæ Religionis.

Montis-Falisci Sedem constituit Episcopalem, & Ecclesiam Collegiatam in D. Virginis Matris honorem dedicauit, Cathedralem erigens, & ab Episcopo Balneo-regiensi eximens.

Henricus Comes, Petri Castellæ Regis cognomento Crudelis frater Castellano regno spoliat fratrem, qui ad Anglum cum thesauris confugiens, ab Eduardo VValliæ Principe, & Aquitaniæ Duce restituitur; filiam Ioanni Lancastriæ Duci, filio Regis Angliæ, anno M. CCC. LXVII. locauit in matrimonium Petrus hoc addito Ioannem successurum in Regno, si absque prole masculâ ipse decedat. Breui Henricus copiis Caroli Francorum Regis adiutus, Duce Bertrando de Guesclin Franciæ Comite stabuli mense Martio, Castellam anno M. CCC. LXIX. recipit. Petrus victus securi percutitur, vindictâ à Rege permissâ ob necem vxoris Blanchæ Borboniæ & primariorum virorum Castellæ & Legionis.

Reuelationes S. Brigittæ.

Beata Brigitta Sueca vidua è regio sanguine orta Romæ obtinet confirmationem Ordinis à se instituti, obtinet inquam ab Vrbano, antequam Auenionem regrederetur; nunquam habitum Sanctimonialis tulit, licet inter Sanctimoniales degeret. Reuelationes S. Brigittæ Cardinalis de Turrecremata defendit: obiit Romæ anno M. CCC. LXXIII. à Bonifacio IX. postea inter Diuas relata.

S. Hieronymi in Hispaniâ Monachi Augustiniani & Iesuati Senis à Ioanne Columbino inchoati confirmantur, sic dicti: quòd nomen IESV frequens in ore haberent.

Galliam repetit mense Septembri. Anonymus illius ætatis Gallus aduersus Petrarcham regressum impedientem scripsit non sine causa dici solere, *vbi Papa, ibi Roma*. Mense Decembri, quarto Kalendas Ianuarias, anno M. CCC. LXX. è vitâ excessit ætatis suæ sexagesimo primo, in ægritudine non permisit vestibus suis se spoliari, miraculis clarus, absolutis in Pontificatu annis octo, & mensibus ferè tribus; corpus eius quieuit in D. Mariæ à Donis Ecclesiâ, decem & septem menses integros; postea Massiliam translatum vt testamento constituerat in S. Victoris Martyris, sepulchro ibi erecto anno M. CCC. LXXII. conditum est à Gregorio XI. in sacello D. Petri iuxta principem aram Nonis Iunij. Icon eius adhuc veneranda conspicitur.



PETRVS ROGERIVS BELFORTIVS LEMOVICENSIS PONTIFEX GREGORIVS XI.

ANNO CHRISTI, M. CCC. LXX.

POST solemnes inferias Vrbano Pontifici persolutas, vndeuiginti Cardinales tertio Calendas Ianuarias, anno M. CCC. LXX. in Palatio Auenionensi Summum Pontificem scrutinio salutarunt Petrum Rogerium Belfortium prognatum Ioannâ Rogeriâ Monstriâ sorore Clementis VI. in secundis nuptiis locatâ cum Guillelmo Comite Belfortij Andegauorum oppidi, & Tureniæ Vice-comite, qui ex ea suscepit legitimos liberos, Guillelmum, & Petrum; Guillelmus Eleonoram Conuenam neptem Comitis Flussatum cis Pirenæos montes, Vice-comitem Turreniæ in matrimonio habuit. Belfortium porrò oppidum ad eorum posteros amplius non pertinet à Raymundi Belfortij III. Vice-comitis Turreniæ vltimi possessoris temporibus, qui summo rerum Imperio eo est exutus; Iacobus tamen Belfortius VII. Turreniæ Vicecomes, & Comes Alesiæ in agro Nemausensi & Marchio Caniliaci (id castri nomen est in Gabalis siti) cum sine liberis esset, iamque ætate confectus, pridiè Kalendas Maias, anno M. D. XI. publico instrumento, apud Aruernos, & pontem Castri, ad Elauerim fluuium coram Notariis Regis omnium bonorum atque actionum suarum donationem fecit Iacobo Ioannis Momboisserij Aruerni nobilis viri filio, ex Isabella Belfortia sorore suâ, eâ lege, & conditione, vt ipse posterique eius, perpetuâ successione Mares Belfortij nomine, & insigni vterentur ac scuto gentilitio, nimirum sex Rosis & lineâ trans-

uersâ obliquâ eas interſecante. Iacobi Momboiſſerij filius Marcus, Pater Ioannis Momboiſſerij, qui ſe Belfortium iure donationis vocauit, gentilitiumque nomen abiecit Hieroſolymam profectus pietatis ergò. Ex ea ſerie orta eſt Anna Belfortia, quæ nupſit Turrianæ nobiliſ familiæ Aruernorum, etiam dotalibus inſtrumentis Turrenia eis acceſſit, opulentum in Lemouicibus caſtrum, cui ducentæ ſubſunt Eccleſiæ Parrochiales; ex hac gente prodijt Henricus Turrianus Vicecomes Turreniæ Polemarchus Franciæ, Sedani Princeps, ſed (proh dolor!) hæreticâ labe infectus obijt Religionem profeſſus toto cœlo ab ea diuerſam, quam Proauunculi Maiores Clemens VI. & Gregorius XI. coluêre, in quorum Pontificum gratiam, Turrenia olim exempta omni genere tributi, portorij, & vectigalium Regiorum, quo etiam nunc vtitur fruiturque. Ex eadem proſapia prodiêre Marchiones Caniliaci.

Familia Turrianorum & Canilliacorum antiquiſſima.

In minoribus conſtitutus Petrus noſter Rogerius Belfortius Rothomagenſis Eccleſiæ fuit Archidiaconus, vt ipſe teſtatur literis pro eadem Eccleſiâ ſcriptis, quarto Kalendas Nouembris, anno ſui Pontificatus primo. Adoleſcens Peruſium diſcendi Iuris causâ, ex conſilio Auunculi profectus auditor fuit Baldi I C. clariſſimi, de quo illud fertur diſtichon.

Nemo, quod hunc latuit, ſciuit, ſi iura Monarcham
Ferre queunt, tanto hic nomine dignus erat.

Sedi Apoſtolicæ à notis, & duodeuiginti annos natus Diaconus Cardinalis S. Mariæ nouæ, à Clemente, in ſecunda Patrum purpuratorum creatione, anno M. CCC. XLIII. eſt creatus.

In funere Clementis VI. Auunculi ſocius quatuor Cardinalium conſanguineorum ad Caſam-Dei Abbatiam properantium, ſexto Calendas Maias, anno M. CCC. LIII. de quibus in Clemente actum eſt: coronauit electum Pontificem Gregorium Guillelmus le Iuge S. R. E. Archidiaconus Cardinalis die octauâ Idus Ianuarij, ſacrâ Epiphaniæ Domini, anno M. CCC. LXXI. in Eccleſiâ Diuæ Mariæ à donariis nuncupatâ. Peruſium in Pontificis poteſtatem eſt redactum anno M. CCC. LXXII. illuc miſſo Petro d'Eſtain Presbytero Cardinale tituli ſanctæ Mariæ trans-Tyberim. Henricum Caſtellæ, Petrum Arragonenſem, & Carolum Nauarræum Monarchas fœdere ſociauit, operâ Guidonis de Bononia Legati Cardinalis Epiſcopi Portuenſis, qui in rebus maximi momenti fuit occupatus, vt libro tertio videbimus.

Bernabonem & Galeatium Vice-comites Mediolanenſes excommunicatione ferit Eccleſiæ terras inuadentes, matrimonia interdixit, nam agebatur de collocandâ Galeatij filiâ, Ioanni Regis Arragonenſis filio, quod vetuit Pontifex literis datis, ſecundo Idus Ianuarias, anno M. CCC. LXXIII. Impia Turepinorum, ſeu Cynicorum Secta ab Eccleſiaſtico ſolo funditus eradicatur tempore Gregorij, qui nihil pudere quempiam debere profitebantur eorum, quæ à natura accepimus; pudenda oſtentabant (horrendum dictu) ac coibant propalam; non voce orandum, ſed ſolo corde.

Bernard. Lutz. Prateolus.

Siciliam ſexaginta annos rebellem Eccleſiæ, & interdictam Friderico

Arragonensi tyrannicè occupante restituit Gregorius. Pax firmata inter Ioannam Reginam & Fridericum; Sicilia in Regnum recens erecta est à Pontifice, relicto ibi Arragonensi cum hac cõditione, quòd eam teneret in feudum Ecclesiasticum, & annuatim solueret pecuniæ summam: ad quæ perficienda eò missus Nuncius sanctæ Sedis Apostolicæ Ioannes de Reuellon Episcopus Sarlatensis, anno M. CCC. LXXIII. Sicilia erigitur in Regnum.

Iacobus Tarraconensis tertius Ioannæ Neapolitanæ maritus Rex Maioricarum Rossilionem ingreditur, Arragoniam inuadit collecto milite, pleraque municipia capit recuperandi sui regni Ballearici causâ, à quo fuerat expulsus parens. Iacobus decedit, re infectâ anno M. C C C L XXV. absque prole. Ioanna postea coniungitur matrimonio Othoni de Brunsuich, solo nomine Duci, nulla dominia possidenti, cognominato Principi Tarentino; ex Ptolomæo auctore illius æui. Ptolom. Lucen. in Geoeal. Regum Sicil.

Emmanuel vnus ex filijs Ioannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani accusatus conspirationis in Amurathem Turcarum Regem priuatur ab eo Principatu Thessalonicensi. Chalcondylas.

Florentia anno eodem classicum canit rebellionis in Romanam Ecclesiam; Bononia sequitur rebelles, malè habitis Pontificijs Legatis. Eò misit Pontifex Robertum Gebennensem Cardinalem tituli Sanctorum duodecim Apostolorum cinctum copioso exercitu, pace firmatâ cum Mediolanensibus.

Ioannes Cantacuzenus D. Basilij Monachus, antea Constantinopolitanus Imperator pro Sedis Apostoliæ primatu adlaborat strenuè, vt Græcis Schismaticis persuadeat Romanum Pontificem esse omnibus Patriarchis, etiam Constantinopolitano longè Superiorem, & præpositum vniuerso gregi Christiano siue sint oues, siue Agni, siue populi subditi, seu capita populorum; propterea Gregorius ad eundem scripsit Auenione, quinto Calendas Februarias, anno sui Pontificatus quarto. Cantacuzenus ex Imperatore Monachus pro Ecclesia Rom.

Eligitur, pecuniâ Electoribus promissâ, in Regem Romanorum Vvenceslaus Caroli Imperatoris filius, annorum quindecim, anno M. CCC. L X X V I. & certior fit Gregorius literis datis Franco-furti, quarto Idus Iunij, rogaturque vt coronari permittat. Anno sequenti, Infantulus fuerat Rex Bohemiæ salutatus, & ab Arnulpho Pragæ Archiepiscopo Bohemus Rex coronatur, de quo egimus in Innocentio VI.

Octouiri Reipublicæ Florentinæ miserunt Catharinam Senensem dicatam Deo Virginem ad Pontificem morantem Auenione, vnde illa scripsit mense Iunio eodem anno, Florentinos, si velint, pacem habituros modo re, non verbis pacem poscant. Papa honorificè excepit Virginem, & eam videns extasi correptam perceptâ sacrâ synaxi pupugit acu eius pedem; erat præsens Stephanus Carthusianus, qui scripsit ipsius vitam admirandam.

Vladislaus Iunior, Vladislai Poloniæ Regis nepos, & Casimiri Ducis Cuiniacensis filius in D. Benigni Diuionensis cœnobio Monachus, Casimirum Regem Polonorum tertio consanguinitatis gradu lineâ masculinâ attingens inuitatur dispensatione Pontificis ad Regnum Polonicum capessendum, Ludouico Hungariæ Rege Poloniam occupante, vt

habet eius epitaphium ſepulchro lapideo inſcriptum in naui Eccleſiæ Monaſterij cum Regis coronati effigie.

Hic iacet vir illuſtris & deuotus Dominus Vladiſlaus, qui ondam Dux Albus Poloniæ, Monachus huius Monaſterij per plures annos exiſtens, poſtmodum diſpenſatus per Papam pro ſucceſſione regni Poloniæ. Obijt in ciuitate Argentina hic eligens ſepeliri anno M. CCC. LXXXVIII. *Calend. Martij. Anima eius requieſcat in pace.* Amen.

Crants. Vandaliæ. l.9.c.4. Cromerus lib.3.& 4. Baron. an.1041. Mariana. l.10.cap.15.

Diploma diſpenſationis datum à Clemente VII. Antipontifice anno Chriſti M.CCC.LXXXII. Auenione, decimo ſeptimo Calendas Octobres.

Ita Caſimirus Poloniæ Rex Monachus profeſſus Cluniacenſis. Ita Ramirus Hiſpaniæ Rex coniugatus ex Sacerdote Monacho veniâ à Pontifice petitâ. Ita Nicolaus Iuſtinianus Monachus Sacerdos.

Froiſſardus. in hiſt. Gallica.

Cauſæ reditus.

Cogitabat de repetendâ Italiâ Pontifex, à quo conſilio eum diuertere tentat Carolus V. Franciæ Rex, qui propterea Fratrem ſuum Andegauenſium Ducem, tunc Toloſæ agentem ſollicitat, vt quam-primùm Auenionem petat, & Pontificem auertat à mente Italiæ repetendæ. Nihil ita Gregorium mouit ad propoſitum, eiuſque affectum, vt literæ plures acceptæ à Beata Catharina Senenſi; & cauſa ſedandi tumultus, & rebellionis vagantis per ciuitates Dominij Eccleſiaſtici à multis annis. Soluit itaque portu Maſſiliæ, decimâ tertiâ menſis Septembris, anno M. CCC. LXXV. Gregorius diſceſſit hilari vultu Cardinalibus dolentibus, vnâ & triginta triremibus; primò Genuam appulit, deinde Cornetum; tandem Romam terreſtri itinere peruenit Idibus Ianuarijs anno M. CCC. LXXVI. poſt ſeptuaginta annos migrationis Romanæ Curiæ in Gallias. Hunc reditum & itinerarium accuratè deſcripſit Petrus Amelius Francus Aletenſis, Ordinis S. Auguſtini, Epiſcopus Senogalliæ. Eques Romam ingreditur, quaſi terreſtris aliquis Deus à Romanis exceptus. Ingreſſum deſcribit in fine Itinerarij idem Auctor.

Domicilium quilibet egrediebatur proprium, occurrit infinitus populus Romanus.

Nobilium filij pileos ferebant ante Dominum, iſte eſt Dominus, quem ſperabamus.

Vociferantium vox erat etiam, *viuat Papa*, euntes lætè eamus.

In porta Ciuitatis affuerunt innumerabiles Prælati induti Pontificalibus.

Signa gerebant Papalia Imperialiaque cum Clericis & Sacerdotibus.

Tintinnabula cum omni genere muſicorum reſonabant cum ſonoribus.

Limina cum ingreditur Romanus Antiſtes, dominium ei traditur cum clauibus.

Almæ Vrbis Conſiliarij; Senator, Bandarenſes omnes cooperti ſunt pannis ſericis.

Vnde ostendebatur magnanimitas Romanorum nobilium cum eorum opulentijs.

Verè non credebant in præsenti sæculo videre tantam gloriam oculis proprijs.

Dirè fatigatur Præsul prolixitate itineris cum suis seruulis.

Per medium Vrbis proficiscendo ambulantes mulieres præ gaudio lamentabantur.

Super tectum ascendebant cum nimiâ deuotione Præsulem intuebantur.

Hilariter colleridas spargebant velut Rosarum Flores, omnes gratulabantur.

Sex Auenione Cardinales remanere iussit Angelicum Grimoardum Cardinalem Albanum, Ægidium Hesselin de Montaigu Cardinalē Tusculanum, Ioannem de Embroniaco Cardinalem Sabinum, Petrum de Monteruco Cardinalem tituli sanctæ Anastasiæ, Petrum Cardinalem Pampilonensem, Guillelmum de Chaignac Cardinalem tituli S. Vitalis dictum Mimatensem, & Hugonem de sancto Martiale Diaconorum Priorem, Cardinalem sanctæ Mariæ in porticu. Nihil ab itinere Italico retardare potuit Pontificem, non Pater viuens, non duo fratres, non nepotes licet charissimi: præualuit Ecclesiæ causa, præualuit Romanæ Sedis amor.

Diuæ Virgini matri singulariter deuotus ieiunium festo Natiuitatis eiusdem & officium vigiliæ præfixit.

Moritur Gregorius Romæ in S. Petri Palatio, excolatione vrinæ, sexto Calendas Apriles, anno M.CCCLXXVIII. quo die & anno, Auenione Palatium Apostolicum incendio consumptum. Roma fleuit vt Patrem charissimum & beneficentissimum; sepultus est tumulo marmoreo in Diaconia S. Mariæ viâ nouâ: sedit annos septem, menses tres. Eius sepulchrum in meliorem & elegantiorem formam S.P.Q.R. anno ducentesimo duodecimo post obitum, restituendum curauit.

Christi saluti. Gregorio XI. Lemouicensi humanitate & doctrinâ pietateque admirabili; qui, vt Italiæ seditionibus mederetur, Sedem Pontificiam Auenionem translatam, diuino afflatus numine hominumque maximo plausu, post annos septuaginta Romam feliciter reduxit Pontificatus sui anno VII. S. P. Q. R. tantæ Religionis non immemor Gregorio XIII. Pontifice Maximo comprobante. Anno ab orbe redempto M. D. LXXXIV.

Die obitum sequenti Carolus IV. Romanorum Cæsar, videlicet vigesimâ septimâ Martij, obijt in Germaniâ; moriens monuit filium Vvenceslaum de compotationibus vitandis. Luxuriosa, inquit, res est vinum, & tumultuosa ebrietas, ac nemini magis quam Principi dedecora. Carolus moriens Venceslaum monet

Nihilominus Imperij administrationem prorsus neglexit, vnde à præcipuis nobilitatis Germanicæ viris custodiæ traditus, postmodum à fratre Ioanne Marchione est liberatus. Ab altero fratre Sigismundo Bohemicum Regnum olfaciente post aliquot annos iterum captus Viennæ in carcere

asseruatur: ante extremum diem (vt per transennam notauimus in Innocentio VI.) è solio Imperij eiectus, irâ in apoplexiam incidens miseram exhalauit animam, sic

——— *primis postrema secundant,*

nam mali ominis fuerant, quæ in Baptismate accidêre.

Caroli vidua Elizabetha Imperatrix Vvenceslai mater, statim post obidum Mariti induit habitum tertij Ordinis S. Francisci.

Vitâ functo Gregorio maximæ sunt excitatæ turbæ à populo Romano Pontificem Romanum, aut saltem Italum volente, obsessis Cardinalibus in Conclaui, non modò armis, sed etiam igne, Montanarijs Romam accersitis feris, & agrestibus hominibus ad terrorem Cardinalium, qui vi coacti, vt suæ vitæ consulerent, elegerunt secundâ Aprilis Bartholomæum Archiepiscopum Barrensem, vrbe Neapolitanum, qui Vrbanus VI. voluit nuncupari, inuectiuis vsus in Purpuratorum quorundam Patrum vitia; & quòd è Gallia non esset oriundus inde schisma ortum quadraginta annorum. Anagniæ Robertus Cardinalis Geneuensis renunciatur Pontifex, Clemens VII. appellatus Auenionem se recipit. Itali, Germani, Angli, Hungari Vrbanum, Galli, Scoti cum Ioanna Neapolitana Clementem; Hispani diuisi, alij Vrbanum, alij Clementem probant, susque deque omnia; tantum mali in Ecclesia Dei causat schisma, vt non abs re dixerit S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, χείρων κακοπιστία τῆς ἀπιστίας.

Platina. Froissardus. S. Epiph. in Ancorat.



LIBER SECVNDVS
CARDINALES SEDEM AVENIONENSEM PRÆCEDENTES.



HVBERTVS CARDINALIS SYLVÆ CANDIDÆ LEONE IX.

Anno Christi M.XLIX.

INTER Eminentissimos Cardinales, imprimis occurrit commemorandus Hubertus è Burgundiâ oriundus, Ordinis Benedictini Monachus, in Diui Mansueti primi Leucorum Antistitis cœnobio, in Tulli suburbijs sito, Hebraicè, Græcè, & Latinè doctissimus; hunc sibi comitem delegit Beatus Leo Papa eiusdem ciuitatis Leucorum Episcopus (de quo pluribus libro primo) vt Romam è Lotharingiâ proficisceretur anno M.XLIX. Paucis pòst mensibus mittitur in Siciliam Insulam annunciandi Verbi Diuini causâ; in ijs Regionibus primus Archipræsul instituitur, postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignissimus Cardinalis creatur suffectus in locum Crescentij vitâ functi. Episcopus Syluæ Candidæ (quod sibi nomen imposterum retinuit) siue Sanctarum Rufinæ & Secundæ Sororum Virginum, quæ palmam Martyrij obtinuêre in Sylua Candida via Aurelia, x. ab Vrbe lapide. Hic Episcopatus à Calixti II. temporibus perpetuò vnitus permansit Portuensi, vni sex Episcopatuum antiquioribus promotione Cardinalibus assignatorum.

Virtutes Huberti commemorat illius æui author Lantfrancus Claustralis Prior Abbatiæ Helluini in Neustria, postea primus Cœnobiarcha Diui Stephani Cadomensis, tandem Archiepiscopus Cantuariensis in libro contra Berengarium Hæresiarcham de Eucharistia edito: ita enim loquitur, Hubertum virum fuisse Religiosum Fide Christianâ, & sanctissimis operibus præstantissimè decoratum, scientiâ diuinarum & sæcularium litterarum apprimè conditum testantur omnes, qui vel

Lantfr. lib. de Euchar.

Præclaræ laudes Huberti.

propriâ experientiâ eum nouerunt, vel ab aliis, qui eum experti sunt, eius cognitionem acceperunt; hunc non de Burgundia, sed de Lotharingia sanctus Leo Romam traduxit, & ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinauit. Postea vero sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsulem sibi Cardinalem constituit. Quo in loco positus taliter vixit, taliter docuit, vt de fide, vel doctrina eius, nec sinistræ suspicionis fama aliquando exorta sit: huius rei testis est tota ferè Latinitas, quæ pro excellentia Apostolicæ Sedis, cuius consiliis & Conciliis semper aderat & præerat, eum ignorare non potuit. Idem Lantfrancus illo libro alloquens Berengarium. Venerabilis (inquit) Hubertus, quem quasi exprobrando Burgundum nominas (quasi non possit Deus in Burgundia seruos habere,) nihil aliud fecit, nisi quòd scripturam ipsam, præcipiente Synodo, manu in manum porrexit. Plura alia apud alios plures eiusdem encomia referuntur.

Idem ibid.

Templum Vallis-vmbrosæ dedicandum suscepit, vt habetur in vita sancti Ioannis Gualberti: anno M.LI. præficitur à Leone Abbas Monasterio Sublacensi in Italiâ, Othone Cœnobiarchâ fugam capiente, dum illuc accederet B. Leo, qui disciplinam Religiosam pene mortuam excitauit, & humi iacentem erexit; pro quâ tuendâ, à discessu Leonis multos exantlauit labores Hubertus. Mense Iulio anni sequentis, in Apuliam pergenti adfuit summo Pontifici, qui Luitfridum Abbatem Cœnobij Diui Vincentij ad fontes Vulturni conquerentem de Alberto Monacho sibi nomen Cœnobiarchæ contra ius fasque vsurpanti in Andrio Beatissimæ Mariæ Castanletanæ benignè excepit & in ipsius fauorem lis est composita. Inter Præsules, qui subsignarunt, primus numeratur Hubertus Episcopus Syluæ Candidæ, Federicus Lotharenus subcrispsit vt Ecclesiæ Romanæ Cancellarius, & Bibliothecarius.

Sublacense cœnobium.

Trani aliquot dies transigenti Huberto exemplar datum est epistolæ Græco idiomate Michaelis Cerularij Patriarchæ, & Leonis Acridani Archiepiscopi Metropoleos Bulgarorum missæ ad Ioannem Tranensem Episcopum, quam Latinitate donauit mittendam Leoni summo Pontifici; cui & arrogantiæ & fasti plenus hic præfigitur titulus. *Michael vniuersalis Patriarcha nouæ Romæ*: in quâ tria potissimum attinguntur. Primò Ecclesiam Latinam Iudæos imitari in Benedictione panis Azymi. Secundò morem sequi Barbarorum suffocata manducantium. Tertiò Alleluya ipsam decantare Paschali solummodo tempestate. Quibus omnibus lectis calumniis plenissimè satisfecit Leo Pontifex, prolixâ epistolâ ad eundem Michaelem & Leonem missâ, quæ inter cusas ipsius Leonis IX. epistolas prima ordine recensetur.

Legatio Constantinop.

Mittitur Constantinopolim Legatus anno M.LIV. vnà cum Federico Lothareno Cardinale Archidiacono S. R. E. Cancellario, & Petro Archipræsule Amaphiltano (qui successerat Laurentio Archipræsuli viro sanctitate insigni Gregorij VII. Magistro) ad Constantinum Monomachum huius nominis IX. Zoes Maritum, & ad Michaelem Cerularium

Patriarcham Constantinopolitanum conciliandæ ergò Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ, & implorandi auxilij contra Normannorum Tyrannidem, cum litteris super eâ re datis à Leone summo Pontifice ad vtrosque, mense Ianuario eiusdem anni. Apostolicæ Sedis Legatos, vti decebat, honorificentissimè excepit Imperator; quæ autem in eâ Legatione fuerint acta, scripto exarauit Legatorum Primarius Hubertus, & inter cætera notauit Nicetam Monachum, qui Pectoratus est nuncupatus, in ipsius Imperatoris, Legatorum, & Procerum præsentiâ, die sacrâ Diuo Ioanni Baptistæ condemnasse quendam libellum attico liuore, & supercilio compositum in Romanam Ecclesiam, cuius titulus *de Azymo, de Sabbato, & de nuptijs Sacerdotum*, quem Augustus Orthodoxus Legatis suadentibus, iussit flammis tradi. Legationis Huberti mentio facta à Ruperto Abbate Tuitiensi, aitque fuisse *Græciam hæresibus fermentatam, vnde non mirum quod de fermento immolet.* Bizantio ipse egreditur, cum Collegis, XV. Calendas Augusti. Interim Michael Patriarcha fraudulentus, & callidus adit Imperatorem ad reuocandos Legatos eo fine, vt in sanctæ Sophiæ Templum redeuntes sub aliquo Comitiorum congregandorum prætextu, à populo saxis impetantur & risui exponantur contra ius Gentium, imò naturale & diuinum; verum prudentissimè Augustus præuidit mentem Michaelis. Rup. Ab. l. 1. diuin. offic. c. 12.

De Huberto, & alijs duobus Legatis rescripsit Cerularius literas ad Petrum Patriarcham Theopoleos Antiochiæ, hunc præfigens titulum; Michael Sanctissimus, & Oecumenicus Patriarcha cognomento Cerularius: in quibus multas conijcit in Hubertum, & socios iniurias & mendacia; *Papæ nomine*, inquit, *litteras improbi isti attulerunt*, sed amabo, quænam hæc est improbitas? improbus probos improbitatis accusat.

Leonis obitus nuntium accipiunt Legati, & iter maturant Romam versus, acceptis prius muneribus ab Augusto, qui etiam dona per eosdem transmittit B. Petri Monasterio Cassinensi, vti tradit Leo Ostiensis: binas auri libras Huberti & sociorum suasu Imperator statuit singulo quoque anno concedendas à regio ærario. Admonitus Comes Theatinus Trasimundus de ipso Legatorum felici reditu obuiam factus terras suo dominio subiectas peragrantibus, omnia ijs eripuit vacuos amandans. Leo Ostien. l. 2. c. 89. Legati spoliātur.

Post reditum Constantinopoli interfuit electioni Victoris II. Summi Pontificis die XIII. Aprilis, anno M. LV. auditque Imperatorem Constantinum vitam cum morte commutasse in Monasterio à se fabricato. Curopalates animaduertit testamento ordinasse Imperatorem, in eo Monasterio missæ sacrificium quotidie celebrandum, quod nisi festis & diebus Sabbati offerabatur. Post aliquot menses felicis obitus Papæ Leonis eodem anno, Pontificatus primordio Victor omnia rata habuit, ab Huberto & Collegis Byzantij gesta. Montis Cassinensis Abbas Richerius Pontificem conuenit Aneonæ, super sacrilegio contra legatos perpetrato à Comite Trasimundo, qui sceleris pœ- Eligitur Victor II.

rimatus visu & signo, quo potuit, expellendum significauit, vt testatur Guillelmus Malmesburiensis in historiâ Berengarij. abigit Bereng.

Vitâ functo Victore Summo Pontifice tribus electionibus Stephani X. Nicolai II. & Alexandri II. Pontificum calculum dedit. Aliquo temporis interuallo munus Bibliothecarij & Cancellarij S. R. E. exercuit, assumpto ad Pontificatum Federico Lothareno. Hubertus Legatus Angliam petiit, anno M.LXXII. & in Concilio Anglicano, in præsentia totius Insulæ Præsulum sexto Idus Apriles composuit ex mandato Alexandri II. litem veterem inter Ecclesias Cantuariensem & Eboracensem motam super Primatiâ, quæ Cantuariensi est adiudicata, regnante & præsente Guillelmo Angliæ Rege, & Neustriæ Duce; vnde hæc professio emissa à Thoma Eboracensi. Decet Christianum quemque Christianis legibus subiacere: propterea ego Thomas Eboracensis Ecclesiæ Metropolitanus Antistes iam ordinatus auditis cognitisque rationibus absolutam, tibi Lantfrance Cantuariensis Archiepiscope, tuisque successoribus de canonicâ obedientiâ professionem facio, & quicquid à te, vel ab eis iustè ac canonicè iniunctum mihi fuerit, seruaturum me esse promitto. Guillel. Malmesb. l. de Gestis Pontif. Anglorū.

Ad superos translatus dierum & meritorum plenus, tertio Nonas Maij, aliquot menses post Alexandri II. Pontificis obitum; quâ etiam tempestate extremum obiit diem Petrus Cardinalis Damianus vir sanctissimus & literatissimus: in locum & Episcopatum Syluæ Candidæ Maynardus Cardinalis Monachus Cassinas sufficitur.

Plurima scripsit opuscula.

In sancti Augustini regulas commentarium.

Librum diuersarum historiarum, vt refert VVasburgius in Episcopis Virdunensibus.

Apologiam contra Leonis Acridani Metropolitæ Bulgarorum epistolam.

Dialogum Latinè scriptum Apocrisariatus sui temporis Constantinopoli iussu Constantini Monomachi Græcè editum sub nomine Constantinopolitani & Romani anno M. LIV. in fine XI. tomi Eminentissimi Cardinalis Baronij.

Contradictionem aduersus Nicetam cognomento Pectoratum Græcum Monachum Constantinopoli conscriptam: habetur apud eundem Baronium ibidem.

SCVTUM COENOBII S. Mansueti Tullensis datum est Huberto Cardinali plures annos illic Monacho.



Anno Christi. M. XLIX.

HVGO LE BLANC CARDINALIS EPISCOPVS PRÆNESTINVS. LEONE IX.

Onuphr. in Chron. GALLVM patriâ fuisse Hugonem habemus ex Onuphrio Pannuino; & à Leone IX. Cardinalem creatum Presbyterum tituli sancti Clementis, postea Episcopum Prænestinum Vrbano II. testantur acta vetera Romanorum Pontificum à Nicolao Arragonensi in vnum collecta.

Stephano X. Pontifice Romanæ Ecclesiæ vnitatem deseruit vir animo duplex, & rebellioni addictus. Multas Alexandro II. passus est calamitates, & variam fortunam, stans à partibus Cadaloi Antipapæ in vna & altera Synodo damnati, antea Parmensis Episcopi, à duobus solum Antistitibus, putà Vercellensi & Placentino electi, anno M.LXI. die vigesimâ octauâ Octobris, qui est annus primus Alexandri II. Pontificis, ad quem satis longam misit epistolam Petrus Damianus, cuius exordium, *Qui non corripit puerum furentem, magnum postea Latronem patitur equorum stabula perfringentem*, in eâ notat ipsum Καδάλαον vocitari, cuius prima pars nominis manifestè denunciat casum, secunda populum λαὸς siquidem populum sonat, & quid aliud hoc exprimitur nomine, nisi quod scriptura dicit: *Ruina populi sunt Sacerdotes mali*. Supplex à Summo Pontifice Alexandro veniam delictorum impetrauit.

Dam. ep. ad Alex.

Cadalous quid sonat.

Hugo curat eligi Gregor. 7.

Cardinalis Candidi est mentio in codice Vaticanæ Bibliothecæ rerum à Gregorio VII. gestarum, in quo hæc leguntur. Hugo Candidus Cardinalis, vbi cognouit omnium vota conuenisse in Hildebrandum Archidiaconum, Clerum & populum Romanum hoc modo est alloqutus. Ecce, charissimi fratres, scitis & indubitanter cognoscitis, quòd à diebus Beati Leonis Papæ hic Archidiaconus tanquam vir prudens atque probatus hanc Sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimum exaltauit, & ciuitatem ipsam ab imminentibus periculis liberauit; vnde, quia idoneorem ad Ecclesiæ regimen inuenire nequiuimus, Nos Episcopi Cardinales vnanimiter ipsum nobis, & vobis in Pastorem & Episcopum animarum nostrarum eligimus; & continuò vniuersitate populi & Cleri acclamante: *Dominum*

Gregorium Papam ſanctus Petrus elegit: indutus rubrâ clamyde (vti eſt mos) & Pontificali mitrâ redimitus mœrens in Beati Petri Cathedram aſſumendam fuit deductus.

Statim ab electione, nouus Pontifex anno M.LXXIII. primo ſuæ electionis menſe, mittit Hugonem in Hiſpanias; ita vt per Galliam, & Cluniacum iter haberet ad aliquos è Cluniacenſi Monaſterio Monachos ſumendos viæ comites; propterea Gregorius ſcribit Cluniacenſibus in hæc verba. Hunc confratrem noſtrum Hugonem Candidum in partes illas dirigi, tempus & competentia rerum poſtulaſſe videbatur: prudentiam veſtram omnino exoratam eſſe volumus, quatenus Hugonem Cluniacenſem Abbatem, & totam Congregationem fratrum, ita ad pacem, & integram huius dilectionem flectere, & coniungere ſtudeatis, vt auxiliante Deo nihil in eorum mentibus, quod inuiſum aut diſſenſionis nube ſit obtectum, relinquatis; nam & abiecto omni arbitrio ſuo ad cor noſtrum, noſtráque conſilia rediens in eodem ſenſu, eademque voluntate ac ſtudio nobis eſt connexus, & ea, quæ antè hac ſibi impoſita ſunt, viuente adhuc Domno noſtro Papâ ex aliorum magis, quàm ex eius culpâ prodiiſſe cognouimus; vos autem ex noſtra parte rogate Abbatem, vt tales ſibi adiungat, qui eum comitentur, quorum conſilio & adiutorio iter & laborem illum fiducialiter aggredi poſſit, legatione tamen in eo principaliter poſitâ: extra Hiſpaniam verò nullius vnquam publici rerum Eccleſiaſticarum negotij ſine veſtro conſenſu, quandiu vos in Galliâ fueritis, licentiam ſibi dedimus faciendi. Greg. 7. l. 1 ep. 6.

Cauſa Legationis hæc fuit, Mauri fuerant à Catholicis debellati, eorumque Prouinciæ, ad quas ius habebat Pontifex ratione cenſus, & tributi olim debiti, antequam Arabes eas occupaſſent Prouincias; quare miſſus Hugo ad id, quod debebatur, recipiendum. Barcinone in Epiſcoporum & Procerum conuentu Raimundi Barcinonenſis Comitis voluntate Gotticas Leges, quibus ante vtebantur Catalauni, abrogauit, nouaſque ſanxit: vnde iura populis ad noſtram ætatem dantur. Mariana lib. 9. de rebus Hiſpan. c. 6.

A Gregorio deficit homo verſatilis ad Henrici IV. partes, & Eccleſiæ Aduerſarios, operâ Guiberti Rauennatis Archiepiſcopi ad Pontificatum irrito conatu aſpirantis, olim collegæ in ſchiſmate Cadaloico.

Vormatiæ congregata non Synodus eſt, ſed conſeſſus Schiſmaticus, & Conciliabulum, anno M.LXXVI. Dominicâ Septuageſimæ, contra verum Pontificem Gregorium VII. cui intereſt Cardinalis Candidus vnus Princeps & fax Schiſmaticorum ad deponendum è Pontificatu Gregorium Henrico Rege id promouente, vti tradit Lambertus Schanaburgenſis ad annum M.LXXVI. illius tempeſtatis Auctor fide dignus, qui ſcribit Hugonem ante paucos dies propter ſuam ineptiam & mores incompoſitos è ſtatione ſuâ amotum deferentem ſecum de vitâ & inſtitutione Papæ ſcenicis figmentis conſimilem tragœdiam. Herimannus ex Canonico & Præpoſito Leodienſi Metenſis Epiſcopus, quantum in eo ſitum fuit, reſtitit Pſeudoſynodo dicens: *Aduerſus Romanum Pontificem, nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi cuiuſquam recipiendam eſſe accuſationem*; quare ab Henrico Metenſis ſemel & iterum proſcribitur. Schanaburg. in Hiſtor. Germ. Pro Romano Pôtifice.

Hugo non ſanæ mentis à Gregorio ſui Pontificatus anno ſexto excom-

municatur, in Synodo Romæ habitâ, ad quam vocatur schismatis Antesignanus Guibertus Archipræsul Rauennas Antipontifex cognomento Clemens III. hæc lata in Hugonem excommunicationis forma. Hugonem Cardinalem tituli sancti Clementis tertiò ab Apostolicâ Sede damnatum, (eò quòd aspirator & socius factus hæresis Cadaoli Parmensis Episcopi, & iterum constitutus Legatus Apostolicæ Sedis, Hæreticis & Simoniacis, & ab Apostolicâ Sede damnatis se coniunxit; & tertiò factus Apostata & Hæresiarcha schismata & diuisiones atque scissuras in Ecclesiâ Dei tentans eam scindere fecit): ab omni Sacerdotali officio priuamus, & tam ab ingressu, & honore prædictæ Ecclesiæ, quàm omnium Ecclesiarum, sub perpetuâ & irreuocabili sententiâ submouemus, & vsque ad satisfactionem anathemate percutimus.

Hugo Schismaticus & Apostata.

Eundem propriis & natiuis depingit coloribus Diui Anselmi Presbyter Pœnitentiarius in libro de rebus ab Anselmo præclarè gestis; ita enim loquitur de electione Antipapæ. Vnus affuit Hugo nomine, Candidus facie, nigerrimus mente, Cardinalis olim, sed dudum pro suis sceleribus iustè excommunicatus & abiectus, hic damnatus damnatum, periurus periurum, parricida laudat parricidam; in loco siquidem horrido & asperrimo, in mediis niualibus Alpibus (vbi fames assidua, frigus pene sempiternum; locus iste vicus est pro ciuitate, qui Briximorium vocatur altissimis circundatum scopulis, vbi vix etiam nomen obtinetur Christianitatis) promouetur: hîc principalia Ecclesiæ priuilegia, hîc summi Sacerdotij iura, hîc Sanctorum Patrum instituta, hîc omnia euacuantur Canonica decreta, nimirum si qui rogassent, vt alium Cœlis imponeret Deum; quantum in ipso erat existimo fecisset & confirmasset.

Inuectiuæ in Hugonem.

Nominatur in epistolâ Synodali assumpto nomine Episcopi Prænestini, anno M.XCVIII. die VII. Idus Augusti, cum Bennone Cardinale Schismatico, compositâ à Conciliabulo Schismaticorum Romæ celebrato contra Catholicos, & benè sentientes.

Efflauit animam miser in schismate Guiberti Pseudopontificis, vir prouectæ admodum ætatis sub finem Pontificatus Vrbani II. cùm quinquaginta pene annos transegisset in Cardinalatu.

Quinquaginta annos in Cardinalatu.





STEPHANVS DEFENSOR S. R. E. CARDINALIS LEONE IX. — Anno Christi. M. XLIX.

E CLVNIACENSI Andrio ad Gronam fluuium sito, anno DCCCC. X. à Bennone Abbate condito, & à Guillelmo Aquitaniæ Duce Aruerniæ Comite dotato tanquam ex equo prodiit Troiano, vir omni laude dignus Stephanus Cardinalis Presbyter, quem Pontifex Stephanus X. vnâ cum Desiderio Monacho excellentissimo Cœnobiarchâ Cassinate designato Constantinopolim pro Schismate Grçcæ Ecclesiæ extinguendo Legatum deputarat: iam viæ accinctum, anno M. LVIII. obitus Papæ superueniens cogit remeare.

Stephanus Monachismum fuerat professus, S. Odilone Abbate, qui Cœnobio memorato præfuit quinquaginta quinque annos, quo etiam Magistro Monachorum cucullum induit Rex Poloniæ Casimirus (de quo actum libro 1. in Gregorio XI) in illo paradiso quatuor fluentis Euangeliorum irriguo & spiritali campo, in quo cœlum & terra congrediuntur; sic enim Cluniacum vocat Petrus Damianus. — Cromer. lib. 4. Petr. Damian. l. 6. epist. 4.

Legatione functus est in Gallia (cuius meminit Goffridus Vindocinensis) Nicolao II. Pontifice; hinc Gregorius VII. Pontifex. Præterea inquit, Stephanus in diebus Nicolai II. Romanæ Sedis Pontificis ad easdem partes missus est, vices acturus Apostolicas vir maximæ authoritatis, qui neque possessionem à Canonicis postulauit, neque expostulandam esse censuit, quæ scilicet, si adeò improbus fuisset, potuisset negari: quippe quæ nisi Regibus Franciæ & Apostolicis, ab ipsis Canonicis nunquam fit; quem etiam, quamdiu ibi fuit, honestè habuerunt & suâ maximâ charitatis exhibitione largiti sunt. Durauit porrò Stephani Legatio etiam sub Alexandro II. is enim est, qui Goffridum Barbatum Comitem Andegauensem anathemate percussit. — Goffr. in ep. ad Conon. Leg.

Missus in Germaniam ad Henricum Regem Henrici III. cognomento Nigri Imperatoris filium adhuc iuuenem Romanâ Ecclesiâ Pastore, nimirum Nicolao viduâ anno M. LXI. at contra ius gentium non auditur, licet Apo-

ſtolicas haberet literas: quinque dierum ſpatio non ſine Beati Petri & Apoſtolicæ Sedis iniuriâ pro foribus manens, regiis miniſtris obicem ponentibus. Hæc eſt Legationis cauſa, vt Henricus Romanæ Eccleſiæ opem ferat, atque Præſulum Longobardorum inſolentiam, qui Cadaolum Epiſcopum Parmenſem elegerant, reprimat; alia etiam cauſa, infame Pſeudoſynodi decretum, quo Pontifex Nicolaus vitâ functus fuerat ſententiâ Synodali damnatus, & omnia ab eo geſta irrita declarata; quâ de re Petrus Damianus in diſceptatione Synodicâ inter Regium Aduocatum & Eccleſiæ R. Defenſorem.

Vacauit viginti ſeptem annos Imperium Occidentale mortuo Henrico III. Cæſare, tertio Idus Octobris, anno M. LVI. Spiræ ſepulto, Victore Papâ præſente, cui ſucceſſit Henricus filius anno M. LXXXIV. poſt triennalem Romæ obſidionem Gregorio VII. Pontifice, tandem in eam non ferro, ſed auro ingreſſus cum ſuo Rauennate Guiberto Antipapâ, à quo fuit coronâ Imperiali donatus.

Poſt reditum Stephani, Cardinales audito Legato, & quàm malè fuerat exceptus, crearunt nihilominus Summum Pontificem Kalendis Octobris, eodem anno, Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, Henrici Domeſticum & familiaritate coniunctum, virum alioquin probum, qui ſibi nomen Alexandri II. vendicauit, inconſulto Germaniæ Rege Henrico.

Defenſor itaque Romanæ Eccleſiæ iure appellatus eſt Stephanus à Beato Petro Damiano, qui eum teſtatur pijs virtutum floribus inſignitum. Sanctus Albanus Salerni Archipræſul coætaneus Stephano poſt eius obitum hoc inſcribit epitaphium.

Ex biblioth. Cluniac.

Stephane qualis in æde Petri, quantuſque Sacerdos
Extiteris, nouit Gallia cum Latio.
Edidit illa, & nutruit timuitque, iſtud amauit,
Et te dilexit, compſit & auxit idem.
Iudicio Canonum noras terrere nocentes,
Et ſine lege reos legibus erigere.
Nobilitas, grauitas, probitas, & mentis acumen,
Et virtus animi magna fuêre tibi.
Quinque manere dies cum Sol deberet, in vrnâ
Clauſus es hac, requiem det tibi Chriſtus. Amen.

Cluniacenſe ſcutum habet Stephanus miniatum argenteis clauibus in decuſſim traiectis enſe medio erecto expreſſum; nam Pontificum & Cardinalium gentilitia erant his temporibus valde obſcura. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus idem indicat; Qui Pontifices, inquit, vſum inſignium gentilitiorum in Italiam tulerint, ſcias à Clemente & Damaſo id factum. Poſtea à Leone, cuius inſigne erat leo niger in ſcuto octo lilijs exornato; Leonem ſecutus eſt Victor, deinde Stephanus, qui cum & ipſi propria inſignia in Italiam detuliſſent, hunc morem ſucceſſoribus reliquêre, veteres namque Pontifices eiuſmodi rebus, bonâ ex parte caruêre.

Fulb. ep. 50.

De antiquis Summorum Pontificũ & Cardd. scutis.



RICHARDVS S. VICTORIS MASSILIENSIS ABBAS CARDINALIS EPISCOPVS ALBANVS. ALEXANDRO II.

ANNO CHRISTI. M. LXX.

ORDINIS Benedictini Monachus Richardus, & Cœnobiarcha sancti Victoris Massiliensis, germanus frater Bernardi etiam Abbatis in eodem Monasterio multis rebus venerando. Creatus est Cardinalis Episcopus Albanus à Summo Pontifice Alexandro II. Eum Gregorius VII. anno septimo sui Pontificatus M. LXXIX. misit Legatum in Hispanias (dono etiam mittens Regi auream clauiculam, more Maiorum catenæ S. Petri ramentis refertam) ad mores reformandos & Ecclesiæ pristinam formam restituendam, cuius rei causâ Concilium Richardus habuit Burgis (regni Castellæ veteris erat caput.) In eo Concilio regiæ voluntati morem gerens in toto eius regno Romanum ministerium confirmauit: sic enim Pelagius Ouetensis loquitur. Leges Ecclesiæ veteres in mores reuocatæ, ac præsertim, quod in Germaniâ non absque motu factitatum erat, vxores Sacerdotibus detractæ; quas Prisci moris obliti, & voluptatum illecebris superati plerique habere consueuerant. Præterea Arragoniæ exemplo precandi ritus ex Romano more sanciti; Prisca Gothorum instituta rebus diuinis procurandis propitiando Numine antiquata.

Clauicula aurea missa à Pontifice.

Concil. Burgen. in Hisp.

Decreta.

In ciuitatem Burgensem Alphonsus VI. Hispaniarum Rex Ferdinandi Castellæ I. Regis Magni filius illis temporibus eius amplificandæ causâ transtulit Oscensem Ecclesiam, Vrbano II. Pontifice confirmante, anno sui Pontificatus primo. Scripsit super ipsâ re ad eundem Alphonsum Regem Richardi Cardinalis nostri mentionem faciens, eum Episcopatum eximens ab omni iure Metropolis, cum antea Tarraconensi Archiepiscopo subdita esset hæc Cathedra, Romanæ Sedi voluit immediatè subiectam. Hoc Legato in Hispaniis agente etiam scripsit Gregorius ad ipsum Alphonsum Monarcham de duobus aliis, anno M. LXXX. cuius Diplomatis hoc est initium. *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Alphonso glorioso Regi Hispaniæ salutem & Apostolicam benedictionem.* Cæterùm quod

de vxore tuâ, & de Abbatiâ sancti Facundi postulasti, per filium nostrum Richardum Abbatem Massiliensem S.R.E. Cardinalem Legatum, & fratrem Simeonem Episcopum arbitrati sumus, intelliges.

Eodem anno duas idem Gregorius eidem Richardo Legato misit epistolas, qui controuersiam habebat cum Bernardo Archiepiscopo Toletano laneum pallium nondum habente.

Pontifex Cardinalatu priuandum censuit nostrum Richardum, quòd Guiberti de Corrigia Archiepiscopi Rauennatis Clementis III. Antipapæ partibus faueret.

Clam ad Romanum inhiauit Pontificatum, cum Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, & tempore Victoris III. schisma excitauit, anno M. LXXXVII. quem Victor à communione aliorum resecuit in Synodo Beneuentanâ, mense Augusto, eiusdem anni; verum postea est restitutus.

In Gallia habuit Legationem Paschale II. ad soluendum ab excommunicatione Philippum Regem I. huius nomenclaturæ, scripsitque eâ occasione Yuo epistolam. (Yuo Carnot. epist. 166.)

Richardo Dei gratia Albanensi Episcopo & sanctæ Sedis Apostolicæ Vicario, Yuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister salutem, & obsequium.

Sicut de Regis excommunicatione grauiter doluimus, propter Christianæ Religionis detrimentum, ita de absolutione eius, si ad honorem Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ fieri posset, granditer gauderemus, propter eiusdem sanctæ Religionis incrementum. Vt autem secus fiat, quam sollicitudini vestræ à Domno Papâ commissum est, consulere non audemus, quia de rerum exitu sicut vos, ita & nos incerti sumus. Si autem diuina gratia cor eius ad pœnitentiam humiliauerit, consilium nobis videtur, vt coram positis quam-plurimis Episcopis publicè eum & solemniter absoluatis: quatenus sicut longè lateque patuit eius auersio, ita multorum Religiosorum testimonio publicetur circumquaque eius optanda reuersio. In quâ re satagendum erit diligentiæ vestræ, quatenus, qui pro amore iustitiæ, & obedientiâ Sedis Apostolicæ eius amicitiam perdiderunt, in reconciliatione eius redintegrentur ad gratiam. Consultum autem famæ vestræ melius credidissem, si alibi quam Senonis ista fieret absolutio; vbi cuique liceret liberè dicere, quod sentiret. De cætero ad Concilium denominatum gratanter ire desidero: sed contra Regis voluntatem, cuius odium iam per decennium tolero, quâ viâ, quo conductu, vel circuitu Trecas venire valeam, non inuenio; si ergo, vel per ipsum Regem, vel per Comitissam, aliquam mihi securitatem impetrare potestis, obnixè rogo, vt id facere studeatis. (Philippus I. excommunicatus.) (Senonibus absoluitur.) (Concil. Trecense.)

Conuentum habuit Belgentiaci Aurelianensis agri ad Ligerim oppidi, ac Synodum Trecis, de quâ idem Yuo Carnotensis in epistolâ citatâ; huius Legationis meminit Goffridus Vindocinensis epistolâ decimâ octauâ, qui de Radulpho Turonensi Archiepiscopo propter inhonesta verba conqueritur, apud Richardum Cardinalem Legatum. (Goffrid. l. 1. epist. 17.)

Richardo beatæ vitæ Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato Venerabili, Goffridus eiusdem Sedis seruorum minimus dilectionem & dilectionis seruitutem.

Fratre, quem ad Vos cum literis Domini Papæ misimus, referente didicimus Radulphum Turonensem dictum Archiepiscopum in præsentiâ vestri de nobis verbis inhonestis fuisse conquestum; quod si ita est, vehementer miramur, quia, vnde de nobis iustè conqueri debeat, ignoramus; mirâri autem, nec possumus nec debemus, si inhonestè loquitur; qui pene vniuerso mundo clamante, sed nullo adhuc vindicante, multa inhonesta & peruersa operatur. Veniat, si placet sanctitati vestræ, vobiscum Vindocinum, in alodium B. Petri, & Burgenses, quorum mercede conducitur, secum adducat: & quantum iustitia dictauerit, exequatur & accipiat.

Paschalis Pontifex anno M. CXI. captus ab Henrico Romam ingresso, quâ de re Ioannes Tusculanus misit epistolam Richardo. Pontifex Paschalis captiuus.

Ioannes Dei gratiâ Tusculanus Episcopus vices-agens Domini Papæ vincti Iesu Christi, Venerabili fratri Richardo Albano Episcopo in Domino salutem. Quoniam, sicut ait Apostolus, vnum corpus sumus in Christo, & si patitur vnum membrum, cætera membra compatiuntur, quæ de capite nostro & de totâ ferè Ecclesiâ gesta sunt, fraternitati tuæ significamus. Cum igitur Henricus Teuthonicorum Rex Suturum peruenisset, Legatos quosdam Romam direxit, qui iureiurando firmauerunt Domni Papæ Paschalis Legatos securè ducere ac reducere, & Regem ipsum sacramento firmare, omnem Ecclesiarum inuestituram penitus abdicare, obsides etiam dare, ne ad hoc flagitium iterum rediret, & res Ecclesiasticas & regalia, ac B. Petri patrimonia libera & quieta omnino dimittere, obsides etiam dare pro securitate; cum ad coronandum eum ad B. Petri Basilicam exiret. Postea ex parte Ecclesiæ, à Laicis viris firmatum est, si ista, quæ promissa sunt, iam dictus Rex obseruaret, quòd Domnus noster eum benignè susciperet, & ei diadema regni imponeret, & coronatus, si vellet, vrbem intraret. Pro transitu etiam pontis obsides accepit, pro quibus sacramentum exhibuit, quòd in ipso die Dominico, si pontem transiret, eos in liberam nostrorum restitueret potestatem. His igitur omnibus sacramentis ex vtrâque parte peractis & obsidibus datis, cum ad coronandum eum ad Ecclesiam B. Petri Papa exiret, postpositis sacramentis & dimissis obsidibus eum in ipsâ cum Episcopis & Cardinalibus & multis Romanis violenter cœpit, & in captione arctissimâ detinet. Romani vero post alterum diem collecti in hostes Ecclesiæ facientes impetum, de porticu fugere compulerunt, interfectis multis de suis & perditis equis, tentorijs, pecunijs, & infinitâ supellectili. Post hæc omnes vnanimes contra eum iurauerunt vno animo, vnâ voluntate impugnare. Tu igitur prudenter vigila, & quantò amplius necessarium conspicis, & vides, tantò magis elabora, & matrem Ecclesiarum omnium adiuuare ne desinas. Orationes pro liberatione Domini nostri, imò pro ipsâ Ecclesiâ, vbicunque potueris, fieri facias. Vale. Hoc autem factum est anno Domini M.C.XI. Indictione quartâ pridie Idus Februarij in Basilicâ sancti Petri Apostolorum principis die Dominicâ ante caput Ieiunij.

Seuert. in Chronol. Lug dun. ad 1100.

Seuertius animaduertit Richardum Cardinalem fuisse Abbatem sancti Victoris Parisiensis; verum nondum erat hæc Abbatia, quam Ludouicus VII. Francorum Rex, cognomento Crassus fundauit anno M.C. XIII. cuius primus Abbas Gilduinus, qui obijt anno M.C. LV. die Aprilis decimo tertio. E rebus humanis ereptus Richardus anno M.C. XII. cuius scutum est Andrij D. Victoris Massiliensis insigne.



Anno Christi M.LXX.

HVGO DIENSIS CARDINALIS
ALEXANDRO II.

M.S. Cabilonense.

Gregor. 7.l.1.ep. 69. Idem l.2.ep.43.

Censetur dignus summo Pontificatu.

Fulco Comes Andeg. absoluitur.

NEPOS Hugonis filij Odonis primi Burgundorum Ducis, est donatus Prioratu Monasterij sancti Marcelli Cabilonensis; hic Prioratus ab insulæ Barbaræ Abbatiâ in Arari prope Lugdunum dependebat, quæ quidem nunc temporis est sæcularis. Episcopus Diensis fuit inauguratus à Gregorio VII. vndecimo Kalendas Aprilis anno M.LXXIII. vt testatur ipse Pontifex quadam epistolâ, quam misit ad Guillelmum Equitem Diensem, & scribit ipsi Diensi in Delphinatu Episcopo anno sequenti consecrationis. Translatus ad Lugdunensem Archiepiscopatum, anno M.LXXX. post Gebuinum. Sancto Hugone Episcopo Gratiapolitano familiariter vtebatur. Cardinalium albo inscriptus ab Alexandro II. Semper à partibus Gregorij VII. stetit contra Clementem III. Antipapam, quare triduo, priusquam Salerni è vita decederet Gregorius à Cardinalibus & Episcopis, qui aderant, rogatus, vt mentem de successore in Petri Cathedrâ aperiret, *legite*, inquit, *ex his tribus vnum, aut Desiderium Cardinalem, aut Hugonem Lugdunensem, aut Othonem Ostiensem*; ex quibus lectus Romæ omnium calculo, licet inuitus, Desiderius huius nominis Papa Victor II. in festo Spiritus sancti, nono Kalendas Iunij, post septemdecim menses ab obitu antecessoris. Hugonem Yuo Carnotensis Episcopus vocat in epistolis virum Religione, prudentiâ & auctoritate mirabilem.

Legati in Gallijs personam sustinens absoluit Comitem Fulconem Andegauensem, in præsentiâ Adelberti Archipræsulis Bituricensis, &

Goffridi Abbatis Vindocinensis, anno M.XCIV. die sancto Ioanni Baptistæ sacrâ, in Andrio sancti Florentij iuxta Salmurium ad Ligerim. Hic Fulco I. nomine Rex Hierosolymitanus Hierosolymis collo reste apposita famulis à tergo flagris cædentibus pœnitentiam egit. Hugo Diensis Episcopus M.LXXVII. & Hubertus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus Legati missi cognoscendæ ergò causæ Dolensis Episcopi in Britannia minore: mandante Gregorio VII. Synodum celebrauit Lingonibus in Gallia, cui præfuit ipse Diensis Legatus, & interfuit Hugo Abbas Cluniacensis ad inuestituras Laicorum prohibendas.

Maxima eius Pœnitentia.

Concil. Lingonense.

Gregorius Pontifex scripsit anno sui Pontificatus sexto Hugoni contra Archipræsulem Viennæ. Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Hugoni Diensi Episcopo & Hugoni Cluniacensi Abbati salutem. Vos summoperè studium adhibere mandamus admonendo, quatenus finem imponere procuretis negotijs. Vnde Rhemensis Archiepiscopus Manasses confrater noster suis litteris nobis conquestus est de confratre nostro Archiepiscopo Viennensi Vvarmundo, qui in suo Archiepiscopatu Presbyteros deposuit, & eosdem restituit. Datum ad sanctum Germanum XI. Kalendas Septembres, anno M.LXXVIII. Hic Apostolicus Legatus in Concilio Lugdunensi Prouinciali deposuit Manassem Archipræsulem Rhemensem, anno M.LXXX. sub finem anni, quia sæpius Romam vocatus ire renuisset. Celebratum est anno M.LXXXI. ab Hugone Concilium, in quo alter Hugo creatus Præsul Gratianopolitanus, antea Canonicus Valentinensis, postea Cartusiam ingressus sanctum Brunonem sanctissimi Cathusianorum Ordinis fundatorem sequutus. Eodem anno habita ab eodem Legato Synodus Meldensis, in quâ deponitur Suessionensis Episcopus Theobaldus de Pierre-pont, & in locum eius sufficitur B. Arnulphus Pamelius ex Abbate sancti Medardi Suessionensis, quem Hugo consecrauit iussu Gregorij VII, non (vt ait Sigebertus) Suessionico Pontifice defuncto, sed deposito Theobaldo.

Vvarmūdus Viennen. Archiep. accusatur.

Manasses Rhemensis deponitur.

Hugo Gratianopol. sequitur S. Brunonem.

Refellitur Sigebertus.

Impeditus Hugo ab Imperatore Henrico, ne ad Synodum Lateranensem accederet anno M.LXXXIII. cuius meminit Bertoldus; Religiosissimos, inquit, Monachos & Clericos in captiuitate fecit cruciari Henricus, multi tamen ex Francigenis ad Romanam Synodum, tam Episcopi quam Abbates peruenerunt, meliores autē Episcopi Domno Apostolico magis necessarij, Hugo Lugdunensis, Anselmus Lucensis, Reginaldus Comanus specialiter ab Henrico prohibiti fuêre.

Bertoldus in Diario.

Yuo Carnotensis ad Vrbanum II. scripsit, anno M.XCIX. vt in Gallias Legatus mitteretur sequenti anno, precibus eiusdem Yuonis exoratus Vrbanus constituit Legatum Hugonem Lugdunensem; verum renitebatur propter Philippum I. Regem, de quo postea. At Yuo eundem hortatur & persuadet, dum hæc scribit. Audiui Dominum Vrbanum Legationem Apostolicam tuæ credidisse caritati, quâ laudabiliter functus es tempore prædecessoris sui beatæ memoriæ Papæ Gregorij, audiui, & lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.

Yuo egregius defensor Ecclesiæ. Yuo ep. 18.

Legatus Vrbani Pontificis Episcopos Prouinciæ Senonensis in se ipsum commouit, dum electum Niuernensem Episcopum, absque verâ ne-

cessitate, extra Prouinciam Augustodunensem vocauit consecrandum, propter antiquum morem, & Ecclesiæ statutã consuetudinem. Mandat ei, vti Legatus Sedis Apostolicæ omni compellat ratione Aquensem Archipræsulem, vt Narbonensi Archiflamini suo primati se summittat, & debitam deferat obedientiam.

Naibonensis Primas

Hugo & Richardus Abbas Massiliensis Schisma excitant in Ecclesia, anno M. L XXXVII. non potiti votis Pontificatus Romani, ad quem diu clàm inhiabant, inquit, Cardinalis Baronius, excitato schismate sub Victore III. Pontifice, qui præcepit, ne alij ijs cõmmunicarent, quia Ecclesiæ Romanæ communione sua se sponte priuarunt; verum postea pœnituit Hugonem sui facinoris, anno M.XCIV. Legatus Sedis Apostolicæ Synodo Claromontanæ interfuit restitutus ab Alexandro II.

Baron. in Victore 3.

Apud Hugonem Sedis Apostolicæ Legatum conqueritur Yuo de Ioanne puero Aurelianensis Ecclesiæ Archidiacono ad eiusdem Ecclesiæ Episcopatum promoto, die sanctorum Innocentium, vnde quidam tun cocatus Aureliæ Canonicus.

Yuo.ep. 122.

Eligimus puerum Puerorum festa colentes.
Non nostrum morem, sed Regis iussa sequuti.

Querimonia de Episcopo Aurelianen. iuuene.

Rege Philippo assentiente, & Archiepiscopo Turonensi Rodulpho promouente (de quo Archipræsule horrenda cogitatu narrat, & dictu turpia idem Yuo.) Ipse Archiepiscopus pro adolescente illo probrosо hunc præsulatum Aurelianensem ipse Aurelianensis dono acceperat à Phillippo ob coronam Regni ipsi impositam contra Vrbani II. interdictum, quorum omnium etiam meminit idem Yuo, in vltimâ, quam ad Vrbanum scripsit, epistolâ.

In eâ Synodo Claromontanâ (de quâ libro 1. in Vrbano II.) conclusa fuit expeditio in Infideles Antiochię & Hierosolymorũ ac Palęstinæ Dominos. In eadem, excommunicatione perculsus Rex Francorum Philippus ob repudiatam à se legitimam vxorem, Monasterio reclusam, & aliam sibi affinem superinductam Fulconis Comitis Andegauensis vxorem. Anno sequenti adest Maioris-Monasterij dedicationi factæ ab Vrbano, qui grauiter offensus Yuoni Carnotensi, ob Hugonem Legatum; propterea Yuo Episcopatum linquere in animo habuit, illud idem ab Vrbano poposcit epistolâ sexagesimâ octauâ.

Excommunicatur Rex Philippus

Anno M.XCIX. Concilio Turonensi præsens adfuit, Præside eodem Vrbano Pontifice; ipse Yuo Hugonem Legatum reprehenderat, quòd audacter multa exigeret, & quòd, cum Petri vteretur auctoritate, Petri tamen immemor esset doctrinæ dicentis, *Neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo*; querela orta inter Hugonem Lugdunensem & Yuonem Carnotensem super consecratione Daimberti Archiepiscopi Senonensis, quem Yuo solùm tempore proximi ieiunij consecrandum aiebat, non autem Dominicâ post electionem, vt Ecclesia Senonensis in votis habebat.

Yuo epist. 66.
S. Petri ep. cap. 5.
Daimbertus Archiep. Senonen. consecratur.

Sanctus Anselmus natione Gallus Becij in Neustria Monachus, Priore Lantfranco, postea Primas, & Archipræsul Cantuariensis Ecclesiæ, multoties

tosies apud Hugonem Lugduni est hospitatus, dum exularet ab Ang... ob VrbanumPontificem, quem contra Guillelmum Angliæ Regē defendebat, bis iter habens Romam, vt pluribus describit Edinerus. Romanæ peregrinationis D. Anselmi indiuiduus fuit comes, in Barcensi Concilio, cui inter fuit Anselmus, differre excommunicationis sententiam in Angliæ Regem Guillelmum latam tentauit omni conatu.

Vitam deserit mortalem Nonis Nouembris, anno M.C.III. Salaminæ, seu Famagostæ in Insulâ Cypri, cùm ad expeditionem in Turcas se contulisset, ibique per aliquot annos remansisset.

Insigne Hugonis Diensis Archipræsulis Lugduni, est scutum eiusdem Ecclesiæ Lugdunensis coccineum cum Grypho aureo bipartitum Leone aureo in area miniata, estque ciuitatis Lugdunensis.



BERNARDVS ABBAS MASSILIENSIS DIACONVS CARDINALIS ALEXANDRO II.

Anno Christi M.LXX.

COMMEMORAMVS Bernardum Monachum Cluniacensem, & Abbatem sancti Victoris Massiliensis instituti Benedictini, fratrē Richardi Cardinalis (qui debuit subsequi) ornatum Cardinalatu tit. Diaconatus ab Alexandro II. Pontificatu Gregorij VII. Legationem maximi momenti vnà cum Bernardo Papiensi Diacono Cardinale in Germaniâ habuit, anno M.LXXVII. tertio Idus Martij, ad Principes Imperij in Forcheim congregatos; dum illæ querelæ ob libertatem Ecclesiasticā inter Gregorium VII. & Henricum IV. anathemate notatum vigerent, ex Lamberto eius temporis auctore. In locum suffectus fuit Rudolphus Dux Sueuorum, anno eodē à nonnullis Germaniæ Principibus, & Electoribus Sigefrido Moguntino (qui antea à partibus Henrici stabat) & Annone Coloniensi, ac Edone Treuirensi electus Rex Teuthonicorum, & salutatus præsente Bernardo vtroque Cardinale Legato, cuius rei nuntio accepto lætus fuit Pontifex. Henrici asseclæ contra ius gentium Legatum Apostolicum Bernardum Massiliensem in Germaniâ captiuum detinuerunt. Anno M.LXXX. Grego-

Rudolphus Rex salutatur.

rius coronam Rudolpho misit, cum hac epigraphe.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Coronatur. Perdit dextram & moritur.

Coronatus est hoc diademate à Sigefrido Archipræsule Moguntino. Verum Rudolphus ab Henrico, post acres ac varios conflictus & bella per quatuor annos continua in nouissimo prælio dextræ iacturam fecit apud Martilburgum, & ductus Herbipolim perijt; quâ elatus victoriâ Henricus Rauennatem Archiepiscopum domus suæ Cancellarium, nomine Gilbertum de Corrigia Antipapam eligit, & Clementem III. vocitat, Romamque contendens, & eâ per vim captâ Pontificem Gregorium à Sede deturbare conatur, qui Salernum se recipit, paulóque post obijt octauo Kalendas Iunij, anno M.LXXXV. in Ecclesiâ Cathedrali, quæ est sancti Matthæi, marmoreo cœnotaphio tumulatus, cuius acerrimi libertatis Ecclesiæ Defensoris corpus quingentos circiter post annos sacris & Pontificalibus amictum vestibus, ac ferè integrum à Marco Antonio Columna Archipræsule Salernitano repertum, anno M.D.LXXIII. Gregorio XIII. Pontifice. Porro Henricus IV. hostis Ecclesiæ bis & sexagies dimicauit: tandem Leodij moritur, Spiram delatum corpus quinquennio Christianâ caruit sepulturâ.

Henricus In pugnis sexagies dimicauit.

Ad hunc Cardinalem scripsit Gregorius VII, literarum est initium. Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Bernardo S. R. E. Diacono ac Massiliensi Abbati salutem in Domino. Ad eundem epistolas misit Yuo Carnotensis contra Gauterium, quondam Bonæ-vallis Abbatem, qui Ecclesiam suam reliquerat, est quarta ordine epistola. Aliam misit doctissimam epistolam ad eundem, de ordinatione Pontificis & benedictione Abbatis & professione.

De eiusdem virtutibus sic loquitur Trithemius. Bernardus Abbas Massiliensis & S.R.E. postea Cardinalis, vir vndequaque doctissimus vitâ & conuersatione valde Religiosus, in causis Ecclesiasticis sæpe Legatus industriam suam ostendit; huius meminit Guillelmus Hirsaugiensis Abbas in prologo Monasticæ institutionis, vt pote viri doctissimi & singulariter deuoti. Claruit temporibus sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi.

Extremum obijt diem, decimo tertio Calendas Augusti, anno reparatæ salutis M.LXXIX. post Legationem Germanicam, quæ plures durauit menses. Eius obitum refert Bertoldus Constantiensis sæculi auctor anno M.LXXIX. In hac æstate Venerabilis Abbas Massiliensis Bernardus vir plenus caritate requieuit in pace decimo tertio Calendas Augusti.

Bertoldus in append. ad Herman.





GIRARDVS CARDINALIS EPISCOPVS OSTIENSIS ALEXANDRO II.

ANNO CHRISTI M.LXXI.

MONACHVS & maior Cluniacensis Monasterij Prior, vir piissimus, in locum Petri Damiani suffectus, qui Episcopatum, & Cardinalatū libens volens reliquit amore anachoreseos incensus, anno Domini M.LXV. & vitâ functus LXXII. octauo Kalendas Martias. Girardū Petrus Damianus diu multumque expostularat Successorem, quod non obtinuit viuens, mortuus est consecutus. De eo sic Bertholdus Constantiensis in appendice ad Hermannum Contractum. Girardus, inquit, reuerâ Monachus, scientiâ scripturarum insignis, & moribus suo Prædecessori non impar.

Mors Damiani.

Berthold. Constant. in appēd.

Multis pro Ecclesiâ celeberrimis functus est legationibus; primò in Gallias missus ab Alexandro II. vnà cum Raimbaldo Romanæ Sedis Subdiacono, Synodumque celebrari curauit ad Cleri mores reformandos. Tunc nūtium accepit defuncti Alexandri II. & Hildebrandi ad Pontificatum promoti cognomento Gregorij VII. Nostri in Gallijs Legati Girardi Ostiensis Episcopi meminit Goffridus Vindocinensis Abbas in epistolâ ad Cononem Legatum. Est notatu dignum Cononem Paschalis II. etiam in Franciâ fuisse Legatum Cardinalem Prænestinum, natione Germanum, triaque habuisse Concilia anno M.C XV. primum Rhemis, alterum Bellouaci, tertium. Catalauni.

Goffridus Vind. l.1. ep.18.

Chron. Turon. Varia Concilia.

Porrò non confundendus hic Girardus cum Girardo Engolismensi Episcopo Legato, qui in totâ Galliâ Legati partes non sustinebat, sed in Aquitaniâ duntaxat, quod docent acta Synodi Lateranēsis anno M.C.XXII. Aquitaniæ Legatis, præter Aquitanicas Prouincias attribui solebat etiam Tertia Lugdunensis. Quo fit, vt cum Girardo Aquitaniæ Legato multa tractētur, quę ad Tertiæ Lugdunensis diœceses pertinebant, vt apud Goffridum Vindocinensem causę Abbatum sancti Albini, & sancti Nicolai, & apud Ildebertum causa Abbatis Ebronensis, vulgo *S. Marie d'Euron*; quorum hic in Cenomanensi erat Episcopatu, illi in Andegauensi. Hoc ipsum liquet ex litteris Amati Episcopi Olorensis, qui Aquitaniæ item fuit Legatus pro Gregorio VII, vt Gregorius ipse testis est; hic enim ad Rodulphum scribens

Legati Aquitanici quàm extensi.

Goff. Vind. ep. 6.& 20. Ildebert. ep.38. Gregor. 7. l. 11. ep. 11.

Archiepiscopum Turonum,ei,vt ad Synodum Burdegalensem cum Suffraganeis suis veniat;præscribit.

Secundò mandatus Girardus Ostiensis à Gregorio VII. in Hispaniam, cuius comites Hubertus Episcopus Prænestinus Cardinalis, nec non Ratholdus Nouiomensis Antistes,huius postremi meminit Gregorius; & ad ipsum Ratholdum scripsit Diuæ Godelinæ anno M.LXX. vitam Drogo Monachus.

Idem l. 2 ep. 56. & l. 9. ep. 14 Surius in vita S. Godelinæ.

Tertiò in Germaniam ab eodem Pontifice legatur ad Henricum IV, vt ipsum commonefaciat de eluendâ labe symonicâ, cum Sacerdotia, & Dignitates Ecclesiasticas haberet venales, hoc vitio laborabat Episcopus Bambergensis: magis excanduit Cæsar, reque infectâ,discessit Girardus. Hinc ortæ graues inimicitiæ & odia inter Gregorium & Henricum;verum post aliquod temporis spatium rediјt ad Regem,adfuitque Canusino Conuentui (oppidum erat agri Regiensis Mathildi Comitissæ subiectum) vbi pax composita inter Pontificem & Henricum, rogatu eiusdem Mathildis, & sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis, cui Cluniaco præfuit sexaginta annos,obijtque centenarius. Pacis breui ruptæ plures prætendens causas ob Conuentum Canusinum Ludouicus omnem mouet lapidem contra Gregorium.

Initium dissidij inter Gregor. 7. & Ludouicũ 4.

B. Hugo Cluniacen. centenarius.

Quartò in Galliã venit;Turonibus enim eũ fuisse præsentem in colloquio contra Berengarium testatur idem Gregorius VII; Synodum in Nouempopulis coegit ex eodem Gregorio. Deinde in Saxoniam profectus, capitur ab Henrico contra fidem datã,inquit Bertholdus Constantiensis,& vinculis traditur;sollicitatur de Gregorio deserendo & Clemente III. Gilberto de Corrigia Henrici Cancellario Antipapâ honorando, ad quod nullatenus adduci potuit. Hic Clemens Archiepiscopus primò Rauennas, viginti & vnius annorum interuallo Antipapam egit contra Gregorium & tres ipsius Successores puta Victorem,Vrbanum,Paschalem,Henrici fultus auxilio.Postquam enim Gregorius à toto orbe Christiano pluriũ annorum intercapedine summus Pontifex fuisset habitus, hoc Ecclesiæ monstrũ anno M.LXXX. genitum, ab Henrico Imperatore Clemens III. nuncupatur:de cuius consecratione,ne dixerim execratione, Domnizo in vitâ Comitissæ Mathildis hos habet versus,quales illa fert ętas.

Greg. 7. l. 1. ep. 16. Bertold. Const. in ep. ad Herman.

Clemens Antipontifex 21. annorum spatio.

In Cathedraque locant hunc: Clemens falsò vocatur
Hic est Guibertus fallax, Vastator apertus
Ecclesiæ Christi: merito quem signat abyssi
Bestia, quam vidit dilectus in Apocalipsi.

Apocalip. 11.

Mortui Clementis Antipapæ Cadauer Rauennæ sepultum exhumari, comburique præcepit Paschalis II.

Clemenus cadauer comburitur. Berthol. loco cit.

Vitæ finem imposuit Girardus Gregorij VII.Pontificatu, anno M.LXXVII, nono Idus Decembres, de quo Bertholdus Constantiensis in appendice citatâ; Girardus Venerabilis Episcopus Ostiensis iamdudum sæculo viuus, mundo crucifixus. De huius vitæ ergastulo liberatus est, nono Idus Decembris.



GVITMVNDVS MONACHVS CRVCIS S. LEVFREDI CARDINALIS. ALEXANDRO II. Anno Christi. M. LXXI.

OMISIT Alphonsus Ciaconius Guitmundum, ab Alexandro II. Cardinalem creatum, natione Gallum, Archiepiscopum Auersæ ex cuius reliquiis fuit condita, olim Atollis in regno Neapolis, anno M. LX. Monachismum professus est in Andrio crucis sancti Leufredi Ordinis Benedictini, Diœcesis Ebroicensis, quod etiam Madriacense appellatum inuenio. De eo verba facit Guillelmus Malmesburiensis in vita Guillelmi I. Guillel. Malm. l. 3. de Gestis Angl. Guitmundus priùs Monachus de sancto Leufredo Normanniæ, postea Episcopus Auersanus Apuliæ, nostri temporis eloquentissimus. Inter cæteros scripsêre hac tempestate in Berengarium, Adelmarius Leodiensis Episcopus, Brixianus Fulberti Carnotensis Episcopi auditor, & eiusdem Hæresiarchæ condiscipulus, Hildebertus Cenomanensis, postea Turonensis Archiepiscopus, Guitmundus crucis sancti Leufredi Monachus Episcopus Auersanus. Porro huiusce Cardinalis etiam meminit Pannuinus in epitome; & mentio eiusdem habetur in sexto Bibliothecæ Patrum tomo, vbi ipsius scripta Cardinalis inseruntur titulo insignita, quem Nomenclator Cardinalium refert in ipsorum numerum. Petrus Pictauiensis de eo in Apologia, quam in Diuum Bernardum conscripserat.

Guitmundus ipse oblatum à Rege Anglorum Guillelmo huius nominis primo Episcopatum in maiore Britanniâ, acceptare detrectauit; dum grassaretur Berengariana hæresis: doctissimos euulgauit libros super hac materiâ, alios eiusdem temporis pientissimos & literatissimos viros imitatus; qui de eadem stylum exacuerunt in illum Hæresiarchā. Petrus Cluniacensis præfert Guitmundum Lantfranco Archiepiscopo Cantuariensi in eo scriptionis genere, sic enim loquitur: Lantfrancus scripsit de sacrificio Eucharistiæ benè, plenè, perfectè, Guitmundus meliùs, pleniùs, perfectiùs. Algerus optimè, plenissimè, perfectissimè. Vixit tempore Gregorij VII. vt ipsemet Guitmundus fidem facit. Arnaldus Vion notat Trithemium hallucinatum æquiuocatione nominum, Normanni & sanctæ Cru-

Petr. Cluniac. li. de sacrif. — Guitm. li. 1. de euch. — Vion lib. 2. ligni vitæ.

Refellitur Vion. cis, sicque fecisse Francum pro Italo; at nullo nixus fundamento hoc asserit Vion, cum Abbatia crucis sancti Leufredi sit in Ebroicis Neustriæ, quæ est Prouincia Gallicana. Opera Guitmundi Cardinalis hæc habentur.

Libri tres de corpore & sanguine Christi in Eucharistiâ aduersus Berengarium; in horum librorum secundo, notatu dignum reperio Guitmundum reprehendi solere, quòd ipse negauit species Sacramentales vere corrumpi posse putreflerique, quod potest sine iniuriâ Corporis Dominici admitti. Bellarm. l. de scri-pt. Eccles.

Confessio de sanctâ Trinitate, Christi humanitate, corporis ac sanguinis Domini nostri veritate.

Oratio ad Guillelmum I. Anglorum Regem, cum Episcopatum recusaret.

Ad Rogerium Monachum contra errores Berengarij.



YVO ABBAS S. MELANII RHEDONENSIS CARDINALIS. GREGORIO VII.

Anno Christi. M LXXXIV

APVD Armoricos ortum Yuonem (Pritonibus Euen) legimus, sancti Melanij Rhedonensis Monasterij à Salomone Armoricæ Britanniæ III. & vltimo Rege fundati Cœnobiarcham.

• Benno Cardinalis, vel quispiam infensus Ecclesiæ, auctor vitæ Gregorij VII. notat hunc Yuonem se contulisse ad Clementem relicto Gregorio: Cardinalem Diaconum postea S. R. E. Archidiaconum creauit Gregorius VII. (illo defuncto, nullus in Romanâ Ecclesiâ Archidiaconus recensetur) postea eidem concessit titulum sanctorum Syluestri, & Martini in montibus.

Antistes Dolensis. Episcopus fuit Dolensis in Britanniâ Minore, Gilduino tantum electo, renunciante, qui ob ætatis defectum cessit, Yuoque à Gregorio Summo Pontifice consecratus, anno M. LXXVI. Cathedralis Ecclesia est sacra D. Samsoni I. huius Sedis Episcopo, cuius sacer cinis Aureliæ, in Prioratu sui nominis. Olim per multos annos Dolensis Archipræsul est habitus, S. Samsone Anglo insignia Archiepiscopatus afferente, non Eboraco vrbe, sed Meneuia Cambriæ, nunc Walliæ ciuitate in Maiore Britannia, anno D. LVI. Olim Archiepisc.

Ius pallij concessum à Pelagio I. Pontifice, postea confirmatum à Nicolao I. in gratiam Salomonis Britanniæ Principis. Hinc excitata inter ipsum Salomonem, & Carolum huius nominis III. Franciæ Monarcham controuersia, definita à Ioanne VIII. in fauorem Turonensis Metropolitani, ipsi subijciente nouem Episcopos minoris Britanniæ. Quâ de re legitur Canon, & Bulla Bonifacij VIII. tempore Theobaldi Dolensis Episcopi, & Ragi de Montbason Archiepiscopi Turonensis.

Controuersia inter Archiep. Turon. & Episc. Dolen. Canon hæc quippe 3. q. 6.

Præclaram super eâ contentione scripsit epistolam Lucio III. Summo Pontifici Philippus II. Francorum Rex cognomento Augustus, & Adeodatus manu & calamo Stephani III. sanctæ Genouefes Lutetiæ Archimandritæ, postea Tornacensis Præsulis exaratâ, cuius sunt verba. Si obliuisci potuerit mater filiorum vteri sui, & Ecclesia Romana Regni Francorum obliuionem assumet, cum vtrumque de iure sit impossibile, de naturâ difficile, de facto enorme. Quid enim vltra facere debuimus matri nostræ, & non fecimus ei? vsque in hodiernos dies in partibus nostris cum gaudente gauisi sumus, cum flente fleuimus, vtrumque calicem passionis & lætitiæ siue simultatis idolâ, aut discordiæ combibentes. Persecutiones ipsius, quæ frequentius acciderunt, Patres nostri Reges Francorum & robustis portabant humeris & extentis brachiis defendebant. Exempla proponere retractare est beneficia, quorum debetis, in quem collata sunt, non qui contulit, meminisse. Et quoniam hæc alia melius nostis Pater, & tam persecutionis alienæ, quam vestræ, in sanctæ memoriæ patre nostro consolationis participes fuistis. Securiori confidentiâ vobis exponimus ea, quæ ad coronæ nostræ gloriam, vel eius ignominiam, & iacturam respiciunt, vt de plenitudine consilij, & auxilij vestri solatium reportemus. Turonensem Ecclesiam nostram semper, ac Patrum nostrorum fuisse, & præsentium memoria tenet, & priscorum annalia profitentur. Totius Britanniæ minoris Metropolitanus hactenus extitit, qui Turonensi præfuit Ecclesiæ, & in ipso partes extremæ Regni nostri vsque ad Oceanum requiescunt. Ecce Pater diebus adolescentiæ nostræ nos impugnant, non solum, qui armatam militiam exercent, sed & qui in sorte Domini vocantur, Clerici Dolenses, forte non sine dolo dolorem nobis inferre conantur, in tenero capite nostro coronam antiquam confringere molientes; charissimum & fidelem nostrum Archiepiscopum Turonensem suggestione quorundam & fauore, vt dicitur, cuiusdam infra breuissimi temporis angustias vocastis, vt de causâ, quæ magis nostra est, quam sua respondeat, & statum coronæ nostræ in ancipiti staturâ ponat: periculosum sanè & ignominiosum nobis & posteris, qui succedent. Proinde Sanctitati Vestræ preces ex toto corde prodeuntes fundimus, vt intuitu Dei, & pacis regni Francorum, quæ hoc articulo, si processerit, peritura est, à causa ista penitus desistatis. Sed sicut temporibus Antecessorum nostrorum Turonensis Ecclesia suum in totâ minori Britanniâ Metropolitanum obtinuit, ita diebus nostris, quos perturbare nec debetis, nec vultis, obtineat & obseruet. Quòd si forte, quod non credimus, inexorabilem vos inuenerimus vsque ad congruum tempus, quo Dominus pacem & quietem regno nostro dare voluerit, Archiepiscopo nostro Turonensi dilationes indulgeat Benignitas vestra, quo-

Apud Stephan. Tornac. in ep. ad Luciũ 3.

Regum Francorũ beneficia R. E. collata.

niam propter necessarias regno nostro causas cum retinuimus. Primo propter difficillimam, quam cum Comite Flandriæ guerram habemus. Secundò propter motus plusquam ciuiles, qui in Prouinciâ Britanniæ insurgunt inter Principes eiusdem Prouinciæ, & Regis Anglorum filios. Tertiò propter proximum colloquij terminum, quem cum Imperatore post Pascha Deo volente, sumus habituri. In quibus omnibus ipsius Archiepiscopi industriâ, præsentiâ, consilio & auxilio indigemus. Sciat autem Paternitas vestra, quoniam in generali Conuentu nostro, quem in initio Quadragesimæ propter hanc causam, & alias regni necessitates Parisijs conuocauimus, consilio Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Baronum nostrorum prædictum Archiepiscopum ab incœpto itinere retinuimus, vt pote necessarium nobis, & vtilem rebus incœptis & per Dei gratiam ad honorem regni nostri peragendis. Fideles nostros præsentium latores Abbatem de Sarquocello, & magistrum P. familiarem, & Clericum Parisiensem nostri & nostrum vobis transmisimus, vt in his, quæ ex parte nostrâ vobis dixerint, fidem eis habeatis, & per eosdem voluntatem vestram nobis, si placuerit, remandetis.

Episcopi ordo seruandus in sessione. Concil. Carthag. ca. 83. Afric. c. 53. Cabil. c. 6.

Idem Episcopus Dolensis in Ordinum Prouinciæ generalium Comitijs, sibi principem locum inter Præsules vendicat, aliâs secundum ordinationis tempus, ei locus capiendus ex Conciliis Carthaginensi IV. Africano, & Cabilonensi tempore Eugenij II.

Vitam cum morte commutauit Yuo decimo septimo Septembris, anno M.LXXXI. Eius mentionem fecêre Gregorius VII. in epistolis, & Innocentius III. in bullâ, anno sui Pontificatus primo datâ.



ANNO CHRISTI, M. XCIV.

GOFFRIDVS VINDOCINENSIS CARDINALIS S. PRISCÆ IN MONTE AVENTINO. VRBANO II.

VINDOCINENSIS Abbas ab Yuone Carnotensi Episcopo inauguratus, ordine & numero v. mortuo Bennone Abbatiæ sanctæ Trinitatis Ordinis Benedictini, in Diœcesi Carnotensi fundatæ à Goffrido Martello, anno reparatæ salutis, M. XLII. creato illic I. Abbate Rainaldo. Natus

porrò fuit Goffridus in Andegauis genere imprimis claro, & nobili; Rainaldum Cerdonis Dominum, consanguineum suum vocat in epistolis. Educatus est à Guarnerio Archidiacono Andegauensi, magistroque vsus Guillelmo, cuius meminit in libris à se editis. Genere nobilis. Goffrid. l. 4. epist. 2. & 7.

Romæ Presbyter sacratus ab Vrbano II. quem Guibertinæ factionis metu latitantem immortali beneficio deuinxit, pecuniâ, vnde Lateranum, & turrim Crescentiam paulò ante ferias Paschales redimeret, affatim collatâ. Quo nomine primus omnium pedem Vrbano, in Sede Pontificiâ cum Laterano restitutâ, osculatus est. Vrbanus 2. initiat Goffridū Presbyt.

In Collegium Cardinalium cooptatur ab Vrbano II. eodem anno M.XCIV. datusque ei titulus sanctæ Priscæ. Vindocini Cœnobiarchæ hoc titulo donabantur. Vt primùm enim quis creabatur Abbas, non aliâ Pontificis obtentâ facultate, sanctæ Priscæ Cardinalis censebatur; hoc priuilegio illustri & inusitati exempli prærogatiuâ ab Alexandro II. concessâ. Alexandri hæc sunt verba, in literis ad Odericum Abbatē Vindocinensem, anno M.LXII. Concedimus etiam omnibus huius loci Abbatibus Ecclesiam B. Priscæ cum dignitate Cardinalitiâ sancti Spiritus iudicio decernentes, vt nulla deinceps Ecclesiastica sæcularisve persona prædictam B. Priscæ Ecclesiam, seu Ecclesiæ dignitatem eis auferre qualibet occasione præsumat; eidem Oderico Abbati beneficium confirmauit Gregorius VII. anno M.LXXIX. Vrbanus II. Goffrido nostro, & Honorius II. eandem prærogatiuam sartā voluit diplomate Romæ dato, nono Kalendas Apriles, anno M.CXXIX. Vindocinenses Abbates Cardd. S. Priscæ.

Possessio illis adempta, nescio quo fatò, an negligentiâ, & incuriâ. Demum intermissam possessionem restituit Innocentius III. Hamelinc Abbati, qui VII. fuit à Goffrido cum hac conditione, vt si quando eiusdem tituli Cardinales alij crearentur his parerent, quartamque prouentuum partem penderent ij, qui B. Priscæ Ecclesiam pro Vindocinensibus administrarent. Audiamus ipsissima Innocentij verba. Licet autem Antecessores nostri Ecclesiam sanctæ Priscæ in monte Auentino sitam cum omnibus pertinentiis suis, & Cardinalitiâ etiā dignitate, prædecessoribus tuis duxerint concedendam, sicut in ipsorum priuilegiis perspeximus contineri: quia tamen post aliqua tempora per incuriam & neglectum eorum, ipsa Ecclesia destructionem, & desolationem incurrit; quidam prædecessorum nostrorum eam diuersis temporibus diuersis Cardinalibus assignarunt, quos ad titulum eiusdem Ecclesię promouerunt. Nos vero tuo volentes honori deferre, de consuetâ Sedis Apostolicæ benignitate concedimus, vt dignitatem, quam Antecessores tui ex concessione ipsius Ecclesiæ sunt adepti, tu & successores tui nihilominus habeatis. Sandaliorum vsum, tunicæ & dalmaticæ, mitræ & annuli, sicut eis Presbyteri Cardinales vtuntur, Vobis in perpetuum authoritate Apostolicâ confirmamus, ipsamque B. Priscæ Ecclesiam Vindocinensi Monasterio de speciali gratiâ restituimus: hoc adhibito moderamine, vt si forte Nos aut Successores nostri Presbyteros Cardinales ad eius titulum duxerimus promouendos, pro eâ maximè causâ, vt super altare B. Petri consuetum agant officium. Sicut à sanctis Patribus prouidâ fuit deliberatione statutum, hi quibus pro tempore curam & administrationem ipsius Ecclesiæ commiseritis, eisdem Intermissa possessio. Restituit Innocentius. Priuilegia Abbatum Vindocinen.

Cardinalibus debitam impendant obedientiam humilem & deuotam. Qui videlicet Cardinales de prouentibus Ecclesiæ eiusdem percipiant quartam partem: vos autem de ipsa Ecclesia geratis sollicitudinem diligentem, ne per vestram incuriam in solitudinem iterum redigatur, quia priuilegium meretur amittere, qui permissâ abutitur potestate.

Card. S. Priscæ ordinarij & extraord.

Ex his liquet geminos fuisse B. Priscæ Cardinales, alios ordinarios, quos Pontifices designabant, alios extra ordinem perpetuos ac velut natos Abbates Vindocinenses, illos munere & officio, hos titulo tenus & dignitate. Miror cum hodie nec B. Priscæ Ecclesiam retineant, nec dignitatem, quam tamen Constantiensis Concilij tempore adhuc retinebant, quomodo Vindocini Abbates ius antiquum, & singulare ab antiquis Pontificibus datum non requirant, & pristino suo honori, & priuilegio restituantur Christianissimi Regis protectione, & eiusdem apud Pontificem summum expostulatione.

Vnde digressi sumus redeamus, Goffridus in Gallias reuersus, Salmurium ad Ligerim, eodem ipso anno, qui fuit Christi M. XCIV. ab Hugone Legato, ad Fulconis Rechini Comitis expiationem accitus est; tum sequenti mox anno ad celeberrimum apud Aruernos Concilium ab Vrbano vocatus interfuit: adfuturus etiam Lateranensi Paschalis II. & Romano item Callisti II. à quibus pariter euocabatur; nisi alterum iter, breuitas temporis, alterum hyemis asperitas exclusisset. Vrbano sanè, quoad vixit, vnici filij adinstar carus fuit; quem etiam Vindocini, ac postea Paschalem vndenûm dierum spatio hospitem habuit. Callixto autem veteri necessitudine coniunctus, & quod vtriusque mutuæ Epistolæ ostendunt, intimus fuit. Quo præterea in numero apud Ludouicum VI. Regem Goffridi nomen fuerit, hoc declarat, quòd à Rege delectus est cum Radulpho de Belgentiaco (vno inter præcipuos Hierosolymitanæ militiæ Duces) Almarico de Monte-forti, Hugone de Cleerijs milite Andegauensi Fulconis ad Ludouicum Regem eâ de causâ Legato, delectus inquam inter arbitros controuersiæ, quæ de Maioratu & Senescalia Franciæ ab Andegauorum Comite Fulcone Rechini F. mouebatur.

Goffridus in Concilio Claromont.

Vrbanus & Paschalis Pontifices Vindocini.

Monasterium summâ curâ & vigilantiâ rexit: ita vt nullum illo totâ Galliâ (quod non vno loco prædicat) eâ ætate ordinatius haberetur: & quanquam nonnullis asperior videretur; ipse tamen se ad indulgentiam naturâ proniorem fuisse scribit. Prouentus verò atque opes externas sic amplificauit, vt Monasterium duplo quàm acceperat, locupletiùs, copiosiusque reliquerit. Sed multæ illi, vt mos est, dum antiqua eius iura & possessiones tuetur, cum vicinis Episcopis, Abbatibus, & Principibus viris subeundæ molestiæ & contentiones fuerunt.

Ingenio fuit acri, & viuido, & in sacris præcipuè litteris, Canonibusque exercitatus, qualem omnia passim opera, cum singulari eius pietate testantur. Libertatem vel vnica ad Paschalem de Inuestituris ab eo concessis epistola declarat, fidem etiam ac studium erga Sedem Apostolicam, cuius speciatim filij sunt Abbates Vindocinenses, tum impensæ, quas pro ea maximas fecit, tum susceptorum itinerū labores; in quibus Alpes pro Ecclesiæ Romanę vtilitate duodecies transcendit, ter etiā ab hostibus captus est.

Duodecies Alpes transcendit.

Professum suum Goffridum vocat Yuo Carnotensis. Iure antiquo Abbates omnes in Episcoporum erant potestate, sed Sedis Apostolicæ priuilegio exempti erant Vindocinenses, quare professionem illam non debebat Goffridus, quam extorsit Yuo Episcopus, sed Yuonis factum improbauit Vrbanus professionémque à Goffrido extortam antiquauit, vt notum est ex ipsomet Goffrido. Goffrid. l. 2. epist. 17

Vixit vsque ad extrema Honorij II. tempora, vti constat ex epistolâ ipsius Honorij ad Goffridum missâ, anno M. C. XXIX.

Scripsit epistolarum libros quinque.

Opuscula quindecim.

Sermones duodecim, quæ omnia extant excusa Lutetiæ M. DC X. Iacobi Sirmundi Societatis IESV studio & operâ.



ODO CASTILLONÆVS CARDINALIS OSTIENSIS VRBANO II.

Anno Christi M. XCVII.

NEPOS Vrbani II. in locum, & Episcopatum Ostiensem Patrui Pontificis suffectus Odo Cardinalis, qui Leonem Marsicanum Cassinatem Monachum habuit successorem.

Eiusdem nominis fuit Vrbanus ante adeptum Pontificatum Milonis Castillonæi filium, vti notauimus in Vrbano II. Milo tres alios genuit filios, Guidonem Castillonis Dominum multâ prole nobilem, Manassem de Chastillon absque liberis defunctum, & Milonem Basochij dominio clarum; videtur Odo Guidonis natu-maioris filius. Lib. 1.

Paschalem II. Romanum Pontificem decimo quarto Augusti, anno M. C. suscepit consecrandum, vsus pallio ipsum chrismate liniuit, manusque imposuit vnà cum aliis Episcopis, & licet adhuc Guibertus Antipontifex esset superstes, tamen nemo mortalium est refragatus; verum ipse Paschalis (antea Raynerius Monachus Cluniacensis Hugone Abbate) inuitus rapitur ad Pontificatum. Vnde Platina, Clerus Paschalem sancti Clementis Presbyterum nolentem & latitantem creat. Ex eo Cluniacensi Cœnobio tres sibi succedentes fuêre Summi Pontifices, Gregorius VII. & ipse Pas- Paschalis rapitur inuitus ad Pontificatum.

chalis, qui plures Cardinales creauit, quàm vllus alius Pontifex, numerus enim est nonaginta trium: nostro æuo Paulus V. sexaginta Purpuratos Patres effecit.

E vitâ migrauit Paschale II.

Scutum Castillonæum. Tessera gentilitia Castillonæorum coccinea vario vellere in tribus palis impressa, capite scutario aureo.



MILO CARDINALIS EPISCOPVS PRÆNESTINVS VRBANO II.

Anno Christi M.XCVII.

POST Hubertum Milo Episcopus Prænestinus contra Hugonem illum Schismaticum Prænestinum cognomento Candidum, re & gestis nigerrimum; successorem habuit Conradum in Episcopatu Prænestino.

Cartul. Vatic. Paschalem II. cum alijs inaugurauit anno M.C. mense Augusto, vt pluribus testatur Anonymus Vaticanus, cuius hæc sunt verba. Die alterâ mensis Augusti, videlicet decimâ quartâ anni M.C. consecrandus in Pontificem Paschalis II. consecraturi Pontificem Pontifices, cum frequentiâ populi plebisque Basilicam B. Petri adeunt, quorum nomina sunt, Odo Ostiensis, Mauritius Portuensis, Gualterius Albanensis, Boso Lauicanus, Milo Prænestinus, &c. Hoc ipso anno Guido Antipapa decedit dolore correptus maximo, ob promotum Paschalem, post quinquennium erutus è sepulchro proijcitur in profluentem.

Corpus Antipapæ proijcitur in fluuiũ.

Vltimo defungitur die, Paschale II. Pontifice, circa vndecimum annum, qui erat annus M.C.XII.

Alter Milo S. Iodoci Abbas. Eadem tempestate vixit Milo alter Abbas S. Iodoci Ordinis Præmonstratensis Diœcesis Morinensis, qui postea consecratus Pontifex Morinorum, decimo quinto Kalendas Maij, anno M.C.XXXI. de quo ferebatur illud tritum, *In Bernardo charitas, in Norberto fides, in Milone humilitas.*

Concil. Rhem. D. Tho. p.q.28.a.2. Ad Synodum Rhemensem se contulit, in Gilberti Porretani Pictauiensis Episcopi de quaternitate in diuinis, causâ



GVALO EPISCOPVS PARISIENSIS CARDINALIS PASCHALE II.

Anno Christi M.CIV.

YVONIS Carnotensis optimi Magistri optimus Discipulus Gualo, in Abbatia Diui Quintini Ordinis Augustiniani diœcesis Bellouacensis, cuius fuit tertius Cœnobiarcha; postea Bellouacensium electus Præsul, renitente in contrarium Philippo I. Rege, qui obicem ponebat, vt tradit Baronius, ne Gualo ad Cathedram Bellouacensem promoueretur, iuramentoque se obstrinxerat nunquam, se viuente, eum futurum Bellouaci Præsulem, vt idem Yuo Carnotensis refert: huiusce litis ergò ad Paschalem II. Pontificem scripsit epistolam his verbis. Bellouacenses Clerici melioris famæ, & consilij, saniore præcedente consilio vestro, consilio Optimatum diœcesis suæ & laude populi Dominum Gualonem virum vitâ honestum, liberalibusque studijs & Ecclesiasticis disciplinis ornatum, in Episcopum sibi elegerunt. Pauci tamen ex Clericis Stephani illius repudiati complices, quos sibi pelliculis peregrinorum murium, atque alijs huiusmodi vanitatum aucupijs inescauerat, huic electióni non assenserunt, nec tamen ei aliquid, quod sacris canonibus obuiaret, obijcere potuerunt. Cùm verò rem per se impedire non valerent, Regem adierunt, quædam verba auribus eius instillauerunt, quæ facile non cor eius eliquauerunt: videlicet quòd prædictus electus discipulus meus fuerit apud me nutritus, apud me eruditus; addentes quòd à Sanctitate vestra fuerit electus, & quòd magnus ei futurus esset aduersarius, si in regno eius aliquando fuerit Episcopus. Rex itaque violentiâ his verbis succensus, & ab omni bona voluntate turbatus non vult electioni assensum præbere, nec electo bona Episcopalia dimittere, vnde electores eius ad Paternitatem vestram iam confugissent, nisi quia Metropolitanus eorum eos detinet, conducto die inter contradictores & electores, sicut dicitur pacem volens componere, vel forsitan propter voluntatem Regis rem callidè impedire. Superest ergo, Dilectissime Pater, vt pro potestate & auctoritate vestrâ, sicut capistra Ecclesiæ, prout Clerici rationabiliter postulauerint, & succuratis & consi-

Baron. an. 1104. Philipp. Rex contrarius Gualoni. Yuo epist. 50.

Dona data à Stephano pro electione.

lium vestrum inconfusibile faciatis, ne insidiatores, & detractores vestri subsannando de vobis dicere incipiant: *hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Romam profectus Gualo sua & credita sibi ab Yuone Carnotensi negotia pertractaturus.

Marc. 14.

Gualo Præsul. Bellouacen. Parisiensis.

Morâ trium annorum perdurauit hocce negotium, vicit tamen Paschalis Pontifex, deditque consecratum Gualonem Ecclesiæ Bellouacensi; sed breui vocatus operâ Yuonis ad Parisiensem, anno M. C V. nam vetus monimentum in Ecclesiæ Parisiensis magno Pastorali refert amandatas Moniales ab æde sancti Ægidij, cui ipse Gualo & omnes Canonici subscripsêre, loco & anno additis. Actum publicè in capitulo sanctæ Mariæ, anno Incarnationis Domini M. CVII. Philippi Regis Regnantis anno XLVII. Episcopatus Gualonis tertio. Romam pergere satagens Yuo, sibi ascito comite Gualone, in medio itinere ab aduersariorum insidijs retardatur: propterea iuxta Alpes præmisit Gualonē, vt summum Pontificē Paschalem certiorē faceret de Ecclesiasticis magni momenti negotijs, & maximè de Episcopatu, quem Yuo abdicare in promptu erat, sic scribens Paschali. Dominum Gualonem confratrem & Coepiscopum nostrum, qui in suspectis locis ad occultandum se aptior est, Paternitati vestæ transmisimus, in cuius ore verba nostra posuimus, quatenus eum tam pro suâ quam pro nostrâ necessitate paternè audiatis.

Yuo ep. ad Paschalem. Vult relinquere. Episcopat.

Romæ notus fuit sancto Anselmo, eoque familiariter est vsus, vt testis Edinerus in vitâ sancti Anselmi, & fausto omine contigit, vt Reliquijs eleuandis sanctæ Priscæ interfuerit, ex cuius sacro corpore vnum ipsi è venerandis ossibus liberaliter est concessum.

Edin. in vitâ S. Ansel. l. 2.

Apostolicæ Sedis Legatus in Poloniam mittitur anno præcedente electionem in Ecclesiâ Parisiensi, huiusce Legationis causam ex Longino rerum Polonicarum accurato Scriptore accipe, ita loquente. Summi Pontificis Paschalis II. Nuncius cum potestate Legati à latere Gualo aliàs Vualo Episcopus Bellouacensis, in Poloniam Boleslao de Morauica expeditione redeunte venit, qui à Boleslao Comite exceptus, Polonicâ visitatâ, prout à summo Pontifice iussus erat, Ecclesiâ, iuxta rigorem iustitiæ sceleratos, Boleslai Ducis illum animante mouenteque assistentiâ, duos Prouinciæ Guisnensis Episcopos, culpâ exigente damnauit, & suis priuauit sedibus per sententiam depositionis. Qui tamen hi fuerint, & quarum Ecclesiarum Episcopi vario, & diligenti in quibuslibet Annalibus scrutinio facto, legisse me non memini. Tamen coniecturâ euidenti adducor vt credam vnum depositorum Episcoporum fuisse Czyaslaum, qui Cracouiensem Episcopatum nullâ Summi Pontificis authoritate, sed solâ Ducis Poloniæ donatione detinebat; hactenus Longinus.

Gualo Legatur in Poloniam.

Editus est à Ducissa Sbislaua consorte Boleslai Ducis Poloniæ in anni huius fine infans egregius, quem præfatus Gualo Episcopus Bellouacensis cum alijs Polonorum Episcopis in Cracouiensi Ecclesiâ de sacro fonte leuauit, qui patre iubente auitum nomen Vladislai accepit.

Fit Patrinus.

Anno M. C VIII. interest exequijs Philippi Meloduni vitâ functi sepulti in Monasterio Floriacensi ad Ligerim, quod in præsenti sancti Benedicti Andrium vocatur, & Inaugurationi Ludouici filij cognomento Crassi hac ap-

pellatione VI. sacrâ vnctione delibuti apud sacras ædes Diuo Samsoni Aurelianensi ab Archipræsule Senonensi Daimberto, vt testatur Edinerus; sed præstat audire auctorem appendicis Aymonij Monachi Floriacensis verba facientem. Consulti Proceres & potissimum dictante venerabili sapientissimo Yuone Carnotensi, vt ad refellendam impiorum machinationem conueniant. citissimè Aurelianos Ludouici exaltationi operam dare maturè festinant. Senonensis igitur Archiepiscopus Daimbertus inuitatus cum Comprouincialibus, videlicet VValone Parisiensi Episcopo, Manasse Meldensi, Ioanne Aurelianensi, Yuone Carnotensi, Hugone Niuernensi, Himbaldo Antissiodorensi accessit, qui in die inuentionis sancti Protomartyris Stephani sacratissimæ vnctionis liquore delibutum Regem, & missas gratiarum agens, abiectoque sæcularis militiæ gladio, Ecclesiastico ad vindictam maledictorum accingens eum, diademate Regni gratanter coronauit, nec non & sceptrum & virgam, & per hæc Ecclesiarum & pauperum defensionem, & quæcunque Regni insignia, approbante Clero, & populo, deuotissimè contradidit; nec dum post celebrationem diuinorum festiuas deposuerat exuuias, cum subitò mali nuntij baiulatores à Rhemensi Ecclesiâ assistunt, litteras contradictorij deferentes, & auctoritate Apostolicâ, si tempestiuè venissent, ne Regia fieret vnctio, interminantes. Dicebant siquidem primæ Regiæ coronæ primitias ad ius Ecclesiæ Rhemensis pertinere, & à primo Rege Francorum, quem baptizauit Beatus Remigius hanc prærogatiuam illibatam, & inconuulsam obtinere, & si quis eam temerario ausu violare tentauerit, anathemati perpetuo subijcere.

Edin. lib. cit. Aym. l. 5. c. 91.

Senonensis coronat Ludouicum.

Rhemen. Archiep. debet imponere coronam Regi Francor.

Diplomati, quo Ludouicus Crassus Abbatiæ sancti Victoris Parisiensis fundationem stabiliuit, ipse Gualo subscripsit dato in vrbe Catalaunensi ad Matronam, anno M. C XIII. ex quo Monasterio septem S. R. E. Cardinales prodière.

Fundatur Abbatia S. Victoris Paris.

Sanctus Anselmus Gualoni epistolam, Yuo Carnotensis tres misit. Eidem ex vrbe Hierosolymitana scripsit litteras super communicatione precum Ansellus mittens aliquid è ligno sanctæ Crucis, olim in Ecclesia Parisiensi educatus, quæ in cartularijs eiusdem Ecclesiæ reperiuntur. *Gualoni Episcopo & Stephano Archidiacono, Bernerio Decano, & Ram Archidiacono & N. Præcentori Ansellus gloriosissimi sepulchri cantor, & Presbyter licet indignus subiectionem, reuerentiam & amorem, & sic in hoc sæculo viuere, vt per orationes vestras & in futuro vobiscum merear sine fine gaudere.*

S. Ans. Gual. ep. 69. l. 3. Yuo ep. 245.

Cùm ab Ecclesia vestra & à vobis, in qua, & cum quibus nutritus & eruditus fui, iam per viginti quatuór annos remotus sim corpore, tam feruens in amore vestro, & Ecclesiæ vestræ vobiscum cohabito mente. Namque cum his qui per singulos annos à vobis ad nos venerunt, qui vos nouerunt, & vobis noti fuerũt, semper fuit mihi sermo, & est sedula inquisitio de statu Ecclesiæ vestræ, & de vobis quid agatis, & quomodo vos habeatis: de vobis præcipuè, quos vidi & quos cognoui, & quamdiu vixero, licet absens, semper amabo, sæpe quoque per somnia in solemnitatibus, & processionibus, nec non & ferialibus matutinis & officijs vestris videor interesse, & vobiscum canere. Hac ergo dilectione pro vobis sollicitus, Domi-

num venerabilem Patriarcham, & Canonicos nostros rogaui, vt orationibus & beneficijs nostræ congregationis fratres, & participes iungeremini: cui petitioni concedentes itidem à vobis rogant, & requirunt. Præterea de donis, quæ dedit mihi Deus, ad honorem, gloriam, & sublimationem Ecclesiæ vestræ, & vestri, vestræque ciuitatis donum maximum, & incomparabile videlicet crucem vnam de ligno sanctę Crucis per Anselmum fidelem vestrum, vobis deuotus transmisi, à quo & litteras vestras nobis missas accepi. Sicut à Græcorum & Syriacorum scripturis didicimus, patibulum crucis Christi de quatuor lignis fuit; vnum in quo Pilatus titulum scripsit, & aliud in quo brachia eius extenta & palmæ affixæ fuerunt; tertium in quo corpus eius affixum est, & quartum cum quo affixa fuit crux, quod etiam aspersione sanguinis lateris, & pedum intinctum, & sanctificatum est; & crux ista, quam vobis misi, de duobus lignis est, quia crux, quæ inserta est cruci de eo in quo pependit, est, in qua inseritur de suppedaneo in quo crux affixa fuit, vtrumque dignum, vtrumque sanctum. Porrò Dauid Rex Georgianorum, qui cum suis prædecessoribus portas Caspias tenuit, & custodiuit, vbi sunt inclusi Gog & Magog, quod & filius eius adhuc facit, cuius terra, & regnum contra Medos & Persas, est nobis quasi antemurale; hanc crucem quamdiu vixit in summa veneratione & dilectione habuit; quo defuncto & filio in Regno promoto, eius venerabilis plus sanctitate, quàm generis nobilitate caput totondit, habitumque Religionis suscepit, & assumptâ cruce istâ, & multo auro Hierusalem cum paucis non rediturâ, sed vt ibi in quieto silentio, & oratione vitam finiret, & de auro quod attulerat, Congregationibus sanctæ Ciuitatis per partes distribuit, pauperibusque, & peregrinis eleemosinas erogauit, postea sub manu Domini Gibelini Patriarchæ Congregationem Sanctimonialium Georgianarum, quæ est in Hierusalem, instituit, nec multò post rogatu Sororum & Patriarchæ regimen Congregationis suscepit: denique distributis & erogatis, & in necessitatibus commissæ Congregationis omnibus, quæ attulerat, expensis cum inedia Regionem nostram oppressisset, ipsa cum subditis cœpit egere, cumque tam multa dono, multa mutuo recepisset, quod nullomodo pro necessitatibus sui corporis faceret, pro necessitatibus congregationis sibi commissæ pio affectu facere compulsa est. Itaque istud lignum nulli pretio comparandum, hac ratione pretio comparatum est, ecce illud vobis misi precor habetote illud honorificè, sicut debetis. Verumtamen, vt memoriale sit posteris & successoribus vestris, vnde & quo modo illud habuistis, scribite in libris vestris. Ansellus Clericus noster hanc Crucem de ligno sanctæ Crucis Ecclesiæ nostræ, & nobis è Hierusalem transmisit; postulo igitur à vobis, vt me diligentem vos diligatis, & post mortem meam in orationibus vestris, mei memoriam habeatis. Quid verò tanti thesauri latori contigerit, vtrum ne ad vos prosperè perueneri per litteras vestras mihi notum faciatis.

De ligno crucis mittitur Ecclesiæ Parisien.

Quatuor ligna in cruce.

Dauid Rex Georgianorum.

Cardinalitiâ dignitate ornatur à Paschale II. anno M.C.I.V. antequam Legatus ad Polonos mitteretur, de quâ Legatione actum superiùs. Porro Cardinalium à Pontifice Paschale creatorum numerus Maximus; vt significauimus in Odone de Castillone.

Maximus Card. numerus à Paschale.

Apostolicæ Sedis Legatus in Gallias, cui Legato scribit Ildebertus Episcopus Cenomanensis. Ildeb. ep. 39.

Hac lucis vsurâ priuatur VII. Kalendas Martij, anno M.C.XIV. cui in Episcopatu Parisiensi successit Gilbertus è maiore Archidiacono Episcopus.

Scripsit statuta Synodalia, quæ in Bibliothecâ Patrum reperiuntur, & ante aliquot annos fuêre typis mandata seorsim, Lutetiæ Parisiorum, anno M.D.LXXVIII.

Scutum Ecclesiæ Parisiensis cæruleum lilijs numero incerto aureis & pedo aureo impressum. Insigne Eccles. Parisien.



GVIDO PRESBYTER CARDINALIS SANCTÆ BALBINÆ PASCHALE II. Anno Christi. M.C.V.

GVIDONEM Paschalis II. creauit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Balbinæ in Patrum purpuratorum creatione, anno M.C.V.

Defuncto Paschale dedit Romæ calculum, & suffragium electioni Ioannis Caietani Cardinalis in Summum Pontificem Gelasium cognomento II. octauo Kalendas Februarias, anno M.C.XVIII. qui statim Româ discedit, vnà cum Cardinalibus Caietam Patriam periturus, vbi è Diacono factus Presbyter, consecratusque Episcopus. Eò fugit ob infensum animum Augusti, nimirum Henrici V. volentis intrudere in Sedem Petri Mauritium Burdinum Bracharensem Archiepiscopum, etiam prætendentis electiones, & inuestituras Episcoporum & Abbatum; pace firmatâ eas cessit Calixto II. Clero & Monachis. Gelasius Pontifex fugit.

Caietâ, Cluniacum se contulit Pontifex cum Guidone Cardinale & alijs, paucosque menses ibi vitam duxit; etenim vnicum compleuit annum in Pontificatu; obuiam fuerat Pontius Abbas Cluniacensis vsque ad sanctum Ægidium ad Mare Mediterraneum offerēs triginta equos Pontifici. Vadit Cluniacum.

Cluniaci, Calendis Februarijs, anno M.C.XIX. Guido aliique pauci Cardinales vacant creationi Calixti II. natione Galli, de quo supra. Non modò celeberrimum habetur hoc Cœnobium istâ electione, verum ante aliquot Lib. 1. Calixtus fit Pontifex Cluniaci.

S.Bern. ep. 196. annos dedit tres Monachos Cluniacenses (qui fuêre consequenter Summi Pontifices) putâ Gregorium VII. Vrbanum II. & Paschalem II.

Arnaldus de Brixiâ impius. Videtur quibusdam is Guido, de quo sanctus Bernardus ad Guidonem Legatum, cuius epistolæ exordium. Arnaldus de Brixiâ, cuius conuersatio mel, doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda scorpionis est, quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, fertur esse vobiscum. Videte, quæso, ne vestrâ authoritate plus noceat: Verũ toto, vt dicitur, cœlo ij aberrant, nam à nostro alter fuit ille Guido Legatus cognomẽto de Castello, patriâ Pisanus, (cuius epitaphium habetur apud Illustriss. Nomenclatorẽ Cardinalium) ex Comitibus Capronæ, Cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani, quem Papa Innocentius II, anno M.C.XL. Beneuento, vbi agebat Rectorem, in Gallias misit contra Arnaldum Brixiam in Synodo Romanâ, hæresi notatum.



Anno Christi M.CXIX.

PETRVS FONTANENSIS E BVRGVNDIA
CARDINALIS SANCTI MARCELLI
CALIXTO II.

FONTANIS propè Diuionem in Burgundiâ natus est Petrus, conciuis Diui Bernardi Clareuallensis Abbatis; hoc natale solum D. Bernardi sanctitate commendatur. Presbyter Cardinalis effectus à Calixto II. mense Decembri, anno M.CXIX. tituli sancti Marcelli.

Petr. Clun. l. 2. cap. 12. Legatur à latere in Gallias ab Honorio sui Pontificatus exordio, de qua Legatione Petrus Mauritius cognomento Venerabilis Abbas Cluniacensis, monetque potissimam Legationis causam fuisse Pontium quondam Cluniacensem Cœnobiarcham, qui susque deque omnia euertebat Cluniaci miscens sacra profanis, ab eodem Legato anathemate perculsus: in eo Legationis munere adiunctus est Primas Lugdunensis Hubaldus, antea Archidiaconus Eduensis, ad quem scribit sanctus Bernardus.

Bernard. epist. 22. Ciacon. in Calixto 2. Petri Leonis seu Anacleti II. schisma est tutatus, vocabatur antea Cardi-

nalis sancti Clementis, anno M.C.XXX. cum postea deseruit, vnde Innocentius II. Pontifex, anno M.CXXXVIII. restituit pristinę dignitati in Octauâ Pentecostes.

Scutum Fontanense Diui Bernardi, & Petri atrum cum tænia, duplici ductu auri & minij tessalata. Insigne S. Bernardi.



PONTIVS ABBAS VII. CLVNIACENSIS, CARDINALIS CALIXTO II.

Anno Christi M.CXIX.

ACVTISSIMA spina inter rubentes rosas Pontius inter Cardinales Comitis Margulienfis filius, quem paucis Cardinalis Baronius historiæ Ecclesiasticæ lumen in Paschale II. his depingit coloribus: post sanctum Hugonem substitutus Cluniaci Pontius longè impar Prædecessori, imò vt ille egregiâ claruit sanctitate, ita hic incredibili fuit præditus nequitiâ, non Abbas, sed prædo, non Pastor, sed lupus, non Pater, sed Tyrannus. Baron. in Paschal. 2

Abbas eligitur Cluniacensis iuuenili ætate, anno M.C.IX. quem Guido Archipræsul Viennensis, postea Pontifex Calixtus II. benedixit septimo Idus Maij; Cluniacensibus præfuit annos tredecim, & anno decimo suæ præfecturæ creatus Cardinalis, mense Decembri à Calixto tunc Cluniaci agente, anno M.CXIX. Calixtus 2. benedixit Pontium. Cluniac.

Non assentior Trithemio Abbati in Chronico Hirsaugiensi anno M.CXXIV. asserenti Pontium creatum Cardinalem ab Honorio: nam longè ante ipsius Honorij Pontificatus primordia vitam & mores mutarat Pontius impietati addictus; Honorius autem II. creatus est Pontifex illo anno, die XIV. Decemb. eodem mense defunctus est Pontius. Henricus IV. in priuilegio Monachis Vallis-vmbrosæ Congregationis concesso anno M.C.XIV. Nonis Augusti vocat Pontium Cluniacensem Abbatem *dilectissimum cognatum suum*, cuius petitione datum priuilegium, pro defendendis ab incursione militum Monasterijs. Refellitur Trithemius.

Obuiam iuit Abbas Gelasio II. cum suis in Galliã fugienti, quando Pontifex, inquit Sugerius Sandionysianus, tyrannide Imperatoris per Romanos

Sugerius in Lud. Crasso.

à sanctâ Sede Romanæ Ecclesiæ arcebatur ad protectionem Serenissimi Regis Ludouici & Gallicanæ Ecclesiæ compassionem, sicut antiquitus consuecuerunt, confugit. Pandulphus Pisanus refert eundem Pontium cum munusculis triginta equos Pontifici præparasse, decem verò Abbatem sancti Gordij cum donarijs, & Papam ipsis adiunctum & alijs, per eas terras equitasse. Illo Abbate apud Cluniacenses obijt Gelasius II. Pontifex ibidem cum hoc epitaphio tumulatus.

——profugum suscepit Gallia patrem
Hic pater Orbis Apostolicus, summusque Sacerdos,
Dormijt in proprio Romani iuris asylo.

Yuo Car not. epist. 233.& 236.

Goffr. l. 4. ep. 2. Petr. Diac. l. 4. c. 77. Petr. Clun. Abbas l. 2. cap. 12. Mutatur Pontius.

Profectus ad Synodum 1. Lateranensem Oecumenicam, anno M.C.XXII. non Ecclesiæ negotia tractaturus, sed vt Abbatiam Cluniacensem eiuraret Monachorum clamoribus fatigatus, licet renitente Calixto Pontifice, cui non erat notus intus & in cute: dum enim induit personam Abbatis, totam simul viri boni vestem exuit, ad quem duæ extant Yuonis Carnotensis epistolæ. Eiusdem mentio habetur in vitâ sancti Godofredi Episcopi Ambianensis, & in epistolis Goffridi Vindocinensis, & in Chronico Cassinensi Petri Diaconi.

Quàm verò fuerit mutatus ab illo solum Monacho, audiamus ex Petro Venerabili Cluniacensi IX. Abbate. Pontius valde iuuenis à fratribus Cluniacensibus spe bonæ indolis eius inductis, in Abbatem electus, magno illi & famoso viro iam dicto Patri Hugoni successit, qui primis assumptionis suæ annis, satis modestè & sobriè conuersatus, procedente tempore mores mutauit, & multis ac diuersis casibus, & causis Fratrum pene vniuersorum animos exasperando, eos paulatim contra se concitauit. Dissensientes illi ab eo, & quòd multâ mobilitate, & leuitate animi, nullis bonorum consilijs acquiescendo (vt dicebant) res Monasterij pessundaret; inter se nunc pauci, nunc plurimi, tandem pene vniuersi murmurabant: mansit autem res aliquamdiu tecta inter eos, nec ad aures sæcularium per decennium ferè peruenit; peruenit tandem eò vsque lis occulta diu, vt non solum ad circumpositos, sed insuper ad remotissimos quosque huius dissensionis malum pertingeret, & ipsius Summi Pontificis & Romanæ Curiæ aures impleret. His rumoribus Domnus Pontius prouocatus indignationis impetum, quem in alios fortassis deriuare debuerat, in se ipsum retorsit; & Romam velut præcipiti ausu adiens, vt curæ Pastoralis sollicitudine solueretur, Domnum Papam instanter orauit. Præerat tunc Romanæ Ecclesiæ, regij sanguinis nobilitate insignis, sed moribus probitate, ac liberalis animi magnificentiâ longè insignior, qui prius Viennensi Ecclesiæ præfuerat, Callixtus Papa II. Is imprimis Abbatis Pontij voluntati & petitioni omni exhortationis nisu resistens: postquam eum non posse flecti à proposito vidit, ab omni cura Cluniacensis Ecclesiæ, vt postulabat, absoluit. Absolutus inde eiusdem Papæ permissione Apuliam petijt, indeque Mari transmisso, Hierosolymam semper, vt proposuerat, ibidem mansurus peruenit. Papa fratribus Cluniacensibus, quod factum est, vt sibi Patrem eligerent, auctoritate Apostolicâ præcepit.

Calixt. 2. regij sanguinis.

Suffectus in locum Pontij Abbatis Hugo huius nominis II. ex Priore Marceniaci Cœnobij ad Scarpam fluuium, qui paucis Cluniaco præfuit mensibus. Pontio Hierosolymis agente, anno M. C. XXII. Balduinus Rex Hierosolymitanus à Sarracenis captus, verum vniuersali ieiunio indicto pugnatum fœliciter contra Sarracenos, Principibus in fronte aciei gradientibus, Patriarchâ nimirum efferente Crucem Christi vexillum, Abbate Cluniacensi Pontio proferente lanceam transfixam in Christi latere. Hæc Robertus Abbas de monte sancti Michaelis in appendice ad Sigebertum. Quibus addit Anselmus Gemblacensis in Chronico Episcopum Bethlemitanum Beatissimæ Dei matris Mariæ, & Virginis lac pixide contentum detulisse. Pontius in prælio Hierosolym.

Post annum rediit in Cœnobium Cluniacense, vultque videri is, qui re abs se non est, videlicet Sanctus, mendaciorum præcones huc & illuc mittens, omnem victoriam Hierosolymitanam ipsius sanctitati tribuentes, meritis ipsum vitam Angelis æqualem ducere falsò prædicantes. In errorem inducti plurimi, ipse etiam Gerardus Presbyter Cardinalis, qui plurimùm deferebat homini; Romæ etiam benè audit, verùm non diu hæc ignota hypocrisis. *Gaudium enim hypocritæ*, inquit Spiritus sanctus, *ad instar puncti.* Iob 20.

Non est mirum Pontium Abbatem pro more, non autem Cardinalem appellari: hoc enim factum à Petro Damiano scribente Reuerendissimo Abbati Desiderio, qui etiam erat S. R. E. Cardinalis Desiderius Abbas Cassinensis. Quo autem modo Pontius Cardinalis fuerit creatus narrat Hugo Cluniacensis epistolâ ad ipsum, & Chronicon Cluniacense his verbis. Callixtus II. Cluniacensi Ecclesiæ speciali, & propriæ suæ, vt Abbas Cluniacensis semper & vbique Romani fungeretur officio Cardinalis, cōcessit, in cuius signum manu propriâ ipse Callixtus Papa Pontium Abbatem Cluniacensem anulo suo vestiuit. Petr. Damia. lib. 2. epist. 11. Qua ratione Cluniaci Abbates sint Cardinales.

In præsenti attentius contemplemur quas passi sunt calamitates Monachi Cluniacenses à Pontio illatas; Eas commemorat idem Petrus Venerabilis earundem oculatus testis, libro supra citato; ob quas excommunicatione maiori perculsus est, & Romam ductus. Tandem, inquit, iam dictus Pontius transmarinæ habitationis pertæsus rediens ab Oriente Occidenti tenebras contra morem inuexit, qui, vt Italiam attigit, diuertere Romam nolens, in Rauennatum partibus, hoc est in Episcopatu Taruisiano Sedem sibi constituit; ibi Monasteriolo constructo, paruoque in eo tempore demoratus Gallias repetiit: exploratâ demum absentiâ meâ (nam forte tunc in secundæ Aquitaniæ partibus Cluniacensibus negotiis insistebam) fingendo se Cluniacum nolle venire, paulatim tamen appropinquabat: deinde quibusdam fugitiuorum armis & vulgarium, quos sibi adsciuerat, constipatus, Cluniacensibus portis improuisus aduenit. Quibus effractis, & venerabili sene Priore, Fratribusque vbique dispersis, cum promiscua illa armorum multitudine, ipsis quoque mulieribus irruentibus claustrum ingressus est; ingressus occupat statim omnia, & eos, quos reperit, minis, terroribus atque tormentis in suæ fidelitatis cogit sacramenta iurare, nolentes autem expellit, aut duro carceri mancipat. Conuertit statim manum ad sacra, & aureas cruces, & aureas tabulas, aurea candelabra, aurea thu- Petr. Cluniac. loco citato. Sus deque omnia Cluniaci.

ribula, & quæcumque alia multa, multique ponderis vasa inuadit, rapit & ipsos calices maximè sacros, nec thecis, nec scriniis aureis siue argenteis multorum Martyrum ac Sanctorum ossa continentibus parcit. Ex quibus constat coactum auri pondus immensum, & eo circumpositos milites, vel quoslibet auri cupidos ad bellum raptores inuitat. His protectus circumpositas Monasterij villas & castra inuadit, ac sibi barbarico more loca Religiosa subdere moliens, ignibus, quæ potest, & ferro cuncta consumit. Abstinet à nullâ bellorum specie, rapinis rerum, cædibus hominum per conductos sacro auro milites vbique desæuit. Consumitur ab ipso initio Quadragesimæ vsque ad Kalendas Octobris tota in huiusinodi prælijs æstas, nec saltem paucis diebus à tantorum malorum calamitate respirat. Manebat Bernardus Prior, & nobiles Religiosi, & magni viri extra Cluniacum, vbi poterant, & in locis tutioribus à tantorum incursu hostium se se pro viribus defendebant. Hic in sanctâ illa & famosissima Cluniacensi domo, occulto sed iusto Dei iudicio Satan ad tempus laxatus furebat.

Excommunicatur Pontius.

Hubaldus Primas Lugdun.

Iam è vita discesserat Venerandus Papa Calixtus, nec se inferiorem Papam Honorium acceperat successorem. Hic tantæ Ecclesiæ tantos tumultus audiens, misso de latere suo Legato Domino scilicet Petro Cardinale, Pontium & Pontianos, qui tunc sic vocabantur, omnes adiuncto sibi Lugdunensi Primate Hubaldo terribili anathemate condemnauit: datâ tamen postmodum die, vtramque partem ad subeundum in præsentia sua tanti dissidij iudicium litteris Apostolicis euocauit; obtemperat statim pars cunctanostrorum, & inter innumeros Monasteriorum Priores, causâ cuius hæc interiecta sunt, Venerandus Mathæus aduenit, adest & Pontius licet inuitus cum suis, & denominatâ die, vt iudicium subeat, aduocatur. Præcipitur tamen, vt, quia excommunicatus nec agere, nec iudicium subire potest, prius satisfaciat, & satisfaciendo se vinculo, quo iure vinctus fuerat, soluat. Mittuntur à Papa Nuntij, & ex parte mittentis, vt de tantis malis satisfaciat, iubent: respuit ille, nec se posse ab aliquo viuentium anathematis vinculo vinciri affirmat: solum esse Petrum in cœlis, præterquem nulli hoc licere fatetur. Commoto multò magis tali eius responso Domno Papâ, totâque simul Vrbe turbatâ non solum excommunicatum, sed & Schismaticum cuncti proclamant, & quia, vt dictum est, nisi solutus ad iudicium admitti non poterat, suos qui cum eo venerant, vtrum, quod ille nolebat, illi saltem satisfacere vellet, responsum missis Domnus Papa Nuntijs quærit; qui statim pro eius imperio paratos se esse respondent. Intrant ergo palatium nudis pedibus cuncti, & reos se in conspectu vniuersorum fatentes protinus absoluuntur: absoluti causam ingrediuntur, & nihil quod vel sibi, vel illi pro quo agebant suffragari posset, intactum relinquunt. Assumit sibi ex parte aliâ vocem vniuersorum venerandus Mathæus & sapienter de totâ causâ perorat. Surgit statim auditis partibus Papa, & totâ Romanâ Curiâ sibi adiunctâ ad rem examinandam in partem secedit. Moratur diu, redit cum cunctis post aliquot horas ad sedem: vt inuentam ex consilio sententiam ferat Portuensi Episcopo iubet, fert ille iussus sententiam, & vt ipsa eius verba referam: Pontium, inquit, inuasorem, sacrilegum, Schismaticum, excommunicatum ab omni Ecclesiastico honore vel officio

Pontiani nudis pedibus absoluuntur.

ſanctaRomana & Apoſtolica Eccleſia in perpetuum deponit, & Cluniaco Monachos, vel cuncta ad idem Monaſterium pertinentia Abbati, qui in præſentiarum eſt, antea iniuſtè ſubſtracta, reſtituit. Datâ ſententiâ vniuntur, qui diuiſi fuerant, & velut in momento redintegrato Cluniacenſi corpore, tantus tamque diuturnus malorum turbo ſedatur. Pax Cluniaci.

Irruit poſt paucos dies tam in victos, quam in victores Romanus ille peſtifer morbus, & pene omnes tam Monachos, quam famulos breui proſternit. Inuadit vix elapſo menſe Domnum Pontium paucíſque diebus interiectis extinguit.

Morti iura perſoluit Romæ quarto Kalendas Ianuarias, anno M. C. XXV. Ciaconius vult mortuum anno M. C. XXII. ſed non ſecundum veram Chronologiam; ſuper ipſius Pontij quondam Abbatis morte miſſa eſt epiſtola à Papa Honorio ad eundem Petrum Venerabilem, his verbis. Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Petro Cluniacenſi Abbati ſalutem in Domino & Apoſtolicam benedictionem. Præterito menſe Decembri Pontius viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, qui quamuis de malis Cluniaco illatis ſæpe commonitus pœnitentiam agere noluerit: nos tamen pro reuerentiâ eiuſdem Monaſterij; cuius Monachus fuerat, cum honeſtè ſepeliri curauimus. Datum Laterani. Honorius ſcrib. ad Petr. Cluniac.

Hos cecinit verſus ſepulchrales Petrus Pictauienſis audito infœlicis Pontij obitu.

Grande lucrum facimus, quia cauſa ſchiſmatis huius
Corruit ex toto perfidus ille draco.
Cumque caput lubricum ſuſtollere nititur anguis,
Rumpitur, & moriens atra venena vomit.
Interière nigri præſtigia ſæua colubri,
Nec patitur monſtrum viuere Roma diu.
Sed mox ancipiti gladio fera colla trucidans
Defendit Petrum Petrus ab hoſte ſuum.

Alij aliter ſentiunt de Pontio: vnde Chronicon Cluniacenſe Pontium facit vitâ Venerabilem, & Trithemius in Chronico ad annum M. C. XXIV. doctrinâ & ſanctitate illuſtrem. Hugo Cluniacenſis ſancto Hugoni Pontium dignè ſubrogatum dixit. In quodam Martyrologio Benedictino hæc habentur: quarto Kalendas Ianuarij in Monaſterio Cluniacenſi depoſitio ſancti Pontij Abbatis doctrinâ & ſanctitate clari. Verùm quomodo hæc poſſunt cum ſuperioribus quadrare? Andreas Quercetanus in notis ad Bibliothecam Cluniacenſem refert vtramque opinionem; primam ſecundæ præfero, nec poſſum refragari vtrique Petro Cluniacenſi, & Pictauienſi, qui tragediam oculis inſpexère. Alia ſententia de Pontio. Antinomiæ de Pontio.



ANNO CHRISTI M.C.XX.

STEPHANVS CARDINALIS DE MONT-BELIARD.
CALLIXTO II.

THEODORICI I. hoc nomine montis-Beliardi, Barri, Mussi, Feretti, Virduni Comitis & Ermentrudis Burgundæ filius, Guidonis Burgundi Pontificis Calixti II. nepos ex sorore, cognatus Ducis Lothareni, consanguineus Federici Barbarossæ. Pater duo fundauit Cœnobia in Alsatiâ virorum vnum sanctæ Valburgis Ordinis sancti Benedicti; alterum sacrarum Virginum, in loco Biblisheim nuncupato, illicque 1. Abbatissa Gerthildis de mont-Beliard secundo-genita Theodorici, cum magna sanctitatis opinione moriens miraculis claruit, ex Trithemio. Albo confratrũ Clareuallensium est inscriptus, quò spectat illud sancti Bernardi ad eundem Stephanum Metensem Episcopum, *Ex quo dudum, si recolitis, nostræ vos Fraternitati dignanter sociastis.* (S. Bern. epist. 29.)

Cardinalium Collegio eum aggregauit Calixtus II. anno M.C.XX. mense Decembri cum aliis duobus, ipsi titulum sanctæ Mariæ in Cosmedin donans.

Episcopus Metensis LV. anno M.C.XX. electus est à Calixto II. auunculo, Romæ vnctus iureque pallij donatus, sine iuris præiudicio Metropolitani Treuirensis, successitque B. Theogerio Comitis Metensis filio, qui, Episcopatu abdicato, se recepit in Cœnobium Cluniacense, vbi sancto fine vitam clausit, ibidemque sepultus miraculis fulsit. (Theogerius ex Episc. Metensi fit Monachus.) Pontificatum Metensem administrauit Stephanus annis quadraginta tribus, & Castrum de Hoemburch à Duce Mathæo Lothareno captum Episcopatui restituit; vt & aliud nomine Viuarium post Comitis Hugonis mortem vsus operâ & armis Federici Barbarossæ Imperatoris, quem semper Christianè monuit super Schismate contra Romanam Ecclesiam. Biennium & amplius exulauit ab Vrbe Metensi, ob Henricum V. sibi infensum, quòd detrectasset ab eo inuestituras & electiones beneficiorum prætendente contra ius fasque, insignia Pontificatûs recipere. Interim secessit ad montem sancti Quintini, in quo primò Ordines celebrauit, diuersa Episcopatus dominia ope Re-

ginaldi

ginaldi Comitis germani fratris, à diuersis Proceribus vsurpata cepit. Dono dedit suæ Ecclesiæ Castrum Lucelemburgicum in Alsatia, quod ipsi contigerat hæreditate cognati Petri Comitis.

Processu temporis gratiam Imperatoris sibi conciliauit, quam innuit sanctus Bernardus epistolâ citatâ, *pace per vos Ecclesiæ redditâ*. Mediator pacis inter Alberonem Episcopum Virdunensem, & Comitem Barri nomine Rainaldum Stephani ipsius fratrem, cuius meminit Vasseburgius in vita Alberonis. Anno Domini M. C. XXX. apud Virdunum factus Episcopus Albero de Chisaco frater Comitis Othonis non tamen vterinus, filius Comitis Arnulphi, qui eodem anno turrim, quam Comes Barri in Virduno erexerat, deiecit: postea mediantibus Episcopo Metensi Stephano fratre Comitis eiusdem, & Frederico Comite Tullensi fecit pacem Episcopus Albero cum Comite Barri, pro quadam pecuniæ summâ, deditque ei feudum Clarimontis, & feudum de Hans & de Viennâ, & ita Comes ciuitatem quietauit. Possessiones omnes Episcopus à Tyrannis, solo Rumiliaco excepto, occupatas fratris sui Comitis Barrensis, aliorumque cognatorum & familiarium fretus auxilio, breui spatio recuperauit. Historia Episcoparus Metensis, quæ terminatur anno M. CC. LXXXVI. quam pluribus refert Quercetanus in notis domus Barrensis.

Vasseb. li. 4. in Alberone.

Bellum inter Episc. Virdu. & Ducem Barri.

Histor. Eccles. Meten.

Mortuo auunculo Pontifice Metas se recepit, verum occlusæ fores à Ciuibus, qui omnes redditus Episcopi vsurparant, ex Vasseburgio in vita Vrsionis. Monasterium Alteriacum Ordinis sancti Augustini Canonicorum Regularium iuxta Ramberuillæum, erexit. Prima fundamenta iecit Metis alterius, Ordinis Cluniacensis sancto Bernardo præsente, in quo degunt Moniales (vocatur Claraualis minor) mense Martio, anno M. C. XXXIII. varias ædes sacras exædificauit; pluribus Cœnobiis dotem contulit eaque iuuit mirum in modum.

Vasseb. li. 4. in Vrsione.

Claraualis minor.

Memoratur Stephanus in expeditione transmarinâ Ludouici Iunioris, anno M. C. XLVII. quo anno Eugenius III. Lutetiam aduenit à Ludouico Rege, & Parisiensi Episcopo Theobaldo exceptus, qui Ecclesiam Sanctimonialium montis-Martyrum die Aprilis vigesimâ secundâ à Ludouico Crasso & Aleide vxore fundatam præsente sancto Bernardo consecrauit.

Mons-Martyrū consecratur ab Eugenio Papa.

Porrò quod attinet ad peregrinationem Regis Ludouici in Orientem, quò se contulit noster Stephanus Cardinalis, eius primordia sic describit in Ludouico Sugerius Abbas D. Dionysij, qui absente Rege, Regno datus est Administrator. Anno ab Incarnatione Domini M. C. XLVII. in hebdomadâ secundâ post festum Pentecostes, prius ordinatis rebus ad iter peregrinationis tantæ necessarijs, venit Rex, vt moris est, ad Ecclesiam sancti Dionysij à Martyribus licentiam accepturus, & ibi post celebrationem Missarum baculum peregrinationis, & vexillum D. Dionysij, quod *Oriflamb* gallicè dicitur, valdè reuerenter accepit, sicut moris est antiquorum Regum, quando debent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere, & tunc mouit directè cum magno comitatu Prælatorum & Baronum.

Sugerius Administrator Regni.

De vexillo D. Dionysij.

Obiit Metis, tertio Kalendas Ianuarij, anno M. C. LXIV. post quadragin-

ta annos regiminis; D. Bernardo Cœnobiarchæ Clareuallensi magnâ necessitudine iunctus, ab ipso deuotionis ergò habitum assumpsit Cisterciensem, in quo moriens sepeliri voluit, ad chori Cathedralis vestibulum tumulatus, cui successit nepos Theodoricus in Episcopatu. Anniuersarium fit eius officium in Cathedrali Ecclesiâ, sicque meminit Necrologium: *tertio Calendas Ianuarij pro Domino Stephano Episcopo Metensi, viginti solidi, & pro campanis duodecim denarij.*

Stephanus in habitu Cisterciensi moritur.

Anno reparatæ salutis humanæ, M.D.XXI. Chorus Ecclesiæ fuit à terrâ erectus maioribus spatiis dilatatus, Stephani tumulo aperto inuenta ossa cum tribus acubus aureis in capite ornatis amethysto & duobus pyropis lapidibus, quibus pallium Episcopale claudebatur. Inuenta etiam crux parua plumbea è collo pendula, cui inscriptum: quarto Kalendas Ianuarij obiit Stephanus piæ memoriæ sanctæ Metensis Ecclesiæ Episcopus, anno ab Incarnatione M.C.LXIII. pedum Pastorale ligneum, cuius suprema pars eburnea.

Pallium inuentum cum amethysto & pyropis.

Huius memoria in Chronologia sancti Arnulphi Metensis, & libro quarto vitæ sancti Bernardi, capite quinto, & in Annalibus Ecclesiæ Metensis à Reuerendissimo Patre Meurisse dignissimo, & doctissimo Episcopo Madaurensi, ac Metensi Suffraganeo editis.

Insigne familiæ montis-Beliardi coccineum binis truttis aureis, tergis obuersis pictum.

Scutum de Mont-beliard.



Anno Christi M.C.XX.

HAIMERICVS DE LA CHASTRE CARDINALIS S. R. E. CANCELLARIVS.

CALIXTO II.

IN Castrâ oppido leucis quindecim ab Auarico distante, quod Chastræ Genti nomen dedit, Haimericus suos Natales habuit, consobrinus Petri de la Chastre Archipræsulis Biturigum promoti ad Sedem Bituricensem ab Innocentio II. Rege Franciæ inscio; inde magnæ turbæ. Canonicum fuisse Congregationis Lateranensis testatur Ioannes Baptista Signius.

A Castra Castræi.

Signius l. 1. de Ordine canonico.

A Calixto II. creatus Cardinalis Diaconus mense Decembri, anno Redemptionis humanæ M. C. XX. & Cancellarius S. R. E. est institutus ante obitum Chrysogoni Pisani, in hoc munere sui Antecessoris. Hinc sanctus Bernardus eum interpellatum voluit pro Henrico Sanglier Archipræsule Senonum electo, anno M. C. XXII. cum antea eiusdem Ecclesiæ fuisset Canonicus. Ad Haimericum missa epistola cum hocce titulo. *Viro illustri Haimerico sanctæ Romanæ Sedis Cancellario Bernardus Abbas dictus de Claravalle salutem, & si quid valeat peccatoris oratio.* Quousque durat illa sententia, *omnes qui volunt pie viuere*, & cum his concludit; state pro IESV in defensione Archiepiscopi, cui quandoque & vos astare habetis in examinatione vestri. S. Bern. epist. ad Haimer. 2. Tim. 3.

Quasi pro aris & focis Haimericus tutatus est Innocentij II. electionem, eadem plane die factam, quâ obijt Antecessor eius Honorius, XVI. Kalendas Martias anno M. C. XXX. contra Anacletum Antipapam, antea Petrum Leonis nuncupatum, in Ecclesia sancti Marci electum, Romanis tumultuantibus, intrusumque Leonem in Sedem Petri, vt pluribus testatur Sugerius Abbas Sandionysianus in Ludouico. Melior & sanior pars Cardinalium Innocentio firmiter adhæsit, inter quos noster Haimericus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ Nouæ, Apostolicæ Sedis Cancellarius, ex Anonymo Vaticano Scriptore. Eadem die Pontifex moritur & alius creatur. Suger. in Ludouico Grasso.

Ab Anacleto Antipontifice mendacij, & simoniæ arguitur falsò apud Lotharium II. Imperatorem Occidentis, in epistolâ ad eundem Lotharium missâ, tum ab ipso Antipapâ, tum à Cardinalibus Schismaticis, in quâ hæc leguntur. Porrò Haimericus quondam Cancellarius, qui Romanam Ecclesiam quasi vile scortum pro luxuriis, & auaritiâ suâ, longo iam tempore habuit prostitutam, qui simoniis, sicut vos ipsi scitis, vt credimus, & aliquando experti fuistis, exactionibusque variis Dei Ecclesiam, & Dei seruos diutius trucidauit, arridente ei Gregorio viro Leone Frangi-pane, qui nunc per Dei gratiam vobiscum est, velut alter Sennacherib in Ciuitatem sanctam, & Templum improbi consilij sui manum impiè præsumpsit extendere, & propriâ superbiâ quibusdam sibi allectis, qui eius quadrâ & more viuebant, viris vtique nouitiis & numero quinque, altare aliud in Ecclesia Dei solus est molitus erigere. Falsò accusatur simoniæ.

Idem Cancellarius scripsit diploma ab Innocentio concessum Attoni Episcopo Pistoriensi in Tuscia, quo Ecclesia Pistoriensis multis ornatur priuilegiis. In fine habetur. Datum Pisis per manum Haimerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarij, duodecimo Kalendas Ianuarij, indictione duodecimâ, Incarnationis Dominicæ, anno M. C. XXXIII. Pontificatus vero Domini Innocentij II. Papæ anno quarto.

Contentione ortâ inter Monachos Diuionenses sancti Benigni, & Religiosos Luxouienses (sic enim legendus sanctus Bernardus) non Lexouienses, Monasterij Luxouij à Domino Columbano structi in Burgundia, permissu Theodorici Francorum Regis, ad horrenda Vosagi iuga misit epistolam D. Bernardus, ordine quintam Haimerico Apostolicæ Sedis Cancellario, pro Diuionensium causâ his verbis. Non latet amicos nostros, quòd Diuionenses Monachi litigant cum Luxouien. Diuionenses defenduntur à S. Bern.

me familiari affectu diligitis, & tantæ mihi fœlicitatis fructum inuident, si solus habere voluero, Monachi Diuionenses, ob antiquam illius Ecclesiæ Religionem mihi charissimi sunt. Sentiant si placet, quòd non sit amor otiosus, siue vester ad nos, siue noster ad illos, saluâ tamen in omnibus iustitiâ, contra quam, nec amicum quidem respicere fas est.

Priuilegium datum Cluniaco.

Innocentius Pontifex Viennæ ad Rhodanum agens concessit priuilegium Cluniacensibus exaratum ab Haimerico Cancellario, quorum Ecclesiam dedicarat. Porrò priuilegium celebre datum est pro Monasterij Cluniacensis immunitate, minaturque ijs Pontifex sub excommunicationis pœnâ, qui à Cœnobio aliquid furto abstulerint, & fuerint deprædati, nisi infra quadraginta dies commoniti ablata restituant. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus: datum Viennæ per manus Haimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarij, anno M. C. XXXII. Pontificatus tertio, sexto Nonas Martij.

Petrus Diac. l. 4. cap. 119.

Ab eodem Innocentio, anno M. C. XXXVII. Cassinum mittitur vnà cum Gerardo Cardinale sanctæ Crucis, & Abbate Clareuallensi Bernardo pro examine Rainaldi Calamentani Cœnobiarchæ fauentis Schismati Pseudopontificis Anacleti, de quo Petrus Diaconus in Chronico Cassinensi: ipse etiam Rainaldus clientelæ Sacramentum & fidem Rogerio Siciliæ Regi præstiterat contra ius fasque. Anacleti partes tuenti, & patrimonium Ecclesiæ Cassinensis, & Beneuentum occupanti.

S. Bernardus cōt: Schismaticos.

Præclara eius verba

Salernum deputatur pro legitimâ Innocentij electione comprobandâ, vbi sanctus Bernardus pro vero Pontifice miros exantlauit labores contra Regem Siculum, anno illo M. C. XXXVII. ex parte Anacleti datus Petrus Pisanus, qui electionem Domini sui Anacleti, inquit Abbas Bonæuallis Bernardus, canonicam probare sategit, verbaque sua multa cum legum, tum Canonum assertione muniit, quæ omnia sanctus Bernardus diuino eloquio facilè dissoluit vnà cum Haimerico, hæc inter alia effatus. Nos quidem agrestes ligonibus magis, quàm declamationibus assueti, si causa fidei non vrgeret, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos Charitas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore Passionis nec Ethnicus præsumpsit scindere, nec Iudæus, fautore hoc Domino, Petrus Leonis dilacerat, & disrumpit.

Capitur Pontifex Innocentius.

Rex Siculus ad genua Pontificis petit veniam.

Haimerici manu firmatur diploma Regi Rogerio datum super Siciliæ Regno, Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuano, anno M. C. XXXIX. sexto Kalendas Augusti, in territorio Marianensi, dum ipse Innocentius per insidias à Rogerij filio fuisset interceptus; verùm postea & Pater & filius pedibus Pontificis aduoluti misericordiam, & gratiam efflagitarunt, Regnumque Siculum ab eo, vt vectigale, poposcerunt, Apuliam & Capuam.

Calend. S Victor.

Duodecim annos munere Cancellarij functus: alterum Anacletus elegerat Cancellarium nomine Mathæum Cardinalem Italum.

Haimericus multa donat Ecclesiæ S. Vict.

Decessit Haimericus anno à Virginis Partu M. C. XLVIII. die quinto Kalendas Iunias, vt fidem facit Calendarium sancti Victoris Parisiensis. Anniuersarium Domini Haymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, qui Cœnobium istud speciali amore diligens dedit nobis plurimorum Sanctorum

reliquias thecis argenteis reconditas honorificè, & in cultum altaris casulas,& pallia,aliaque diuersi generis ornamenta.

Vnus & idem est cum nostro Haymericus, quem memorat Ciaconius Papâ Honorio II. anno M. C. XXV. si patria,dignitas, tempus sedulò inuestigentur.



GVILLELMVS CARDINALIS PRÆNESTINVS EPISCOPVS CALIXTO II.

Anno Christi M. C XXII.

GVILLELMVM natione Gallum testatur Onuphrius Pannuinus Cardinalatu donatum à Pontifice Calixto II. non statim vt Romam Cluniaco peruenit, anno M. C. XIX. sed post tres annos; quē etiam sacris Episcopatus Prænestini infulis spectatissimum reddidit. Firmauit priuilegium Guillelmus Cœnobijs Vallis-vmbrosæ, ab Henrico IV. Augusto concessum.

Semper stetit à partibus veri Pontificis Innocentij, contra Pseudopontificem Anacletum orto schismate post Honorij II. discessum.

Apostolicæ Sedis Legatus in Germaniam mittitur ab Innocentio II. Archipræsulem Coloniensem Brunonem sacro vngit oleo, anno M. C. XXXIII. de quâ Brunonis electione sic D. Bernardus. Quæris à me consilium vir illustris Bruno, an volentibus te ad Episcopatum promouere acquiescere debeas. Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat: quis audeat dissuadere? forte non vocat, quis appropinquare consulat? Subscripsit diplomati Ecclesiæ Pistoriensis dato pro immunitate Ecclesiæ, statimque commemoratur subscribens post Summum Pontificem.

Bruno Colonięsis inungitur.

S. Bernard. ep. 8. Consilium pro Episcopatu.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Guillelmus Prænestinus Episcopus subscripsi.

Ego Mathæus Albanensis Episcopus subscripsi.

Ego Ioannes tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis subscripsi.

Huius Cardinalis Guillelmi mentio habetur in antiquâ consecrationis oratorij sancti Chrysogoni tabulâ Romæ, ita legitur; ✠ Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXIII. octauo Idus Iunij, Indictione primâ, dedicatum

Dedicatur Ecclesia S. Chrysogoni.

est oratorium hoc, à Venerabilibus Episcopis Petro Portuensi, Vitali Albanensi, & Guillelmo Prænestino Præsidente in Apostolicâ Sede Beatissimo Calixto Papâ II. anno eius Pontificatus quinto, quam dedicationem rogauit fieri frater Ioannes de Crema peccator Sacerdos tituli sancti Chrysogoni.



Anno Christi M.C.XXII.

ÆGIDIVS CLVNIACENSIS CARDINALIS TVSCVLANVS CALIXTO II.

ÆGIDIVS Cluniacensis (nonnullis Gilo) è cuius ore melle dulcior fluebat oratio, à Cluniacensi recessu gradum fecit ad Cardinalatum, promouente Calixto II. qui Cluniaci electus, anno M.C.XIX. ipso die sancti Calixti, Kalendis Februarij, Romam se contulit, mense que Decembri legit Cardinales quam plurimos, è quorum numero non ego Ægidium Monachum recenseo, qui datus Calixto viæ comes, sed tertiâ solùm creatione, anno M.C.XXII. dum Synodus Lateranensis celebraretur. Episcopatum Tusculanum obtinuit, & ad Sarmatas profectus causâ Euangelij annunciandi, Polonos Religione Catholicâ imbuit, quam plurimis illic ædificatis sacris ædibus. Apostolicæ Sedis in Syriâ Legatus, vnà cum Guillelmo Tyri Archiepiscopo missus ab Honorio II. anno M.C.XXVII. ad Guarimundum Hierosolymitanum Patriarcham hæc scribente. Per Venerabilē fratrem nostrum Ægidium Tusculanū Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum tibi mandamus, quatenus Suffraganeos Tyrensis Ecclesiæ sibi restituas. Sectatus est Anacleti Antipapæ schisma, seu Petri Leonis etiam defuncti, anno M.C.XXXVIII. animo obfirmato. Quare Petrus Venerabilis his hominem affatur verbis. Forte eâ spe, vt tunc inuehas, rem distulisti, quâ sperabas ab Imperatore Lothario ad Petrum Leonis Innocentio Papæ præferri, aut vtroque deposito, in Apostolicâ Sede alium sublimari. At nunc quid vltra nouarum rerum vel moliri, vel præstolari poteris? quando & Lotharius mortuus est, & Petrus extinctus est, & Innocentius in Papam ac Summum Pontificem, primò ab Vrbis parte, postmodum à toto

Creatio Calixti 4.

Histor. Polonica.

Legatus in Syria.

Petr. Venerab. l. 4 ep. 30.

Orbe, & tandem à totâ Vrbe sublimatus est, & tota vanitatis spes diuini oris gladio vndique circumcisa est.

Tandem ad meliorem mentem rediјt ante obitum sequutus Innocentium Christi in terris Vicarium, à quo fuit restitutus honoribus in Pentecostes octauâ die.

Scripsit Epistolas luculentas ad Antiochenos.



RAYNERIVS BVRGVNDVS CARDINALIS SANCTÆ MARIÆ NOVÆ CALIXTO II. Anno Christi. M.C.XXII.

RAYNERIVM offendo Diaconum sanctæ Mariæ Nouæ, postea Archipresbyterum mense Decembri, anno M.C.XXII. à Calixto II. lectum, qui Anacletum Antipapam aliquandò est sequutus; vnde in epistolâ ad Lotharium Imperatorem nomine Schismaticorum missâ, anno M.C.XXX. subscripsit, nominaturque Raynerius sanctæ Mariæ Maioris Archipresbyter, quem titulum nouissimè dederat Anacletus, alias Petrus Leonis. F.





Anno Christi M.C.XXV.

MATHÆVS RHEMENSIS PRIOR S. MARTINI CARDINALIS EPISCOPVS ALBANVS HONORIO II.

NOBILIBVS opulentiſque parentibus editus in Rhemenſi Prouinciâ Mathæus, à primâ iuuentute, & pietati & literis ſtuduit; Canonicus Rhemenſis creatus, Rodulphi optimi Archipræſulis ſecutus veſtigia, honóribus Eccleſiaſticis repudiatis Monachiſmum profitetur; ideò Lutetiam profectus, illic in Andrio ſancti Martini à Campis Religioſus Benedictinus Congregationis Cluniacenſis, ibidemque anno M. C. XIX. Prior ordine III. vitâ functo Theobaldo, qui ſucceſſerat primo omnium Priori Vrſioni; Petrus Venerabilis Cluniacenſis Archimandrita IX. Cluniaci hunc inſtituit Priorem.

Præficitur Epiſcopatui Albanò, & creatur Cardinalis à Summo Pontifice Honorio huius nominis II. Anno M. C. XXV. Caſſinum mittitur ad deponendum Nicolaum Abbatem Monachis Caſſinenſibus exoſum, ob bona & facultates Monaſterij dilapidatas, mandatque Pontifex Fratribus, vt quem Mathæus idoneum ex Romanæ Sedis authoritate fuerit arbitratus, hunc ſibi eligant è veſtigio Abbatem. Pontium etiam Abbatem Cluniacenſem (de quo ſuperius actum pluribus) à Sede Apoſtolicâ ab officio remotum conueniens noſter Mathæus, nouo excommunicationis vinculo aſtringens; conuenit & Cluniacenſes Monachos, qui offenſas pœnitentiâ diluerunt, de quorum causâ ſapienter perorauit, vti tradit Petrus Cluniacenſis.

Petr. Clun. l. 2. cap. 3. Idem, cap. 4.

Quæ autem qualeſque fuerint Mathæi Cardinalis virtutes ex eodem Petro Abbate audiamus. Quinescientem, inquit, Romam vocauerat Deus, reditum impediuit, & quia ſuper pauca fuerat fidelis, eum ſuper multa, vt expertum diſpenſatorem promouit. Iniungit ei cum honore nominandus Papa Honorius maioris honoris & oneris Paſtoralem curam, & eum labori ſuo ſocium adhibens, in Epiſcopum Albanum conſecrat. Prouectus ergo ad ſublimem Pontificalis Ordinis gradum, & ſuper Eccleſiæ candelabrum,

..., ad lucendum omnibus, qui in domo erant, magnificè exaltatus, ... [A]scetico seu Monachico quondam more dimisit. Sed sicut de Magno Martino legitur, *eadem in corde humilitas, eadem in vestitu eius vilitas man[sit]*, nihil de officijs, nihil de cantibus, nihil de prolixâ Cluniacensi psalmodiâ, quarumlibet curarum prætextu reliquit. Seruabat in Palatio institutu[m] claustri, & mundo expositus firmo & longo vsu, velut innato Religionis proposito à sæcularibus vanitatibus se quasi septo firmissimo secernebat. Cohibebat se intra se, nunquã (sicut de quodam dictũ est) magis solus quàm cum alijs, nunquam negotiosior quàm cum solus erat. Præferebat cunctis operibus suis, omnibusque sacris studijs, sacrificandi Deo illum suum quotidianum vsum, à quo nec rei familiaris cura, nec multiplex occupatio, nec ipsa continua à Summo Pontifice omnium Ecclesiarum sibi imposita sollicitudo eum retrahere poterant. Conquerebatur inde sæpius Papa alijs ad Curiam mane ex more conuenientibus, & ipsi ad horam tertiam vix occurrenti, quod plus nimiò esset Monachus, velut improbrabat. Nec hoc tantum Romæ, sed etiam vbique terrarum studiosè seruabat. Vrebatur sæpe æstiuis diebus acriore Italici solis ardore, quòd matutinas in his sacris officijs horas occupans extrahi ab Ecclesiâ circa sextam quandoque horam vix poterat; & quia non solum simplex Religiosâ innocentia, sed & prudens erat singulari prudentiâ mittebatur sæpe à magistro ad diuersas partes Orbis terrarum, & vices Apostolicas, in partem ab eo vocatus sollicitudinis, prudenter administrabat.

Dictum de Diuo Martino.

Deo quotidie litabat.

Mittitur Legatus in Gallias anno M. C. XXVII. & Legationis comites sibi assumpsit Diuum Bernardum sui amantissimum primum Claræ-vallis Archimandritã, & Stephanum Cistercienſem Abbatem, licet febri detineretur, sic sanctus Bernardus testatur quadã epistolâ, quam scripsit ad Mathęũ Legatum, quæ sic incipit. Fuit quidem parere paratum cor meum, sed non æquè vt corpus meum; sæuientis siquidem acutæ febris exusta ardoribus & exhausta sudoribus non valuit sufficere spiritui prompto caro infirma: verum oportunè importuna Legatio Bernardum coëgit, vt Trecas proficisceretur, vbi sedente Hattone Episcopo Trecensi, antea Monacho Cluniacensi, quâ confirmatur Templariorum Militum iam institutus Ordo Hierosolymis ante annos nouẽ, teste Guillelmo Tyrio. Huic Cõcilio interfuêre Archipręsul Rhemẽsis Reginaldus des Prets, fundator Monasterij Igniacẽsis, & Archiepiscopus Senonẽsis Henricus Sanglier cum suarũ Prouinciarũ Suffraganeis. Cui Synodo pręfuit Mathęus Honorij Legatus, datusq; Tẽplarijs viuendi certus canon, & regula, ac niuei coloris indumentũ, recipiente Hugone de Paganis, primo huiusce Militię magistro. Eius Ordinis laudes texuêre sanctus Bernardus in libello, cui Titulus *ad Milites Templi*, & Petrus Venerabilis in epistola ad Euerardum Templariorum Præfectum.

S. Bernard. ep. 21.

Hatto ex monacho Episcopus Trecen.

Tyrius l. 12. belli sacri cap. 7.

Monasterium Igniacen. fundatur.

Templariorum Ordo & 1. magister.

Tertiâ Legatione in Gallijs functus, deponendi & in ordinem redigendi Henrici Virdunensis Præsulis gratiâ, quâ de re D. Bernardus ad Haimericum S. R. E. Cancellarium: non acquieuit Henricus Mathæo ipsum deponenti, sed omni industriâ est conatus inuadere Catalaunensem Ecclesiam, ad quod malum procul eliminandum dedit epistolam idem Diuus Bernardus Honorio. *Summo Pontifici Honorio frater quidam professione Mo-*

D. Berna. ep. 48.

Idem ep. 13. ad Honorium.

nachus, conuersatione peccator se ipsum quantillus est. Aiunt, apud Vos plus valere pauperis precem, quam potentis vultum, quo minus audeam loqui ad vos id præsertim, quod charitas suggerit: de Ecclesia dico Catalaunensi, cuius quantum in me est, nec debeo, nec valeo dissimulare periculum. Videmus nimirum iam iamque imminere sentimus nos, qui vicini sumus, pacem videlicet memoratæ Ecclesiæ grauiter mox esse turbandam, si electioni illustris illius viri, id est magistri Alberici, in quam vtique, tam Clerus, quàm populus, pari voto, & voce conuenerant, & conueniunt, vestræ pietatis assensum impetrare nequiuerint. De quâ re si aut nostra quæritur, aut curatur sententia; nouimus hominem sanæ fidei, & doctrinæ hactenus extitisse, in diuinis pariter, & humanis prudentem esse, & speramus in domo Dei, (si tamen ipse elegit eum) fore vas in honorem, & vtilem futurum, non solùm illi, sed & omni Gallicanæ Ecclesiæ: vestræ iam discretionis est iudicare, an meritò flagitetur à Vobis facienda dispensatio, vnde talis sperari potest recompensatio.

Pro Alberico Catalaunen. Episcopo.

E Galliâ petijt Germaniam, ad audiendas iustas Canonicorum Ecclesiæ Alberthastensis contra Episcopum querelas, ratione quarum cogitur Sedem deserere, vt refert eiusdem temporis scriptor Dodechinus natione Germanus, Abbas Cœnobij Disibundi, in continuatione Chronici Mariani Scoti.

Dodech. in append.

Stetit firmissimè à partibus Innocentij II. contra Anacletum, apud omnes pessimè audientem, sed Romæ satellites habentem, qui omnia infestabant circa Lateranense Palatium. Hic Antipontifex Legatum Mathæo contrariũ instituerat in Gallijs, Episcopum Engolismensem Girardum è Diœcesi Baiocensi oriundum, de quo sanctus Bernardus, vocaturque in vita sancti Guillelmi Pictauorum Comitis, *astutissima vulpes & serpens tortuosus.*

Qualis Girardus Episcopus Engolismen.

Legationum obitarum à Mathæo meminit Petrus Cluniacensis, totam Galliam, exceptâ parte Aquitauiæ, Hispaniam, Angliam, Germaniam sibi, imò Christo, studio præcipuè Mathæi Papa Innocentius vniuit, in quibus partibus diu Mathæus cum ipso commoratus.

Petrus Clun. l. 2. cap. 16. Labores Mathæi.

Dum Pisis ageret cum Papâ Innocentio, subscripsit mense Decembri diplomati concesso in gratiam Attonis Pistoriensis Episcopi, pro suæ Ecclesiæ immunitate anno M.C.XXXIII.

Vltimam obijt Legationem Mediolani cum sancto Bernardo, & Guidone Pisano Cardinale paulò ante mortem, ex Baronio anno M.C.XXXIV. vt Ecclesia Mediolanensis Sedi Apostolicæ conciliaretur, Anselmo Archipręsule Mediolanensi fauente Antipontifici, & vt præterea Imperator Lotharius à Mediolanensibus reciperetur, Legatorum consilio etiam assumptus Legationis collega Gaufredus Carnotensis Præsul, cuius innocentia, & vitę probitas in multis probata: primam refert Legationis causã auctor vitę S. Bernardi Abbas Bonæ-vallis: cum diu, inquit, sub Anselmi Archiepiscopi schismate, qui Petri fautor Mediolanensem occuparat Cathedram, Sacerdotes gementes, Virgines squallidæ, sanctificationes maledictę, altare pollutũ, iram Dei in populum prouocassent, abdicatis Anselmi præstigijs, in Sedis Apostolicæ obedientiam sub Innocentio reuocata est Ecclesia.

Baron. an. 1134.

Qualis Gaufredus Carnoten.

Auctor vit. S. Bern. l. 2. cap. 2.

Tantæ Religionis, & virtutis fuit Mathæus Cardinalis, vt Arnaldus

Vion referat eum in ἀγιολόγιῳ Benedictinorum ad octauum Kalendas Ianuarias, cuius vitam Petrus Venerabilis Abbas descripsit. Graui morbo cruciatus, horribilem Dæmonum turbam signo crucis fugauit: ad inuisibilia raptus, Euangelium obliuisci non potuit: gloriæ sedem ad Christi pedes sibi paratam vidit, tempus suæ ad locum migrationis agnouit: morti proximus, antequam Diuinæ Eucharistiæ robore muniretur, sanctæ nostrę Fidei dogmata confessus, morte Natalem Christi diem præcedente, Christum è cruce pendentem postremis his verbis allocutus est. *Iam ô Misericors Saluator tempus est, vt, quod promisisti adimpleas, & tuo instante natali, à vita mortali migrandi, & ad te, qui vita es æterna, transmigrandi licentiam concedas*; paulò post ad cilicium, vt optauerat, & rogauerat, cinere conspersum translatus, dum in secundâ missâ caneretur, *Lux fulgebit hodiè super nos*, mortales tenebras Pisis relinquens, ad æternam lucem euolauit. Innocentius, & cum eo Episcopi ac Cardinales, & Curia vniuersa, & Pisana vrbs mortuum inuisunt; plurimi manus, & pedes illius osculantur, & eo contactu se sanctificari non irritâ fide confidunt.

Petr. Vener. à cap. 13. ad 23. L. 2 miracul.

Pia mors.

Cœlum itaque petijt terrâ relictâ Pisis, die ipso Natalis Domini, anno M.C.XXXV. cum per sex menses decubuisset, sepultus in Ecclesiâ sancti Fridiani, gloriâ miraculorum clarus. Post Septem annos B. Petrus Venerabilis Pisas profectus, sacros eius cineres inuisit, sacramque pro illo hostiam obtulit.

Die sancto Stephano sacrâ Innocentius pro illius animæ requie solemni ritu rem sacram fecit.

Martyrologium Benedictinum in Cœnobio Cluniacensi; depositio S. R. E. Albanensis Episcopi, qui ante mortem suam videre meruit gloriam, quam ipsi Christus præpararat.



PETRVS CARDINALIS PRESBYTER
SANCTÆ ANASTASIÆ
HONORIO II.

ANNO CHRISTI, M.C.XXVII.

PRESBYTERIS Cardinalibus Petrus adlectus tituli sanctæ Anastasiæ, ab Honorio II. anno M.C.XXVII. creatione tertiâ.

In Galliam Cisalpinam Legatus proficiscitur, Synodum congregat Rauennæ, duos Patriarchas, nimirum Aquileensem & Gradensem à Sede deturbat, anno M.C.XXVIII. ex ritu Pontificali. Diuus Bernardus ad Petrum epistolam misit; cuius epigraphe. *Carissimo Domino suo Petro Presbytero Cardinali frater Bernardus Abbas Claræ vallis salutem & non in via.* Deinde habetur epistola hæc quidem breuis. Ego causam non habeo, causam tamen Diuionensium Monachorum (putà S. Benigni) quia viri Religiosi sunt, meam facio. Manutenete eam, vt meam, sic tamen meam, vt & iustitiæ sit, quod vtique & nos confidimus, & tota ferè patria testatur.

S. Bernard. ep. 16. Commēdat Monachos S. Benigni.

Post Honorij Pontificis discessum dedit calculum electioni Innocentij II, anno M. C. XXX. die decimâ quartâ Februarij, contra Anacletum II. Petrum Leonis à S. Bernardo meritò Antichristum appellatum. Ecce Christus Domini ipse Innocentius positus est in Resurrectionem, & multorum ruinam. Nam qui sunt Dei libenter iunguntur ei, qui autem ex aduerso stat, aut Antichristi est, aut Antichristus.

S. Bernard. ep. 124. Antipontifex Antichristus.



Anno Christi M. C. XXVII.

YVO SANVICTORIANVS CARDINALIS SANCTORVM SYLVESTRI ET DAMASI HONORIO II.

IN Cœnobio D. Victoris Parisiensi Canonicus Regularis sancti Augustini Yuo, cuius meminit ante quingentos annos Ioannes Trullus in Chronico Canonicorum Regularium, & Gabriel Volaterranus post recensitos duos Hugones à sancto Victore statim addit; Yuo etiam ex eodem Cœnobio Cardinalis magnā vir famâ doctrinæ. Sunt, qui Yuonem Carnotensem Præsulem cum hoc nostro confundunt; verum distinguntur, ille Cardinalatu non fuit donatus, hic verò Episcopatum non habuit. Ille interfuit Synodo Claromontanæ anno M. X C V. & obijt secundo Kalendas Ianuarias anni M. C. X V I I. hic viginti sex annos vixit superstes, prætermissus à Ciaconio, qui in Innocentij II. quartâ Cardinalium creatione meminit cuiusdam Yuonis, quem confundit cum præsenti.

Gabr. Volat. l. 21.

Obitus Yuonis Carnoten.

Cardinalatum dedit Yuoni nostro Honorius II. tituli sanctorum Laurentij & Damasi, vt refert Cartophylacium Augensis Ecclesiæ, anno M. C. XXVII. mense Decembri.

Ab Innocentio II. Legatus in Gallias anno M. C. XLI. vnde Diuus Bernardus ad Papam Innocentium de Comite Radulpho. Sententia, inquit, excommunicationis à Legato vestro bonæ memoriæ magistro Yuone data in terram & personam adulteri tyranni. Rem clarius explicemus; Radulphus Viromanduorum Comes vxorem suam dimisit, & sororem Leonoræ Reginæ Petronillam duxit. Propterea rogatu Comitis Theobaldi prudentissimi, & piissimi mittitur Yuo Romanæ Sedis Legatus, qui & Radulphum Comitem diris deuouit, & Episcopos Laudunensem Bartholomæum, Nouiomensem Simonem & Petrum Syluanectensem, qui diuortium illud effecerant, ab officio suspendit & Regnum interdicto subiecit. Dum autem Radulphus ad primas vult conuolare nuptias, relictâ Petronillâ Reginæ sorore ob latam excommunicationem, Ludouicus VII. Galliæ Rex bello eum impetit, Vitriacumque vrbem capit, comburit & mille quingentas personas dat internecioni; cuius culpæ expiandæ gratiâ Bernardus consulit Regi peregrinationem Hierosolymitanam. Hæc dissidia fuêre composita anno sequenti. S.Bern. epist. 217. Radulphus Viromanduus excommunicatur. Tres Episcopi suspensi ab officio.

Altera fertur causa Legationis Yuonis, nimirum dissensio orta inter Innocentium Pontificem, & Ludouicum VII. Gallorum Regem; ex eo capite, quòd Alberico Archipræsule Bituricensium defuncto missus fuerit in eam Sedem Petrus à Pontifice & electus à Canonicis sine Regis assensu, ac consecratus, quem ob Summi Pontificis reuerentiam vir egregius Theobaldus Comes Blesensium & Campaniæ tuebatur. Propterea Rex multas vexauit Ecclesias non solùm Bituricensem, sed etiam in Campania Rhemensem, Catalaunensem, & Cœnobia plurima, de quibus infra in Stephano Catalaunensi Cardinale Prænestino. Ludouicus 7. se opponit Pontifici & Ecclesijs.

Yuoni Cardinali epistolam misit sanctus Bernardus contra Petri Abailardi errores & hæreses, dilectissimo suo Yuoni sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dei gratiâ Presbytero Cardinali, Bernardus Claræuallis Abbas diligere iustitiam & odisse iniquitatem, deinde sic orditur. *Magister Petrus Abailardus sine regulâ Monachus, sine sollicitudine Prælatus, nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine.* D.Bern. epist. 193. Quis Abailardus, & eius hæreses.

Hic porrò Abailardus apud Innocentium anno M. C. XL. multarum hæreseon fuit accusatus; in Synodo Senonensi eius os occlusit D. Bernardus, infectum multis erroribus; de Trinitate enim cum Ario, de Gratia cum Pelagio, de persona Christi cum Nestorio sentiebat: plures hæreses referunt Prateolus, Sanderus, à Castro. Discipulum habuit Arnaldum de Brescia igne consumptum, anno M. C. LV. tempore Adriani IV. Baron. an. 1155. Discipulus eius comburitur.

Fato functus est anno M. C. XLII. duodecimo Kalendas Iulij, in Galliis Legatus, & Innocentius anno sequenti: cum sanctus Bernardus infra scribens Innocentio, vocet Yuonem bonæ memoriæ. Yuo moriens præamitæ suæ testamenti suique executorem sanctum Bernardum scripsit; qui in necrologio Victoriano Parisiensi his commemoratur verbis. Anniuersarium magistri Yuonis nostri Canonici sanctę Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Car-

dinalis & Apostolicæ Sedis Legati.

Bernard. epist. 218. Defuncto Yuone Legato D. Bernardus nescio quâ calumniâ oneratur, quasi in pauperes bona & facultates Yuonis dissipasset potius, quàm legitimè, vti par erat, erogasset. Sed pura puta erat calũnia, vt idem Bernardus ad Innocentium missâ epistolâ ostendit. Multum, fateor, peccaui, si pecunia Cardinalis Yuonis bonæ memoriæ meo arbitrio distributa fuit, & non ad nutum ipsius, sed confido, quia nunc huius rei veritatem cognoscetis, & veritas liberabit me.

Purgat se à calumnia.



Anno Christi M.C.XXVII.

PETRVS CARDINALIS DIACONVS S. ADRIANI.
Honorio II.

PETRVS inter Cardinales promotos ab Honorio II. recensendus est Cardinalis Diaconus sancti Adriani, anno M.C.XXVII.

Legatus mittitur in Galliam ab eodem Pontifice.

S. Bern. tres epistolas ad eum misit. Abbati Claræuallis sancto Bernardo amicus, vt constat ex tribus epistolis ad eundem Petrum conscriptis. Inter alia hæc habet in epistolâ decimâ septimâ; diligimus bonam famam, vestram reueremur, quam in Vobis audiuimus, circa res Dei sollicitudinem, & synceritatem: & ideò valdè gratum habemus, si nostra vobis fortè in aliquo officiosa possit esse rusticitas; sequens epistola decima octaua est prolixior, in quâ plura tractat ad res spirituales, & diuinas pertinentia. In vltimâ, quæ est vndeuigesima, commendat Petro Cardinali causam Rhemensium his verbis: mihi Vos præstitisse confidite, quicquid opis vestræ illi Rhemenses Legati præsto sibi esse persenserint: non quia me tanti putem, hæc audeo, sed quia promisistis.

Officiosa rusticitas.

Ciacon. in Honor. 2. Exorto Schismate post Honorij II. fata, anno M.C.XXX. Ciaconius accusat declinasse nostrum Petrum ad Anacletum II. Antipontificem, qui ex Diacono effectus ab eo Presbyter Cardinalis sancti Eusebij. Huiusce Schismatis mentio habetur in epistolâ Cardinalium à partibus Anacleti stantium missâ ad Lotharium Regem.

Vincent. in spec. li. 25. cap. 46. Anno creationis Petri Cardinalis fœliciter quieuit S. Stephanus Aruernensis Ordinis Grandimontis Institutor.



BALDVINVS PRIMVS CLARÆ-VALLIS MONACHVS CARDINALIS PRESBYTER. INNOCENTIO II.

Anno Christi M.C.XXX.

CELEBRATA Stempis Synodus anno M.C.XXX. pro Innocentio Summo Pontifice excipiendo, quo in Galliis agente, creatur Cardinalis Balduinus Ordinis Cistercienſis Monachus è Clara-valle petitus; in Concilio Nationali Rhemenſi damnatur Antipontifex Anacletus & excommunicatur ipſis Innocentio & D.Bernardo præſentibus: non Thuſcus fuit, ſed Natione Gallus noſter Balduinus, vti apparebit diligenter perpendenti verba Bernardi Abbatis Bonæ-vallis, in vita ſancti Bernardi. Diuerſarum regionum ciuitates ex hoc Collegio (*purâ Clara-vallenſi*) meruêre Epiſcopos. Imprimis Roma Summo ornatur Pontifice, nimirum Eugenio III. Præneſte Stephanum habuit totius gloriæ virum, Oſtia virum magnum Hugônem, in ipsâ quoque Romanâ Curiâ Henricus, Bernardus alter Presbyter, alter Diaconus ordinati ſunt Cardinales. Propè Vrbem Romam Nepa ſub Huberto refloruit. In Thuſcia Piſis natalis ſoli gloria, & magnum Eccleſiæ lumen Balduinus effulſit. Citra Alpes, Lauſanæ datus eſt Amedeus. Seduno Garinus, Lingonis Godefridus, Antiſſiodoro Alanus, Nannetis Bernardus, Bellouaco Henricus, Tornaco Giraldus, Eboraco Henricus; in Hybernia duo Epiſcopi, re & nomine Chriſtiani. In Alemandia ciuitate Euria Algotus, ſapientiâ ætate & gratiâ reuerendus. Hæc luminaria de Clara-valle aſſumpta fulgore puro, prædictas vrbes ſuâ illuſtrauêre præſentiâ, & Paſtoralis officij elucidantes gloriam, exemplum cæteris Epiſcopis facti ſunt, & in altitudine ſua humiles conſtiterunt; ſed clarius Onuphrius Pannuinus in Cardinalium Epitome, & Arnaldus Wion, qui Gallum fuiſſe teſtantur Balduinum.

Baron. an. 1131.

Bernard. Bonæ-val. Abbas l. 2. cap. 8.

Varij Clarauallenſes Præſules.

Onuphr. in Epit.

Arnaldus VVion li. 1. lign. vitæ cap. 44

Diſcipulus D. Bernardi Abbatis, hinc ad eundem Balduinum tunc temporis Reatini Cœnobij Archimandritam ſic ſcribit. Noſti ſub qua ſarcina gemo, & gemitus meus non eſt à te abſconditus: ſicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam, hærentem lateri meo, placentem cordi meo,

S. Bern. ep. 201. Cariſſimus D. Bernardo

diligam & absentem, ne solatium meum ex te, & non te videar dilexisse. Eras mihi pernecessarius, atque hinc vel maximè claret, quam syncerè te diligam. Hodie nempe non te caruissem, si quæsissem de te, quæ mea sunt, nunc autem vides, quòd spretis vtilitatibus meis, tuis compendiis non inuidi, ponens te vtique ibi, vnde aliquando transponaris super omnia bona Domini tui. Idem sanctus Berhardus; Infirmus in arcto temporis, certè cum lachrymis, & singultibus ista dictaui, teste charissimo fratre nostro Balduino, qui stylo ea excepit: quem Ecclesia vocauit ad aliud officium, & ad aliam dignitatem.

Idem ep. 149.

Amanuensis S. Bernardi.

Primus inter Monachos Claræ-vallenses Cardinalis ab Innocentio II. creatur anno M. C. XXX. Claromonte Aruerniæ, vbi Concilium celebrauit Pontifex, quò primum venerat, postquam ad S. Ægidium appulisset.

Baron. an. 1130.

Comitatus est Summum Pontificem per Gallias proficiscentem: Ludouicus VI. cognomento Crassus Galliæ, & Henricus I. cognomento bello-Clericus Angliæ Reges Innocentium recepêre, vt verum Pontificem, quem hic inuisit Carnuti, ille Aurelijs; in Synodo Rhemensi (de quo initio) Reginaldo à Pratis Rhemensi Archiepiscopo, excommunicationis fulmine percutitur Petrus Leonis ille Anacletus, ibique decimo octauo Calendas Aprilis, die Christo resurgenti sacrâ Pontifex coronam Ludouico Iuueni Ludouici Crassi Regis filio in præsentiâ duorum Regum imposuit; Philippo fratre ante biennium Rhemis coronato, sed mirando casu defuncto: fortè enim fortunâ sus inter equi, quo ferebatur, pedes insiliit, quod morti præbuit occasionem. Hic ipse Ludouicus VII. Rex, Hierusalem cum exercitu profectus anno M. C. XLVII. consilio Diui Bernardi.

Innoc. 2. inuisit. à Regibus Gall. & Anglo.

Sus occas. mortis filio Regis Annal. Franc.

Archipræsul Pisanus ab eodem Innocentio Pontifice creatus post suum in Italiam reditum. Ita Petrus Diaconus in Chronice Cassinensi. Balduinus Cardinalis, qui pòst Pisanus fuit Archiepiscopus.

Petrus Diac. lib. 4. cap. 110.

Pontifex Balduinum Presbyterum Cardinalem vnà cum Rainaldo Cœnobiarchâ misit Cassinum: præcipiens, inquit Petrus Diaconus, vt filium Petri Leonis à Cassinensibus Monachis anathematizari faceret, ac Papæ eiusque successoribus debitam exigeret obedientiam, quod ita factum est.

Idem cap. 119.

E viuis eripitur anno M. C. XLVI. pridie Nonas Octobres, & inter Beatos in Calendario Cisterciensi annotatur. Fasciculus sanctorum Ordinis Cisterciensis, & Magnum Exordium eiusdem Ordinis multas præclari viri laudes continent.

Magnum Exord. li. 3. cap. 24.

Animaduerte Lector, Balduinum sancti Pastoris in Diœcesi Reatina Ordinis Cisterciensis primum Abbatem fuisse diuersum à Balduino Gallo Archiepiscopo Pisano. Ille enim fuit filius Bernardi Marsorum Comitis, & Rainaldi Abbatis Cassinensis & Cardinalis frater, obiitque anno M. C. XL. in Ecclesiâ Reatinâ sepultus, & decimo die Augusti colitur.

Duo Balduini.



LVCAS CARDINALIS SANCTORVM IOANNIS ET PAVLI INNOCENTIO II. Anno Christi M.C.XXXII.

CLARA-VALLE educatus Lucas, & D. Bernardo Abbati percharus, vnde idem ad Claræ vallenses suos ex Italiâ scribens. Orate pro Domino Papa, qui me pariter & vniuersitatem vestram paterno fouet affectu. Orate & pro Domino Cancellario, videlicet Haimerico Cardinale, qui mihi pro matre est; & pro ipsis, qui cum eo sunt, Domino Luca, & Domino Chrysogono Magistro Yuone, qui se nobis exhibent fratres vterinos. D.Bern. epist.144.

Cardinalatum tituli Sanctorum Ioannis & Pauli obtinuit ab eodem Innocentio II. anno M.C.XXXII. in Francia, non tempore Synodi Claromontanæ in Regni Franciæ, & totius Occidentis vtilitatem congregatæ, vt quidam sunt opinati, cum fuerit celebrata M.C.XXX. vt notauimus ex Cardinale Baronio, superius in Balduino. Ptolom. Lucen. an.1134. Synodus Clarom.

Agens Pisis, Ecclesiæ Pistoriensis priuilegio subscriptionem apposuit concesso à Pontifice Innocentio, anno M.C.XXXIV. duodecimo Kalendas Ianuarias, ipso Pontifice subscribente, aliisque Cardinalibus; eodem anno habita est Synodus nationalis in Pisana ciuitate præsentibus Innocentio & Diuo Bernardo. Synodus Pisana.





ANNO CHRISTI. M.C.XXXIV

MARTINVS CISTERCIENSIS CARDINALIS SANCTI STEPHANI IN COELIO MONTE.

INNOCENTIO II.

S.Bern. li. 4. ad Eugen.ca 5.

NOSTRVM appellat sanctus Bernardus de Consideratione ad Eugenium III. Pontificem, suum in Clara-valle quondam Monachum. Dignum nunc in medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri; nosti hoc, sed an memineris ignoro.

Bernardin.Montal.in hist. Cist.

Chrysost. Henriq. tom.1.fascic. SS. Cist.Ord. l.2.dist.10

Innocentius II. Martinum promouit ad Cardinalium Presbyterorum gradum tituli sancti Stephani in Cœlio monte (Fauni olim erat templum) anno M. C. XXXIV. Hic Cardinalis Ordinem Cisterciensem sub disciplina sancti Bernardi professus, vir omni virtute commendatus, cœlestium meditationi vacans & lectioni, assiduè ieiunijs intentus à rerum sæcularium commercio longè secretus: plura habet liber illustrium virorum Ordinis Cisterciensis, & Guido Clare-vallensis de viris illustribus eiusdem Ordinis, Godefredus Claræ-vallensis, Anonymi Chronicon, Ægidius Daunis, Martyrologium Ordinis Cisterciensis; Chrysostomus Henriquez Gallum & Monachum Cisterciensis instituti fuisse refert. Subscripsit Pisis cum Pontifice Innocentio & alijs Cardinalibus, duodecimo Kalendas Ianuarias, anno M. C. XXXIV. priuilegio Ecclesiæ Pistoriensis in gratiam Attonis Episcopi viri egregiæ sanctitatis.

Baron. an.1134.

D.Bern. loco cit.

Reddit datum equum.

Legatus in Daniam fuerat anno eodem missus ab Innocentio, vt testatur Baronius, ex qua reuertens mirandæ paupertatis exemplum ostendit, de quâ S.Bernardus, qui addit; Florentiæ Episcopus donauit ei equum, quo Pisas vsque, vbi erâmus tunc, perductus est. Postridiè credo sequutus est Episcopus (erat enim illi causa cum aduersario, & agendi aderat dies) cœpit requirere suffragia amicorum, cumque per singulos sollicitaretur, ventum est ad Martinum, fiducia maior in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficij. Tum Martinus, decepisti me, inquit, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in stabulo est, & horâ eadem resignauit illi. Quid dicis mi Eugeni? nonne alterius sæculi res est, rediisse

Legatum de terra auri sine auro.

Legatus de terra auri redit sine auro.

Interfuit Pisanæ Synodo, in quâ ab Innocentio in Sanctorum numerum est relatus D. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, petito Martini Cardinalis, & aliorum suffragio; super quâ apotheosi scripsit Innocentius Guidoni Delphinensis Carthusiæ Priori, in fine epistolæ habetur. Orantes pro nobis dilectos filios nostros Carthusienses Fratres per te in Domino salutamus, & benedicimus. Datum Pisis, decimo Kalendas Maij; Innocentio B. Hugonis scriptam à se vitam Guido dicauit.

S. Hugo Gratianopol. canonisatur Pisis. Innocentius scribit ad Guidonem Priorem Carthusiæ.

Obijt ante tempora Eugenij III.



DROGO LAVDVNENSIS CARDINALIS OSTIENSIS. INNOCENTIO II.

ANNO CHRISTI M.C.XXXIV

SCVTVM D. Benedicti, in area miniata Leo argenteus, lingua & coccineis faculis. Ordinis Benedictini Monachus Drogo, I. Abbas S. Ioannis Laudunensis, teste auctore supplementi ad Sigebertum. In Cœnobium Laudunense Sanctimonialium Benedictinum institutum fuit introductum operâ & studio Drogonis, eâ occasione natâ. Rex Ludouicus Crassus accepto à Drogone nuntio de nonnullis in eo Monasterio degentibus Monialibus, quæ laxiori vitæ indulgebant; voluit eas corrigi, & in alium locum transferri, ijsque succedere Benedictinos, qui communi suffragio Drogonem elegerunt anno M. C. XXVII. in primum Cœnobiarcham; postea apud Bartholomæum Laudunensem XLII. Præsulem filium Fulconis è Burgundia Principis emisit professionem iuxta Concilium Aurelianense primum can. XI. Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant, & Synodum Calcedonensem can. VI. ἔδοξε τοὺς καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ. Quare Abbates Episcopis ante consecrationē suam, subiectionis obedientiæq; professionē edebant; ad eam formulam, aut eius certè consimilē, quā à Cisterciensibus edi solitā docet Honorius III. C. ne Dei Ecclesiā. De simonia. Ego N. Abbas Benedictini Ordinis subiectionē & reuerentiā, & obedientiā à sanctis Patribus constitutā, secundū Regulā S. Benedicti, tibi Domine Episcope,

Robertus de monte in Appendice ad Sigebert.

Barthol. Episcop. Laudun.

Abbates professionem edebant apud Episcopos & subijciebantur.

Formula professionis obedientiæ.

tuisq; successoribus canonicè instituendis, & sanctę Sedis Apostolicæ saluo Ordine meo, perpetuò me habiturũ promitto; qui priuilegio sanctæ Sedis Apostolicæ exempti erant ab Episcoporum potestate, hanc professionem non edebant; vt Goffridus Abbas Vindocinensis, qui non tenebatur, vtpote exemptus, de quo est actum in superioribus.

Purpurâ ornatus ab Innocentio II. secundâ Patrum electione, anno M. C. XXXIV. mense Decembri, in Vrbe Pisana, anno Pontificatûs quarto, creaturque Episcopus Ostiensis, quatuor annorum interuallo Episcopatum rexit.

Vitâ functus anno M. C. XXXVII.

Trith. l. 4. de viris illustr. c. 38. Ingenij sui monimenta clara posteris reliquit, teste Trithemio.

Scripsit de corpore Christi.

De Passione Domini, habetur tomo secundo Biblioth. Patrum.

Et alia quædam.



Anno Christi M.C.XXXIV

CHRYSOGONVS MONACHVS CLARÆ-VALLENSIS CARDINALIS SANCTÆ PRAXEDIS. INNOCENTIO II.

MAGNA cum Diuo Bernardo familiaritate coniunctus Chrysogonus, quem vocat fratrem vterinum epistolâ centesimâ quadragesimâ quartâ, quia nimirum apud Claram-vallem matrem fuerat Monasticâ disciplinâ institutus.

Tertiâ creatione creauit Cardinalem Diaconum sanctæ Mariæ in Porticu, mense Decembri, Papa Innocentius anno M. C. XXXIV. Romæ agens, quo anno Pontificatûs Innocentij II. sanctus Norbertus Ordinis Præmonstratensis & Archiepiscopus Magdeburgensis, beato fine quieuit, feriâ quartâ Pentecostes, quem Gregorius XIII. Cœlitum catalogo adscripsit. Eius festum celebratur sextâ Iunij. Vitam scripsit Hugo Archiepiscopus ipsius Beati successor. At postea Chrysogonus Presbyteratûs titulo sanctæ Praxedis decoratus est, anno M. C. XXXVIII. (S. Norbertus obit.)

Ex hac mortalium regione abijt æuo Innocentij II.



ALBERICVS BELLOVACENSIS CARDINALIS OSTIENSIS INNOCENTIO II.

Anno Christi M. C. XXXVIII.

BELLOVACI natus, Monachismumque professus Cluniaci, vt notauit Ioannes Picardus Canonicus Regularis sancti Victoris Parisiensis. Cardinalitio eum honore decorauit Innocentius II. in quarta electione, anno M. C. XXXVIII. mense Decembri, Romæ apud sanctum Ioannem Lateranensem, factusque est Episcopus Ostiensis. Picard. ad ep. 130. S. Bern.

Diuersas ad diuersos Principes obijt Legationes, inter cæteras tres nanciscor. Prima Legatio in Angliâ, eò missus ab Innocentio statim à promotione ad Cardinalatum ad res Ecclesiæ Anglicanæ componendas. Postquam Londini aliquanto temporis spatio diuertisset, congregauit Synodum VVestmonasterij (alij Londouiæ dicunt) annuente Stephano Rege, cuius rei meminit Rogerius Houedenus in Annalibus. Theobaldum etiam Beccensem Abbatem in Nortmanniâ Franciæ Prouinciâ creauit Archiepiscopum Cantuariensem. 1. Legatio in Anglia. Houeden. in Annal. Theobaldus Beccen.

Secunda Legatio in Syriâ, vt litem inter Rodulphum militarem hominem cognomento Mamistanum, natione Gallum, Diœcesis Cenomanensis Patriarcham Antiochenum intrusum, & eiusdem Ecclesiæ Suffraganeos Episcopos, & Canonicos exortam sedaret. Mortuo enim Bernardo Patriarchâ Antiocheno primo Latinorum, post Sedem triginta annorum, Rodulphus populum largitionibus corrupit, palliumque cepit propriâ authoritate, nullo habito respectu R. Ecclesiæ, omnino detrectans subijci Romano Pontifici, cui se parem imò superiorem profitebatur, & Antiochenam Ecclesiam primogenitam insignem prærogatiuâ. Princeps Raymundus Antiochiæ Albericum Legatum Pontificium, eo, quo debuit & decuit honore excepit, & omnem mouit lapidem contra Rodulphum, quem antea diligebat, coactâ Antistitum Synodo Patriarcham vt absentem & contumacem reum iudicauit, Episcopatuque priuatum declarauit. Postea in Rodulphum iniectæ manus, & in carcerem est coniectus, in Monasterio 2. Leg. in Syriâ. Insolentia Patriarchæ Antiocheni. Incarceratur.

sancti Simeonis ad Mare, sito in colle; à quo carcere liber tandem Legati iussu factus, Romam se confert ad Innocentium: ab eo admissus in Apostolicæ Sedis communionem & gratiam, accepto pallio de corpore Petri Romæ solemni ritu, Syriam repetens vltimo defungitur die.

Gui'. Tyrius de bello sacr. l. 15. & 17. Petrus Lugdunen Archiep. veneno obijt.

Duo habuit Concilia in Oriente (Legatus eius prædecessor Petrus nomine Archiepiscopus Lugdunensis, apud Accon veneno extinctus fuerat) vnum Antiochiæ in Ecclesia Principis Apostolorum; alterum Hierosolymis, in solemnitate dedicationis templi Domini ab eo celebratum: cui interfuit maximus Armeniorum Pontifex, qui Catholicus audiebat.

Tertia Legatio in Galliâ primis Eugenij III. annis, contra Henricum hæreticum Petrobrusianum, cum S. Bernardo & Gaufredo Carnotensi

Interfuit Comitijs, quibus ipse Eugenius S. Bernardi Discipulus creatus est Summus Pontifex, anno M.C.XLV. conqueritur de hac electione D. Bernardus præclarâ epistolâ scriptâ ad Albericum & alios Cardinales Eugenij Electores.

Dominis & patribus Reuerendis Cardinalibus & Episcopis omnibus, qui sunt de Curiâ puer sanctitatis eorum.

Conqueritur S. Bernard. de electione Eugenij.

Parcat vobis Deus, quid fecistis? sepultum hominem reuocastis ad homines: fugitantem curas & turbas, curis denuò implicuistis. Fecistis nouissimum primum, & ecce nouissima illius periculosiora prioribus. Crucifixus mundo per vos reuixit mundo: & qui elegerat abiectus esse in domo Dei sui, ipsum vos in Dominum omnium elegistis. Cur consilium inopis confudistis? Cur pauperis hominis & mendici & compuncti corde iudicium perturbastis? currebat bene. Quid vobis visum sepire vias eius, auertere semitas, gressus inuoluere? Quasi descenderet de Hierusalem, & non magis ascenderet de Iericho, sic incidit in latrones. Et qui se tanquam violentis quibusdam diaboli manibus, carnis illecebris & gloriâ sæculi potenter excusserat, non tamen valuit effugere manus vestras. Num idcirco Pisam deseruit, vt reciperet Romam? Num, qui in vna Ecclesia non sustinuit Vicedominatum, Dominatum in omni Ecclesia requirebat? Quid igitur rationis seu consilij habuit, defuncto Summo Pontifice, repente irruere in hominem rusticanum: latenti inijcere manus, & excussâ è manibus securi, & asciâ vel ligone, in palatium trahere, leuare in Cathedram, purpurâ induere & bysso, accingere gladio ad faciendam vindictam in Nationibus, increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, nobiles eorum in manicis ferreis: sic non erat inter vos sapiens & exercitatus, cui potius ista conuenirent?

Ridiculum profectò videtur, pannosum homuncionem assumi ad Pontificatum, ad præsidendum Principibus, ad imperandum Episcopis, ad regna & imperia disponenda. Ridiculum, an miraculum? plane vnum horum. Non nego, non diffido posse fuisse hoc opus Dei, qui facit mirabilia magna solus, præsertim cum audiam vsquequaque ex ore multorum, quoniam à Domino factum est istud. Sed nec ego oblitus iudiciorum Dei antiquorum & scripturæ, plurimos recensentis ex priuatâ, seu etiam rusticanâ vitâ olim in voluntate Domini ad regendum populum eius assumptos. Denique nonne (vt vnum è pluribus memorem) tali quodam modo elegit Dauid

seruum suum, & suscepit eum de regibus ouium, & depost foetantes accepit eum? ita inquam, ita & de nostro Eugenio in beneplacito Domini potuit cogitasse. Non sum securus tamen, quoniam filius delicatus est, & tenera verecundia eius assueta potius otio & quieti, quam tractandis, quæ foris sunt, timendumque ne non eâ auctoritate, quâ oportuerit, sui Apostolatûs officia exequatur. Quid putatis gerere animi hunc hominem illum, qui de secreto internæ significationis, & amicâ solitudine cordis tanquam infans è gremio, & sinu matris subitò perturbatus, tractum se ad medium vidit, & quasi ouem ad victimam ductum ad tam insueta & insuauia? Nisi Dominus supponat manum suam, heu necesse est obruatur, & opprimatur onere insueto & nimio, quod & Gigantinis (vt aiunt) vel ipsis quoque Angelicis humeris formidabile videatur.

Verumtamen quia sic factum est, & sicut multi dicunt à Domino factum est, vestrá interest Charissimi, vestris feruentibus studijs fidelibusque obsequijs sollicitè confouere, quod vestris manibus constat elaboratum. Si qua ergo in vobis consolatio, si qua charitatis in Domino virtus, si qua pietatis miseratio, si qua compassionis viscera; assistite & collaborate illi in opere, ad quod assumptus est per vos à Domino: quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, hæc ei suggerite, hæc suadete, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum; hactenus D. Bernardus.

Dum dedicata est Catalauni ad Matronam Ecclesia ab eodem Eugenio III. præsens fuit Albericus Cardinalis Ostiensis ex monimentis eiusdem Ecclesiæ. Anno Incarnati Verbi M. C. XL V I I. consecrata est hæc Ecclesia in honorem sanctæ Trinitatis, sanctæ Mariæ, sancti Protomartyris Stephani, & Ioannis Baptistæ & Valerij & Vincentij Martyrum, & Chrysantij & Dariæ. Dedicatio autem à Domino Papa Eugenio facta solemniter cum sex alijs Episcopis, Alberico Ostiensi, Hugone Niuernensi, & Bartholomęo huius Sedis Venerabili Episcopo, qui eandem dedicationem honorificè fieri procurauit. Actum publicè, septimo Kalendas Nouembris. **Dedicatur Ecclesia Catalaunen. ab Eugenio.**

Necessitudo intercessit non parua inter sanctum Bernardum, & Albericum, vti patet ex illius epistolis ad hunc missis vnâ, quâ debacchatur in schisma, alterâ de damnis, quę patiebatur sponsa Christi in Episcopatu Metensi. **S. Bernard. ep. 219. & 229.**

Diem clausit extremum tempore Eugenij Pontificis, successitque in Episcopatu Ostiensi eius loco Hugo Cardinalis Monachus Cisterciensis.





ANNO CHRISTI M. C. XXXVIII.

HVGO A SANCTO VICTORE DESIGNATVS CARDINALIS TVSCVLANVS INNOCENTIO II.

CANONICVS Regularis Diui Augustini, Lutetiæ Parisiorum, in celeberrimo sancti Victoris Andrio: suo tempore alter Augustinus habebatur, perspicacissimi enim erat ingenij, eloquentiâ valebat singulari, scientiarum laude florebat non vulgari, vitæ etiam sanctitate admirabili; illic vitam agebat Gilduino I. Abbate, de quo fertur illud tetrastichon.

Gilduinus I. Abbas.

Gilduinus abit de castris Victor ad aulam,
Idibus Aprilis Rege vocante suo.
Prima columna domus, custos gregis, Ordinis auctor.
Hic iacet æterni dignus amore loci.

S. Bernard. ep. 77. Richard. & Adam. Discipuli.

Ad Hugonem scripsit sanctus Bernardus epistolam doctrinâ refertam aliàs satis longam cum hoc titulo. *Ad Magistrum Hugonem de sancto Victore*; Discipulos habuit Hugo Richardum, & Adamum à sancto Victore viros celebres.

Penn. l 2. cap. 33. hist. tripartitæ.

Electus Cardinalis Presbyter Tusculanus in Ægidij locum demortui, ab Innocentio II. quartâ electione, anno M. C. XXXVIII. mense Decembri Romæ. Abbas Pennatus hunc Hugonem titulo Beati decorat, & ante adeptam purpuram mortem oppetijsse opinatur.

Insignem scripsit epistolam ad Ioannem Archiepiscopum Hispalensem à fide Apostatam, anno Christi M. C. XXXVI. eam refert Baronius in duodecimo Annalium tomo.

S. Ignat. ep. 13. ad Ephes.

Ἀθανασίας φάρμακον, vt vocat sanctus Ignatius Martyr, corpus Christi moriturus petijt, & quia lanquens stomachus quemlibet cibum reijciebat, hostia non consecrata ipsi fuit allata, quod cum diuinitùs edoctus agnosceret, simulationem obiurgauit, vt reuera erat obiurganda, verumque Christi corpus diuinum epulum afferri sibi iussit, quod cum periculo vo-

mitus se recipere non posse intelligeret, præsentibus hæc locutus. *Ascendat filius ad Patrem, & seruus ad Dominum, qui fecit illum*; tunc species Dominici corporis euanuerunt; hoc refert Durandus de Hugone; at potius & verius narratur de Mauritio Episcopo Parisiensi fundatore Ecclesiæ Cathedralis, quæ nunc visitur, testibus Cæsario Monacho Cisterciensi, & Iacobo Vitriaco.

Durand. in Rationali. l. 4. cap. 41. Cæsar. l. 9. hist. memor. cap. 41. Iac. Vitr. l. hist. occid. c. 38

Hugonjs animus mortales artus Deo fruiturus reliquit Lutetiæ, anno M.C.XXXIX. secundo Februarij, sepultus in Claustro Monasterij iuxta ædium sacrarum fores.

Osbertus Prior sancti Victoris, qui morienti adfuit refert Hugonem has voces moriendo sæpe sæpius in ore habuisse. *Sancte Victor ora pro me.* Procurarat Diui Victoris Martyris lipsana pro Cœnobio Parisiensi è Massiliensi Andrio allata; translati Hugonis fuerunt cineres in capellam Diui Dionysij, anno M.CCC.XXXV. in qua habetur hoc epitaphium.

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo.
Quàm breuis eximium continet vrna virum.
Dogmate præcipuus, nullique secundus in Orbe.
Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.

In Claustro tamen hi leguntur versus inscripti laminæ æneæ.

Hugo sub hoc saxo iacuit vir origine Saxo.
Annis ducentis tribus inde retentis
In Claustro primò se poni fecit in imo,
Et pede calcari, nolens mundo decorari.
Luce sub vndenâ Febrùi tolluntur arena
Ossa, chori latere læuo translata fuêre.
Anno milleno, ter centum, ter quoque deno
Christi cum quinque, fratrum chorus astat vtrinque.

Varia & multa scripsit in tres tomos secta, Venetijs excusa anno M.D. LXXXVIII.

In primo tomo hæc habentur.

De scripturis & scriptoribus sacris prænotationes.

Annotationes elucidatoriæ in Pentateuchum, Iudices, libros Regum, Psalmos aliquot.

In Ecclesiastem homiliæ XVIIII.

Annotationes elucidatoriæ in Threnos, in Ioëlem, & Abdiam.

Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in totum testamentum vetus, exceptis Prophetis, & libris Sapientialibus.

Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in quatuor Euangelistas.

Annotationes literales, & quæstiones in epistolas sancti Pauli.

Annotationes elucidatoriæ in Dionysium Areopagitam.

Secundi tomi hæc sunt.

Institutiones in Decalogum.

Expoſitio in regulam ſancti Auguſtini.
De inſtitutione nouitiorum. De clauſtro animæ.
De anima libri quatuor. De medicinâ animæ.
De arrha animæ. De laude charitatis.
De modo orandi. De fructu carnis, & ſpiritus.
De nuptijs carnalibus & ſpiritualibus libri duo.
De vanitate mundi libri quatuor.
De meditatione libellus. De arcæ myſticæ deſcriptione.
De arca Noë libri quatuor.
Sermones centum de varijs argumentis.
Sermo de aſſumptiône Beatæ Mariæ.

Tertio tomo hæc continentur.

Didaſcalici libri ſeptem, quorum vltimus de Trinitate differit: reliqui ſex ad artes liberales pertinent.
De poteſtate & voluntate Dei libellus.
De quadruplici voluntate in Chriſto libellus.
De ſapientia animæ Chriſti libellus.
De vnione corporis & ſpiritus libellus.
De Verbi Dei efficaciâ libellus.
Apologia de Verbo Incarnato.
De Verbo Incarnato diſputationes tres.
De perpetuâ Virginitate B. Mariæ.
Miſcellaneorum ſecundi codicis, libri quinque.
De filia Iephte tractatus.
Speculum de myſterijs Eccleſiæ.
De ceremonijs, Sacramentis, & officijs eccleſiaſticis libri tres.
De canone myſtici libaminis libellus.
Dialogus de Sacramentis legis naturalis, & ſcriptæ.
Summa ſententiarum ſeptem tractatibus comprehenſa, quorum eſt primus de fide, ſpe & charitate, de Trinitate & Incarnatione. Secundus de creatione, & ſtatu Angelicæ naturæ. Tertius de creatione & ſtatu humanæ naturæ.
Quartus de Sacramentis in genere, & præceptis diuinis.
Quintus de Sacramento Baptiſmi.
Sextus de Sacramento Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis.
Septimus de Sacramento coniugij.
De Sacramentis Chriſtianæ Fidei, libri duo.



STEPHANVS CATALAVNENSIS CARDINALIS PRÆNESTINVS INNOCENTIO II.

Anno Christi M.C.XL.

CISTERCIENSIS Congregationis apud Claramuallem Monachus Ordinis Benedictini Stephanus, Catalauni ad Matronam editus, vir tātę pietatis, vt Ioannes Sareſberienſis Synchronos poſteris ſcriptum mandarit. Quis, inquit, non ſtupeat Epiſcopum Pręneſtinum, qui ſcrupulū conſcientię metuēs, à participatione bonorū communium abſtinebat? Non abs re igitur Bernardus Bonæ-vallis Abbas in vita D. Bernardi vocat noſtrum Stephanū omni gloriâ illuſtrem, quem Præneſte habuit totius gloriæ virū. (Sareſber. in Policratico l. 6. cap. 24. Abbas Bonæu. in vita. D. Bern. l. 2. c. 8.)

Romæ Cardinalatu tituli Epiſcopi Præneſtini honoratum legimus, anno M.C.XL. menſe Decembri ab Innocentio II.

Apud hunc Cardinalem conqueritur ſanctus Bernardus de Rege Ludouico VII. à Pontifice Innocentio II. coronato, qui in tribus Eccleſijs Gallicanis turbas excitabat; vnde monendum Pontificem aiebat: electiones, inquit, Epiſcoporum prohibentur fieri, vt ſicubi id præſumptū à Clericis fuerit, electus epiſcopari non ſinitur. Sedet in triſtitiâ Eccleſia Pariſienſis proprio deſtituta Paſtore, & nemo eſt, qui de ſubſtituendo alio mutire audeat. Veſtra Catalaunenſis fecit quidē electionem, ſed qui electus, ecce iam diebus nonnullis debito honore fruſtratur. Commiſit Rex germano ſuo Roberto vices Epiſcopi, infert cœlis quotidianas hoſtias non planè pacificas. Rhemenſem inuadit, atque in terra Sanctorum iniqua gerit, non Clericis, non Monachis, non Sanctimonialibus parcens. Denique ſanctæ Mariæ, ſancti Remigij, ſancti Nicaſij, ſancti Theodoriei terras fructiferas, & villas populoſas ita in ore gladij deuaſtauit, vt pene in ſolitudinem redegerit vniuerſas. Sic Rex emendat, quod in Eccleſiam Bituricenſem Herodiano iuramento commiſit. (S. Bern. ep. 224. Eccleſia Pariſien. vidua Paſtore. Rex impedit Electiones. Ludouic. 7. dilapidat Eccleſiæ bona.)

Alia querimonia contra Regem, pro quâ etiam admonendus erat Innocentius, videlicet quòd Rex Ludouicus vellet impedire matrimonia, inter filium Comitis Campaniæ Theobaldi, & Comitis Flandrenſis filiam, & item inter Comitem Sueſſionenſem, & filiam Comitis Theobaldi, cum nullus eſſet obex. Ipſe tamen Rex cum ſuâ, tertio conſanguinitatis gradu fer- (Idem impedit matrimonia.)

mè permaneret, consobrinâ. Apud Innocentium, inquit idem Bernardus, cuius lateri & spiritui adhæretis, habe me excusatum, *quod Rege mutato, mutauerim stylum.*

S.Bern. ep.231. Commissus Stephanus ab Innocentio Pontifice in causâ Abbatis sancti Theofredi Diœcesis Podiensis, vnde sanctus Bernardus ad Stephanum & alios. Si vera sunt, quæ audistis de Abbate sancti Theofredi, non potestis ea dissimulare sine periculo vestro, & propter officium & propter conscientiam. Conscientiã dico non tantum vestram, sed etiam aliorũ: sunt autẽ verisimilia, credo quod & vera. Verum est enim, quod testimoniũ perhibet de his præsentium lator. Vnde hæc quoque sciam, quęritis? Fascem teneo literarum missarum à viris sanctis, quos ego noui, quia sancti, & veridici sunt, & omnes illæ pariter continent tam laudes, & præconia huius, quàm illius horrendas blasphemias, quem accusant.

Accusatur blasphemiarum Abbas S. Theofredi.

D. Bern. ep.219. 220. 230. Ad hunc aliosque quoque tres Episcopos Cardinales scripsit idem Diuus Bernardus epistolas plures, de quibus postea in Ymaro Cardinale.

Cœlum petijt anno M.C.XLV. paulò ante Eugenij III. promotionem, quæ contigit anno eodem, mense Martio. In Ordine Cisterciensi Sanctorum catalogo inscribitur, vt notat Ioannes Cyreius in eodem catalogo eiusdem Ordinis, festusque dies celebratur decimo tertio Februarij, ex Calendario Cisterciensi, cuius vitam posteris reliquit Chrysostomus Henriquez in fasciculo Sanctorum eiusdem Ordinis.



Anno Christi M.C.XL.

HVGO DE FOLIETO DIACONVS CARDINALIS INNOCENTIO II.

ELOQVIO, & doctrinâ clarus Hugo, è Monasterio Sanctorum Petri & Pauli Corbeiensis in Picardiâ ad Somonam, Ordinis Benedictini tempore Roberti Abbatis, non in Saxoniâ, vt ait Ciaconius, nec Canonicus Regularis ex eodem. Est alia eiusdem nominis Corbeia, sed illius Colonia Diœcesis Paderbonensis in Saxoniâ, cuius meminit Innocentius in Tertio, *Cùm venerabilis, de consuetudine,* & hoc fefellit Ciaconium non distin-

Innoc. 11. 3. cap.7.

guentem iuniorem à seniore, quæ fundata fuit à Matilde Franciæ Reginâ, & filio eius Lothario. Nicolaus I. Pontifex ad Trasulfum Abbatem Corbeiensem confirmat priuilegia eiusdem Abbatiæ. De Hugone hoc distichon illius æui cecinit Petrus Apollonius. Nicol. I. Pontif. epist. 24.

Ecce secundus Hugo, redimitus tegmine fuluo
Tempora dum vixit, nunc Diadema ferens.

Diuinarum scientiâ litterarum Hugonem clarissimum testatur auctor supplementi Chronici, libro duodecimo, quem Arnaldus Vion multis probat fuisse Monachum Benedictinum. Cardinalem Diaconum fecit Innocentius II. anno M. C. XL. mense Decembri. Arnal. Vion. l. 2. ligni vitæ.

Iis temporibus cum Abailardus Dialecticus (de quo iam egimus in Yuone Cardinale) post Synodum Rhemensem interpellasset ad Innocentium, & ad Sedem Apostolicam, nolens acquiescere sententiæ Episcoporum Concilij Rhemensis, in quo ipse Rex Ludouicus VII. fuit præsens, Romam contendit, dumque Cluniaco transiret, Petrus Venerabilis Cœnobiarcha dignissimus hominem est allocutus, & ita cor eius immutauit gratiâ Dei præueniente, vt verum Monachum se præstiterit abiuratis hæresibus, quod testatur idem Petrus Cluniacensis epistolâ ad Innocentium; verâ pœnitentiâ commotus perseuerauit in arctissimâ Cœnobij obseruantiâ vsque ad vitæ terminum prædestinationis vltimum effectum. Post mortem laudauit secundùm consilium sapientis Abailardum idem Venerabilis epistolâ datâ ad Heloyssam Abbatissam eius quondam vxorem Fulberti Canonici Parisiensis neptem, quæ & ipsa idem vitæ genus est professa mulier doctissima. Porrò de viri sui famâ & existimatione sollicita rogauit literis eundem Abbatem, vt illius absolutionem ab Apostolicâ Sede factam ad se mitteret eius tumulo inscribendam. Huius Antistitæ meminit S. Bernardus tacito nomine scribens ad Innocentium, quæ primò ex coniuge Abailardi fuerat Sanctimonialis, indéque Antistita Parthenonis Argentoliensis ad Sequanam præterfluentem in Diœcesi Parisiensi. Cœnobitæ Dionysiani hunc locum repetierunt, cum ex antiquissimis diplomatibus probassent suum esse dono Hermenrici, Nummæq; vxoris, regressi sunt longo postliminio. Caroli Magni filia Theodrada congregauerat ibidem velatas, quæ eiectâ disciplinâ Monasticâ eiectæ sunt: paulo antè Petrus Abailardus cum facultate Archimandritæ Dionysiani fugerat in solitudinem agri Trecensis, vbi Oratorium calamorum palustrium stipulatum, iuncorumque centonibus consartum magis quàm compositum dicauerat primò SS. Trinitati. Quia tamen, inquit, ibi profugus ac penè desperatus diuinæ gratiâ consolationis aliquantulum respirassem: in memoriam eius beneficij ipsum Paracletum nominaui. Oratorium Heloyssæ eiusque sororibus ex Argentolio eiectis donatum est: donationem consentiente Trecensium Antistite Innocentius Pontifex probauit. Tantam autem ei Dominus dedit gratiam, vt Episcopi quasi filiam, Abbates quasi sororem, Laïci quasi matrem diligerent.

Abailardus conuertitur optimus Monachus moritur. Petr. Cluniac. li. 5. epist. 3. Idem ibid. epist. 20. Vxor Abailardi Abbatissa Paracleti. S. Bern. epist. 228. Prioratus Argentolij. Abailard. in Histor. suarum calamit.

Nil certi de Hugonis obitu habemus.

Scripsit librum de Patriarchis.

De quadruplici claustro animæ libros quatuor.
De disciplina ad Religiosos.
De abusibus Claustri.



Anno Christi. M.C.XLII.

YMARVS SANCTI MARTINI DE CAMPIS CARDINALIS TVSCVLANVS. INNOCENTIO II.

LVTETIÆ Cœnobita in sancti Martini de Campis Monasterio, à Mathæo tunc temporis Priore, postea Cardinale Albanensi in Ordinem Benedictinum assumptus adolescentiâ florens, deinde Cluniacum missus; ibi emisit vota solemnia, eo recipiente Pontio Cluniacensi Archimandritâ: diuersis Cœnobij vacat officijs, postea ob ipsius merita, custos Ordinis efficitur.

Isambertus Episc. Pictauie. fundat Monasterium.

Abbas Monasterij-Noui, vulgò *Montier-neuf* Augustoriti Pictonum ab Isamberto Præsule Pictauiensi fundati eligitur; vbique egregiam nauans operam in disciplinâ Monasticâ instituendâ, & conseruandâ, suæ Religionis, & sapientiæ clarissima reliquit monimenta.

Ornatus Cardinalatu ab Innocentio II. in sextâ Patrum lectione, anno M.C.XLII. tempore Quadragesimali, anno Pontificatus duodecimo, factusque Episcopus Tusculanus, & in Patriarchio Lateranensi consecratur ab ipso Pontifice Summo.

Legationis munere fungitur in Angliâ, ad illam mittente Lucio II. non potuit pecunijs, aut aliâ quacumque re corrumpi in iudicio proferendo, vti Legatum Apostolicum decebat.

Interfuit electioni Eugenij III. anno M.C.XLV. quæ Eugenij promotio non placuit D. Bernardo, vt notauimus in Alberico Cardinale.

Schismatis exordio, partibus Octauiani Victoris IV. nuncupati fauit, deditque anno M.C.LIX. Antipontifici insignia Ticini, manusque ei imposuit vnà cum Iarentinensi & Melphiensi Episcopis, quam ob rem ab Alexãdro III. anathematis fulmine percitus Ymarus; verum citò pedem retraxit, Alexandrique veri Pontificis partes sectatus maculam eluit, postquam à Præposito Placentino malè fuisset exceptus. Ioannes Saresberiensis Epi-

Saresb. epist.48.

ſcopus Carnotenſis ait Eccleſiam Gallicanam recepiſſe Alexandrum, & ab Octauiano receſſiſſe. Quadruplex tunc Antipapa (quem *Angelum Schiſmaticum* vocat Petrus Abbas Cellenſis) hic Octauianus Guido, Ioannes Abbas Strumenſis, qui Callixti nomen vſurpauit anno M. C. LXVIII. & Lando, qui dictus eſt Innocentius. Simul quatuor Antipontifices. Petr. Cellen. ep. 14. lib. 8.

Meminimus in Alberico Cardinale Oſtienſi Dedicationis Eccleſiæ Diui Stephani Protomartyris Catalauni ad Matronam (cui interfuit noſter Ymarus Tuſculanus) factæ à Papa Eugenio III. anno à partu Virginis M. C. XLVII. vt eiuſdem Eccleſiæ monimenta teſtantur.

Cluniacum ſe recepit, collegitque quicquid facultatis habere potuit, quod partim in ſtagno faciendo, partim in aliis Monaſterio neceſſariis comparandis liberali manu impendit, relicto Cœnobio hærede ex aſſe. Cluniacū hæres Ymari.

Ibidem naturæ debitis ſatisfecit, anno M. C. LXIV. ſepultus in Eccleſiâ Cluniacenſi. Eius meminit ſanctus Bernardus in epiſtolâ cuius titulus, ad quatuor Epiſcopos Curiæ, Albericum Oſtienſem, Stephanum Prænestinum, Ymarum Tuſculanum, & Gerardum Cancellarium, qui quatuor erant Monachi Benedictini. In epiſtolâ pro Eccleſiâ Metenſi, cuius epiſtolæ initium. Ad hoc Vos Deus in ſublimitate poſuit, vt tantò maiori Eccleſiæ ſuæ vtilitati viuatis, quantò in eâ eminentiori auctoritate præeſtis, ſub finem ait. Ego itaque, quod in me eſt, demonſtro lupum, inſtigo canes. Iam quid interſit veſtrâ, vos videritis, meum non eſt docere Doctores. In epiſtola pro Abbate Lainiacenſi Diœceſis Pariſienſis, quòd accuſaretur apud eoſdem noluiſſe hoſpitio ſuſcipere Nuncium Papæ, quem Dominum ſuum vocat Bernardus: accuſabatur præterea Abbas, quòd litteras Papæ prædicto Humberto violenter abſtulerit, & diripuerit; ſed extabant litteræ integræ & bullatæ. Quid peccauit Abbas Lainiacenſis, an quòd bonus Monachus, & melior Abbas? quòd bonæ opinionis, & melioris eſt vitæ. Denique accuſabatur de bonis Eccleſiæ quaſi diſtractis & alienatis, verum coram Venerabilibus Epiſcopis Sueſſionenſi & Antiſſiodorenſi, Comiteque Theobaldo aduocato ſatis reſponſum. S. Bern. epiſt. 219. Idem ep. 229. Idem in epiſt. 230. Abbas de Lagny triũ accuſatur & defenditur.

Scripſit ſuper ſacras litteras commentaria.





Anno Christi M.C.XLV.

GVIDO CARDINALIS DIACONVS S. MARIÆ IN PORTICV. EVGENIO III.

S.B. eo. epist. 332.

Cellens. l. 8. ep. 215.

ZELI & Religionis virum vocat S. Bernardus in epistolâ ccc.xxxv. quam eidem Guidoni Diacono Cardinali misit; distinguendus est ab alio Guidone Cardinale, de quo idem D. Bernardus in alia epistolâ. Nam hic fuit Pisanus & S.R.E. Cancellarius successor Haymerici: apud illum Cancellarium commendatam Romæ voluit Ecclesiam Metensem laborantem idem Abbas Sanctus. Eiusdem Cancellarij tanquam amici meminit Petrus Cellensis Cœnobiarcha, qui ad Carnotensem peruenit Ecclesiam.

Cardinalitiam dedit infulam Guidoni Eugenius III. Viterbij anno M.C.XLV. sui Pontificatus primo, primâ Cardinalium promotione, tituli Diaconatus sanctæ Mariæ in Porticu.

Lucius 2. ictu lapidis moritur.

Eugenius 3. fugit Roma.

Lucius Pontifex hoc anno ex hac vita migrauit, occasio obitus assignatur à nonnullis; cum Romanos ad noua studia concitatos tentaret à Capitolio repellere, incerto lapidis ictu percussus est; sicque breuì vitam finiit. Eugenius nouus Pontifex non de gremio Cardinalium electus, sed solùm Abbas sancti Anastasij trium fontium, in Clarauallè à Diuo Bernardo educatus, patriâ Pisanus nocte mediâ cogitur Româ discedere ob Arnaldum perditissimum Hæresiarcham & Arnaldinos in Vrbe seditionem acrius excitantes.

Concil. Carnotense.

Basilica Vitriacens. & ciues comburuntur.

Sugerius Prorex.

Carnuti anno sequenti celebratur Synodus nationalis tertiâ Dominicâ post Pascha pro expeditione in terram sanctam Rege Ludouico VII. præsente & Præsule Carnotensi Gosleno: Dux bello sacro præficitur sanctus Bernardus; scripsit de ea Sugerius Abbas sancti Dionysij ad Petrum Cluniacensem. Anno M.C.XLVII. idem Ludouicus suscepit Hierosolymitanam expeditionem ob Vitriacensem basilicam, & in ea mille trecentos Oppidanos combustos, quod tam grauiter tulit Rex, vt copiosas emiserit lachrymas, bellique sacri sumpserit tesseram, quo absente idem Sugerius in totâ Galliâ Prorex constituitur; eiusdem Abbatis studio, & impensis

exædificata est admirabili opificio Sandionysiana Basilica, eo quo nunc visitur schemate, Regum Franciæ sepultura, in qua ipse tumulatus Idibus Ianuarij anno M.C.LII. ætatis LXX. ab induto Monachi habitu LX. & Abbatiali præfecturâ XXIX. cuius exequiis flens amarissimè Ludouicus Iunior VII. interfuit cum sex Episcopis; scripsit vitam Ludouici Crassi ad Goslenum Suessionensem Episcopum. *Ædificat ecclesiam S. Dionysij. Moritur. Chronic. Dionys.*



BERNARDVS RHEDONENSIS CARDINALIS SANCTORVM COSMÆ ET DAMIANI. EVGENIO III.

Anno Christi. M.C.L.

BERNARDVM Rhedonensem confundit cum Rolando Abrincensi Ciaconius, Claræ-vallensis fuit Monachus, de quo Ioannes Saresberiensis. Bernardus Romæ, inquit, degens in excelsis singulariter habitauit excutiens manus suas ab omni munere, vt nondum natus sit, cuius aurum, vel argentum in manus acceperit. Quod tamen à communione fratrum synceriore iure proueniebat, interdum accipere est persuasus. *Saresb. in Polycratico, lib. 5 cap. 15.*

Diaconus Cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani ab Eugenio III. anno M.C.L. ab eodem Eugenio creatus est alter Bernardus Cardinalis Presbyter tit. sancti Clementis, qui Henricum Archipræsulem Moguntinum amouit substituto Arnaldo, quem accusat Conradus Episcopus in Chronico Moguntino corrupisse pecuniâ Cardinalem. *Arnaldus Moguntinus accusatur.*

Diploma Canonicis sancti Petri ab Eugenio concessum anno M.C.LIII. roborat; eius meminit Miræus in Chronico, & Chrysostomus Henriquez, & Arnaldus VVion, sub Rolandi Abbatis Dolensis nomine. Rolandus non fuit Monachus, nec Abbas, sed Episcopus Ecclesiæ Dolensis in Armoricis, Bernardus fuit Religiosus Monasterij Claræ-vallensis; alter fuit Rolandus Canonicus Pisanus eadem tempestate, quem Eugenius suum constituit Cancellarium, Cardinalem sancti Marci, qui postea electus est in Summũ Pontificem Alexandrum III. anno M.C.LIX. quem Fridericus Imperator non admittens erexit Idolum Octauianum Antipapam, hoc schisma octo annos perdurauit. *VVion li. 2. lign. vit.*

Guill. Eboracen. veneno moritur dato in Missâ

Houeden. part. post Annal.

Guillelmus Archipræsul Eboracensis anno M. C. L I V. vltimo Regni Stephani Anglorum Monarchæ, Clericorum suorum circumuentione, & proditione sacrilegâ, post sanctissimæ Eucharistiæ perceptionem, infra ablutiones lethali liquore infectus obiit; quem Hugo Dunelmensis Antistes in Ecclesiâ D. Petri Eboraci honorificentissimè sepeliuit; dono eiusdem Regis Stephani successit in Archiepiscopatu Rogerus Cantuariensis Archidiaconus.

Vnus Summus Pontifex Anglus.

Humana deserit Adriano IV. Anglo natione anno M. C. L V. qui fuit primus ipsius Summi Pontificis, & Henrici II. Anglorum Regis filij Matildis Imperatricis.



Anno Christi M. C. L.

HVGO ABBAS TRIVM-FONTIVM CARDINALIS OSTIENSIS ET VELITERNVS. EVGENIO III.

Tres Hugones Cistercien. eiusd. ætat.

Houed. in Annal.

Hugo I. Abbas Pontiniaci, & Episc. Altiss. Baron. an. 1148.

NONNVLLI hunc Hugonem Cardinalem non benè distingunt ab aliis duobus eiusdem nominis, Ordinis, & temporis, sed toto cœlo sunt diuersi. Tres Hugones Ordinis Cisterciensis sic distinguo. Primus fuit Abbas Bonæ-vallis, ad Fridericum Ænobarbum Imperatorem, Conradi nepotem, Ecclesiæ hostem missus, cuius conatibus se opposuit, pacemque inter Alexandrum III. Pontificem & eundem Fridericum composuit, Octauiano (quem idolum vocat Rogerus Houedenus) Antipontifici resistens: in Clara-valle Monachus spiritu Prophetiæ clarus, Abbasque inuitus electus; secundus sacræ militiæ nomen dedit in Cistercio, & fundandi illius celebris Monasterij Pontiniacensis causâ mandatus, primusque Cœnobiarcha: ad Episcopatum Altissiodorensem vocatus, cui scripsit sanctus Bernardus epistolam trigesimam tertiam; interfuit Concilio Rhemensi anno M. C. XLVIII. ex Baronio, Pontiniaci sepultus. Tertius noster est Hugo Cardinalis Archimandrita sanctorum Vincentij & Anastasij ad tres fontes Romæ, siue ad aquas Saluias extra Vrbem; cuius successor Henricus Moricottus Pisanus postea Presbyter Cardinalis. Abbatiam illam ab Innocentio Papâ constructam, & S. Bernardo traditam, Hugo regendam suscepit, in cuius regimine mirabilis eius enituit prudentia.

Tertia Patrum creatione Cardinalis ex Ciaconio, anno M. C. L. tamen catalogus Abbatum sanctorum Vincentij & Anastasij hanc promotionem reijcit in annum M. C. XLVI. Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus ab Eugenio III. qui Veliternum Ostiensi coniunxit ob gentis paucitatem; vt ex syluâ candidâ seu sanctâ Rufinâ, & Portuensi vnum constituit Episcopatum Callixtus II. Petro Romano Cardinale tunc Episcopo, vti meminimus. Henriquez ait ab Innocentio II. purpurâ donatum Hugonem. Duo Episcopatus vniuntur. Henriq. in fasciculo SS. Ordin. Cist.

Tantâ misericordiâ in egenos vsus, vt sua quæque in pauperes effunderet, sciens quæstuosissimam esse artem misericordiam, quæ centuplum pro vno quadrante in hac mortali vitâ parit, & vitam æternam in futurâ.

Frequens mentio Hugonis habetur in epistolis Bernardinis, primò in epistola cuius titulus. Abbati trium fontium, contra nepotem Episcopi Altissiodorensis, sic orditur. Pœnitet me scripsisse pro iuuene illo, & velim, si fieri possit, reuocati precem, per quam videor approbasse iudicium amici, super collatâ & malè collocatâ ab eo præpositurâ. Secundò in epistolâ, cuius titulus Domino Ostiensi pro Odone Abbate sancti Dionysij. Domnus, inquit, Abbas sancti Dionysij accusatur ab iniquis hominibus, sed à bonis omnibus, qui in Ecclesiâ, & in circuitu eius sunt, excusatur. Tertiò, contra Iordanum impium Cardinalem, quæ sic habet. Pertransiit Legatus vester de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, fœda & horrenda vestigia apud nos vbique relinquens, à radice Alpium, & Regno Theutonicorum per omnes penè Ecclesias Franciæ, & Normaniæ, & circumquaque circumiens vsque Rothomagum vir Apostolicus repleuit non Euangelio, sed sacrilegio. Turpia fertur vbique commisisse, spolia Ecclesiarum asportasse, formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus, vbi potuit, promouisse: vbi non potuit, noluisse. Multi se redemerunt, ne veniret ad eos. Ad quos peruenire non potuit, exegit, & extorsit per nuncios. In scholis, in curiis, in triuiis fabulam seipsum fecit. Sæculares, Religiosi omnes malè loquuntur de eo. Pauperes, & Monachi & Clerici conqueruntur de eo. Homines quoque suæ professionis ipsi sunt, qui magis exhorrent & famam eius & vitam. Hoc testimonium habet, & ab his qui intus, & ab his qui foris sunt. Non sic Dominus Ioannes Paperons, non sic cuius laus est in Ecclesia, quippe honorificantis vbique ministerium suum. Legite litteras has Domino meo, ipse viderit quid de tali homine faciendum sit, ego liberaui animam meam. Dico tamen præcipitatione, quâ soleo. Bonum est ei, si purget Curiam suam, & sic liberet conscientiam suam. Decreueram ista tacere: sed venerabilis Prior Montis Dei, ad hoc me impulit & animauit, vt scriberem. Et scitote minus me dixisse, quam publicè prædicatur. Quartò in epistola pro Episcopo Cenomanensi, vt eum tueatur apud Papam Eugenium contra Clerici cuiusdam clamores. Quintò duas epistolas pro lectione Abbatis Turoldi de tribus fontibus scripsit; earum epistolarum meminit Godefridus Monachus Claræuallis. S. Bern. epist. 274. Epist. 287. Epist. 290. Iordanus Cardin. impius. Accusatur à S. Bernardo, & Priore montis Dei. Epist. 296. Epist. 306 & 307. Godefr. l. 5. vitæ S. Bern. c. 1.

Bernardus Bonæ-vallis Abbas in D. Bernardi vita, Ostia, inquit, virum magnum Hugonem habuit. Bern. Bonæ-val. l. 2. cap. 8.

Vitæ dies vltimus, Decembris primus dies, anno M. C. LVIII. vt habet

Dictum Adriani 4. Kalendarium Ordinis Cisterciensis, Adriano IV. Pontifice Anglo, qui sæpenumero in ore habebat *Neminem Summo Pontifice infœliciorem*; ex Ioanne Saresberiensi eius familiari. Post obitum miraculis claruisse Hugonem narrat Chrysostomus Henriquez, & ante ipsum Ioannes Cyreius in Catalogo Sanctorum Ordinis Cisterciensis, & missale vetus Cisterciense.

Saresberien. li. 8. Polycr.



Anno Christi. M. C. LIII.

IOANNES BVRGI-DOLENSIS COENOBIARCHA, CARDINALIS S. MARTINI IN MONTIBVS.

EVGENIO III.

DOMNVS Ioannes Benedictini instituti Cœnobita apud Cluniacum. Abbas Dolensis non in Britannia minore, & Armoricâ, sed in Prouinciâ Bituricensi, ad fluuium Indrum, vulgò *Bourgdieux*; est autem Burgus Dolensis illustre Monasterium in Biturigibus ab Ebbone Toparcha (Carolo non Caluo, vt quibusdam visum est, sed Simplice regnante) iisdem ferè, quibus Cluniacense, temporibus conditum, in præsenti sæcularis est Ecclesia. Fuit & Dolense aliud Cœnobium in Armoricis in Episcopalem postea Cathedram conuersum, quæ Dolensis est Ecclesia Yuoni Carnotensi.

Ebbo fundator Burgidolen. Cœnob.

Yuo Carnot. epist. 202.

Episcopus Atrebatensis ex Trithemio, qui vocat Ioannem virum in negotiis Ecclesiasticis tractandis strenuum. Circa ea tempora ibidem alter Ioannes Atrebatensis, seu S. Vedasti Archimandrita, qui obiit anno M. C. LXXXVI.

Trithem. lib. 4. de vir. illust. cap. 36.

Ab Eugenio Cardinalis creatus, anno M. C. LIII. tituli sancti Martini in montibus, teste Pannuino.

Onuphr. in epit.

In electione Alexandri III. anno M. C. LIX. Ioannes tituli sancti Martini, Guido tituli sancti Callixti & Octauianus tituli sanctæ Cæciliæ non consenserunt omnibus aliis Cardinalibus suffragium Rolando Cardinali, qui postea Alexander est appellatus, dantibus. Ioannes enim & Guido in Octauianum oculos, & ora conijciebant, qui à multis annis in Petri Cathedram aspirabat, omnique vi & violentiâ vsus, Friderici Imperatoris

Octauianus vi detrahit pal-

fultus patrocinio, & fauore in eam prorupit insaniam, vt mantum Papale tanquam arreptitius à collo Alexandri violenter abstulerit, reseratis portis Ecclesiæ, conductos milites introduxit. Horum metu Episcopi & Cardinales in munitionem Ecclesiæ cum Alexandro electo sese receperunt ibi nouem diebus, ne possent exire, ab Octauiani satellitibus sunt obsessi; sed insurgens vniuersus populus Octauianum hæreticum proclamans, inde eos eduxit. Interim ipse cum Ioanne nostro, & Guidone, & alijs, sancti Petri Ecclesiam occupat, Victorque IV. ab ijs nuncupatur, sed rei veritate victus, & schismaticus. liumPontifici. Alexander 3. manet diebus 9. in Ecclesia. Schisma Victoris.

Plura ingenij monimenta transmisisse posteritati scribit Trithemius loco citato: eiusdem est mentio apud Arnaldum VVionem. Vvion. l. 2 lign. vitæ c. 9.



BERNEREDVS ABBAS S. CRISPINI CARDINALIS PRÆNESTINVS ALEXANDRO III. Anno Christi M.C.LXIII.

ALII Bernardum, alij & veriùs Berneredum nuncupant, sicque appellatum nanciscor apud Petrum Cellensem illius æui auctorem, quem notis illustrans Iacobus Sirmundus Societatis Iesu in omni scientiarum genere versatissimus profert diploma Alexandri III. pro Monasterio nouo Pictauiensi, in quo Berneredus se subscribit Cardinalem Prænestinum, eiusdem mentio Berneredi Prænestini habetur in alio diplomate, quod idem concessit Alexander III. Alphonso primo Lusitano Regi. Sirmund. in notis ad Cellen.

Cœnobiarcha Sanctorum Crispini & Crispiniani Diœcesis Suessionensis Ordinis sancti Benedicti. Petrus Cellensis Abbas postea sancti Remigij epistolam quinquagesimam quintam ipsi misit cuius inscriptio. *Carissimo amico suo Berneredo Abbati sancti Crispini, frater Petrus humilis Abbas sancti Remigij semper bene valere.* Ei suffectus est in Abbatia Theobaldus ex epistola eiusdem Petri Cellensis secunda. Bernered. & Theobal. Abbates. Petrus Cell. l. 9. ep. 2.

Romam proficiscitur ad Synodum Lateranensem, anno M. C. LXXIX. cum Neuelone Episcopo Suessionensi, qui subscripsit Concilio; Illuc fuit missus Berneredus à Petro Abbate sancti Remigij, ibique donatur Episcopatu Neuelo Epis. Suessionis.

IdemCellen.ep.21. l. 8. Prænestino. Vnde epistolam ad Prænestinum Episcopum scripsit Petrus tunc Abbas sancti Remigij. Domino Papæ de sua gratia ad vos gratias agite, Cancellarium, Tusculanensem, Albanensem, Dominum Hiacinthum, & Ostiensem sanctum virum, & si quos habemus alios amicos in Curia, salutate. Hi duo postremi fuêre Summi Pontifices Hiacinthus nomine Cœlestinus III. Hubaldus verò Lucius III.

Alexãd. 3. in Gallia. Steph. Tornac. epist. 42. Cardinalatûs decoratus insignibus ab Alexandro III. anno M C.LXIII. Senonibus, agente in Gallijs Pontifice, qui Senonas incoluit annum cum semestri post Concilium Turonibus habitum. Pro Carnotensi Ecclesia laborante tunc ad Berneredum Prænestinum Episcopum epistolam Stephanus misit, primò B. Euuercij Aureliæ ad Ligerim præfectus, postea S. Genouefæ Parisijs Abbas, tandem Tornacensis Episcopus; Carnotensem, inquit, Ecclesiam in Regno Francorum commendabilem, & communis opinio prædicat, & antiqua dignitas repræsentat. Eius quietem, & pacem tantò arctiùs diligere debemus, quantò altiùs beneficia ipsius & sensimus & sentimus. Mouentur in ea filij contentionis & rixæ, & minimas occasiones vsque in maxima scandala protendere moliuntur. Compatientes matri suæ præ cæteris Decanus & Succentor; ad Dominum Papam supplices accedunt, vt inde iniuriarum puniantur præsumptores, vnde iura sumuntur. Specialiter eos diligimus, & diligimur ab eis, quorum antiquæ societatis & diuturni conuictûs reliquias sub honestæ recordationis memoriâ retinemus. Preces fundimus Sanctitati vestræ, vt eorum desideria, petitiones, vota, & suscipiatis beneuolè & beneficè compleatis.

Cartusia Montis-Dei. Tanto in Deum amore flagrabat, tantâ diuini secessus cupiditate mouebatur Berneredus, vt Cartusiam Montis Dei in Campaniâ Gallicâ & latebras Romanis delicijs & Cardinalitijs infulis anteponeret.

Petr. Cell. l. 9. ep. 6. Berneredus claret miraculis. Viam vniuersæ carnis ingressus circa annum M.C.LXXXVI. fœlici obitu, & miraculis clarus, ex eodem Petro Cellensi epistolâ ad Episcopum Tusculanum. Malebat, inquit, cellam Montis-Dei incolere, vt frequenter mihi scripsit, quàm Episcopalem Cathedram tenere. Præuenit illum benedictionibus suis, & quem olim amicum, & fratrem in terris habebamus, nunc Dominum, & sanctum in cœlis veneramur. Miracula enim, quæ facit Deus, testimonia credibilia sunt sanctæ conuersationis eius. Itaque digitum superpono ori meo.





GIRARDVS ÆDVENSIS CARDINALIS SANCTI STEPHANI ALEXANDRO III.

Anno Christi M. C. LXXIII.

ARCHIDIACONVS Ecclesiæ Æduensis Girardus, siue, vt verbo D. Hieronymi vtar, Augustodunensis, eam Ecclesiam gubernante Stephano II. quæ dedicata est in sancti Lazari, & Diui Nazarij honorem, moneta enim argentea cusa sic legitur insculpta: *moneta sancti Nazarij*, & ex alia parte, *Ædua*. (Moneta Æduensis.)

Presbyter Cardinalis tituli sancti Stephani in Cœlio monte ab Alexandro III. anno M.C.LXXIII. mense Septembri, dum tertiò promouentur Patres; Viuianum in eo titulo reliquit successorem Apostolicæ Sedis Legatum in Hiberniâ Scotiâ & Noruegiâ anno M.C.LXXVI. ex Houedeno. Eiusdem nominis & tituli Cardinalem refert Ciaconius in Eugenio III. anno M.C.L. sed quàm verè, Chronologis relinquo examinandum. (Houeden. parte poster. Annalium.)

Abrincis pro absolutione obtinendâ quinto Calendas Octobris anno M.C.LXXII. conuenerunt Henricus Rex Angliæ Pater, & Henricus eius filius in præsentiâ Theodini & Alberti Cardinalium sanctæ Sedis Legatorum, & Rotrodi Rothomagensis Archipræsulis, omnium Episcoporum atque Abbatum Neustriæ: vocati etiam fuêre è Regno Franciæ Archiepiscopus Turonensis & eius Suffraganei, vt de his testarī possent. Hic est absolutionis tenor. (Rotrodus Archiep. Rothomag.)

HENRICO Dei gratiâ illustri Regi Anglorū, Albertus tituli sancti Laurentij in Lucinâ, & Theodinus tituli sancti Vitalis Presbyteri Cardinales, Apostolicæ Sedis Legati, salutem in eo, qui dat salutem Regibus. Ne in dubium veniant, quæ geruntur & vsus habet, & communis consideratio vtilitatis exposcit, vt scripturæ serie debeant annotari. Inde quidem est, quòd nos mandatum illud in scriptum duximus redigendum, quod vobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam quondam Cantuariensem Archiepiscopum occiderunt, occasione motus & turbationis, quam viderant in vobis, ad illud facinus pro- (Absolutio Regis Henrici & eiusdem Pœnitentia pro morte sancti Thomæ.)

cessisse timetis. Super quo tamen facto purgationem in præsentiâ nostrâ de voluntate propriâ præstitistis, quod videlicet nec præcepistis, nec voluistis vt occideretur. Et quando peruenit ad vos, plurimum condoluistis. Ab instanti festo Pentecostes vsque ad annum, tantam dabitis pecuniam, vnde ad arbitrium Fratrum Templi ducenti milites valeant ad defensionem terræ Hierosolymitanæ, per spatium vnius anni teneri. Vos autem à sequenti Natalis Domini, vsque ad trienníum accipietis crucem, proximâ tunc æstate, illuc in propria persona, ducente Domino, profecturi, nisi remanseritis per Dominum Papam, vel Catholicos Successores eius. Sanè si contra Sarracenos pro vrgenti necessitate in Hispaniam profecti fueritis, quantum temporis fuerit, ex quo arripueritis iter, tantundem supradictum spatium Hierosolymitanæ profectionis poteritis prolongare. Appellationes nec impedietis, nec impediri permittetis, quin liberè fiant in Ecclesiasticis causis ad Romanum Pontificem bonâ fide & absque fraude & malo ingenio, vt per Romanum Pontificē causæ tractentur & consequantur effectum suum; sic tamen, vt si suspecti fuerint vobis aliqui, quòd malum vestrum, vel regni vestri non quærunt consuetudines, quæ inductæ sunt contra Ecclesias terræ vestræ in tempore vestro, penitus dimittens. Possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si quæ ablatæ sunt, in plenum restituetis, sicut habuit vno anno, antequam Archiepiscopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea & Laicis vtriusque sexus pacem, vestram in gratiam & possessiones suas restituetis, qui occasione prænominati Archiepiscopi destituti fuerunt. Hæc autem vobis auctoritate Domini Papæ, in remissionem peccatorum vestrorum iniungimus & præcipimus obseruare, absque fraude & malo ingenio. Hoc sane coram multitudine personarum iurauistis Vos pro Diuinæ reuerentiâ Majestatis. Iurauit & filius vester, excepto eo, quod personam vestram specialiter contingebat. Et iurastis ambo, quòd à Papâ Domino Alexandro & Catholicis successoribus eius, quamdiu Vos sicut antecessores vestros, & Catholicos Reges habuerint, minimè recedetis. Atque vt in memoria Romanæ Ecclesiæ firmiter habeatur, sigillum vestrum præcepistis apponi.

Canonizatur S. Th. Cant.

Anno sequenti relatus die primo Quadragesimæ in Cœlitum catalogum D. Thomas Martyr ab eodem Pontifice Alexandro post audita à Legatis innumera miracula, elapsis ab obitu duobus annis.

Scutum Ecclesiæ Æduen.

Finiamus cum Girardo nostro, qui post adeptam dignitatem Cardinalatus non diu vixit. Datum ei insigne Ecclesiæ Æduensis brachium armatum ensem ducalem gerens, vno à dextris, altero à sinistris lilio.



PETRVS



PETRVS ECCLESIÆ MELDENSIS PRÆSVL CARDINALIS SANCTI CHRYSOGONI. ALEXANDRO III.

Anno Christi M. C. LXXIII.

SCVTVM Ecclesiæ Cathedralis Meldensis in primo & quarto laterculo miniato candelabrum aureum, in secundo & tertio cyaneo lilium aureum. Vnus tantum fuit Petrus Meldensis, qui duas diuersis temporibus obijt Legationes in Gallijs, & vnam pro Rege Angliæ, primùm Cardinalis S. Chrysogoni, postea Episcopus Tusculanus.

Prima Legatio anno M.C.LXXIII. instituta mandato Alexandri III. vt sese Agennensibus Hæreticis Galliæ opponeret, in eumque finem missus Petrus; non sunt porrò distinguendi ab Agennensibus Vvaldenses, à Vvaldo Lugdunensi eorum auctore hanc sortiti appellationem, siue pauperes de Lugduno exorti, Guidone Carmelitâ attestante, anno M.C.LXX. Inter eorum falsa dogmata hoc vnum habebatur ex Ænea Syluio, qui postea fuit Papa Pius II. preces pro mortuis, & purgatorium ignem esse inuentum auaritiæ Sacerdotum.

Vvaldens. Hæretici. Guido Carm. de Hæresib.

Purgatorium.

Episcopus Ecclesiæ Meldensis, ex Rogero Houedeno & Petro Cellensi epistolâ octauâ ad Guillelmum Senonensem, posteà Rhemensem Archiepiscopum. Ecclesiæ, inquit, Meldensi tres viros honorificentissimos, Domnû scilicet Cardinalem, Magistrum Petrum, & Simonem Archidiaconum Senonensem vicissim assignasti. Quare tabulis Episcoporum Meldensium duo sunt addendi Præsules post Stephanum Episcopum (qui epistolas scripsit pro sancto Thomâ Cantuariensi) nimirùm Petrum Cardinalem, & alterum Petrum.

Houeden. parte post. Annal.

Duo addendi Episcopi in tabulis Ecclesiæ Meldensis.

Secunda Legatio Petri in Normanniâ, pacis componendæ ergò inter Henricum II. Anglum Regem, & Richardum eius filium ob matrimonium filiæ Ludouici Francorum Regis, quam Richardus vxorem postulabat. Audiamus Houedenum, anno M.C.LXXVII. Petrus tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, quondam Meldensis Ec-

Houeden. ibid.

clesiæ electus, venit in Franciam, & ab Alexandro Papa in mandatis recepit, quod tota Normannia, & omnes terræ Regis Angliæ Cismarinæ, & Transmarinæ sub interdicto ponerentur, nisi ipse permitteret Richardum filium suum Comitem Pictauiæ ducere in vxorem Alesiam filiam Lodouici Regis Franciæ, quam ipse Rex Angliæ iam diu & vltra, quam inter eos conuenerat, in sua custodia retinuerat. Quod cum Regi Angliæ constaret, appellauit ad præsentiam Domini Papæ pro seipso, & pro terris suis, & mox transfretauit de Angliâ in Normanniam, & habito colloquio inter ipsum, & Regem Franciæ apud Iury, vndecimo Calendas Octobres, coram prædicto Cardinali, & Magnatibus vtriusque Regni. Rex Angliæ Pater per suos fidem dedit, & in animam suam iurare fecit, quod Richardus filius eius Comes Pictauiæ prædictam Alesiam in vxorem duceret, si Rex Franciæ pater puellæ dederit præfato Richardo Comiti Pictauiæ ciuitatem Bituricensem cum pertinentijs suis in maritagium cum filia sua, sicut conuentio inter illos inde facta exigit, & Henrico Regi filio suo totum Vougesin Francigenum, videlicet totam terram, quæ est inter Gisortium & Punterse, quam ipse promiserat se daturum illi in maritagium cum filia sua. Sed quia Rex Franciæ hæc dare noluit, Rex Angliæ non permisit Richardum filium suum prædictam Alesiam in vxorem ducere. Tamen in eodem colloquio, consilio Cardinalis, & Principum vtriusque Regni facta est amicitia, & finalis concordia inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ; hactenus Houedenus.

Reges Franciæ & Angliæ conueniunt Yuriaci.

Tertia Legatio anno M. C. LXXVIII. aduersus Hæreticos Albigenses Tolosanæ Prouinciæ (qui se bonos homines vocitabant) ante biennium exortos. Collegæ Legationis fuerunt Guarinus Bituricensis, & Petrus Narbonensis Archipræsules, nec non Henricus Claræuallensis Abbas postea Cardinalis. Girardus Episcopus Albiensis tunc detinebatur custodiâ à Rogero de Beziers eius terræ Principe Hæretico.

Contra Albigenses.

Antea idem Præsul Albiensis Synodum côuocarat contra eas pestes anno M. C. LXXVI. & condemnauerat, definita sententiâ in Oliuarium & alios prolatâ à Guichardo Archipræsule Lugdunensi. Infernum è medio tollebant & aliarum plurium hæreseon auctores, de quibus post Prateolum Sanderus. Multa præclara in eâ Legatione pietatis opera edidit noster Petrus, qui in contumaciâ & hæresi perseuerantes Albigenses excommunicatione ferijt, postea bello victos à Simone Comite Mont-fortio, penitusque deletos, cùm S. Dominicus alijque viri doctrinâ & pietate insignes verbo & opere illis adfuissent eò mandati ab Innocentio III. eiusdem Legationis meminit Petrus Cellensis Abbas. Ad eundem Petrum scripsit Stephanus Tornacensis epistolam congratulantem, quòd à minimis ad summa peruenisset, à canonicatu quodam climace ad Cardinalatum.

Baron. anno 1176.

Prateol. & Sanderus, ex Houedeno.

S. Dominicus.

Petrus Cellen. l. 8. ep. 8. Stephan. Torn. ep. 61.

Petro S. Chrysogoni Presbytero Cardinali.

Iucundum mihi fateor spectaculum præbet recordatio vestra, dum quasi per graduum canticum ascendentem suspicio, dum à minoribus ad maiora Petrum nostrum hinc virtutes sibi rapiunt, hinc honores. Gratia gratiam inuocat, gloria gloriam: vt cortina cortinam trahit, & iam plenè licet omnibus, qui in domo Domini sunt, quoniam de plenitudine suâ vo-

bis gratiam & gloriam dedit Deus. Hæc sunt, quæ amicorum vestrorum exhilarent faciem in oleo: corda lætificent & confirment. Huius festi me participem gratulor, huius gloriæ me consortem. Nam & si inter vestros modicum locum obtineam, sed non modicum tantæ dilectionis simul & vendicationis vendico mihi fructum. Amplector scholarem, prosequor Archidiaconum, deosculor Abbatem, assurgo Episcopo, reuereor Cardinalem, his gradatim ascendentibus, & sibi accedentibus potius quàm succedentibus articulis, arrident honores moribus, mores honoribus coexultant; viuat in alijs illud vulgare prouerbium: honores mutant mores. In vobis id tantum precor obtineat, vt si mutent aut moueant, eam motus speciem, quæ augmentum dicitur, non excludant. Interim, Pater, immolo pro vobis quales possum hostias precum, columbas gemituum, vitulos labiorum. Confido quia, quem dilexistis priuatus, non dediligetis promotus. Me ipsum si placet in holocaustum obsequij vestri suscipite, quem ad libitum vestrum fortis vt mors dilectio, mater & flamma charitatis accendat.

Vitæ finem imposuit Alexandro III.

Scripsit præclaram epistolam contra Albigenses Sedis Apostolicæ Legatus, habeturque apud Rogerum Houedenum posteriore parte Annalium; quâ refert excommunicatione perculsos Raimundum de Baimiaco, & Bernardum Raimundi Hæresiarchas.



MATHÆVS ANDEGAVENSIS CARDINALIS SANCTI MARCELLI ALEXANDRO III.

Anno Christi M. C. LXXVIII.

IN Andegauis natus purpuram accepit Tusculi ab Alexandro III. anno M. C. LXXVIII. mense Decembri, tituli sancti Marcelli, Pontificatus anno vigesimo, dum quintò Cardinales crearet Alexander.

Interfuit absolutioni Guillelmi Scotorum Regis anno M. C. LXXXII. ab ipso Lucio, ex Houedeno ita referente. Ad instantiam Nuntiorum Regis Scotiæ, videlicet Iocelini Glascuensis Episcopi, & Arnaldi Abbatis de Melcos, & Osberti Abbatis de Kelcon & Vvalteri Prioris S. Columbę de Insula, Lucius

Houeden. poster. parte Analium.

Guillel. Rex Scotiæ absoluitur ab excommunic.

quippe Papa III. absoluit Guillelmum Regem Scotiæ à sententiâ excõmunicationis, & regnũ suum ab interdicto, Romæ in Lateranensi Palatio coram Cardinalibus suis, scilicet Petro de Pauia Episcopo Tusculanensi, & Episcopo Prænestino, & Alberto Cancellario, & Iacinto & Hugesrune, & Petro de Boua, & Magistro Viuiano & Reinero magno, & Chinchecapello, & Reinero paruo, & Hardesrune, & Hardevvin, & Mathæo Andegauensi.

Porro ante aliquot annos fuerat Rex à Rogerio Eboraeensi Archipræsule Apostolicæ Sedis Legato Alexandri III. authoritate diris excommunicationis deuotus, obnixè hanc absolutionem rogantibus Regijs Nuntijs, Iocelino Præsule Glascuriensi, & Arnaldo Melrosensi Cistereiensis Ordinis Archimandritâ, Regnum interdicto soluitur eâ conditione, vt Ioannes Episcopus Duntzeldensis maneret, & quietè suo munere fungeretur, Rexque suis staret promissis Ioanni. De his plura inferius in Rolando Abrincensi Cardinale sanctæ Mariæ in porticu.

Baronius mentionem facit nostri Mathæi Andegauensis ad annum Christi M. C. LXXXII. numero primo.



Anno Christi M. C. LXXIX.

THEOBALDVS PRIMVS SANCTI BASOLI ABBAS CARDINALIS OSTIENSIS ALEXANDRO III.

Quinque habuit Abbatias

Pett. Cellen. ep. 3. lib. 9.

RELIGIOSVS Ordinis Benedictini Theobaldus, Prior Monasterij Sanctorum Crispini & Crispiniani, postea eiusdem Cœnobij Abbas post Bernerédum Cardinalem: primus sancti Basoli Diœcesis Rhemensis Archimandrita annum vnum, neque integrum, postea Flauiacensis; ex quo gradum fecit ad S. Luciani Bellouacensis Cœnobium: tandem XV. Abbas Cluniacensis, cui electo scribit Petrus Cellensis. Profectò amodo tot moles supportabitis, quot Monachorum curam recipietis, *deinde addit*, mihi autem, & fideli, & amico vestro gaudium est & exultatio, quod tantum amicum in tam excellenti loco merui videre sublimatum, nam & ipse seruus & filius sum Cluniacensis Ecclesiæ, successitque anno M. C. LXXIX. Guillelmo viro vnius anni regiminis. In locum Theobaldi subrogatus

Hugo Comitis Claromontani filius, ex Cœnobiarchâ eiusdem Diui Luciani.

Non confundendus hic Theobaldus cum Theobaldo Synchrono eiusdem Ordinis, & Priore sancti Martini Ordinis Cluniacensis, postea Episcopo Parisiensi, cui sermones Petrus Abbas Cellensis componebat; vnde ait, tres sermones de Aduentu Domini, & vnum de Natiuitate orditus sum vobis; quo modo Saluianus Presbyter homilias Episcopis multas fecisse dicitur à Gennadio. Idem ep. 21. lib. 1. Cellensis componit homilias Theobaldo Episc. Parisien.

Cardinalis Presbyter tituli sanctæ Crucis in Hierusalem ab Alexandro III. anno M. C. LXXIX. sextâ creatione, & Episcopus Ostiensis creatus à Lucio III. secundâ Patrum promotione, feriâ quintâ Cinerum, in Veronensi ciuitate anno M. C. LXXXIV. Ita antiquum Chronicon Cluniacense, & Robertus de Torigny in appendice ad Sigebertum præsenti æuo vitam trahens.

In Vrbani III. & Clementis III. priuilegiis Hugoni Abbati Cluniacensi Theobaldi huius successori datis subscripsit ipse Theobaldus Episcopus Ostiensis & Veliternus.

Migrat ad Deum pridiè Nonas Nouembris anno M. C. LXXXVIII. sepultus in naui Basilicæ D. Pauli, viâ Ostiensi, hoc epitaphio donatus.

Hic requiescit Dominus Theobaldus Episcopus Ostiensis.



HENRICVS CLARÆ-VALLENSIS ABBAS VII. CARDINALIS ALBANVS. ALEXANDRO III.

ANNO CHRISTI M. C. LXXIX

NOBILES sortitus natales in Castro Marsiaco non multùm dissito à Cluniaco. Monachum egit B. Roberto de Brugis II. Claræ-vallensi Abbate; ob præclaras animi dotes licet iuuenis eligitur Cœnobiarcha Altæ-cumbæ in Sabaudiâ, deinde promouetur ad Claram-vallem collato ipsi regimine amplissimi Cœnobij post Diuum Girardum Martyrem Igniaci: suo tempore alter Bernardus Claræ-vallensis Abbas audiebat, profectus cum Petro Legato Cardinale sancti Chrysogoni & Episcopis Picta-

uienſi & Bathonenſi, anno M. C. LXXVIII. Toloſam ad Hæreticos Albigenſes conuincendos; quâ de re præclara extat Henrici ipſius epiſtola apud Rogerum Houedenum. Maximâ apud Pontifices, Reges, & viros Principes gratiâ valuit, oblata ampliſſima Sacerdotia reſpuit, vt Epiſcopatum Toloſanum, mortuo Gocelino, & Generalatum totius Ordinis Ciſterclenſis, dum communibus votis & ſuffragijs eligeretur; propterea eum multis laudat Petrus Cellenſis. Ab Alexandro III. vocatur ad Synodum Lateranenſem, & Cardinalis Albanenſis Epiſcopus licet inuitus conſecratur, ſecundâ die Concilij, quæ contigit Idibus Martij anno M. C. LXXIX. in ſextâ Patrum creatione.

Houeden. parte poſter. Annalium.

Petrus Cell. li. 8. epiſt. 8.

Ab eodem Summo Pontifice Legatus de latere mittitur in Prouincias Trans-montanas ad Hæreticos conuincendos. Lugdunenſem & Narbonenſem Archipræſules, vtpote reprehenſibiles, in ſpiritu vehementi depoſuit. Caſtrum munitiſſimum Hæreticorum, quod vallis vocabatur, miraculo cepit.

Rigord. lib. de geſtis Philippi Auguſti initio.

Rigordus narrat Ludouicum Regem Henrico Albanenſi Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis in Franciam Legato viſionem in ſomnis extremo tempore vitæ ſuæ retuliſſe (erat tunc ſeptuagenarius & paralyticus Ludouicus) videbatur ei Philippus filius Adeodatus, antequam natus eſſet tenere craterem aureum in manu ſuâ plenum humano ſanguine, de quo Principibus propinabat, omneſque in eo bibebant. Refert idem Rigordus rationem, cur Adeodatus fuerit nuncupatus, quia Ludouicus parens cum numeroſam filiarum ſobolem è tribus vxoribus haberet, maſculus ei nullus naſcebatur: tandem precibus & eleemoſynis à Deo datus ipſi filius ex Adeleide Reginâ vxore vndecimo Calendas Septembris anno M. C. LXV.

Philippus cur dictus Adeodatus.

Lucium III. Papam ſequutus cum eo Veronam peruenit. Maximâ pollens dicendi facultate conciones habuit publicas coram Vrbano anno M. C. LXXXVI. Vrbano eodem Pontifice viam vniuerſæ carnis ingreſſo oblatum ferè ab omnibus, qui tunc aderant, Cardinalibus Pontificatum, inuicto animo reiecit; Gregorius VIII. eligitur. Præcipuus auctor electionis ipſius anno M. C. LXXXVII. qui duos menſes integros non ſedit, à quo tamen Legationem accepit ad Fridericum Cæſarem cognomento Ænobarbum (ab Adriano Summo Pontifice, de quo ſuperius, coronatum) & alios Germaniæ Proceres.

Eleuatur corpus S. Bernardi.

Corpus ſancti Bernardi ab Alexandro III. in Diuorum numerum relati curauit honorificentiſſimè eleuari à Richardo Archipræſule Lugdunenſi, antea Abbate Pontiniacenſi, ponè aram D. Mariæ; Eccleſiam Claræ-vallenſem plumbo tegi voluit.

Huius viri literatiſſimi & piiſſimi conuerſatione Fridericus Ænobarbus Clementi III. reconciliatur, pacemque Eccleſiæ à multis annis expetitam dedit, & ab eodem cum ſexaginta octo viris primatibus eſt ſigno Crucis in infideles armatus. Clementis III. iuſſu in Belgium properauit ad pacem inter Eccleſiam Atrebatenſem & Flandriæ Comitem firmandam, quod fœliciter perfecit.

Atrebati in morbum incidit, & cum iam imminere cognoſceret horam migrationis ad Deum, ante aram Diui Andreæ, vti præceperat, delatus

fœliciter in Domino obdormiuit anno M. C. LXXXVIII. die decimâ quartâ Iulij. Atrebato corpus eius ad Claram-vallem translatum inter Diuos Bernardum, & Malachiam, tertio Idus Ianuarij ab Episcopo Lingonensi est humatum cum hoc epitaphio.

Subiacet huic lapidi quondam notissimus Orbi
Abbas Henricus, Romano cardine dignus.
Lubrica qui vani contemnens gaudia mundi.
Terra membra dedit, cœlis animamque remisit.

Scripsit aduersus Albigenses Hæreticos, extat tomo XII. Annalium Baronij.

Auctor magni Exordij Ordinis Cisterciensis res gestas huius Cardinalis prosequitur, & Vincentius Bellouacensis in speculo historiæ. Eiusdem facit mentionem nouissimè Chrysostomus Henriquez in fasciculo sanctorum Ordinis Cisterciensis. Henriq. libr. 1. distinct. 25.



GVILLELMVS AD ALBAS MANVS CARDINALIS BLESENSIS. ALEXANDRO III.

Anno Christi. M. C. LXXIX.

E Regio natus sanguine, Theobaldi V. Comitis Campaniæ & Blesensium cognomento Magni, & Maaldæ filiæ Balduini cognomine Boni Flandriæ Comitis quartus filius. Ipsi fuêre quinque fratres germani, & quinque sorores. Enumero fratrum Hugo Abbas Cisterciensis, Henricus Largus Campaniæ Comes, Stephanus Carthusianus: è numero sororum Alix vxor Ludouici Iunioris Regis. Rerum præclarè gestarum gloriâ clarissimus habetur Guillelmus, Philippi Pulchri Regis auunculus maternus.

Carnotensis LXVI. Antistes anno M. C. LXIV. post Robertum electus, in Episcopatu Successores habuit Ioannem Saresberiensem Anglum, & Petrum Abbatē Cellensem: hinc emendandæ aliquæ Episcoporū Carnotensium tabulæ, quæ illum huic postponunt; inde etiam Senonensis Archiepiscopus anno M. C. LXVIII. quo fuit initiatus, & consecratus vndecimo Calendas Ianuarij à Mauritio Præsule Parisiensi: Petrus Comestor Tre- Emendandæ aliquæ tabulæ Episcoporum Carnoten. Petrus Comestor Trecensis.

censis Doctor Theologus Parisiensis sepultus apud sanctum Victorem ei dicauit Historiam Scholasticam.

Rhemensis Archipræsul anno M.C.LXXVII. post Henrici Magni Monachi Claræ-vallensis filij Ludouici Crassi, & fratris germani Ludouici Iunioris obitum. Ædiles vrbis Rhemorum instituit, seu potius restituit. Alexander III. nostro scribit Archipræsuli, vti nullus præsumat Episcopus præter Rhemensem, sacrâ vnctione Regem Gallorum vngere, primumque diadema ei imponere; in archiuis Ecclesiæ Rhemensis Archiepiscopalibus extat Pontificium diploma, cuius exordium. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri VVillermo Rhemensi tituli sanctæ Sabinæ Cardinali Apostolicæ Sedis Legato. Authoritate Apostolicâ statuimus, vt nemini nisi Rhemensi Archiepiscopo liceat Regem Francorum inungere, vel ei primam coronam imponere, sicut antiquâ consuetudine fuerat obtentum, quâ de re pluribus infra in Guidone Paré Cardinale.

Archiepisc. Rhemen. debet solus Regem vngere & coronare.

Purpuram in præsentiâ Alexandri III. accepisse secundâ die Lateranensis Concilij testatur Rogerius Houedensis in Annalibus (quæ dies incidit in secundum Idus Martij anni M.C.LXXIX.) & titulum Presbyteri Cardinalis sanctæ Sabinæ: vult creatum à Clemente III. Pannuinus, à Lucio III. Ciaconius anno M.C.LXXXII. mense Decembri Velitris: postea Cardinalis Prænestinus à Cœlestino III. Romæ in suâ D. Sabinæ Basilicâ, & titulo Rogerium in Præsulem Cameracensem sacro tinxit oleo.

Houed. parte post. Annal.

Rogerius Episc. Camerac. sacratur.

Tutorem egit Philippi II. Augusti nepotis, quem annorum quatuordecim, viuente & præsente parente Ludouico senio confecto, Rhemis anno M.C.LXXX. die omnibus Cœlitibus sacrâ Regem coronauit; aderant Iunior Rex Angliæ, qui duxerat vxorem Margaretam Philippi Augusti sororem ferens manu coronam, & Philippus Flandriæ Comes gerens dexterâ ensem, aliique Franciæ Pares. Regni habenas rexit anno M.C.XC. (Philippo Rege peregrinationem Hierosolymitanam instituente cum Richardo Anglo) & Alix Regis coniux, cuius filius Ludouicus duos tantum annos erat natus. In æde Dionysianâ accepit Rex ab auunculo Cardinale insignia huius sanctæ peregrinationis peram videlicet & baculum; ante profectionem inter alia hoc vnum statuit. Si quis Episcopus aut Abbas decedat ad regiam nominationem pertinens, volumus Canonicos aut Monachos coram Reginâ & Archiepiscopo, non secus ac in præsentiâ nostrâ se sistere, supplicesque electionis potestatem postulare; cæterum eligant Prælatum Deo & Regno nostro proficuum.

Guillel. Prorex Regni.

Hæreticos quam-plurimos in Belgio, qui infantum baptisma & sacram Eucharistiam respuebant, aliaque insanæ mentis deliria confingebant iussit flammis concremari.

Vincent. Bel. lib. 29 cap. 16.

Diademate Regio cinxit Ambiani secundam Philippi Augusti vxorem Ingelbergem, vt ipsa testatur epistolâ ad Canonicos Ambianenses. Ecclesiam, inquit, vestram, cui ex eo speciali debito, & deuotione sumus obnoxiæ, quòd in ea licet flebili auspicio plenitudinem tamen honoris nostri, & dignitatis suscepimus, provt voluimus, nondum valuimus muneris obsequio honorare. Postea hæ nuptiæ dissolutæ prætextu consanguinitatis, memoraturque Guillelmus C. per venerabilem qui filij sint legitimi.

Ingelbergis Ambiani.

Consecrauit

Consecrauit vt Metropolitanus Petrum Atrebatensem Præsulem anno M. C. XXIV. Veronæ ex auctario Aquicinctino ad Sigebertum. Sanctum Albertum Martyrem fratrem Henrici Ducis Brabantiæ sacro vnxit oleo in Antistitem Leodiensem Summi Pontificis mandato, die vigesimâ Septembris anno M. C. XCII. duos post menses interfectum, vt pluribus infra dicemus in sancto Alberto Cardinale. Anno M. C. XCVI. mense Iulio Balduinus Comes Flandriæ fecit hominium, inquit Rigordus, Regi Philippo apud Compendium, astantibus Guillelmo Rhemensi Archiepiscopo & M. Campaniæ Comitissâ. Cõsecrat Petrum Atrebat. & S. Albert. Leodien. Hominiũ Flandriæ factum Regi. Rigord. l. de gest. Philip. Aug. an. 1196.

Ab Innocentio III. statim post creationem anno M. C. XCVIII. in Germaniam missus Legatus, Coloniam Agrippinam se recepit, vt schisma post decessum Conradi Cardinalis Sabini in Ecclesiâ Moguntinâ exortum eradicaret. Is, Leopoldo quondam VVormaciensi Præsule, cuius partes Rex Philippus tuebatur, reprobato, Sigefredum à pauciore Canonicorum parte cum libertate & canone electum confirmari voluit. Non benè Bzouius hanc Legationem refert in annum M. CC. VI. cum constet tunc temporis vitâ functum fuisse Guillelmum. Refellitur Bzouius.

Post reditum è Germania, Legatus in Galliis Apostolicæ Sedis ab eodem Innocentio vsque ad extremum vitæ spiritum: multas ad eum scripsit epistolas Innocentius, quæ habentur in Regestri libris. Io reg. li. 1. 2. 5. 6. 7. 8. 9.

Idem Pontifex Summus mittit litteras quinto Maij anno citato erigendæ ergò Sedis Episcopalis Mosomij ad Mosam fluuium, cum hac hypothesi & conditione: vt non mutetur Cœnobium S. Mariæ in Ecclesiam sæcularem. Mosomij episcopatus aliàs inceptus.

Duas fundauit capellas in Ecclesia Rhemensi, argenteâ & aureâ supellectile ornatas. Inter alia etiam, vas magni pretij dedit ad sacram synaxim ægrotis deferendam.

Ad Guillelmum scripsêre Petrus Blesensis, & Stephanus Tornacensis sanctæ Genouefæ Archimandrita plures epistolas; hic pro Hugone Abbate sancti Bartholomæi Nouiomensis, & pro Bartholomæo Archiepiscopo Turonensi contra Dolensem Præsulem, Archipræsulem se nominantem. Blef. ep. 18. & 122. Stephan. Tornac. epist. 44.

Rhemis vitam cum morte commutauit, septimo Idus Septembris anno M. CC. II. sepultus in Ecclesiâ D. Mariæ Metropolitana ante princeps altare, in veteris tumbæ lapideæ oris habetur epitaphium magnâ ex parte corrosum vetustate.

Panegyrim Guillelmi paucis complexus Philippus Augustus Lucio III. scribens apud Stephanum Tornacensem his verbis. Astitit nobis super omnes amicos, & fideles nostros carissimus auunculus noster Guillelmus, in consiliis nostris oculus vigilans, in negotiis dextra manus, eum vel ad tempus recedere à nobis, succedere est hostibus nostris. Retinuimus eum clauum in oculis hostium nostrorum, & in lateribus eorum laneeam, sine ipso fieri nihil existimantes, siue de pace, siue de bello cum hostibus esset agendum. Et Galtherus in suâ Alexandriade Guillelmo dicatâ. Phil. Aug. epist. ad Luciom inter ep. Stephan. Torn. 121. Præclaræ laudes Guillel.

At tu, cui maior genuisse Britannia Reges
Gaudet auos, Senonum quo præsule non minor vrbi

Nupsit honos, quàm cùm Senonensibus armis
Fregit adepturus Tarpeiam Brennius arcem,
Si non exciret vigiles argenteus anser.
Quo tandem regimen Cathedra Rhemensis adepto
Duritia nomen amisit Belgica virtus.
Quem partu effusum gremio suscepit alendum
Philosophia suo, totumque Helicona propinans
Doctrina sacram patefecit pectoris aulam,
Excoctumque diu studij fornace, fugatâ
Rerum nube, dedit causas penetrare latentes.
Huc ades.

Scutum Campaniæ.

Gentilem Celticæ Campaniæ parmam tulit Guillelmus, hoc est in cæsio solo tæniam argenteam geminis vtrinque bessalibus tæniis aureis præcinctam, & ijs quidem patibulatis repatibulatisque tredecim, totidem Comites Campano Comiti vectigales designantibus.

Interficitur sanct. Tho. eod. die quo nascitur S. Dominicus.

Scripsit duas epistolas Archipræsul Senonensis ad Alexandrum III. de morte sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi Martyris, Angliæ Primatis, qui eodem die & anno in Anglia interfectus, quo sanctus Dominicus natus in Hispania, nimirum die post Natalem Domini quintâ, anno M. C. LXXI.

Annus millenus centenus septuagenus
Primus erat, Primas quo ruit ense Thomas.

Operæ pretium est duas illas referre epistolas historiæ inseruientes, & pietati conducentes.

Apud houed. post. parte Annal.

SANCTISSIMO PATRI ac Domino Alexandro Dei gratiâ Summo Pontifici VVillelmus Senonensis Ecclesiæ humilis minister, salutem & debitam cum omni deuotione obedientiam. Vestro Apostolatui (Pater sancte) data est omnis potestas in cœlo & in terra, gladius anceps in manibus vestris. Super gentes & regna constituti estis ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vide ergo, Domine, & considera, quem vindemiauerunt ita. Vineam namque Domini Sabaoth exterminauit aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Ecclesia siquidem Cantuariensis, immo vniuersalis Ecclesia sanguineas rorantes lachrymas, & amaritudine aspersas, à finibus terræ in conspectu vestro effundit: quia posita est quasi signum ad sagittam, facta est opprobrium vicinis suis, & qui vident eam mouent capita sua super eam dicentes, vbi est Deus eorum? Ipsa autem gemens & conuersa retrorsum clamat in auribus Domini exercituum: vindica, Domine, sanguinem serui tui & Martyris, Cantuariensis Archiepiscopi, qui occisus est, immò pro Ecclesiæ libertate crucifixus.

Martyriũ S. Thomæ Cantuar.

Pater sancte, verbum horrendum, facinus flagitiosum, & enorme fla-

gitium factum est in diebus vestris: quod quicunque audierit tinnient ambæ aures eius, nunquam est auditum in Theman: non est visum in Canaan. Alter siquidem Herodes semen Canaan & non Iuda, progenies viperarum, missis à latere suo lictoribus, signum Dominicæ Passionis, quod desuper in vertice gerebat, nequaquam exhorruit profundis exarare vulneribus, & notis tui pibus cœlestem deformare imaginem. Propter hæc, sicut omnis Ecclesia asserit, ipsum facit martyrem causa & pœna: pœna, dolor Passionis illatæ, causa, rigor Ecclesiasticæ censuræ, quia pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem. Vestrâ ergo interest (Pater clementissime custos murorum Hierusalem) remedium adhibere præteritis & prouidentiam futuris. Quis enim locus poterit esse tutus, si rabies tyrannica Sancta Sanctorum cruentat? & Vicarios Christi, alumnos Ecclesiæ impunè dilacerat? Insurgant ergo Ecclesiasticæ leges, armentur iura Ecclesiastica, introeat in conspectu vestro vltio sanguinis gloriosi Martyris, qui de Anglia clamat, clamabit siquidem & commouebit, non solum terram, sed & cœlum, & sic nostro consulite dolori, vt honestati vestræ pariter consulatis, & libertati Ecclesiæ. De cætero sanctæ Paternitati vestræ dignum insinuare duximus, quòd cum Domino Rothomagensi, & nobis in mandatum dederitis, vt terram Regis Angliæ Cismarinam, si pacem, quam gloriosæ memoriæ Domino Cantuariensi promiserat, non obseruaret, sub interdicto poneremus: adijcientes etiam, quòd si vterque nostrum rei executioni non posset, aut nollet interesse, alter nihilominus mandatum vestrum exequeretur. Prædictus vero Rothomagensis, postquam literas vestras ei præsentari fecimus, nobis significauit, quòd ad Senonensem ciuitatem veniret, & iuxta formam mandati vestri procederet. Cum autem illuc venisset, vnà cum Lexouiensi & Ebroicensi & Wigornensi Episcopis, & aliis quam-plurimis, tam Clericis, quàm Laicis de familiâ prædicti Regis, post tergiuersationes & excusationes verborum inde deductas, respondit se ad vestram iter arripuisse præsentiam & prædicto Regi se nolle exacerbationem infundere acerbiorem. Nos vero scientes, quod *Vitium paganitatis incurrit, quisquis mandatis Apostolicis obedire contemnit*, iuxta seriem mandati vestri, de communi cõnsilio Fratrum nostrorum omnium Episcoporum, & sancti Dionysij, & Germani de Pratis, & Ponti-magni VValcellensis, & Cenmensis Abbatum, & aliorum quam-plurium Religiosorum virorum, & sapientium in terram eius Cismarinam sententiam tulimus, & memorato Archiepiscopo & Episcopis, vt eam obseruari facerent, ex parte vestra iniunximus. Scimus enim quòd nec possessiones, sicut promiserat, restituit, nec securitatem, sicut mors eius indicat, instituit. Per Cantuariensem quoque, quem ad eum miseramus, nobis significauit, quòd causam mortis eius dederat, & quòd eum occiderat, inde est quòd Clementiæ vestræ supplicamus, quatenus prædictam sententiam ratam habeatis, & sicut Maiestatem vestram decet, & incolumitati expedit Ecclesiæ, eam taliter faciatis obseruari, vt honor Dei & vester conseruetur, & Nos, qui vestram Sanctitatẽ eâ, quâ scitis, deuotione amplectimur, minimè propter hæc possimus illudi. Valete & sicut decet Maiestatem & Sanctitatem vestram, facite.

Causa & pœna facit Martyrem.

Rothomag. Archiep. renuit obedire Pontifici.

Rotrodus Rothomag. Guido Lexouiensis. Ægidius Ebroicen. Rogerus VVigornensis.

Normannia interdicto subiecta.

Apud eundem Houedenum codd. eo

AMANTISSIMO Patri ac Domino Alexandro Dei gratiâ Summo Pontifici VVillelmus Senonensis Ecclesiæ humilis minister spiritum consilij & fortitudinis, cum omni obedientiæ famulatu. Inter scribendum hæc, immò priusquam scriberem mox steti,& hæsi dubius admodum, quo dictaminis genere nuper patrati sceleris atrocitatem, & supplicij recenter illati immanitatem clementiæ vestræ oculis præsentarem. Et profectò arbitror clamorem mundi iam vestræ sanctitatis aures impleuisse, vt pote, qui in mundi speculâ residetis, qualiter ille non Rex Anglorum, sed Angelorum potius & totius corporis Christi inimicus, proximè sit malignatus in sancto, in filio dextræ tuæ, quem confirmasti tibi. Cuius ex hoc mundo excessum, & excessus modum, & si forte ex aliquorum diuerso siue aduerso relatu acceperitis, quod mihi innotuit ab his, qui interfuerunt, conscius fidelis intimo, & patrati sceleris ordinem paucis explico: cuius tamen immanitas excogitari non potest. In natali Domini, proximo post festum Innocentium die, occidente iam sole circa horam vesperarum, intromissi spiculatores; tres dumtaxat, qui primi fuerant, ad fortem illum Athletam Christi terribiliter admodum & fastuosè accesserunt, quorum memoria, vt in maledictione perpetuâ sit, intersero nomina, Hugo de Moreuilla, VVillelmus de Traci, Reginaldus filius Vrsi, qui in primo accessu à viro Dei salutati non resalutauerunt, vtpotè, qui iam vias perditionis ingressi manifestè respuebant salutem. Quin potius contumeliosè & asperè minis intonuerunt, si Episcopos suspensos, siue excommunicatos, ad Regis absoluturus mandatum. Quo manifestè respondente, id ad singularis Primatus vestri spectare censuram, nec aliquid sibi vendicaret, vbi tanta interuenisset authoritas. Mox ipsum ex parte Regis diffiduciauerunt, & continuò exierunt ad cohortem: militibus, qui de familia hominis Dei erant super periculo vitæ & honorum omnium proscriptione, in exitu suo præcipientes ex parte Regis, vt ipsi pariter exirent, & rei euentum taciti & patientes expectarent; publicè per ciuitatem simile Regis edictum exiuit. Singularis vero ille Christi Athleta, in nostris diebus minas Principum spreuit, & de loco ipso, vbi iam velut mortis acceperat initium, ad militum instantiam vix egredi compulsus est; & hæc quidem, ne videretur consummari inuitus. Deo itaque dispensante Metropolitanam Ecclesiam in ipsius Christi honorem dedicatam ingressus, idem Christus Domini pro nomine Christi meruit immolari, vbi quotidiè & Christus immolatur, & sacerdos ille altissimi stans antè altare, & crucem, quam antè se gestare consueuerat, brachijs suis amplectens, & orans, voluntariè seipsum inter crucis & altaris cornua pacificam Deo hostiam obtulit. Nam appropinquante iam horâ passionis, ipse flexis genibus, extento collo, & curuatâ ceruice calicem salutaris accepit, & à tribus prænominatis spiculatoribus decaluatus est; prius tamen contumelijs & probris multis affectus, vt nec ipse Passionis Domini sui titulo fraudaretur. Cuius vt ipso adhuc magis forma clarescceret, eadem horâ pro occisoribus suis exorauit: adijciens & deuotè supplicans, vt à malis præsentibus eius familia seruaretur illæsa. Solus itaque Pontifex non sine sanguine intrauit in Sancta, & quia post viri sancti transitum, operante Domino memoranda quædam ex mul-

Nomina sicariorū, qui occiderunt S. Thomam

Occiditur ante altare crucem amplexus.

torum crebrâ relatione audiuimus, omnino præteriri non debent. Dicitur namque & constanter asseritur, post passionem suam, in visu apparuisse multis, quibus perhibet se non mortuum esse, sed viuere: & non vulnera sed vulnerum cicatrices tantum ostentat, inter quos veterano cuidam Monacho, nomine Neel, apparuisse dicitur: sed qualiter, hoc non edissero, vt euitetur longitudo sermonis, sed horum baiuli fideliter & patenter exponent. De cæco vero quodam, qui mox passione consummatâ crudo adhuc sanguine oculos perliniuit, oculos & visum recepit, omninò auditum est. De cereis etiam circa corpus positis & extinctis, sed postea per se reaccensis, non infida multorum est relatio, & quod maius est adhuc gaudium, & miraculum habet: expletis omnibus circa corpus humanitatis obsequijs, cum iam in choro iaceret super feretrum circa auroram, leuatâ manu dexterâ, benedictionem dedit. Age ergo homo Dei & quorum tenes Sedem, indue fortitudinem, executere fili excussorum, hinc miseratio, inde vero indignatio moueat, vnam filio debes, Tyranno alteram. & huius in terris auge gloriam, quam de cœlis tam mirabiliter glorificat Deus. Illi vero para ignominiam, qui in terris tam horribiliter persecutus est Deum, & proprij ventris tui percussit latera, excussit viscera, & conculcauit in terra. Qui etiam filium tuum, quem sicut mater vnicum diligebas, nescio per quos incircumcisos & immundos tam perfidè, tam inhumanè mactauit: patris non reueritus offensam, nec miseratus ætatem. Quorum ergo sortitus es ministerium, sortiaris & zelum, & quia cernis Achab scelus, Heliæ te apprehendat æmulatio. Occidit Achab & possedit; sed Achab quidem totius patrati sceleris facie operosè perpensâ, Achab ab ipso iustificatus est. Illud siquidem est, quod inter omnia, quæ leguntur seu referuntur, sceleratorum scelera longè primum obtinet locum. Quod omnem Neronis nequitiam, Iuliani perfidiam, sacrilegam etiam Iudæ proditionem excedit. Vide siquidem & attende qualis persona, in quali Ecclesia, quale etiam tempus patrandi sceleris elegerit: natale scilicet Domini, proximam post Sanctorum Innocentium diem, vt nouus ex veteri nostris diebus suscitaretur Herodes. Pax etiam publicè data proditorem nihilominus reuocauit à scelere, qui tanquam per se satis non insaniret, instigatores habuit dantes cornua peccatori, falsos viz illos, & ab omni Ecclesiarum Orbe perpetuo detestandos fratres: Rogerum videlicet Archiepiscopum Eboracensem diabolum illum & Londoniensem Episcopum Gillebertum, & Iocelinum Saresberiensem Episcopum, non Episcopos, sed Postaticos. Qui filium tuum fratrem suum non mysticè vendiderunt, sed in veritate occiderunt, Patris iam senis nec maledictionem metuentes, nec dolori vel ætati parcentes. Quorum vita præsens, vt in perpetuâ amaritudine sit, & memoria in maledictione æternâ, vestra (Pater sancte) authoritas pariter & austeritas efficiat. Valeat Sanctitas vestra Pater Sancte.

Miracula.

Dat suo gregi benedictionem moituus.

Henricus alter Herodes post festum S. Innoc. eu rat occidi Thomā.

Rogerus Archiep. Eboracen. Diabolus.



Anno Christi M. C. LXXXII.

BOSO DIACONVS CARDINALIS S. ARCHANGELI LVCIO III.

Bosones Arelat. Reges. Æmil. in Gestis Franc.

BOSONEM Gallum fuisse testatur Pannuinus, vocatum à Ciaconio Bobonem; Regia fuit stirps Bosonum, dictique sunt Bosones Arelatenses Reges, eò quòd Arelate regiam habuerint. Boso autem, Ludouico, & Carolomanno ex pellice Ludouici Balbi filijs regium nomen vsurpantibus, se dicit Regem Burgundiæ: vxorio etiam iure quicquid Rhodano, Arari, & Alpibus continebatur suum prætendebat, Burgundiæque Rex declaratur, Idibus Octobris, anno D. CCC. LXXIX. apud Mantalam. Rostagnus Archiepiscopus Arelatensis Burgundiæ Primas ipsum Bosonem, eiusque filium Ludouicum in Burgundiæ Reges vnxit.

Parradin. in Ann. Burg.

Honos Cardinalitius Bosoni delatus à Lucio III. anno M. C. LXXXII. tituli Diaconatus S. Michaelis Archangeli apud Forum Piscium, postea Cardinalis est factus Presbyter tituli sanctæ Anastasiæ ab Vrbano III.

Eâdem Bosonis tempestate vixit Arelate Guillelmus Boso ex eadem prosapiâ Bosonum Regiâ, qui præposituræ S. Trophimi Arelatensis Aycardo Præsule dignitatem obtinuit Canonicus Regularis, obijtque anno M. C. LXXXI.

Ad Bosonem Saresberien. ep. 301.

Ad Bosonem Cardinalem tunc Presbyterum scripsit Ioannes Saresberiensis Præsul Carnotensis. *Venerabili Domino, & Patri carissimo Bosoni Dei gratiâ S. R. E. Presbytero Cardinali suus Ioannes de Saresberia salutem, & promptæ deuotionis obsequium.* Familiaritas, quam à diebus Domini Lucij Cantuariensibus dilectio vestra semper exhibuit, mihi multam dat apud vos interueniendi fiduciam: vt, quod necessitati nostræ, & saluti vestræ expedire non dubito, bonitati vestræ confidenter exponam. Meministis præ cæteris, quoniam Ecclesiæ Romanæ negotia præ cæteris didicistis, quomodo Cantuariensis Ecclesia Sedi Apostolicæ fidem & deuotionem semper exhibuit, ferè præ cæteris quæ in orbe sunt. Recolitis enim quomodo bonæ memoriæ Theobaldus eiusdem Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus amicus, vester quoque familiaris, pro tuendo iure

Ecclesiæ, & Constitutionibus Apostolicæ Sedis pertulerit: & quomodo Ecclesia Archiepiscopos Martyres semper habuerit, aut Confessores egregios. Quia ergo Vobis Ecclesiæ causam ad plenum commendatam esse non dubito, Paternitati vestræ preces, quantas Patri & Domino licet deuotissimè porrigo, quatenus electum nostrum tantis, vt spes est, decessoribus idoneum successorem, & Vobis Deo propitiante deuotissimum in omni tempore, eâ caritate amplectamini, & diligentiâ tueamini, [quâ fouere consueuistis anteriores Archiepiscopos, quia ipse in obsequio vestro pro facultate suâ prioribus non inuenietur inferior.

Ecclesia Cantuarien. habet Martyres & Confessores.



ROLANDVS ABRINCENSIS CARDINALIS SANCTÆ MARIÆ IN PORTICV LVCIO III.

ANNO CHRISTI M. C. LXXXV.

DECANI personam sustinuit in Ecclesia Arboricensi in Neustriâ vir bonarum literarum, postea Ioanne vitâ functo à Dolensibus Armoricis eligitur in Præsulem Dolensem anno M. C. LXXVII. die sancto Martino sacrâ, testibus auctore appendicis Sigeberti, & Rogero Houedeno. Rolandi electi Comitijs interfuêre Henricus Baiocensis, Richardus Abrincensis, & Robertus Abbas de monte sancti Michaelis auctor ipsius appendicis

Dolensis Episcopus.

Hic Dolensis electus, ac S. R. E. Subdiaconus vnà cum Collega suo Syluano Rieuallensi Abbate in Anglia Lucij III. mandato Legatus, anno M.C.LXXXII. ob dissensionem ortam inter Guillelmum Scotiæ Regem, & Ioannem sancti Andreæ Episcopum: fuit sequester pacis post datam Guillelmo absolutionem. Controuersia initium sumpserat æuo Alexandri III. ob electionem primarij eius Regni Antistitis putà Præsulis sancti Andreæ; cum enim à Canonicis fuisset iure electus Ioannes cognomento Scotus, Rex Scotiæ Guillelmus Capellanum suum Hugonem voluit creari Antistitem Andreanum, & in eum finem consecrari, licet appellarit ad primam Sedem Ioannes. Misit Alexander Pontifex Alexium Legatum in eas Septen-

Dissensio inter Guillel. Scotiæ Regem & Episcopú S. Andreę.

Appellatio ad primam Sedem.

trionis plagas, qui confirmauit Ioannis electionem, vt pote canonicam, verum statim prohibuit Guillelmus Ioannem in regno commorari, quo audito Pontifex curauit à Legato Sedis Apostolicæ & Rogerio Eboracensi Archiepiscopo ac Hugone Dunelmensi Præsule sententiam excommunicationis proferri in Regem, & Regnum interdicto subijci. At tempore Lucij, missis à Rege Nuntijs, absolutionem est consecutus, ita vt Rolandus ademerit Ecclesiam sancti Andreæ vtrique parti, Ioannem confirmans in Duntzeldensi Episcopatu, cui sententiæ non acquieuit Hugo: propterea Rolandus scripsit his verbis Summo Pontifici. *Reuerendo Patri & Domino Lucio Dei gratiâ Summo, & Vniuersali Pontifici. Rolandus eadem gratiâ Dolensis Electus, suæ Sanctitatis seruus, & alumnus Apostolicæ Sedis Subdiaconus, & Syluanus dictus Abbas Reiuallensis, debitæ subiectionis reuerentiam.*

Regnum Scotiæ interdicitur.

Epistola Rolandi.

Cum literas, quas Hugo Episcopus redarguerat falsitatis eidem Episcopo dedissemus, & eas in quibus processus rei continetur, acceptáque à Domino Rege Scotorum licentiâ, recedere cum festinatione vellemus, Dominus Rex me Dolensem electum diligenter, & affectuosè rogauit, vt per Dominum Ioannem Episcopum transitum facerem, & ei ex parte suâ Duntzeldensem darem Episcopatum cum redditibus, quos antea in Episcopatu S. Andreæ habuerat, cum augmento quadraginta marcarum annuatim percipiendarum. Cancellariam quoque regiam in signum dilectionis offerrem, adiecitque se ei & suis omnia ablata redditurum, præter hoc solum, quod ad manus eius deuenisse sciebat, eosque in plenitudinem suæ gratiæ recepturum, sicut antea fuerat ei oblatum. Volebat tamen, quod idem Ioannes Episcopus omnia instrumenta sua combureret, quæ super facto sancti Andreæ fuerant à piæ recordationis Alexandro prædecessore vestro obtenta. Permittebat quoque, quòd Hugo Episcopus ad Glascuensem Episcopatum transferretur, si aliter Episcopus Ioannes consentire non vellet, & si fieri non posset, tamen concesserat, quod obtulerat. Sed Episcopum Ioannem non ita diligeret, nec ei plenam gratiam redderet. Quæ cum in præsentiâ Domini Hugonis Dunelmensis Episcopi obtulisset Domino Ioanni, benignè concessit dicens; quòd nunquam Hugonem Episcopum in Ecclesia sancti Andreæ permitteret remanere, volebatque, quòd instrumenta prædicta in aliquo loco reponerentur, ita quòd nunquam sibi contra voluntatem regiam eis vti liceret. Sic igitur ad Regis præsentiam, redeuntibus nobis, Episcopo Ioanne prope Rokelburg expectante, Dominus Rex proposuit nobis, quòd multum ei placeret, si Hugo Episcopus posset in Ecclesiâ Diui Andreæ remanere, & rogabat me, vt ad hoc Episcopum inducere laborarem, & cum ego dicerem ei, quòd nunquam eum de cætero super hoc rogarem, quia non poteram in hac parte proficere. Dixit; benè credo, quòd ex quo Dominus Ioannes ad pacem, & dilectionem meam redit, hoc consideratione meæ dilectionis, & ad precum mearum instantiam sustinebit, & de eo libenter, cum de eo loquerer, & rogauit me Rex, vt ei consulerem, quòd veniret loqui cum eo; missis igitur Clericis Regis ad Episcopum Ioannem, respondit quòd non veniret, quia à quibusdam Consiliarijs Domini Regis se audisse diceret, quòd Dominus Rex semper ad hoc omnibus modis nitebatur, vt Hugo in Episcopatu S.

Andreæ remaneret,& si venire vellet, illi non poterant ei securum præstare conductum. Cumque illi in hæc verba rediissent; Dominus Rex quendam Episcopum, Abbates, Comites & Barones ad eundem Episcopum transmisit rogans, vt locuturus cum eo veniret ad eum; præcepitque eis, vt eidem Episcopo omnem securitatem præstarent. Qui redeuntes dixerunt quòd Dominus Ioannes, quia præsentiens quòd Dominus Rex vellet Episcopum Hugonem in Ecclesia S. Andreæ remanere, respondit se nunquam ad eum venturum, nisi primò iurarent, quòd Dominus Rex omnia, quæ ei per me obtulerat, obseruaret, sed iurare nolebant, & sic Dominus Ioannes ad propria remeauit. Nos verò prædictis Episcopis Ioanni & Hugoni statuimus terminum, in Kalendis Octobris veniendi ad Vos, & vestro parere iudicio. Valete.

Eadem controuersia plurium annorum interuallo agitata etiam sub Vrbano Pontifice. Tandem à Clemente III. est sopita Ioanne retinente Duntzeldensem Sedem: Hugo expulsus & excommunicatus Romæ lue pestiferâ vitam finijt, postquam liber ab excommunicationis vinculo Veronę Cardinalibus adiunctus à Lucio III. Diaconus tituli sanctæ Mariæ in Porticu, anno M.C.LXXXV. feriâ quintâ Cinerum. Regis Capellanus Hugo Romæ moritur peste.

Vrbani III. Legatus cum Sofredo Cardinale Pisano, Eugenij III. affine missus in Galliam Cisalpinam, & Veronæ aliquanto diuertit tempore.

Vltimo defungitur die ante Clementis III. creationem.



MELIOR S.R.E. CAMERARIVS CARDINALIS SANCTORVM IOANNIS ET PAVLI LVCIO III.

ANNO CHRISTI M. C. LXXXV.

MELIOREM glutino amicitiæ vnitum Roberto de Torigny Abbati de monte sancti Michaelis, auctori appendicis Chronici ad Sigebertum, idem narrat Robertus eâdem appendice.

Cardinalem instituit Presbyterum Lucius III. paucos menses ante mortem, tituli Sanctorum Ioannis & Pauli Veronæ, cum illuc se Pontifex recepisset vnà cum Friderico Imperatore ob seditiones excitatas à populo

Oculi Pontificiorum eruuntur.

Romano oculos eruente ijs, qui à Pontifice ſtabant. Idem ibidem deceſſit, cuius mauſolæo hoc bellum epigramma inſcriptum.

Luca dedit lucem tibi Luci, Pontificatum
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori.
Immo Verona dedit tibi lucis gaudia, Roma
Exilium, curas Oſtia, Luca mori.

S.R.E. Camerarius.

Houeden. part. poſt Annal. Diuortium inter Philipp. Regem & vxorem.

In Gallias mittitur Legatus à Cœleſtino III. Rogerius Houedenus anno M. C X C I I I. refert Cœleſtinum ſuos etiam miſiſſe Legatos ad Philippum Regem Francorum mortuâ coniuge Eliſabethâ filiâ Comitis Hannoniæ, quòd Ingelbergem filiam Regis Daniæ cognitam dimiſiſſet prætextu ſanguinis propinquitatis, conſentientibus eius Regni Epiſcopis; quâ de re conqueſtus Danus apud Cœleſtinum; non placuit Cœleſtino Francorum Præſulum ſententia de facto diuortio. Scripſit Pontifex eam ob cauſam ad Richerium Senonenſem Archiepiſcopum, vt authoritate Apoſtolicâ inhiberet Regi aliam ſuperinducere, viuente Ingelbergi. Idem memorat Mathæus Paris, & Neubrigenſis.

Math. Paris hiſt. Ang. Neubrigen. l. 4. c. 14. & l. 5. cap. 14.

Ob nuptias illicitas Philippi Regis, & Bertredæ multa aduerſa paſſus Yuo Carnotenſis cordatus Præſul, vt pluribus epiſtolis teſtatur ad Richerium Senonenſem, ad Clerum Carnotenſem & alios. Cum enim multi Antiſtites adulatorum more blandirentur, nunquam tamen Yuo probare voluit; maluit ſibi ſuam conſtare conſcientiam, quàm dubiam Principis amicitiam, cuius infenſiſſimum animum toto decennio ſuſtinuiſſe commemorat. Quale enim illud elogium? faciat Rex, ait, quantum libuerit; includat, excludat, proſcribat. Inſpirante Dei gratiâ & proſequente decreui pati pro lege Dei mei, nec vllâ ratione cogente volo ei conſentaneus in culpâ fieri, qui nolo conſcius eſſe in pœnâ. Teſtis eſt epiſtola ad Hugonem Trecenſium Comitem miſſa, quâ coniugium Regis & filiæ Bonifacij Marchionis diſſuadet, quia legitimo ſanguine non eſſet edita, ne fortè liliorum candor vepribus iſtis admixtus denigreſceret ac ſordeſceret. Eſt verò amor in Principe, qui legitimis ac puris facibus accendi debet, ſpirare Maieſtatem imperij, & dignum ſibi metari hoſpitium. Nam turpe eſt Principis amorem (qui nonniſi ingenuus eſſe debet) in ſeruilem conditionem degenerare, vt illum ſuis reſtitui natalibus oporteat.

Yuo Carnot. multa patitur ob Philippi nuptias illicitas. Mira Yuonis conſtantia.

Yuo ep. 88.

Sed audiamus ſuper his nuptijs loquentem Yuonem Regum minas minimè reformidantem.

Yuo Dei gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ miniſter Hugoni magnifico Trecenſium Comiti ſalutem, & ſeruitium.

Notha filia quæritur a Rege in matrimonium.

Notum volo facere Celſitudini tuæ, quia diſcuſſio illa, quæ ventilanda eſt in Octauis Pentecoſtes Senonis, de coniugio Regis, & conſobrinæ tuæ filiæ Bonifacij Marchionis, Virgini illi, de cuius coniugio tractandum eſt, nec honeſta eſt nec vtilis. Ideò inutilis, quia fœdus illud, quod de ipſo coniugio initum eſt, conſilio Epiſcoporum & Optimatum omnino caſſabitur. Hone-

ſta vero ideò non erit, quòd infamia Virginis, quæ dę legitimo coniugio nata non eſt, longè latéque diuulgabitur. Nullus quippe, qui fidelitatem fecerit Regi, præſumet illud dare conſilium, quòd ſit contra fidelitatem ſuam, & Regni minuat Maieſtatem. Cum his enim, quæ fidelitas continet, præcipuè obſeruandum eſt vtile, & honeſtum, quæ minimè obſeruarent, qui mulierem de inceſto coniugio natam Regiæ perſonę ſociandam eſſe decernerent. Iam enim inſonuit murmur Ducum & Marchionum, qui iam à Regno ſe diuidere deliberant, ſi tam manifeſtam occaſionem valuerint inuenire. Vos itaque, qui huius coniugij Paranymphus eſtis, poteſtis in vtrumque conſulere, vt nec Rex incurrat periurium, nec turpe conſobrina veſtra repudium, maximè cum Rex dicat hanc ſe maculam ignoraſſe, & ſimpliciter in veſtra verba iuraſſe. Propterea ſcribo Vobis abſens, quod dicerem præſens, conſulens in hoc meæ fidelitati, & nobilitatis veſtræ honeſtati: quatenus ita diſcretè, & prouidè rem iſtam modificetis, vt omnibus, quæ de hoc contractu contingere poſſunt, ſalubri conſilio occurratis. Vnde mihi conſultius videtur, vt conuentus conuocatus non fiat, ne res iſta amplius ventilata in peius proueniat.

De his nuptijs & Legatione Melioris Cardinalis ſic Rigordus. Pontifex Cœleſtinus ad conqueſtionem Danorum miſit Legatos ſuos in Franciam, Meliorem ſcilicet Preſbyterum Cardinalem & Cenſium Subdiaconum, qui Pariſios venientes Concilium conuocauerunt omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, nec non Abbatum totius Regni, in quo tractauerunt de reformando matrimonio inter Philippum Regem & vxorem eius Ingeburgem, ſed quia facti ſunt canes muti non valentes latrare pelli ſuæ timentes nihil ad perfectum deduxerunt. Rigord. l. de geſtis Philipp. Aug.

Apud hunc Meliorem Legatum Pontificium, ex perſona Archipræſulis Rhemenſis (rem narrante Stephano Tornacenſi, ſanctæ Genouefæ Abbate) habetur querimonia nomine regio ſuper Dolenſi Præſule. Steph. Tornac. Ep. 128.

Magiſtro Meliori Cardinali.

Quæ ad vtilitatē & pacem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſpectant, oculo vigilanti tenemur attendere, & primos diſcordiæ motus, tanquam paruulos ad petram allidentes comprimere, & necare. Occaſione Turonenſis & Dolenſis diſcordiæ tantus in animum Domini Regis, & Principum eius amaritudinis rancor deſcendit, vt coram Archiepiſcopis & Epiſcopis & Baronibus Regni ab Eccleſia Romana ſe conqueratur exhęredari, & dignitatem Eccleſiæ Turonenſis, quæ ſua eſt, aliter quàm temporibus Patrum ſuorum fuerit, imminui, & turpiter mutilari. Ingratam ſibi & patribus ſuis clamat Eccleſiam Romanam, & oblitam beneficiorum, quæ perſecutionis & pacis temporibus à Francorum Regibus hactenus percepit: pro matre perhibet ſe recepiſſe nouercam. Inde eſt, quòd dilectionem tuam, de quâ non immeritò ſpecialiter confidimus monemus, rogamus & conſulimus, vt, quacunque arte potueritis, factum iſtud impediatis, nec propter fauorem perſonæ illius, quæ tibi ſtatione coniuncta eſt, pacem & concordiam, quæ inter Romanam Eccleſiam, & Regnum Francorum hactenus inuiolabilis extitit, turbari permittas. Credimus enim, quia ſi Dominus Papa contra Turonenſem Eccleſiam in facto iſto proceſſerit, Dominus Rex & Rex tuetur cauſam Archiep. Turon. contra Dolenſem Epiſc.

omnes Barones eius indignatione, irâ & odio, plusquam credi potest, animati & armati, abiectâ paulisper reuerentiâ, quam Ecclesiæ Romanæ debent, noua & periculosa consilia tractare cogentur, & non poterit leuiter extingui, quod præcipitanter potuit incitari. Melius est autem in tempore occurrere, quam post exitum vindicari.

Controuersia inter Archiep. Turon. & Episc. Dolen. sem finitur.

Hæc controuersia inter Dolensem & Turonensem Antistites, pro Archiepiscopatûs dignitate prætensâ à Dolensi, omnino fuit sopita & soluta ab Innocentio III. anno M. CXC. IX. cum sanxerit authoritate Apostolicâ, vt Dolensis Ecclesiæ cum reliquis Britanniæ minoris Turonensi perpetuò suffragaretur, vti patet ex eiusdem Innocentij epistolâ satis prolixâ, numero septuagesimâ nonâ.

Mortalem vitam Melior reliquit Innocentio III. ad meliorem progressus.



Anno Christi M. C. LXXXV.

RODVLPHVS DE NESLE CARDINALIS DIACONVS SANCTI GEORGII IN VELABRO LVCIO III.

Rob. Abbas. In Append. Chron. Sigebert.

Commendandæ honestatis, literaturæ & religionis hominem, sibique amicitiâ non vulgari deuinctum profitetur Robertus de Torigny Cœnobiarcha S. Michaelis, non benè Ciaconius Rodulphum Vrbe Pisanum refert. Certè Genealogia Dominorum de Nesle scripta à literato viro de la Morliere Ecclesiç Ambianensis Canonico eius non meminit, quã clarissimi viri humanitate, & doctrinâ duo FF. Sanmarthani gemini, Regij Historiographi sat obscurã esse me docuerunt, potissimũ si tempora D. Ludouicum Regem prçcedentia attendantur. Ex eâ familiâ prodijt vnus Franciæ Polemarchus, cuius stirpis parma coccinea duobus barbatulis tergis obuersis aureis, sigillo & triphylis eiusdem velleris impressa.

Scutum de Nesle.

Idem ibid. Andr. du Chesne in Luc. 3.

Decoratus honore Cardinalitio tertiâ Patrum electione in capite ieiunij, feriâ quartâ Cinerum Veronæ à Lucio III. anno M. C. LXXXV. secundum Andream Quercetanum quarto, Diaconus Cardinalis S. Georgij in velabro; postea Presbyter tit. S. Praxedis à Clemente III. creatus.

Bullæ in fauorem Ecclesiæ Petragoricensis datæ Ademaro Episcopo anno M. C. LXXXVI. subscripsit Rodulphus.

Ego Vrbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Petrus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Susannæ.

Ego Laborans Presbyter Cardinalis S. Mariæ Trans-tyberim, tituli Calixti.

Ego Melior Presbyter Cardinalis SS. Ioannis & Pauli, tituli Pamachij.

Ego Adelardus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis.

Ego Henricus Albanensis Episcopus.

Ego Paulus Prænestinus Episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis Episcopus.

Ego Yacinthus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

Et ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Rodulphus S. Georgij ad Velum aureum Diaconus Cardinalis.

Datum per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarij, decimo Calendas Octobres, Indictione sextâ, Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXXXVII. Pontificatus verò Domini Vrbani Papæ III. anno secundo.

Elegit Ferrariæ Albertum patriâ Beuenentanum in Pontificem Gregorium VIII. anno M. C. LXXXVII. qui mensem vnicum & dies sedit aliquot in D. Petri Cathedra; etiam interfuit electioni Clementis III. anno M. C. LXXXVIII. die octauâ Idus Ianuarij Pisis.

Clemente III. moritur.



HENRICVS DE SVLLY CARDINALIS BITVRICENSIS. VRBANO III.

Anno Christi M. C. LXXXVI.

SOLIACI natus in Biturigibus, ab Alphonso Ciaconio prætermissus. Eum ab illustrissimis Principibus originem trahere, hinc Regibus Angliæ consanguineum, inde Francorum Regem lineâ generis propinquiore contingentem refert, notatque Petrus Blesensis, Bathoniensis in Angliâ Archidiaconus epistolâ ad R. Gloëcestriæ Abbatem, & epistolâ sequenti

Petrus Bles. ep. 126. Idem ep. 127. ad O. don. Epis. Parisien.

ad Odonem. Rex Angliæ, inquit, Henricus II. consanguineus vester me primum in Angliam traxit, cuius munificam & magnificam manum frequenter sum expertus.

Monachus fuit Henricus, & Archimandrita Caroli-loci, vulgo *Challis*, Cisterciensis Ordinis, Diœcesis Syluanectinæ. Fratrem habuit Odonem de Sully Episcopum Parisiensem: de vtroque idem Petrus Blesensis sic loquitur epistolâ primò citatâ. Quæritis vtrum nouum hunc Parisiensem Episcopum nouerim, & quid de vitâ, & moribus eius sentiam, & quid de ipsius electione audiuerim, vobis scripto petitis aperiri. Curiosi hominis est ista inquirere: sed scio quòd vestri Domini Henrici, beatæ memoriæ, nuper VVigornensis Episcopi amor & deuotio, ista inquirere Vos compellunt. Scitis enim, quàm placidè quàm deuotè totus spiritus eius requiescebat super Odonem Cantorem Bituricensis Ecclesiæ, eratque in votis & delicijs eius, ipsum cum fratre suo Bituricensi Archiepiscopo, quoties se offerebat opportunitas, multiplici præconio recensere. De vita ipsius quod noui: de ipsius autem electione referam, quod audiui. Mauritio (*de Sully vocabatur*) piæ recordationis exempto de corpore mortis huius, Parisiense Capitulum de alterius substitutione tractabat. Erant quidam filij, & hæredes Simonis Magi, qui licet Religionis professores, multorumque inueterati dierum, cum pecuniis tamen, quas congregauerant, propter hoc à diebus antiquis se ad nundinas illius electionis accinxerant, & per quosdam Giezi successores titulum de contrahenda emptione frequentius iterabant; sed longè aliter Deus disposuit: hactenus Blesensis.

Idem ep. 126.

Simonia.

Rigord. l. de gestis Philip. Aug.

Animaduerte decessisse Mauritium (de quo in præcedenti epistolâ) III. Idus Septembris anno M. C. XCVI. Patrē pauperum & orphanorum, qui quatuor Abbatias fundauit & dotauit Heriuallem, Hermerias, Hederam, & Gif. Huic successit Odo Soliacensis frater Henrici Bituricensis Archiepiscopi, longè à prædecessore moribus & vitâ dissimilis.

Mauritius plures fundauit Abbatias

Archipræsul itaque Bituricus anno M. C. LXXXIII. consecratus à Lamberto Cribello Archiepiscopo Mediolanensi, & Cardinale postea Summo Ecclesiæ Pastore Vrbano III. qui Ecclesiæ Bituricensis quondam fuit Archidiaconus, vt ipse testatur suo diplomate, pridie Kalendas Maij anno M. C. LXXXVI. eidem consecrationi interfuit Guillelmus le Templier Burdegalensis Archiepiscopus. Eius gentis Simon de Sully Bituricensis Archiantistes, qui vitam deseruit sexto Idus Sextiles anno M. CCC. XXXIII. Huius cognominis fuêre quinque Archipræsules.

Plures Archiepisc. nominis de Sully.

Henrico scribit Lucius III. confirmandi iuris Primatus ergò in Burdegalensi Prouinciâ: vnde Helias Archiepiscopus Burdegalensis scribens Vrbano III. Henricum vocat Primatem suum, & meritò; cum ipse Vrbanus Henrico Sedis Apostolicæ concesserit vices in Aquitaniâ Prouinciâ, præterquam in Cœnobio Vici Dolensis, pridie Idus Aprilis Veronæ. Clemens III. litteras mittens anno M. C. LXXXVIII. die quinto Idus Iulias scribit Primati Aquitaniæ, ne Monachi vel Canonici Regulares soli per oppida, vel domos maneant, & Cœlestinus III. anno M. C. XCII. Idibus Ianuarijs.

Primas Aquitaniæ.

Monachus ne solus per oppida.

In Cardinalium Collegium vocatus ab Vrbano III. anno M. C. LXXXVI.

ad quem idem ſcribit Vrbanus anno ſequenti, quinto Calendas Februarias pro Primatus iure, vocitans virum prouidum & diſcretum moribus,& genere nobilem. Innocentius III. epiſtolâ incipiente *Nec vniuerſa*, & alterâ eiuſdem Innocentij datâ Laterani, duodecimo Kalendas Februarias anno M.C.XCIX. habetur, C. *inter corporalia*. De tranſlatione Epiſcoporum.

Dum transferrentur ſacra Diui Stephani de Mureto lipſana, interfuit cæremoniæ Henricus; cuius etiam præſentiâ Claromonte ſedata eſt diſcordia ob Aruerniæ Comitatum nata inter Robertum Turrianum Præſulem LXI. Claromontanum, & eius fratrem Guidonem Comitem Aruernum, qui ſuper eâ aliquando ſcripſerat Innocentio Pontifici, vt Robertum fratrem compeſceret. Illo Cathedram Bituricenſem habente Archipræſule, Raymundus Decanus peregrinationem Hieroſolymitanam inſtituit cum Philippo II. nomine,& re Auguſto & Adeodato, anno M.C.XC.

S.Steph. de Mureto.

Lis pro Comitatu Aruerniæ.

Philippus Rex in expedit. ſacra.

Sedit annos ſeptemdecim, dies viginti quatuor.

Biturigibus occubuit anno M. CC. die tertio Idus Septembres, ſepultus in Loci-regij Abbatia, in cuius tumulo leguntur hi verſus ſepulchrales.

Hic bonus Henricus vir nobilis, & Patriarcha
Quondam Bituricus, tumuli iacet huius in arca.

Huius meminêre Robertus Abbas de Monte ſancti Michaelis in appendice ad Sigebertum, Rigordus anno M.C.LXXXIX. Arnaldus Wion.

VVion li. 1.lign.vit. cap.45.



GVIDO PARE' ARCHIEPISCOPVS RHEMENSIS CARDINALIS PRÆNESTINVS. CLEMENTE III.

ANNO CHRISTI M.C.XC.

ARCHIMANDRITA XVI. Ciſtercienſis Guido vir pietate & eruditione ſingularis, totiuſque ſui Ordinis electus Generalis, hanc molem ſuis humeris geſſit duodecim annos integros.

Rhemenſis Archipræſul poſt Guillelmi ad Albas-manus Cardinalis obitum; cui Innocentius III. diplomate inungendorum Regum Franciæ priuilegium roborauit, cuius hæc ſunt verba. *Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Guidoni Rhemenſi Archiepiſcopo S. R. E. Cardi-*

nali, eiusque successoribus canonicè substituendis. Authoritate Apostolicâ statuimus, vt nisi Rhemensi Archiepiscopo liceat Regem Francorum inungere, vel ei primam imponere coronam, sicut hactenus Ecclesia tua specialis etiam vacante sede obtinuit: quod tibi & successoribus tuis authoritate Apostolicâ confirmamus. Quo priuilegio gaudet Rhemensis Ecclesia à tempore Clodouæi, Hormisdâ Summo Pontifice concedente in fauorem sancti Remigij, & in gratiam primi Regis ad Christum conuersi, & Rhemis baptizati atque consecrati. Aliquando alibi, & ab alijs Episcopis Reges Francorum oleo sacro fuerunt delibuti, vt Pipinus Suessioni cum duobus filiis Carlomanno, & Carolo (qui postea Magni cognomen est consequutus) a sancto Bonifacio Moguntinensi Episcopo sanctæ Sedis Apostolicæ in Galliâ Legato, tunc Ecclesiâ Rhemensi Pastore orbatâ ex Hincmari epistolâ ad Nicolaum Papam: idem Pipinus cum filiis in Ecclesia S. Dionysij Martyris iterum sacratus, & diademate redimitus à Stephano II. Pontifice Maximo tunc in Galliis agente; nec mirū si repetita est vnctio cum exemplum habeamus in Dauide, Saüle & Salomone. Ludouicus Pius Caroli-Magni filius in Regno Imperioque successor, Romæ primum adhuc puerulus & viuo Parente, deinde adultus post patris obitum Rhemis vnctus atque coronatus à Stephano IV. Summo Pastore, Ebone Archipræsule Rhemensi. Carolus Caluus Ludouici filius à Venilone Archiepiscopo Senonensi vngi voluit Aureliis in Basilicâ sanctæ Crucis, cum bello Campania infestaretur. Ludouicus Balbus Compendij anno D.CCC.LXXVIII. sexto Idus Decembres ab Hincmaro Rhemensi, & iterum Trecis à Ioanne VIII. Papâ. Ludouicus Transmarinus Lauduni consecratur ab Artaldo Rhemorum Archiantistite ob pestiferum morbum in vrbe Rhemensi grassantem. Ludouicus Crassus anno M. C. LXXX. à Daimberto Senonensi in ciuitate Aurelianensi ex Yuone Carnotensi. Et postremis hisce temporibus oleo sacro allato ex Cœnobio Maioris-Monasterij Henricus IV. Carnuti XXVII. Februarij M. D. XCIV. ab Antistite Carnotensi Nicolao Thuano.

Confirmatio vngendorum Regum Franciæ Archiep. Rhem.

Qui Reges Franciæ aba-lijs vncti & vbi.

Hincmar. ad Nicol.

Vnctio repetita.

Multi summi Pontifices vnxerunt Reges.

Henricus 4. Carnuti inungitur.

Cardinalem Episcopum Prænestinum creauit Innocentius III. anno M. CC. Romæ, mense Decembri. Antea Clemens III. crearat Diaconum sanctæ Mariæ trans-Tyberim anno M. C. XC. mense Septembri; Cœlestinus III. Presbyterum tituli sancti Calixti anno M C. XCI. teste Cæsario Heisterbachensi.

Heisterb lib. 6. c. 2. li. 9. c. 51.

Sanctæ Sedis Apostolicæ & Innocentij III. Legatus à latere in Germaniâ anno M. C. XCIX. ad confirmandam Othonis electionem in Cæsarem, quæ facta fuerat mense Martio contra Philippum Sueuum, quem excommunicationis fulmine tetigit, eique adhærentes.

Tunc temporis, nimirum anno M. CC. auctor fuit duorum in Ecclesia piorum institutorum dum Coloniæ Agrippinæ ageret, vt testatur idem Cæsarius Hiesterbachensis illius æui scriptor. Vnum est, vt cum hostia sacrosancta & calix eleuarentur in Missæ sacrificio ad sonitum campanulæ, quam hac de causâ altari affigi iussit, omnis populus prostratus veniam à Deo exposceret; alterum, vt quoties ad ægrum sancta deferretur synaxis campanarius Sacerdotem præcedens per nolam altaris Sacramentum proderet, sicque Christiani fideles flexo vtroque poplite venerandam hostiam

Idem ibidem.

Vnde sonitus campanæ pro Eucharistiâ.

cultu Latriæ adorent.

Leodij in Belgio confirmauit Hugonis electionem in Præsulem Leodiensem eumque sacrauit, Clericorum reformationi inuigilauit: huiusce autem reformationis, & decreta,& ordinationes habentur apud Ægidium Buccherum in notis ad historiam Episcoporum Leodiensium. Hugo Leodien. sacratur.

Post trium annorum Sedem Rhemensem peste sublatus Gandaui, Legatus in Belgio anno M. CC. VI. decimo tertio Kalendas Iunias, illicque in D. Petri Andrio depositum cadauer, deinde translatum est Cistercium, in cuius choro hoc legitur epitaphium.

Nobis donatus de culmine Pontificatus,
Rhemis translatus iacet hic vir Guido beatus.

Calendarium Cisterciense inter beatos numerat,& Chrysostomus Henriquez in fasciculo Sanctorum eiusdem Ordinis.

In aula magna Cœnobij Cisterciensis cum aliis Cœnobiarchis habentur depicti duo Guidones.

Guido sequens altos penetrabat acumine cœlos; XV.
Collegio fratrum sociauit Pileus istum.
Guido alter vita cuius fulgebat vt ensis, XVI.
Archimandrita factus fuit inde Rhemensis.

Ferdinandus Vgellus de litteris optime meritus Cisterciensis Ordinis in notis ad vitas Pontificum, & Cardinalium negat Guidonem Archipræsulem Cathedræ Rhemensis, & Abbatem Cisterciensem fuisse Cardinalem; verum bulla Innocentij III. superius relata Guidonem decorat nomine Cardinalis. Vgellus in notis ad Ciac.

Circa eandem tempestatem refert Rigordus in vitâ Philippi Augusti Gaufridum virum sanctissimum Ecclesiæ Meldensis Episcopum Episcopatum eiurantem in Monasterio D. Victoris Parisijs diuinæ contemplationi sese mancipasse, qui inter alia sanctitatis opera, quibus vacabat, abstinentiam admirabilem & inauditam obseruabat: quolibet enim anno in Quadragesimâ, & in Domini Aduentu ter tantummodò in septimana cibum, potum verò nunquam sumere consueuerat; in Episcopatu ipsi successit Guillelmus Cantor Parisiensis, sicque fuêre tres fratres vterini simul Antistites sibique contemporanei, Stephanus Nouiomensis, Guillelmus Meldensis & Petrus Parisiensis filij Galteri Franciæ quondam Camerarij, fratres Galteri Iunioris virtute clarissimi,& in Palatio regio notissimi. Admiranda abstinentia. Tres fratres simul Episcopi.





Anno Christi M.C.XCII.

B. ALBERTVS MARTYR CARDINALIS LEODIENSIS.
COELESTINO III.

DIvvs Albertus Godefridi III. Lotharingiæ Ducis, & Brabantiæ ex Margaretâ Limburgicâ filius; Henrici IV. etiam Brabantini, & Lothareni Ducis frater germanus.

In Leodiensem Præsulem LXIII. electus contra Lotharium Præpositum Benensem, cuius partes Henricus Imperator tuebatur; Romam ementito habitu petit declinans iram Cæsaris.

Sacrarium Ecclesiæ Leodiensis sancti Lamberti refert Beatum Albertum Pontificem Leodiensem & Martyremà Cœlestino III. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Diaconum Romæ fuisse ordinatum anno M. C. XCII.

Adolescens senili prudentiâ, & morum grauitate tutatus est electionis causam apud Pontificem, qui momenta rationum perpendens, & ius stare ab Alberto comperiens Lotharium reiecit, Albertum mitrâ ornauit, & inter Patres Purpuratos adnumerauit anni eiusdem initio.

Cœlestinus donat Alberto. Dum ipse Pontifex maximus sacra missæ solemnia celebraret Euangelicam lectionem legit Albertus paulò ante factus Diaconus. Romam deserentem donauit Cœlestinus annulo aureo, & duabus magni pretij mitris.

Vestphaliæ ducatusacquiritur Ecclesiæ Colonien. Pontifex Coloniæ Agrippinæ Philippo Archipræsuli (is est, qui Vestphaliæ Ducatum Ecclesiæ Coloniensi acquisiuit) litteras dedit ad sacrandum Albertum, & Sacerdotali & Episcopali charactere decorandum, & in eius absentia aut legitimo obice id præstaret Guillelmus ad Albas-manus Archiepiscopus Rhemorum, quod & præstitit, vigesimo die Septembris anno M. C. XCII. ob minas Philippo intentatas à Cæsare Henrico, qui Rhemos misit satellites necis inferendæ causâ Alberto Ecclesiæ libertatis acerrimo defensori, cui illata est nex mense Nouembri. Agnus enim innocens in medijs campis Rhemensibus extra portam, quæ Chatrée nun- Rhemis occiditur.

cupatur (quo in loco crux erecta sancti Alberti titulo insignita) inuentus à proditoribus & sicariis ab Henrico missis, vigesimo quarto die Nouembris eiusdem anni impiè occiditur, cuius rochetum sanguine tinctum in arcula Ecclesiæ Rhemensis asseruatur; de quo Martyre hi leonini versus circumferuntur.

Legia me legit, electum Roma probauit.
Rhemis sacrauit, sacratum martyrisauit.

Ægidius Leodiensis Aureæ-vallis in Ducatu Luxemburgensi Monachus Cisterciensis mores & vitam nostri Alberti retulit in libris Episcoporum Leodiensium, & Martyrologium Romanum hæc habet. Rhemis sancti Alberti Episcopi Leodiensis & Martyris, qui pro tuendâ Ecclesiasticâ libertate necatus est. Thomas Cantipratanus libro apum. Venerabilis & Deo dignus Albertus Leodiensis Episcopus, frater Ducis Brabantiæ ab Henrico Imperatore exul ab imperio pulsus est, & à militibus eius iuxta Rhemensem Vrbem pro iustitiâ dolosissimè necatus. Baron.in Martyr. Cātiprat. lib. 2. apum c. 39

Quadringentos annos, & amplius sacrum corpus iacuit in Ecclesia Rhemensi loco pulpiti, vulgò iube nuncupato, nullo erecto sepulchro, quarto Nouembris anno M. DC. XII. Bruxellas translatum est, id à Ludouico Francorum Rege XIII. & Mariâ Medicæâ Matre tunc Regente, impetrantibus piissimis Principibus Alberto Archiduce, & Isabellâ Clarâ Eugeniâ vxore cum Ludouici Rhemorum Archipræsulis & Canonicorum consensu; Guidone Bentiuoglio in Belgio Nuntio Apostolico (deinde in Gallia, demum Cardinale) pompam comitante, ipse Albertus veneranda Lipsana sui cognominis, ac sanguine iuncti propriis humeris inuexit in ædes Virginum Discalceatarum sanctæ Theresiæ anno eodem, die vndecimâ Decembris: Mathias Houius Mechliniensis, & Ioannes Richardotus Cameracensis, Archiepiscopi præsentes aderant, Aulæque Proceres vniuersi, & turba populorum innumera.

Paulus V. Pontifex Maximus B. Albertum peculiari diplomate Beatorum fastis inscripsit.

Antonius Sanderus Yprensis Ecclesiæ Canonicus vates optimus hoc versu heroïco B. Albertum aliquando celebrauit.

Austrasiæ columen, Lotharingæ clara propago
Gentis, & alta Ducum soboles, augusta tuorum
Gloria, salue Heros, Alberte, ô inclyta salue
Gemma Patrum, niueo quos infula vinxit amictu.
Salue Heros, pulchro qui religionis amore
Incensus sacrum pro libertate cruorem
Fudisti impauidus. Te læto sedula cultu
Musa canat, licet imparibus tua nomina laudet
Ipsa sonis: tua nam quæ forti pectore virtus
Præstitit, humanæ superant conamina venæ.

Sæuo quondam odio, furijsque agitatus iniquis
Henricus, dirum superis caput, atraque regni
Labes Ausonij, atque æternæ infamia Romæ.
Indignis vexare modis non horruit, & te
Sanguineis pressum latronibus obtruncauit
Innocuum carumque Deo, & sacrata tuentem
Iura poli, positasque pio moderamine leges
Christigenum à magnis Pastoribus, Heu scelus ingens!
Heu crudele nefas! at tu dabis improbe quondam
Vltrices, Cæsar, pœnas; te iusta sequetur
Non dubio Nemesis, conturbabitque flagello,
Omnibus inuisum terris, atque effera nunquam
Facta nepos seris cessabit plectere fastis.
Te verò indigetem cœli mixtumque beatis,
Alberte, agminibus, quà primos aurea vultus
Ostentat lætis coniux Titonia terris,
Et quà præcipites fesso temone iugales
Hesperio mergit lampas Phœbeia ponto.
Deuoti dicent populi, meritisque decorum
Elogiis festo celebrabunt sæcula cultu.



ANNO CHRISTI M.C.XCVI.

SIMON CARDINALIS.
COELESTINO III.

PROAVI Simonis à Limburgo fuêre Duces Lotharingiæ, qui mirandæ virtutis adolescens fuit Henrici Limburgensis Ducis filius frater VVa-

leranni II. consanguineus Ducis Lotharingiæ, à Cœlestino III. Pontifice (ex Ægidio Auræuallensi, qui vocat Simonem à Lotharingiâ) creatus Cardinalis anno Virginei partus M. C. X C VI. in ipsa vrbe Româ, cum eò fuisset profectus litis componendæ gratiâ apud ipsum Pontificem ortæ propter electionem ipsius in Episcopum Leodiensis Diœcesis, contra Albertum de Curq, interfecto B. Alberto Leodiensi, aliqua suffragia electorum habentem; ipse enim Simon præter calculos Canonicorum nonnullorum inuestitus regalibus fuerat Aquisgrani ab Henrico Cæsare; cùm contendentes de Episcopatu conuenire vnà non possent, adiêre Cœlestinum, Henrico Louaniensi Duce aúctore, sententiam Pontificiam accepturi. Dum causa agitaretur Romæ apud Pontificem, Cardinalitiam accepit dignitatem Diaconatus, paulóque post decedit. Hist. Ep. Leodien. c. 91. & 92.

Scutum Limburgicum argenteum Leone coccineo insiliente, coronâ & falculis aureis, linquâ cæruleâ, caudâ bifidâ in decussim traiectâ exaratum.

Moritur in Domino Romæ primâ Augusti die anni M. C. X C V I. in Ecclesiâ S. Ioannis Lateranensis cineres tumulati.



GIRARDVS PONTINIACENSIS IX. ABBAS CARDINALIS PRÆNESTINVS INNOCENTIO III. Anno Christi M. C. XCVIII.

SECVNDA Cistercij filia Pontiniacum ad fluuium Seniam in Ionam postea labentem à Theobaldo Campaniæ Comite fundatum Monasterium anno M. C. X I V. qui fuit ibi sepultus, nuncupatus Orphanorum parens, cœcorum oculus, pes claudorum. Asseruantur sacræ reliquiæ S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi in illo Cœnobio, cuius ordine & numero IX. Cœnobiarcha Girardus, vt refert antiquum eiusdem Monasterij Necrologium, cui successit Galterus, postea Præsul Carnotensis. Eiusdem Cœnobij XV. Abbas Pontiniacensis Robertus Cardinalis. Illic exul moratus biennio Sanctissimus Præsul Thomas Cantuariensis, sed cogitur abire Theobal. fundator Pontiniaci. Catalog. Abbat. Pôtiniac.

Eduard. in vita S. Thomæ Cant.

minis Henrici Angliæ Regis, quâ de re Eduardus coætaneus in eius vita; Angliæ, inquit, Rex molestè ferens Pontiniaci eum degere scribit ad Abbatem Cistercienſem, cui Pontiniacenſes, æque vt alij eiuſdem instituti, Monachi parebant, ſi illum patiatur manere vel Pontiniaci vel alibi in ſuo Ordine, ſe Monachos omnes eius Ordinis, qui ſint in Angliæ Regno ad ipſum tranſmiſſurum. Id vbi ex Abbate reſciuit vir ſanctus. Abſit, inquit, hæc à me tranſgreſſio, vt meâ causâ patiar tot viros virtutis in hanc calamitatem incidere, & tot Monaſteria in ſempiternas redigi ſolitudines. Reddat vobis Pater miſericordiarum pro officio caritatis, quod mihi præſtitiſtis. Deinde ſcripſit ad Ludouicum Franciæ Regem quâ arte Angliæ Rex è Pontiniaco ipſum eieciſſet; hactenus Eduardus.

S. Thomas Pontiniaci degit.

Cardinalium numero adſcriptus Diaconus tituli S. Nicolai in carcere Tulliano à Summo Pontifice Innocentio III. in primâ Patrum creatione, anno M.C X C.VIII. Pontificatus primo, menſe Decembri, poſtea Epiſcopus Præneſtinus.

I. Protector Minoritar.

Girardum & Hugolinum Cardinalem Innocentij nepotem D. Franciſci familiarem, & primum Seraphici Ordinis Protectorem, poſtea Gregorium IX. commiſit ipſe Innocentius, initio ſui Pontificatus, in controuerſia quadam cognitores.

Diem clauſit extremum anno M.CC.X. Innocentio III.



Anno Christi M. C. XC.VIII

RODVLPHVS PRÆSVL ATREBATENSIS CARDINALIS INNOCENTIO III.

ATREBATENSIS Eccleſiæ Archidiaconum Rodulphum ferunt eiuſdem Eccleſiæ tabulæ.

Scutum Atrebatenſe cyaneum lilijs Francicis incerto numero ſparſum, eum faſciolâ coccineâ tribus pendulis lacinijs diſtinctâ, qualibet tribus caſtellis aureis impreſſâ.

Præſul Atrebati electus fuit anno M.C C. III. poſt Petri VI. quondam Abbatis Pontiniacenſis deceſſum, habuitque in Cathedra ſucceſſorem Pontium, qui interfuit exequijs Philippi Auguſti anno M. C. XXIII.

Cardinalatus infulis decorauit Rodulphum Innocentius III. dum Archidiaconi solùm personam sustineret, anno M.C XCVIII. in primâ creatione, mense Decembri.

Contendit ad Superos anno M.CC.XX. Atrebati sepultus in D. Mariæ; hi habentur versus in tumulo æneo.

Quem sculptura premit, Præsul regale redemit,
Non facit Antistes discretos mors tua tristes:
Nam cœli ciuis meritorum pondere viuis.



PETRVS DVACENSIS CARDINALIS S. SABINÆ INNOCENTIO III.

Anno Christi M.C.XC.IX

DVACI in Belgio in lucem editus, quem prætermisit Ciaconius; non tamen Mathæus Vvestmonasteriensis, de quo sic verba facit. Propter captionem, inquit, fratris Petri de Douay Cambronensis electi interdicta est Francia. Vvest. mon. ad annum Christi 1199.

Ex Diui Benedicti Ordine prodijsse vult Arnardus Vvion, non autem è Mendicantium instituto, sicut opinati sunt nonnulli propter vocem superiorem fratris, nam Mendicantium Ordines ante annum M.CC. non fuerant exorti, & in Belgio nulli alij præter Benedictinos & Cistercienses reperiebantur. Vvion l. 2. ligni vitæ.

At, vt horum veritatem assequamur, relictis riuis sat turbidis & stagnantibus aquis ad viuum fontem recurramus; Præstat enim audire Rigordum Ludouici VIII. Chronographum in gestis Philippi Augusti illius æui auctorem de Petro loquentem. Anno M.C.XCIX. Philippus Comes Namurij frater Comitis Flandrensis captus est à Roberto de Belesio, & ab Eustachio de Noua-villa, cum duodecim militibus, mense Maio, iuxta castrum, quod Lentium vocant, & Regi Philippo traditus cum Petro de Doaio Clerico, qui multa mala Regi fuerat machinatus. Electus vero Cameracensis (nimirum Petrus de Corbolio) quondam Innocentij Papæ (Rigord. l. de gestis Philipp. Aug. an. 19. & 20.) (Petrus Cameracen. incarceratur.)

discipulus captus fuerat, ab Hugone Damelencourt, pro quo Petrus iam dictus S. R. E. Legatus totam Franciam sub interdicto posuit; sed reuolutis tribus mensibus habito Rex saniori consilio, Ecclesiæ sanctæ Petrum prædictum liberum reddidit. Ex his corrigendus VVestmonasteriensis, qui ait Petrum electum Cambronensem, (legendum Cameracensem) cum Petrus de Corbolio fuerit electus Cameracensis, postea Senonensis. Corrigendus etiam Arnaldus VVion induens Petrum Monachismo.

Vvestmonast. corrigitur & Vvion.

Presbyter Cardinalis sanctæ Sabinæ ab Innocentio III. anno M.C.XCIX. Rigordus enim hoc anno celebrat Cardinalem, & ab Honorio III. ex Presbytero Cardinale Episcopus Sabinensis est electus, anno M C C. X V I. teste VVione, sicque intelligendus Pannuinus, dum Petrum creatum Cardinalem tradit ab eodem Honorio.

Vvion. l. 2. ligni vitæ.

De Synodo Diuione habitâ ab eodem Petro Rigordus hæc refert. Illo anno X C I X. mense Decembri, in festo sancti Nicolai conuocatum est Concilium apud Diuionem à Petro prædicto Cardinale omnium Episcoporum, Abbatum & Priorum totius Regni, sed quia contrâ Regem Franciæ, regnum ipsius sub interdicto ponere moliebatur, à Nuntijs Regis ad Romanam Sedem est appellatum. Tamen ipse Cardinalis appellationi non deferens, in eodem loco adstantibus Episcopis vniuersis, sententiam protulit, sed vsque ad viginti dies post Natiuitatem Domini non esse publicandam præcepit. Transactis verò viginti diebus à Natiuitate, tota terra Regis Francorum interdicto subiacuit, quo audito Rex vehementer iratus, quia Episcopi sui interdicto faciendo consenserant, ipsos Episcopos à proprijs sedibus deturbauit, & Canonicos ipsorum seu Clericos omnibus rebus suis expoliatos de terrâ suâ eijci præcepit, & bona eorum confiscauit. Presbyteros etiam, qui in Parrochijs manebant, omnes eiecit, & bona eorum diripuit. Ad cumulum verò totius mali, Ingelburgem vxorem suam legitimam, Reginam sanctam, omnibus bonis moribus & virtutibus ornatam, omniumque suorum solatio destitutam, apud Stampas in castro suo reclusit.

Idem Rigord. loc. cit. Concil. Diuionen.

Francia interdicta.

Stampis recluditur Regina.

Anno Domini M.CC. in Natiuitate Beatæ Virginis, Octauianus Ostiensis, & Velletrensis Episcopus venit in Franciam Legatus: per cuius admonitionem Dominus Rex, Ingelburgem vxorem suam in gratiam qualemcumque recepit, & super-inductam ad tempus à se separauit. Tunc verò conuocatum est Concilium Suessioni, ab Octauiano, & Ioanne de S. Paulo Presbytero Cardinale Apostolicæ Sedis Legatis: cui interfuit Philippus Rex cum Archiepiscopis, Episcopis & totius Regni Principibus; mense Aprili tractatum fuit per quindecim dies de matrimonio Ingelburgis Reginæ confirmando vel separando. Post varias & multas Iurisperitorum disputationes, Rex longâ morâ tædio affectus, relictis ibi Cardinalibus & Episcopis, cum Ingelburge vxore suâ summo mane ipsis insalutatis recessit: mandans illis per Nuncios suos, quòd vxorem suam ducebat, sicut suam, nec separari tunc ab eâ volebat. Quo audito solutum est Concilium, stupefactis Cardinalibus & Episcopis, qui ad diuortium faciendum conuenerant. Et tunc Ioannes de sancto Paulo cum nimiâ erubescentiâ penitus recessit; Octauianus autem in Franciâ remansit. Eodem anno, antequam

Concil. Suessionen.

Octauianus Legatus Romam rediret, Mariâ superinductâ, Domino vocante viam vniuersæ carnis ingressa est: de qua Rex Francorum susceperat filium nomine Philippum, & filiam nomine Ioannam; quinque enim annis contra legem, Deique decretum eam habuit, & tenuit. Post mortem verò ipsius Mariæ ad petitionem Regis Francorum Innocentius Papa III. infantes prædictos legitimos hæredes esse mandauit, & postmodum litteris suis confirmauit: quod factum eo tempore pluribus displicuit; hactenus Rigordus.

Philippus quinque annos cum Mariâ illegitimâ.

Filius declaratur legitimus.

Missus in Galliam Duacensis cum Romano Cardinale sancti Angeli ab Innocentio III. qui eos multarum causarum auditores, vt pote Iureconsultissimos esse voluit. Iidem Concilio Parisiensi vnâ cum Ludouico VIII. Francorum Monarchâ interfuerunt, cui crucis tesseram Legatus imposuit, decretaque ibi est in Hæreticos Albigenses expeditio; quo audito Raymundus Comes Tolosas Dux Albigensium se Pontifici pollicetur obsequentem, verum paulò post mortuo Ludouico ad vomitum & bellum rediit. Idem Romanus Cardinalis in Angliam proficiscitur; redux Legatus Synodum celebrat Biturigibus anno M. CC. XXVI. Honorio III. in Albigenses, & pro pace Regni; cui interfuêre Haimericus Monfortius & Raymundus Tolosanus ob fines diuersos, & Rex Franciæ Ludouicus, qui statim se contulit vnâ cum Cruce-signatis Auenionem vrbem munitissimam, abhinc septem annos, inquit Rigordus, excommunicationi subiectam propter Hæreticam prauitatem; illam subegit & in reditu, vltimo die defungitur.

Concil. Parisien. an. 1225.

Concil. Bituric.

Auenio Hæresi infecta. Rigord. an. 1226.

Aliam Synodum Montis-pessuli Petrus habuerat ante aliquot annos, multaque pro reformandis Cleri moribus, & in Albigenses decreta constituerat. Aderant quinque Galliarum Archiepiscopi viciniores, & viginti octo Episcopi: in ea Simon Comes Montfortius fuerat constitutus Princeps terræ Albigensium Hæreticorum expugnatione conquisitæ, & anno M. CC. XV. in Oecumenicâ Synodo Lateranensi confirmatus eidem fuerat Simoni Comitatus Tolosanus, Senioris Raymundi hæresi, ad eum etiam Comitatus Venaysinus seu Auenionensis pertinebat: huius Comitatus dominium obtinuit Honorius III.

Comitatus Auenionensis ad Catholicos peruenit.

Finis tandem impositus Albigensium bello, & Hæresis extincta mense Aprili anno M. CC. XXVIII. Sancti Ludouici Regis & Blanchæ Reginæ eius matris operâ, & Gregorij IX. paternâ sollicitudine, Raymundo Iuniore Comite Tolosatum à Diuo Ludouico pacem petere coacto certis conditionibus, vnâ, vt quinquennium contra Sarracenos bellum proprijs impensis gereret, & Lutetiam Parisiorum adiret, vbi Hæresim eiurauit in præsentiâ Romani Cardinalis Legati. Pax firmata connubio Raymundi filiæ, & hæredis cum Alphonso Ludouici Regis fratre. Hanc sanctionem in Hæreticos edidit Diuus Ludouicus anno M. CC. XXVIII. cui subscripsit Raymundus.

Finis Albigensiû.

Raymundus Iunior Hæresim eiurat.

S. Ludouici sanctio in Hæreticos.

Ludouicus Dei gratiâ Rex Franciæ omnibus suis Baronibus, Vasallis dilectis fidelibus Balliuis, & bonis ciuitatibus Prouinciarum Arelatensis, Narbonensis, Aræsij, Rutenarum, Cadurcensis, Agennensis, & Al-

biensis salutem & dilectionem. Nos cupientes in ipsis primordijs nostri Regni illi inseruire, à quo recognoscimus regnum, & quicquid sumus ad ipsius honorem esse, qui nobis sublimitatem honoris dedit, volumus Ecclesiam Dei, quæ in vestris partibus longo tempore afflicta fuit, & tribulationibus vniuersis agitata, honorari, & in nostrâ fideliter dominatione gubernari; idcircò ex consilio Magnatum & prudentium virorum statuimus, vt Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ in dictis terris constitutæ vtantur libertatibus, & immunitatibus, quibus Ecclesia Gallicana vtitur. Et quia Hæretici varijs modis matrem Ecclesiam inficientes, venenum in vestris partibus latè disperserunt; statuimus, vt à Fide Catholicâ deuiantes cuiuscunque fuerint nominis, postquam ab Episcopo, vel aliquâ aliâ personâ Ecclesiasticâ fuerint Hæretici iudicati, confestim & sine morâ debitis pœnis puniantur. Ordinantes, ne quis eos recipere, vel tueri, aut eis cedere, vel fauere præsumat. Quod si ausus fuerit deinceps, ad testimonium nullo modo admittatur, neque testamenti conficiendi potestatem habeat, omnis successionis sit incapax, & bona eius fisco addicantur, neque vnquam ei, aut posteris restituantur. Omnibus autem Baronibus præcipimus, vt vigilantes sint in extirpandis Hæreticis, neque ab eis condemnandis metu, gratiâ, vel amore abducantur. Quicunque aliquem Hæreticorum ceperit, à Balliuo nostro duas marchas argenti accipiat. Qui in contemptum clauium vno anno in excommunicatione insorduerint, bona eorum fisco applicentur; & quoniam habitantium malitia diuturno tempore decimas Ecclesiæ defraudata est, statuimus & ordinamus ipsas Ecclesiæ restitui, neque amplius à Laicis detineri; vt autem omnia hæc inuiolabiter ab omnibus seruentur, mandamus Balliuis, Baronibus, Vasallis, & vniuersis, vt intra mensem iurent publicè se omnia supradicta seruaturos.

Pœnæ in Hæreticos, & eorum fautores.

Decimæ Ecclesiasticis restituuntur.

Constitutiones à Raimundo Iuniore Comite factas Calendis Martijs anno M.CC.XXXIII. ex Episcoporum consilio in Comitatu Tolosano peruulgandas refert Bzouius pluribus, Gregorij IX. anno secundo, qui est Christi M.CC.XXVIII. quæ postea referri debuissent.

Bzouius ad an 1228.

Diem obijt extremum Perusij anno M.CC.LII. ibidemque terræ mandatus ex Arnaldo VVione.

Arnald. Vvion. l. 2 lig. vit.





IOANNES DIACONVS CARDINALIS SANCTÆ MARIÆ IN VIA LATA INNOCENTIO III. ANNO CHRISTI M.CC.V.

SANCTÆ Romanæ Ecclesiæ Notarius, deinde ab Innocentio III. anno M.CC.V. anno sui Pontificatus septimo, ad Cardinalatum promotus Diaconus tituli S. Mariæ in via latâ.

Duabus functus legationibus, vnâ ad Ioannem Anglorum Regem acri vrgentem persecutione Clerum, quem hortatur Legatus Apostolicus, vt sedet iniurias innocentibus illatas, illic biennio moratus. Rex impedimento erat, ne Canonici Vintonienses sibi Episcopum eligerent pro more: quâ de re Innocentius Pontifex scripsit ad Ioannem Cardinalem. Innoc. ep. 2.

Altera Legatio Ioannis cum Petro Cardinale S. Marcelli in Gallijs ad Philippum hoc nomine II. cognomento Augustum Francorum Monarcham causâ componendæ pacis inter ipsum, & Ioannem Regem Anglum cognomento *sine terra* ob perditam Neustriam Prouinciam. Ioannes cur dictus sine terra. Præterea ad persuadendum ipsi Philippo Adeodato vxorem Ingelburgem legitimam, repudij libello donatam (aliâ superinductâ putâ Mariâ Morauiæ Ducis filiâ) recipiendam. Super his duobus capitibus frequentes literas scripsit Innocentius.

Regina misit epistolam capitulo Ambianensi super secundo capite (vt iam significauimus in Guillelmo Cardinale Blesensi.) *Dilectis in Christo amicis Decano & Capitulo Ambianensi, Ingelburgis Dei gratiâ Francorum Regina humilis in Domino salutem.* Incognitum vobis esse non credimus, quod penè toti notum est Orbi, quanta perpessæ sumus incommoda postquam Regiæ dignitatis vnctionem adeptæ sumus pariter & coronam, propter quæ tanto temporis interstitio sumus præpeditæ, &c.

Porro ob eandem illicitarum nuptiarum causam perculsus excommunicatione Philippus I. Rex alter Galliæ à Cardinalibus Benedicto, & alio Ioanne in Synodo Pictauiensi, anno M.C. cum ad volutabrum redijsset, ex

Yuo. ep. 212. Yuone, nam antea in Concilio Claromontano anno M. XCV. mense Nouembri ob eandem causam, eodem fulmine percussus ab Vrbano II. in Gallijs tunc temporis agente. Audiamus ipsum Yuonem Episcopum Carnotensem Radulpho Rhemorum Archipræsuli scribentem. Consanguinitatem, quæ dicitur esse inter filium Flandrensis Comitis, & filiam Comitis Redonensis, didici, cum essem in Curia Papæ Vrbani non propter istos pueros, qui nondum fortasse nati erant, sed propter auos eorum, aut proauos paternos aut maternos, de quorum consanguinitate tunc temporis vrgente tractabatur necessitate. Computauit enim eam ad suggestionem Domini Papæ, me audiente, quidam Monachus Aruernensis nomine Castus, ætate maturus, de nobilibus terræ illius progenitus, vitâ & famâ honestus. Computauerunt eandem consanguinitatem alio tempore in prædictâ Curiâ Legati Fulconis Andegauensis Comitis, & probauerunt eum accusaretur Rex Francorum, quòd prædicto Comiti consanguineo suo vxorem suam subtraxerat, quam etiam illicitè retinebat. Propter quam accusationem & patrati incestus comprobationem excõmunicatus est Rex Philippus à Domino Papâ Vrbano in Claromontensi Concilio. Et cum post factum diuortium prædictus Rex esset reuersus ad prædictæ mulieris consortium, excommunicatus est in Pictauiensi Concilio à Cardinalibus Ioanne & Benedicto. Hæc scribo absens, qui nihil aliud quod ad rem pertineret dicturus essem præsens. Occurrerem tamen libenter amabili mihi vestro colloquio, nisi obsisteret mihi coluber in via, cerastes in semita, videlicet Puteacensis Dominus, qui propter intolerabiles iniurias, quas infert Ecclesiæ nostræ, à nobis est excommunicatus. Computatores verò genealogiæ, quos monebatis mecum venire, quorum mentionem superius feci, non sunt Parochiani mei, neque etiam noui vtrum viuant, vt possim eos ad hanc discussionem inuitare. Generatio autem sic est. Gaufridus Grisagonellus fratres. Blanca Arelatensis Comitissa. Fulco Andegauensis Comes, Constantia Regina. Comitissa Vastinensis, Adera Flandrensis Comitissa, Fulco Rechins, Robertus Frison, Comitissa Redonensis, Robertus filius Frisonis, filia eius n. sexto gradu filius huius Roberti n. hactenus Yuo caelestis canis valens latrare.

Consanguinitas impedit matrimonium.

Concil. Pictauien.

Genealogia Principum consanguin. ab Yuone relata.

Rob. Frison.





BERTRANDVS CARDINALIS SS. IOANNIS ET PAVLI. HONORIO III. Anno Christi M.CC.XVI.

PRobatæ & luculenter approbatæ vitæ, eminentis ſcientiæ virum, & potentem opere & ſermone Bertrandum vocat Summus Pontifex Honorius III. in epiſtolis ad eum crebrò miſſis.

Patrum Purpuratorum numero adlectus ab ipſo Honorio III. Presbyter tituli ſanctorum Ioannis & Pauli anno M. CC. XVI. Pontificatus primo, menſe Decembri.

In Galliam miſit Legatum Honorius Pontificatus primordio ad procurandam pacem Prouincijs Aquenſi, Viennenſi, Arelatenſi, Narbonenſi, & Ebredunenſi. Præclarè egit in Albigenſes, aliquotque annos illic vixit. Hiſtoria Toloſatum meminit cuiuſdam excommunicationis prolatæ ab Abbate ſancti Ægidij in ciues eiuſdem ſancti Ægidij (cuius territorium olim vocabatur vallis Flauiana) ob admiſſum in ciuitatem Raymundum Iuniorem Comitem. Idem Abbas & Cœnobitæ ſacram ſynaxim decenter (vt par erat) extulêre, & quidem nudis pedibus procedentes ab vrbe diſceſſerunt. Memorati ciues prouocarunt ad Bertrandum Cardinalem tunc agentem Arauſioni. Eâdem Honorij tempeſtate contra eoſdem Albigenſes miſſus à latere Legatus in Gallias Conradus Claræ-vallenſis Abbas, deinde Ciſtercienſis & Cardinalis, de quo ſtatim plura. Comes Montisfortis eò proceſſit cum exercitu & militibus à Girardo Archipræſule Bituricenſi, & Roberto Epiſcopo Claromontano lectis, caſtra Sanægidio viciniora cepit; hinc ſe contulit ad Bertrandum Cardinalem tunc morantem in ſancti Saturnini portu ad Rhodanum: Legati ſuaſu fluuium traiecit ad compeſcendos nonnullos Prouinciales, qui in Prouinciâ turbas ciebant. Inter moras Raymundus Senior Comes Toloſas ab Hiſpaniâ redux Toloſam ingreditur fores reſerantibus ciuibus, vnde Chronicon Manu-ſcriptum; Anno M.CC.XVII. recuperauit Toloſam Comes ſancti Ægidij. Eò ſe contulit Simon Mont-fortius vnà cum noſtro Bertrando ad cingendam vrbem obſidione anno eodem menſe Septembri. Cardinalis Legatus præui-

Hiſtor. Toloſ. l. 2.

Obſidio Toloſæ.

Guill. de Puylaurens M.S. Petr. Ab. Vallis sernati in hist. Albig.

dens vices impares Simonis misit Fulconem Episcopum Tolosanum, & Iacobum de Vitry postea Cardinalem (de quo infra) ad sacram militiam prædicandam, & milites legendos.

Hispalim vulgò Seuille ad fluuium Guadalqueuir contendit Legatione fungens Bertrandus.

Mortalitatem exuit circa septimum Honorij annum.



Anno Christi M.CC.XIX.

CONRADVS ABBAS XI. CLARÆVALLENSIS CARDINALIS PORTVENSIS. HONORIO III.

EGINONIS Seynæ Comitis filius, Eginonis Friburgi Ducis frater, distinctus ab alio Conrado Henrici Nigri Bauariæ Ducis filio; primùm Canonicus S. Lamberti Ecclesiæ Leodiensis, deinde Monachus & Abbas Villarij Cœnobij, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Leodiensis, nunc Namurcensis, in quo sepultus Monachi habitu Dux Brabantinus Ioannes anno M. CCC. LXV.

Cœnobiarcha Claræ-vallensis XI. anno M. CC. XIV. postea Cisterciensis XX. quem Simon Alnensis Conuersus inter orandum aspexit coronam auream capite gestantem: digiti etiam ipsius ex Chronico Villariensis Monasterij, quibus Dominici corporis & sanguinis hostiam offerre consueuerat, noctu adinstar candelarum ita fulgebant, vt eius lucis ope scripturas sacras expeditè legeret; idem tradit Thomas Cantipratanus. Bartholomæum Carcassonensem deperditum hominem persequutus anno M. CC. XXIII. quem Albigenses in Antipapam elegerant, de quo in Bartholomæo Cardinale.

Digiti refulgent hostiam in missa offerẽtes. Cantipr. l. 1. c. 9. de apib.

Cardinalis tituli sanctæ Rufinæ, Episcopus Portuensis ab Honorio III. inauguratus dignitatem Pontificiam recusauit mortuo Pontifice, Cardinalibus eum designantibus. In Ecclesiâ Prædicatorum Parisiensium orans spiritu raptus vidit librum cum his verbis, *Laudare, & benedicere, & prædicare*, quæ sacro Dominicanorum Ordini conueniebant. Multas in reprimendis Schismaticis Coloniæ perpessus est calamitates, & sancti Engelberti Archiepiscopi Martyris occisores anathemate feriit. Synodum cele-

Officia Dominicani Ordinis.

brauit pro Ecclesiasticorum reformatione, etiam Moguntiæ aliam, tertiam Leodij.

Ab Honorio anno M. CC. XXI. contra Albigenses legatur nuptias & sacramenta improbantes. Rem altius repetamus ex auctore illius æui Petro Vallis Sernai Monacho Cisterciensi oculato teste. Honorij Antecessor Innocentius III. miserat in Gallias eiusdem Ordinis Cœnobiarchas plures, (Cæsarius Hiesterbachensis numerat septem, alij duodecim) ad Albigensium Hæresim confutandam; in eorum Abbatum numero erat Petrus de Castro-nouo Abbas Frigidi-montis, qui vt primùm aduenit Raymundum Comitem Tolosatem excommunicationis diris deuouit anno M. CC. IX. hominem sæpius admonitum, vt resipisceret, frustra tentatum. Comes rogat Legatum, vt reuertatur ad sancti Ægidij ciuitatem, dicto satisfactum. In eâ Raymundum conuenit, vt staret promissis, seque ad meliorem frugem reciperet, & Deo & Ecclesiæ satisfaceret; sed alia longè mens Comitis minas & mortem Petro intentantis; discedenti Sanægidio duo serui Raymundi Petro ignoti præbent se viæ comites, à prandio in medio itinere vnus illorum ferro lanceæ transfixit latera Petri Abbatis, quo vulnere humi prostratur, in parricidam versis oculis has identidem repetebat voces, *tibi parcat Deus, ego tibi parco*. De re totâ certior Innocentius Pontifex Iacobum Gallonem, quem Onuphrius Gallum dicit, sed re verâ Italum Archiepiscopum Mediolanensem misit Legatum cum literis Philippo Augusto datis ad Albigenses Hæreticos delendos, Comitemque Tolosæ Raymundum, Comitem sancti Ægidij, & Principem Flussatum. Rex copias eò duci curauit: præsto fuêre Burgundiæ Dux, etiam Niuernensis Comes, Archipræsules Senonensis & Rothomagensis. Episcopi Lexouiensis, Baiocarum, Carnuti, Conuenarum, Conserani, Lodeui. Abbas Simoriæ Ordinis Benedictini in Prouinciâ Aquitaniæ, aliique Prælati & Nobiles Viri de Religione Catholica benè meriti. Biterræ obsidione cinctę (quarum Dominus Rogerius Albigēsis Hæresis fautor) captæ flammis deuotæ, occisi præsidiarij milites & ciues, Rogerius captiuitati addictus, dominio Regio Biterræ vnitæ; exercitus Carcassonam adit, dedunt se Carcassonenses, coguntur ex vrbe nudi egredi: cætera fœlici exitu perfecit Simon Comes Montis-fortis Comitatus in Diœcesi Carnotensi, (quem nonnulli nothum ipsis ignotum asseruerunt) missus à Philippo Augusto. Anno M. CC. X. ciues Albiorum fores ciuitatis Simoni aperuerunt nolentes finem belli aduersum præstolari; in diuersis vrbibus multi igne cremati Hæretici, alij in patibulum acti vitam finierunt, aliis ceruices amputatæ. Lauaurum captum, cuius Domina Girarda nolens Hæresim eiurare, in puteum demersa numerosâ lapidum mole obruitur. In eos ferè duodecim annorum interuallo egregiè depugnatum, de quibus Simon Comes Monfortius vir egregius victoriam reportauit, duodecim Hæreticorum millibus internecioni datis, cum tamen ipse Monfortius solos octingentos Equites, & mille Pedites haberet. Attamen paulòpost inito apud Muretam prælio aduersus Petrum Arragonensem Regem, & dictum Raymundum, qui sub signis habebant centum millia hominum, insigni prorsus potitus est victoriâ, quâ Arragonius occubuit, relicto regno Iacobo filio qua-

Petrus Vallis-Sern. in histor. Albigen.

Petrus Abbas Frigidi montis occiditur.

Principes in expeditione Albigensi

Æmil. l. 6. de gestis Franc. Marian. in Annal. Hispan.

S mon Mon for tius occi ditur.

Vincenti. Bellouac l.30.c.75.

tuor annorum puerulo. Sed proh dolor! anno M.CC.XVIII. Simon ille admirandus, missis à Iacobo Aragonensi Rege in auxilium Tolosatum copiis, tunc temporis obsidione Tolosam premens, coniecto ex vrbe in frontem saxo, die Iunij vigesimâ quintâ occubuit eadem die sancto Ioanni Baptistæ sacrâ, cuius occasum multò ante sanctus Dominicus prænunciarat. Eruptione antea factâ ex vrbe Tolosates dederant in armatos milites Simonis missæ sacrificium audientis, quâ de re monitus noluit secedere, quin sacram hostiam eleuatam adorasset, erectis in cœlum oculis. *Nunc dimittis*, inquit, *Domine seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, eamus & si opus est, pro illo, qui pro nobis mori non dedignatus est, moriamur.* Sancti Stephani Protomartyris lapidibus obruti exemplo pro inimicis deprecatus in Domino obdormiuit. Antea quinquies diuersis vicibus in maximum vitæ periculum adductus, sagittis petitus; Haimericus filius, non frater (vt vult Feronius) obsidione solutâ parentis corpus Carcassonæ sepeliendum curauit. Hic Haimericus Comes stabuli Franciæ tempore Ludouici VIII. Albigensium hostis acerrimus anno M.CC.XIX. postea sub finem vitæ in Syriam profectus contra Sarracenos, à quibus captus & carcere detentus; tandem pretio redemptus ex Syria reuertens Hidrunti moritur anno M.CC.XLI. in Ecclesiâ Vaticanâ sancti Petri Romæ sepultus cum hoc epitaphio, cuius meminit Volaterranus.

Refellitur Feronius.

Volaterran. in Antropol. Ponuf.

Hic iacet Haimericus Comes Montis-fortis Franciæ Connestabilis, qui contra Albigenses pro Fide Catholicâ sæpius dimicauit; postea contra Sarracenos ad partes Syriæ transfretauit, à quibus in bello captus fuit, & diu in captiuitate detentus: tandem per treugam liberatus, dum rediret ad propria, apud Hidruntum expirauit anno Domini M.CC.XLI.

Rigord. an.1223.

Exequiæ Philippi Regis celebres multitudine Præsulum.

Sed vnde digressi sumus reuertamur. Conradus cum pluribus Prælatis interfuit exequiis Philippi Augusti, vti narrat Rigordus. Anno, inquit, ab Incarnatione Domini M.CC.XXIII. pridiè Idus Iulij obijt Philippus Augustus Rex Francorum illustris apud Castrum, quod vocatur Medunta. Ad ipsius enim exequias, quod non sine nutu, & Dei prouidentiâ gestum esse videtur, affuerunt duo Archiepiscopi, videlicet Rhemensis Guillelmus, Senonensis Galterus, & viginti Episcopi, videlicet de Romana Curia Conradus Portuensis Episcopus Cardinalis, & Sedis Apostolicæ in terram Albigensium tunc Legatus; de Angliâ Pandulfus Noruicensis Episcopus; de Rhemensi Prouinciâ, Catalaunensis Guillelmus, Bellouacensis Milo, Nouiomensis Girardus, Laudunensis Anselmus, Suessionensis Iacobus, Syluanectensis Garinus, Atrebatensis Pontius, Ambianensis Gaufridus: de Prouinciâ Senonensi Carnotensis Galterus, Altissiodorensis Henricus, Parisiensis Willelmus, Aurelianensis Philippus, Meldensis Petrus, Niuernensis Rogerus: de Prouinciâ Rothomagensi Baiocensis Robertus, Constantiensis Hugo, Abrincensis Willelmus, Lexouiensis VVillelmus: de Prouinciâ Narbonensi, Fulco Tolosanus. Qui Prælati de mandato Domini Papæ, imò de ipsâ potius, vt credibile est, ordinatione diuinâ, pro nego-

tio Albigensi tunc temporis erant Parisiis congregati. Missam autem exequialem celebrarunt simul Portuensis Episcopus, & Rhemensis Archiepiscopus vnâ voce ad duo altaria propinqua: cæteris Episcopis cum Clericis & Monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus, & eis respondentibus, sicut vni. Inter quos adfuit & Ioannes illustris Rex Hierosolymitanus, qui in Franciam venerat pro negotijs & necessitatibus sanctæ terræ, præsentibus ad hoc inclytis prædicti Regis Philippi filiis, Ludouico primo-genito, & Philippo. Duo missam celebrant vnâ voce ad duas aras vicinas. Ioannes Rex Hierosolymitanus adest.

Idem Conradus morti vicinus adstantibus pronunciauit, *Vtinam vsque in hanc horam in Villario sub disciplinâ vixissem regulari, & cum culinæ hebdomadarijs ibidem scutellas abluissem.* Henriq. in fascic. SS. Cister.

Ad fœlicitatem euolauit anno M.CC.XXVII. pridiè Kalendas Octobres, iacetque Claraeualle ad dextrum altaris primarij cornu, cuius epitaphium accipe.

Hic iacet Dominus Conradus, qui primò Villariensis, deinde Clara-vallensis, postea Cisterciensis extitit Abbas, & demum Portuensis Episcopus Cardinalis. Hic cum in transmarinis partibus moraretur instantissimè præcepit, vt Claram-vallem, vbi iam dudum suam elegerat sepulturam, ossa sua deferrentur, & ibidem sepelirentur. Obijt autem anno Domini M. CC. XXVII.

PRIDIE CAL. OCTOBRES.



BARTHOLOMÆVS CARDINALIS S. PVDENTIANÆ. HONORIO III. Anno Christi M.CC.XX.

BARTHOLOMÆVS Gallus datus Auditor à Gregorio IX. causæ Monasterij Trium-fontium extra vrbem, & capitulo Orbitellano sanctæ Mariæ.

Cardinalatum consequutus conferente Honorio III. Presbyter tituli S. Pudentianæ, in tertiâ Cardinalium creatione anno M.CC.XX. Romæ, men-

ſe Nouembri.

Longè diuerſus hic noſter Bartholomæus ab eiuſdem nominis Bartholomæo Carcaſſonenſi, viuente eodem æuo anno M.CC.XXII. quem Antipontificem crearunt Albigenſes: de quo Conradus Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis Sedis Apoſtolicæ Legatus ſcripſit ad Rothomagenſem Archipræſulem his verbis. *Venerabilibus Patribus Dei gratiâ Rothomagenſi Epiſcopo, & eius Suffraganeis Epiſcopis ſalutem in Domino Ieſu Chriſto.* Dum pro ſponsâ veri Crucifixi veſtrum cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari ſingultibus, & plorare. Ecce quod vidimus, & quod ſcimus, teſtificamur. Ille homo perditus, qui extollitur ſupra omne id quod colitur, aut dicitur Deus, iam habet perfidiæ ſuæ præambulum Hæreſiarcham, quem Hæretici Albigenſes Papam ſuum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ, iuxta Hungarorum nationem; ad eum confluunt Hæretici Albigenſes, vt ad eorum conſulta reſpondeat. Etenim de Carcaſſona oriundus, vices illius Antipapæ gerens Bartholomæus Epiſcopus, funeſtam ei exhibendo reuerentiam, ſedem & locum conceſſit in villa, quæ Porlos appellatur, & ſe ipſum in partes Toloſanas tranſtulit: iſte Bartholomæus in literarum ſuarum vndique diſcurrentium (quas encyclicas vocant) tenore, in primo ſalutationis alloquio ſe hoc titulo commendat, *Bartholomæus ſeruus ſeruorum ſanctæ Fidei, N. ſalutem.* Ipſemet inter alias enormitates creat Epiſcopos, & Eccleſias perfidè ordinari contendit. Rogamus igitur attentius, & per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti propenſius obſecramus, auctoritate Domini Papæ, quâ fungimur in hac parte diſtrictè præcipientes, quatenus veniatis Senonas in Octauis Apoſtolorum Petri & Pauli proximè futuris, vbi & alij Prælati Franciæ fauente Domino congregabuntur parati conſilium dare in negotio prædicto, & cum alijs, qui ibidem aderunt, prouidere ſuper negotio Albigenſi, alioquin inobedientiam veſtram Domino Papæ curabimus ſignificari. Data Planium, ſexto Nonas Iulias.

Eâdem ferè tempeſtate, dum hæc peraguntur, infœlix infœlicem exhalauit animam, Mathæo Paris teſte.

Ad immortalem vitam his temporibus vir ſanctiſſimus abijt Dominicus Albigenſium terror ſacri Ordinis Prædicatorum toti Vniuerſo vtiliſſimi fundator, VIII. Idus Auguſti feriâ ſextâ, anno M.CC.XXI. ſuæ ætatis annum agens quinquageſimum primum, & in catalogum Diuorum Confeſſorum relatus à Gregorio IX. Spoleti V. Calendas Septembris anno Pontificatus octauo, cuius feſtus dies celebratur Nonis Auguſti; res eius præclarè geſtas typis mandauit Theodoricus Dominicanus.

Albigenſes creant quendam Bartholomæum Antipontificem.

Carcaſſonę ortum.

Mathæ. Paris in hiſt. Anglic.

S. Dominicus.

Theodor. in 8. libris



RAYMVNDVS DE PONS EPISCOPVS PETRAGO-RICENSIS CARDINALIS. GREGORIO IX. ANNO CHRISTI M. CC. XXVII.

ILLVSTRISSIMAM Pontiorum familiam ab Helio Pontio Pompeij nepote ortam nonnulli vaticinantur; Raymundi Parens Bertrandus Dominus de Pons, qui non est confundendus cum alio Raymundo in primâ expeditione & obsidione Hierosolymitanâ interfecto impetum in turrim Dauidis faciente, aditumque per aggeres in Vrbem muniente, militum acie Raymundi Tolosatum IV. Comitis stipato; noster Raymundus Petragorij fuit Episcopus inauguratus. Anno verò M. CC. XXXIII. in nomenclaturâ Præsulum huius Sedis memoratur Petrus de sancto Asterio è Gente illustri Insulanâ post Raymundum. Catel. l. 2. Comit. Tolos.

Primus huius familiæ numero Cardinalium adscriptus à Gregorio IX. anno M. CC. XXVII. alij duo sunt subsequuti Cardinales, Pontius de Pons nepos Episcopus Santonensis, & Godofridus de Pons Antistes Engolismensis, de quibus non parua oritur dubitatio; Pontiorum genealogiam M. S. habent doctissimi FF. Sanmarthani. Ioan. du Puy Franciscan. in l. Præsul. Petrag.

In Curiâ Gregorij IX. magnis districtus negotiis sæpenumero detinebatur; hac tempestate successit parenti Ludouico VIII. sanctus Ludouicus anno M. CC. XXX. Anno sequenti Archambaldus I. hoc nomine Comes Petragoricensium, quem est sequutus Elias Taleyrandus etiam Petragoricensis Comes.

Scutum Pontiorum argenteum zonâ sextuplici obliquâ coccineâ, & aureâ impressum.



IOANNES HALGRIN DICTVS DE ABBATIS-VILLA, CARDINALIS EPISCOPVS SABINVS. GREGORIO IX.

ANNO CHRISTI M. CC. XXVII.

PRIOR Cœnobij D. Petri Abbauillæi (non Abbas, vt vult V. Vion in ligno vitæ, est enim Prioratus non Abbatia) Congregationis Cluniacensis diuinas litteras mirum in modum callebat, easque diu in Academiâ Parisiensi publicè professus est, laureamq; Doctoratus ibidem sumpsit: insignis diuini verbi præco, cuius meminit Henricus Gandauensis. Eiusdem & nominis & gentis Ioannes Franciæ Cancellarius anno M. CC. XL. D. Ludouico Rege. Scutum Halegrinorum minio & argento dissectam in longum parmam habet, ancoratâ cruce impressam, dissectæ crucis semissibus parmæ colores alternantibus. Ludouicus Halgrinus vnus Iudicum Poyeti Cancellarij accusati criminis.

Henric. Ganda. c. 38.

Ecclesiæ Ambianensis Decanus, postea Bisuntinus Archipræsul LXII. id muneris duos annos gessit, cuius successor Nicolaus; illo moderante Diœcesim, Seraphico illo Francisco adbuc in terris agente Franciscani ingrediuntur Vesuntionem anno M. CC. XXIV. Ab eodem Moniales sanctæ Mariæ de Battant ad Cisterciensem Regulam sunt restitutæ. Ecclesiarum maternitatem adiudicauit Ecclesiæ sancti Ioannis, ius prætendente D. Stephani Ecclesiâ, quod confirmauit Gregorius IX.

Iacob. Chifflet. part. 2. de Episcop. Bisunti.

Cardinalitium honorem detulit Gregorius IX. anno M. CC. XXVII. mense Septembri, primo Pontificatus anno Anagniæ, tituli Episcopatus Sabini; in hoc Episcopatu successit Gaufridus de Castilione Mediolanensis, demum Pontifex Cœlestinus IV.

Legatione fungitur in Hispania ad Iacobum Regem Arragonensem, eò missus à Gregorio anno M. CC. XXVIII. prædicandæ crucis gratiâ in Sarracenos, quod munus præclarè adimpleuit; porrò crux ferebatur in humeris & dorso à militibus contra Sarracenos pro terrâ sanctâ recuperandâ, & ante pectus contra Albigenses. Iacobus Maioricam vrbem sub Sarraceni dominio vi capit, Regis filium tredecim annorum captiuum fecit,

Crux in quâ corporis parte portabatur in sacris expeditionibus.

postea Christianorum sacris initiatum, cui nomen Iacobi datum. In acie Christianorum visus sanctus Georgius equo insidens Patronus Arragoniæ, vt aliàs sæpe.

Turiasonem Rex & Legatus, aliique Præsules conuenêre tertio Calendas Maij pro repudio Eleonoræ vxoris Iacobi, qui consanguinitatis iure non validum matrimonium prætendebat, quod dissolutum est lite contestatâ eoram Legato, & multis Episcopis: Rex filium Alphonsum vt legitimum admittit.

Repudiatur Eleonora Regina Aragon.

Ex Hispaniâ contendens in Italiam comitem duxit B. Raymundum de Pennaforti Barcinonensem in hac Legatione Pœnitentiarium Ordinis Prædicatorum Iureconsultissimum, totius instituti Dominicani Moderatorem prudentissimum, qui oblatum sibi à Gregorio IX. Archiepiscopatum Tarraconensem respuit. Prius Summi Pontificis mandato *Decretales*, quæ dispersæ erant, in vnum volumen libris quinque diuisum accuratè collegit. Fertur Raymundum Mare traiecisse diuino miraculo palliolo vtentem loco veli & nauigij; in Beatorum numerum adscriptus â Clemente VIII. anno M.DC.I.

B. Raymundus de Pennaforti redigit Decretal.

In mari sine nauigio.

Aliam habuit Ioannes Legationem, (cuius meminit Innocentius IIII. in Concilio Lugdunensi anno M.CC.XLV.) cum Thoma Cardinale Presbytero sanctæ Sabinæ ad Fridericum Imperatorem, qui Messanensem Episcopum & Teutonicorum Equitum Magistrum Gregorio miserat ab anathemate absolutionem, & pacem supplex efflagitans armis confœderatorum coactus: cum Ioanne Halgrino & Thomâ Hepatis apud sanctum Germanum, die Iulij vigesimâ sextâ, conenuiunt Bertoldus Aquileiensis Patriarcha, Eberardus Episcopus Saltzburgensis, Siffridus Ratisbonensis Episcopus, Leopoldus Austriæ & Stiriæ, Bernardus Carinthiæ, & Otto Morauię Duces. Decretum est, vt Fridericus Cæsar omnia Ecclesię Romanæ crepta restitueret, ob damna illata vnciaru mauri centũ & viginti millia Sedi Apostolicæ numeraret, iura in Regno Siculo illibata conseruaret, vt Anagniam accederet, & Pontificem conueniret. Stetit pactis Fridericus, & absoluitur ad genuâ Pontificis prouolutus: læti nuntij litteras dedit Pontifex S. Ludouico Regi, quinto Kalendas Septembres eiusdem anni, Anagniæ scriptas.

Reconciliatur Fridericus.

Ad vomitum redijt Fridericus iuramenti non memor, cuius meminit Innocentius in epistolâ Lugduni scriptâ contra eundem anno M.CC.XLV. Quare à Ioanne & Thoma Cardinalibus Legatis percellitur excommunicatione.

Redit ad vomitum.

Optimè de Ecclesiâ Romanâ meritus hinc abijt anno M.CC.XXXVII. Necrologium D. Ioannis Bisuntini notat diem obitus his verbis. Quarto Kalendas Octobres obijt Ioannes Episcopus Sabinensis, qui prius fuerat Archiepiscopus Bisuntinus.

Scripsit sermones de tempore libros duos.

Sermones de sanctis libros duos ex Trithemio.

Expositionem in cantica canticorum, quæ vocatur *sexta* Lutetiæ typis edita ab Ascensio anno M.D.XXI.

Iacob. Chifflet in Ep. Bisunt.

In Cartophylacio mortuorum Ambianensis Ecclesiæ hæc habentur.

Vigesimâ tertiâ Septembris obitus felicis memoriæ Ioannis de Abbatis-villa quondam Decani nostri, postea Archiepiscopi Bisuntini vocati per Dominum Honorium tunc Summum Pontificem ad Patriarchatum Constantinopolitanum, sed pro suâ probitatis & scientiæ reuerentiâ à Domino Gregorio IX. detenti apud Sedem Apostolicam, in quo factus est Cardinalis Episcopus Sabinensis pro cuius memoriâ, quoniam Ecclesiam nostram multipliciter honorauit in Sanctorum reliquijs & ornamentis Ecclesiasticis multis, & sui regimine Decanatus.



Anno Christi M CC. XXVIII.

IACOBVS DE VITRIACO CARDINALIS TVSCVLANVS. GREGORIO. IX.

NATVS Argentolij vici ad Sequanam Diœcesis Parisiensis sedulam nauauit operam vitæ sanctitati, diuinisque scientijs.

Relictis Theologiæ studijs, Lutetiâ Parisiorum relictâ, & in æternum relictâ Galliâ B. Ancillæ Christi Mariæ Niuellanæ primò de Villebroucque deinde de Oegenies dictæ (quæ in extremis Brabantiæ finibus agebat) famâ & nomine sanctitatis excitus in illud properauit andrium, in quo precibus B. Mariæ de Oegenies se adiungit Canonicis Regularibus. Postea sacris initiatus Ordinibus à suo Præsule Parisiensi, cui reuertenti B. Christi ancilla iuit obuiam, & Monachi Oegniacenses, illa manus sacro oleo recens delibutas deosculabatur subsequuta pedum vestigia pone flexis suppliciter genibus premebat, & osculis excipiebat, sciens hunc à Deo electum ad plurimorum salutem probè stabiliendam: prædixit etiam Cœnobiarchæ Oegniacensi Iacobum in transmarinâ terræ sanctæ regione ad Episcopalis Cathedræ culmen euehendum. Decurso postea annorum quatuor curriculo, mortuâ B. Mariâ de Oegenies, fit Episcopus.

B. Maria de Oegegenies.

Cœnobij sanctimoniâ pietateque celeberrimi non sanctæ Mariæ Oegniacensis (vt nominatur ab Onuphrio) sed D. Nicolai ad Sabin fluuium Brabantiæ Ordinis Augustiniani, Diœcesis Namurcensis, olim Leodiensis Canonicus Regularis.

Miræus in chron. 1224. Molanus de Canonic. in l. 1. c. 12.

Pastor fit Ecclesiæ Parrochialis, B. Mariâ Niuellanâ impellente, post nomen datum Canonicis sancti Augustini, vt animas ex inferni hostis faucibus adsertas Christo vendicaret. Episcopus Achonensis (Henricus à Gandauo vocat Anconitanum) seu Ptolemaidis sub Archipræsule Tyrensi in Patriarcham Hierosolymitanum electus, sed Summus Pontifex volens eum Romanæ Ecclesiæ inseruire præsentem, curauit in eius locum eligi Robertum Nannetensem Antistitem in Patriarcham.

Iacobus fit Curatus.

Henric. à Gandauo l. de Eccles. scriptor.

Legatus S. R. E. in Prouincijs Belgicis, & Imperio Germanico anno M. CC. X. in Albigenses hac tempestate exortos (vt testantur Petrus de valle, & Thomas Cantipratanus) crucem promulgauit; excellebat enim in declamando & habendis ad populum concionibus facundiâ. Nefanda hæc Hæresis matrimonia damnabat, promiscuos concubitus eosque nefarios pro sanctis habebat; B. Virginis & Sanctorum inuocationem improbabat, & alia quam-plurima. Iacobus Legatus Fulconem Vtenouium patriâ Gandauensem (hospitalis Biloræ apud populares suos fundatorem) celebri id temporis virum sapientiâ, & Canonicum Insulanum inducere non potuit, vt eam expeditionem suis ad populum concionibus commendaret; ipse idoneum huic muneri se esse negans, subitò seu ab irato & vindice numine correptus est grauissimâ hæmorrhoide, quam per viginti quatuor annos plus minus tam forti infractoque tulit animo, vt & obitus sui diem præscire, & Christi Seruatoris aspectu ante mortem frui meruerit.

Petr. de Val. hist. Albi. cap. 58.

Cantiprat. lib. apum.

Deliria Albigen.

Anton. Sand. in elogiis. Cardin.

Ex Palæstinâ redeuntem Honorius III. Pontifex Maximus, & Cardinales, sed imprimis Hugo Ostiensis ipsi Iacobo amicissimus honorificentissimè exceperunt; plurimum iuuit Ostiensem, vt se totum Deo consecraret, qui post aliquot annos in Pontificatum magnum est Honorio suffectus, nomenque Gregorij IX. sumpsit, à quo donatus est Vitriacus Tusculanæ vrbis Episcopatu & Cardinalitiâ purpurâ Romæ, anno M. CC. XXVIII. mense Decembri Opulento nobilissimæ in transmarinâ regione ciuitatis Pontificatui vltrò cessit, & eoas copias ac diuitias cum Ocgniacensi paupertate commutauit. Noster Vitriacus pientissimæ Mariæ iam inter cœlites receptæ reliquias (digitos scilicet argenteo locello inclusos) amuleti vicem ad collum suspensas assiduè gestabat, & vtendas amicis ad tempus dabat.

Eiurat Episcopatum Achonen.

Reliquiæ B. Mariæ de Oegnies.

Multos exantlauit labores in Oriente & Occidente; tandem Romæ moritur pridiè Kalendas Maij anno M. CC. XLIV. Corpus delatum in Ecclesiam Diuæ Mariæ de Oegnies: sancta Lugardis in Brabantia Aquiriani Antistita triginta diêrum itinere absens à loco, in quo è viuis cesserat Cardinalis de Vitriaco, spiritu, in cœlum raptam Cardinalis animam ad Beatorum sedes euolantem, post purgantium flammarum triduum, aspexit exiliensque allocuta est.

Surius in vit. S. Lugard. 23. Iun.

Scripsit in quatuor Euangelia.

Magnum etiam volumen concionum de tempore, in quibus multus est citandis scripturis & exponendis: illud Damianus à ligno Dominicanus in lucem edidit.

Historiam Orientalem seu Hierosolymitanam, hoc est de terrâ sanctâ, cum esset Episcopus Achonensis.

Historiam Occidentalem, quæ Latinæ Ecclesiæ statum complectitur.

Librum vnum contra Sarracenorum errores, quos Mahometus çeu diram pestem genti illi Arabum afflauit.

Libros duos de vitâ B. Mariæ Oegniacensis ad Fulconem Tolosanum Episcopum apud Surium vigesimâ tertiâ Iunij; tertium adiunxit Thomas Cantipratanus.

Varias ad diuersos epistolas è Palæstina missas ad rerum transmarinarum statum pertinentes in vnum volumen redactas, testibus Trithemio, & Henrico Gandauensi.

De sanctis mulieribus Leodiensibus.



SIMON DE SVLLY CARDINALIS S. CÆCILIÆ GREGORIO IX.

Anno Christi M.CC.XXXII.

EIVSDEM gentis & familiæ cum Henrico de Sully Cardinale Vrbani III. Simon Cantor Ecclesiæ Biturigum D. Stephani Protomartyris. Electus suffragio Canonicorum Archipræsul Bituricensis numero LXX. consentit, vt Galterus Carnotensis consecret Stephanum Mimatensem Episcopum suæ Prouinciæ. Fundantur Patres D. Francisci in villa Castrorodulphæa anno M.CC.XXX. à Guillelmo Caluiniaco.

Robert in Archiep. Bitur.

Adest Ludouico VIII. parenti S. Ludouici Regis animam agenti apud Montem-penserium, XII. Nouembris, anno M.CC.XXVI. mandatum ab ipso accipit de procurandâ filij Ludouici adhuc pueri vt pote vndecim annorum coronatione, quod statim fuit effectum; nam vigesimo eiusdem mensis Rhemis consecratur à Iacobo de Basôchijs Suessionensi Episcopo, Prouinciæ Decano, Sede Metropolitanâ vacante. Dedicauit Simon ędem sacram S. Petro cogmento *le Guyart*, sic nuncupatam à cognomine Zachariæ Iudæi ad Fidem conuersi.

Ludouic. 8. moritur.

S. Ludouic. Rex sacratur ab Episc. Suessionen.

Vestitus purpurâ à Gregorio IX. anno M.CC.XXXII. Presbyter Cardinalis tituli S. Cęciliæ, quo anno obijt.

Sedis Apostolicæ Legatus in Gallijs anno eodem, quo Stephanus

Prior

Prior Caritatis ad Ligerim malè excipitur ab Hæreticis nondum omnino in Gallia extirpatis, & Petrus Cancellarius Parisiensis in Ecclesiæ B. Mariæ choro, coram venerando sacramento à Gerardo milite Veromanduorum Seneschallo pene suffocatus, de quo Gregorius scripsit ad S. Ludouicum Regem Anagniâ, secundo Calendas Maij. Henrico ante aliquot annos scripsit Honorius Pontifex putà anno M. CC. XXIII. Idibus Decembris confirmandi gratiâ iuris Primatus in Burdegalensi Prouinciâ, eique Legato misit litteras cap. XXXI. *ad audientiam*, de Rescriptis & Gregorius IX. anno M. CC. XXVII. tertio Calendas Septembres, Indictione decimâ quintâ, anno Pontificatus primo. Cancellarius pene suffocatur. Greg. ep. 340.

Legauit Medio-monasterio viginti libras Turonenses testamento pro faciundo Anniuersario.

Viuendi finem fecit sexto Idus Augusti post Sedem quatuordecim annorum anno M. CC. XXXII. sepultus Biturigibus in choro S. Stephani Protomartyris sub lamina ænea: Ex Calend. Medij monast.

Exuperans hostes Simon, en in Præsule Præses,
Orator Castus, patiens, sine crimine fastus.
Deuotus Christo tumulo requiescit in isto.
Bis sexcentenos octo quater egerat annos
Christus Homo, sexto sextiles euolat Idus.

Hac tempestate nimirum anno M. CC. XXXII. in Basilica Sandionysiana accidit res memoranda, quam Guillelmi de Nangis Monachi D. Benedicti in sancto Dionysio verbis referam. Sanctissimus clauus Domini, vnus de his ex quibus corpus Dominicum cruci affixum dicitur extitisse, qui à tempore Caroli Calui Franciæ & Imperatoris Romani, in eâdem S. Dionysij Ecclesiâ dono ipsius permanebat, cecidit de vase suo, dum daretur gentibus ad osculandum, & sic perditus fuit inter multitudinem osculantium, tertio Calendas Martij; sed primo die Aprilis sequentis, multis procedentibus miraculis, inuentus ad prædictam Ecclesiam cum gaudio & magnâ exultatione, in die sancto Parasceues est allatus. Huius claui sanctissimi amissione dolor & compassio, quæ Regi Ludouico & matri eius Reginæ ac multis accidit, fuit maxima. Nangius l. de gestis S. Lud. Sacer vnus clauus in S. Dionysio.

Rex Ludouicus anno M. CC. XXIV. misit Galterum Senonensem Archiepiscopum & Ioannem de Nigella ad Prouinciæ Comitem armis illustrissimum, Deum timentem & mandata eius obseruantem, vt filiam eius Margaretam adolescentulam, & animo & corpore pulcherrimam in vxorem impetraret, quam in Ecclesia Senonensi matrimonij sacramento sibi copulauit, Galtero Archipræsule ciuitatis Senonicæ præsente, eamque regio diademate coronante. S. Ludouic. ducit vxorem.

Eodem anno Sancius Nauarræ Monarcha cognomento Fortis ex hac vitâ migrauit, successitque ei Campaniæ Comes Theobaldus eius vxoris frater. Theobald. fit Rex Nauarræ.

DE RVBRO CARDINALIVM PILEO.

Galerum purpuratum ante Innocentij IV. Flisci Genuensis tempora non tulêre Cardinales, quibus in Concilio Lugdunensi I. & Oecumenico XIII. datus est ab eodem Pontifice anno M. CC. XLV. in prima promotione, hinc Onuphrius Pannuinus, patriâ Veronensis, professione Augustinianus.

In Innoc. 4.

PP. INNOCENTIVS IV. PILEVM RVBRVM CARDINALIBVS DEDIT.

Quo significari voluit eos, qui in illum Ordinem legerentur, paratos esse debere pro libertate Ecclesiasticâ, si opus erit, propriam vitam exponere. Eo deinceps Cardinales Romanæ Ecclesiæ rubro pileo vti consueuêre, qui tantæ potestatis insigne factus est, vt Thiara Pontificibus & Episcopis. Ansa porro fuit arrepta à Friderico II. Imperatore ita Ecclesiam & ipsum Pontificem persequente, vt hic coactus fuerit se Lugdunũ recipere (quem perhumaniter in Regno excepit Ludouicus VIII. Rex sanctissimus, quemadmodum aliàs multos Christi Vicarios Christianissimi Reges Summorum Pontificum asylum) calor persecutionis sic efferbuit, vt Fridericus Innocentio scripserit.

Fata volunt, stellæque docent, auiumque volatus,
Quod Fridericus ego malleus Orbis ero.

Cui Pontifex paucis insolentiam reprimere satagens mandauit.

Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Lib. de Eccle. potest. par. 1. c. 3.

De hac galeri miniati institutione & causa sic Cardinalis de Alliaco dictus Cameracensis. Status, inquit, Cardinaliũ S. R. E. præstantia in eo consistit, quemadmodum ipsi, dum eliguntur, ex charitate se obligant, vt cum capite suo Romano Pontifice, certo Christi Vicario, cuius pars corporis mystici sunt, cumque eo vnum corpus efficiunt collegium seu Senatum sacro-sanctum ad amplificationẽ, atque custodiam vniuersæ Christianæ Religionis, vt Christi Fidem, & Christianos omnes communiter priuatéque totis (vt aiunt) viribus defendant, sanguinem mehercule, si opus sit, pro illis effundant necesse est, atque in hac sententia constantissimè permanere debent. Cuius rei signum est omnibus manifestissimum, quòd soli Cardinales cum Pontifice Summo, purpureis galeris vtuntur, propter Cardinalatus præstantiam, & virtutis gradus efficaciam, in S. R. E. matre omnium Christi fidelium, propter status dignitatem, ad quam assumuntur à Romano Pontifice, cum Cardinales creantur. De eodem Cardinalium galero Platina, Guaguinus, Æmilius, Genebrardus.

Esther. 8.

Quod attinet ad purpuram, certum est Regum fuisse insigne; vnde Mardochæus pallio purpurato indutus, & aureo diademate. Certè auctor Alexandrini Chronici testatur Phœnicem Tyriorum Monarcham purpuræ liquore vellũs imbui iussisse, & hunc primùm purpuratam clamydem gestasse.



PETRVS DE COLMIEV CARDINALIS ALBANVS
INNOCENTIO IV.

Anno Christi M. CC. XLV.

PRIMVS rubeus galerus in Concilio Lugdunensi, vt infra dicemus, Franciscollatus, quo honoratur Petrus de Colmieu Campanus prouinciâ, ex Ioanne Dadræo, Gallus natione non Italus, ab eo nuncupatus de Collumiers vir conspicuæ Religionis, & non mediocris literaturæ. Diui Audomari tunc temporis Diœcesis Morinensis præpositus, Honorij III. & Gregorij IX. Summorum Pontificum Capellanus.

Dadræus in catalog. Archiep. Rothomag.

In Anglia moratus in contubernio Pandulphi Nuncij Apostolici, & S. R. E. Camerarij: Lutetiæ etiam Parisiorum aliquot annos vixit.

Archiantistes Rothomagensis LVI. post Mauritium miraculis clarum. Anno M. CC. XXXVI. maior Canonicorum pars suffragium dederat Guillelmo de Dunel, qui renuitacce ptare, vnde ex Pontificis decreto Canonici ad nouam processère electionem Petri de Collemedio, qui inaugaratus fuit in Ecclesiâ Metropolitanâ Rothomagensi, præsentibus Archipræsulibus Rhemensi, & Senonensi; Antistitibus Parisiensi, Siluanectensi, Carnotensi, Ambianensi, Suessionensi, Nouiomensi, Meldensi, Cameracensi, & Comite Montis-fortis; in Ecclesiâ D. Audoeni pallium accepit. Anno M. CC. XLIII. Pontifex Petro diploma concessit Lugduni, quo decem Clerici Rothomagenses possent vti beneficiorum fructibus, non tamen quotidianis pecuniarum distributionibus, licet absentes, modò vacent rebus & negotijs Collemedij. De Petro hi Leonini versus leguntur.

Hanc Sedem Petrus medio de colle subiuit,
In quo ius, pietas, ratio, lux, gratia fulsit.
Ortu Campanus, sensu Cato, dogmate canus,
Cuius larga manus, ad summa negotia lanus.
Inclytus Athleta Fidei, propriâ nece spretâ

Sulcans classe fretum fuit hosti præda quieta.
More rapax Pardi, tulit hunc Papa, & sibi Cardinalem fecit eum, viduæ rapiens Elisaum.

In hac Ecclesia Metropolitana decem erexit dotauitque capellas, nomine Albanas; huic successit in Archiepiscopatu Rothomagensi Odo Clemens.

Nuntius Gregorij IX. anno M.CC.XXIX. mense Iulio, nam ciuitatem ab interdicti vinculis soluit, Comite Raymundo Iuniore Lutetiæ agente, quem S. Rex Ludouicus huius nominis IX. pace statutâ, & hæresi à Raymundo eiuratâ saltem ad tempus, in Pentecostes festo decorarat Equestri Ordine, adhuc puero regi non bene notum; vir enim fuit omni addictus impietati multoties relapsus, Nam anno M.CC.XLII. Kalendis Iunij in Christi Ascendentis nocte ipse Raymundus in oppido Auenionetto multos curauit cædi viros Ecclesiasticos pietate & doctrinâ insignes in odium Fidei, & Ecclesiæ Romanæ, inter eos Arnaldum è Monte-pessulano ortum, iuris Pontificij peritissimum, Hæreticorum Censorem à Gregorio IX. institutum, Bernardum à Rupeforti, Garsiam de Aura è Diœcesi Conuenarum, duos Franciscanos, Stephanum, & Raymundum Carbonerios, Priorem Auenionetti, Monachum de Clusa, Raymundum Canonicum & Ecclesiæ Tolosanæ Actuarium. Dadræus lo.cit.

A Friderici filio, & Pisanis captiuus in Mari Mediterraneo cum alijs quamplurimis Romam ad Synodum properantibus, quorum nonnulli interfecti; euasit Petrus vnà cum Cœnobiarchis Cluniacensi, Cisterciensi, Clare-vallensi, intercedente S. Ludouico Rege.

Raymundi mors Comitis. Raymundus parentem habuit Comitem Tolosanum Albigensium fautorem subitâ apoplexiâ correptum, & statim defunctum anno M.CC.XXII. asinique sepulturâ tumulatum, cui successit Raymundus filius mali corui malum ouum; scribit Honorius Pontifex tanto malo commotus ad Regem, vt regno Gallico expellat Hæreticos. Honor. Pont. ep. 383.

In Curiam se contulit Innocentij IV. & à Pontifice, initio Pontificatus ad Imperatorem Fridericum II. anathematis vinculis innodatum à Gregorio prædecessore, Nuncius mittitur cum Guillelmo Morinensium Præsule, postea Cardinale Sabino, & Guillelmo Abbate S. Facundi, etiam postea Cardinale tituli duodecim Apostolorum.

In Synodo decimâ tertiâ Oecumenicâ Lugdunensi incoeptâ mense Iunio vigiliâ SS. Petri & Pauli Cardinalis Episcopus Albanus anno Christi M.CC.XLV. in Dominici Natalis peruigilio, creaturque cum alijs duodecim in sacrum Collegium cooptatis ab Innocentio IV. Concilij Præside Lugdunum profugo ob Fridericum II. anno sui Pontificatus secundo, optimum quemque & literatissimum seligente pro Cardinalatu, & rubeo galero, qui tunc temporis primùm datus est Cardinalibus in signum (vt diximus) exponendi capitis & effundendi sanguinis pro Fide & Ecclesiâ tuendâ. Antea mitras gerebãt capite Cardinales; Bonifacius VIII. purpurei coloris vestes eisdem concesserat, alia Cardinalium insignia etiam excogitarat Nicolaus II. & Paulus II. Animaduersione dignum est eundem Inno-

centium dedisse decem dierum indulgentiam orantibus pro Rege Christianissimo, eo diplomate circa ea tempora dato, quo Regem deprecatur, vt Talmud Iudæorum flammis consecret; huius indulgentiæ meminit sanctus Thomas Doctor Angelicus, rationemque profert Nauarrus, nimirum ob merita Regum Franciæ in Sedem Apostolicam: Franciæ enim Reges septem aut octo Pontifices Sedi restituerunt propriis impensis. Leo X. indulgentiarum tempus extendit in annum vnum. Indulgentiæ datæ orantibus pro Rege. S. Tho. in 4. d. 20. q. 1. art. 3.

Donum Prophetici spiritus in Fr. Electo Minoritâ residentis expertus suo damno noster Cardinalis Albanus, cui semet visitanti prædixit ipso eodem die moriturum, vti euenit. Marianus in Chro. Minor.

Spiritum exhalauit repentinâ morte Petrus Cardinalis anno M. CC. LIV. qui fuit vltimus Innocentij IV. Vvaddin. in Annal. Min. ad an. 1254.



HVGO DE S. THEODORICO PRIMVS ORDINIS DOMINICANI CARDINALIS S. SABINÆ. INNOCENTIO IV.

Anno Christi M. CC. XLV.

PRIMVS inter Cardinales Ordinis Dominicani Hugo de sancto Theodorico recensitus est, aliis à sancto Caro; Hugonem de Burgundia vocat Garimbertus Episcopus. Sanè eximius fuit Doctor Theologus, Viennensis Diœcesis inter montes vicinos Sabaudis, natus in villa, cui nomen S. Theodoricus, hinc Theoricus Vallis color in vitâ Vrbani IV. canit. Garimb. li. Cardd.

Totque Sacerdotes genuisse Sabaudia primum
Dicitur Hugonem, qui Iacobita fuit.

Per Iacobitam intellige Dominicanum, cum in Galliâ nostrâ eo nomine vocitentur Dominicani à domo Prædicatorum sitâ Parisijs in via sancti Iacobi.

Vocatur à quibusdam Barchionesta, non quòd fuerit Barcinone Hispaniæ Tarraconensis vrbe natus, aut Episcopus Barcinonensis, vt putauit Sixtus Senensis, sed à Conuentu Dominicano Barchionettæ inter Alpes, vulgò *Barcellonete*; Conuentum hunc auxit Hugo; ita Posseuinus. Sixt. Sen. lib. 4. Biblioth.

Lutetiæ literis nauans operam Baccalaureus Theologus ingressus est Ordinem D. Dominici anno M. CC. XXVII. tunc Magistro Generali Ordinis

Concordantiæ Bibliorum

Fratre Iordano (qui fuit electus Parisijs anno M. CC. XXII.) viro pientissimo; in numerum Doctorum adlectus, in quo eruditio cum sanctitate certabat: sacros libros primus in capitula distinxit, & Bibliorum excogitauit Concordantias attestante sancto Antonino, & hominum operâ à se delectorum opus laboriosissimum perfecit. Sixtus Senensis, & Bzouius notât Hugonem Concordantias infinitum penè opus, herculeâ planè audaciâ, primum excogitasse, & quingentorum Fratrum ope adiutum coronidem imposuisse. Græci operâ Entalij Rhodij Monachi, & Hebræi studio Isaac Nathan hoc opus vtilissimum sunt æmulati.

Anton. 3. pa. tit. 19. cap. 5. Sixt. Sen l. 4. Bibl. Bzouius ad ann. 1250.

Beata Iuliana Corneliensis Virginibus instituti Cisterciensis in Cornelio monte ad muros vrbis Leodiensis diuino monitu per annos viginti compulsa cœpit institutionem festi Venerabilis Sacramenti altaris imprimis promouere, re communicatâ cum Hugone tunc Prædicatorum Ordinis Prouinciali, aliisque viris integerrimis, vt Iacobo Trecensi Canonico Leodiensi Archidiacono, postea Papa Vrbano IV. & Guidone Cameracensi Episcopo: à quibus officium approbatum est Ecclesiasticum, quod Ioannes Monachus tunc edidit ex Auberto Miræo & Bzouio. Honorius IV. qui obijt anno M. CC. XXVII. dederat in mandatis Hugoni ad inferenda quædam statuta Carmelitarum legibus, immutatâ veste, quæ erat niuea.

Miræ. in chron. Cisterc. Bzouius in Annal.

Archipræsul Lugdunensis à quibusdam asseritur, sed quam verè, hactenus non inuestigaui; nam in nomenclaturâ Archiepiscoporum Lugdunensium satis exactâ non reperitur, nisi dicatur successisse Aymerico cedenti, dum Summus Pontifex Lugduni ageret, de quo statim verba faciemus; at non potest esse veritati cōsonum illi successisse, cum enim Hugo Lugduni fuerit tumulatus, haberetur mentio Archiepiscopatus Lugdunensis in epitaphio. A Gregorio IX. ad Patriarchatum Constantinopolitanum pro perficiendâ vnionis causâ Apocrisarius mittitur anno M. CC. XXXIII.

Non fuit Archiep. Lugdun.

Ab Innocentio donatus purpurâ in Synodo Oecumenicâ Lugdunensi primâ anno M. CC. XLV. in Basilicâ maiore habitâ, cuius Innocentius fuerat olim Canonicus, vt tradit amicus noster Robertus in Aymerico Archiepiscopo Lugdunensi: Presbyter fuit Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. Nunquam à primo vitæ instituto ne latum quidem vnguem discessit, Platinâ teste, eo anno Aymericus suum Archiepiscopatum Lugdunensem in manibus Innocentij resignatum voluit, vt secederet in Grandi-Montense Cœnobium.

Vincent. Bellouac l. 30. hist.

Platin. in Innoc. 4.

Legatus in Germaniam ad Imperij Occidentalis Electores, vt in Friderici II. Augusti locum alius sufficeretur, & ad Guillelmum electum Romanorum Regem pro asserendo in libertatem imperio, & Hæreticis extirpandis mittitur: veteri illi inter Canonicos Bisuntinos sancti Ioannis, & sancti Stephani de harum Ecclesiarum præcellentiâ contentioni finem imposuit ad id muneris à Sede Apostolicâ delegatus, factâ vnione Capitulorum maioris vtriusque Ecclesiæ. Datum Bellicen. 11. Calend. Octobr. Innoc. PP. IV. anno vndecimo.

Innocentius Pontifex anno M. CC. XLVIII. Reinaldi & Petri Carmelitarum precibus permotus normam & regulam toti eorum Ordini à B. Alberto Patriarchâ præscriptam, fratri Hugoni tituli sanctæ Sabinæ Presbytero

Cardinali, & Guillelmo Anteradensi Præsuli dedit corrigendam, atque ab eis correctam, & mitigatam auctoritate Apostolicâ Lugduni Pontifex, quinto Kalendas Septembres, approbauit. Bernard. Guido in commēt. Ord.

Vrbani Papæ IV. Comitijs interfuit pro eo deligendo in Pontificem anno M. CC. LXI.

Cum dies mortis instaret in has erupit voces. Quantò mallem vel Elephantino morbo cruciatum in meo paupere instituto vixisse, quam fuisse Cardinalem. Hieron. Plat. c. 34. de Card. dignit. & officio.

Ad Deum abijt in Vrbe-veteri, Italis *Oruieto*, decimo quarto Kalendas Apriles anno M. CC. LXIV. Cardinalatus vigesimo, cadauer Lugdunum translatum, & apud Prædicatores est sepultum cum hac sepulchrali inscriptione.

Hic iacet Dominus Hugo de sancto Theodorico Ordinis Fratrum Prædicatorum huius Conuentus sacræ Theologiæ Doctor, & Prædicator egregius Cardinalis Sabinensis, qui obyt anno Domini M. CC. LXIV. *xiv. Kalend. Aprilis.*

In antiquo sepulchro hæc legebantur.

Eclipsim patitur sapientia, sol sepelitur
Felici fine, sanctæ quoque Cardo Sabinæ;
Iste fuit per quem patuit doctrina sophiæ
Præco Dei, Doctor fidei, Citharista Mariæ
Hugo sibi nomen, & Cardo Presbyter omen.

Scripsit multa; in omnes libros veteris & noui Testamenti, notandumque cum Cardinale Bellarmino libro de scriptoribus Ecclesiasticis Commentarium in Psalmos à quibusdam attribui Alexandro de Ales Anglo Ordinis Minorum.

Commentario in Isaiam seipsum superauit, vt de sancto Hieronymo dicitur scribente epistolas, & Origene Cantica Canticorum commentante. Qui seipsos superarunt certis libris scribēdis.

Summam de Casibus.
Speculum Sacerdotum.
In quatuor libros Sententiarum.
Compendium Theologicæ veritatis libris septem comprehendit.
Regulam Fratrum Carmelitarum.





ANNO CHRISTI M.CC.XLV.

PETRVS DE BAR CARDINALIS S. MARCELLI.

INNOCENTIO IV.

PETRO nepos fuit Galterus Barrensis, cuius mentionem facit Innocentius IV. in Registro.

Petrus de Barro Prior Claræ-vallensis Cœnobij, Abbas de Moris, postea Igniacensis; in eadem Clara-valle fuit etiam Prior post aliquot annos Iacobus de Bar.

Cardinalem tituli sancti Marcelli creauit Innocentius Lugduni, in prima creatione anno M.CC.XLV. dum Synodus haberetur contra Fridericum Imperatorem. Postea idem Innocentius Episcopum Sabinum inaugurauit anno M.CC.LI. sui Pontificatus octauo, qui emenso penè septennio in Lugdunensi ciuitate post obitum Friderici in Italiam redijt securus, Perusijque moratur.

Subscripsit varijs diplomatibus ab Innocentio concessis Lugduni anno M.CC.XLV. & M.CC.XLVI. inter cætera illi, quo Pontifex varia donauit priuilegia Abbatissæ & Sororibus Monasterij sancti Antonij Barchinonensis.

Reg. Vatican. ep. 25.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Odo Portuensis & S. Rufinæ Episcopus subscripsi.

Ego Petrus Albanensis Episcopus subscripsi.

Ego Willelmus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Petrus tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego VVillelmus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego frater Hugo tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Octauianus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis subscripsi.


Ego Petrus S. Georgij ad velum aureũ Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis subscripsi.

Datum Lugduni per manus Magistri Mariani S. R. E. Vice-cancellarij decimo Calendas Augusti, Indictione tertiâ, Incarnationis Dominicæ anno

no M. CC. XLVI. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ IV. tertio.
In Hispaniam contendit Legatus.
Perusij in Prouinciâ Romanâ inter viuos esse desijt anno M. CC. LII. ibidemque tumulatus.



IOANNES FRANCIOGE ARCHIEPISCOPVS BISVNTINVS CARDINALIS S. LAVRENTII IN LVCINA INNOCENTIO IV.

Anno Christi M.CC.XLV.

E FAMILIA antiquâ Abbauillæâ Ioannes; at cum fuerint tres huiusce nominis eiusdem propè æui, sunt à nobis distinguendi ne in errorem inducamur, quorum duo Archipræsules Bisuntini, vnus Prior Abbatisvillæ, alter è nobili illâ familiâ Abbauillæorum: ille Cardinalis Sabinus, hic Portuensis: ille Decanus Ambianensis, hic Ordinis Cisterciensis: ille Halgrinus cognomento, hic Francioge; tertius Ioannes Cardinalis natione Anglus, de quo statim verba faciemus. Cistercienses Ordinis sui Religiosum faciunt Ioannem Franciogiam, Theologiæ Doctorem literatissimum, cuius icon habetur, inquiunt, in sancti Iuliani Perusino Cœnobio ab eo erecto cum hac epigraphe. Effigies Reuerendissimi Patris Ioannis Cardinalis Portuensis, Ordinis Cisterciensis, qui huius Monasterij fundator extitit, & Pater. Pannuinus & Ciaconius non distingunt Ioannem nostrum à Ioanne de Toleto natione Anglo Cisterciensis Ordinis, Cardinale Innocentij IV. de quo Mathæus Paris, & Theoricus Vallisculor ad Ancherum Cardinalem Vrbani nepotem hoc carmine. (Mathæ. Paris ad an. 1146. Vallisc. in Vrban. IV)

Alter, quem fouit Cistercius Ordo, Ioannes
Nomine, natales Anglica terra dedit.


Bisuntinus Archipræsul anno M. CC. XLIV. cum vacasset sedes annos quatuor apertis Friderici II. in Pontifices coniurationibus, electus est in Archiepiscopum post mortem Gaufridi, qui in Mare submersus occubuit anno M. CC. XLI. quinto Nonas Maij, cæsis Genuensibus inter portum Pisanum, & Corsicæ Insulam à classe Pisanorum, & Entij Regis filij spurij Imperatoris Friderici, cum Cardinales & Prælati Romam contenderent ad Concilium Lateranense indictum ab Innocentio. Paucos annos tenuit Cathedram Vesontinam noster Ioannes, extant tamen in archiuo Monasterij (Chifflet. part. 2. Archiep. Bisuntin. Episcopi capiuntur in Mari.)

Bellæ-vallis Ordinis Cistercienfis duo diplomata à Ioanne electo Vesontino data anno M. CC. XLIV. mense Septembri. Nec confundendus cum Ioanne Halgrino Priore Abbauillæo & Bisuntino Archiatristite, vti fecit Arnaldus Wion deceptus ipso Abbauillæi, & Sacerdotij nomine: Ioannes enim Cardinalis Halgrinus fuit Cluniacensis Prior Abbatis-villæ non Cisterciensis, obiitque ante Ioannem Francioge plures annos, nimirum quadraginta.

Eo sedente in Archiepiscopali cathedrâ fundantur, dotanturque anno M. CC. XLVIII. Canonici Polignæi ab Othone Comite. Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucinâ, hunc titulum dante Innocentio IV. in Synodo Lugdunensi. Demum Episcopus Portuensis & sanctæ Rufinæ creatus ab Vrbano IV. Trecensi, mortuo Iacobo Hereberro Cardinale Portuensi.

Alexander IV. dedit Ioanni Cardinali prouinciam transferendarum Sororum à pœnitentia nomen habentium, ab æde D. Mariæ ad Mineruam dictæ (quam in præsenti Patres Dominicani habitāt) in D. Pancratij Ecclesiā. Duo erexit dotauitque Cœnobia S. Petri & S. Iuliani Ordinis Cisterciensis.

Vitæ finem imposuit Lugduni anno M. CC. LXXIV. pridiè Idus Iulij, ibique terræ mandatus apud Franciscanos, dum Synodus Oecumenica Lugdunensis secunda celebraretur à Gregorio X. cui interfuêre non Michael VIII. Comnenus Imperator Palæologus, vt quidam volunt, sed ipsius Oratores, etiam ipse Petrus Rex Arragonum, & Pantaleo Constantinopolitanus, & Opizio Antiochenus Patriarcha. *Notæ Actorum Concilij.*



Anno Christi M. CC. XLV.

ODO DE CHASTEAV-ROVX CANCELLARIVS ECCLESIÆ PARISIENSIS, CARDINALIS TVSCVLANVS INNOCENTIO IV.

BITVRICENSIS Odo è Castro Rodulphino, nunc Ducatu celebri ad Principem Condæum pertinente prodijt, inter viros eius æui doctrinâ & eloquentiâ non postremus. Cæterum non existimo Odonem esse familiæ nobilium de Chauuigny Dominorum de Chasteau-roux, quorum antiquum scutum argenteum fasciâ coccineâ fusariâ exaratum. P. de Varennes Societatis IESV asserit Castro-Rodulphæam parmam esse argenteam lilijs incerto numero nigris impressam. *Lib. de Scutis.*

Primum Canonicus & Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, sed desiderio

morus cœlestis contemplationis & solitudinis in Grandis-sylvæ Cisterciensi Cœnobio Monachum induit, inde in Cœnobiarcham adlectus, ex Philippo Seguino. Episcopus Cardinalis Tusculanus, ad eius dignitatis culmen conscendit, promouente Innocentio IV. anno M. CC. XLV. Lugduni Pontificatus secundo.

Seguinus de viris il-lustr. eius-dem Ord.

In Gallias missus post Concilium Lugdunense anno M. CC. XLVI. mense Augusti crucis prædicandæ ergò in Infideles & Sarracenos, à quo animatus B. Ludouicus Rex huius nominis IX. ex voto transmarinam suscepit expeditionem, cum quo profectus noster Odo Tusculanus Apostolicæ Sedis Legatus, quem sanctus Rex vocitabat virum secundum cor suum, morum honestate decorum, litteratum scientiâ præditum, consilij maturitate præclarum. Massiliæ portu soluit, octauo Kalendas Septembris, qui dies eius memoriæ in numerum Diuorum relati postea est consecratus. Galterus de Castro-Theodorici Episcopus Parisiensis sancto Regi tradidit vexillum in Infideles proficiscenti, anno M. CC. XLVIII. Cyprum appellit vndecimo Kalendas Octobris Ludouicus, ibique hyemat; Cyprus insula est oportunissima, & commodissima Syriam Ægyptumque classe tentantibus. Lusinianus Rex Cypri adfuit optimo Regi, nullo officij genere omisso. Ante susceptum iter Cardinalis Tusculanus sanctam Capellam Lutetianam consecrauit, eodem anno, vigesimâ quintâ Aprilis, præsentibus viginti Episcopis, quam D. Ludouicus Rex fundarat in Palatio ad reponendas sacræ Coronæ reliquias, & alia, quæ Balduinus Iunior Imperator Latinus in Oriente ei cesserat, vt patet diplomate dato apud S. Germanum Layensem, mense Iunio anni M. CC. XLI. vbi eius subscriptio legitur literis Græcis & miniatis seu sacro encausto exarata.

Nang. lib. de gestis S. Ludou.

S Ludouicus laudat Odonem.

D. Lud. Rex accepit ab Ep. Parisien. vexillum. Nangius in Lud. 9.

S. Capella Parisien. consecratur.

Plures ad Odonem in Oriente degentem misit epistolas Innocentius, & inter alia in mandatis dedit, vt eius operâ & studio Episcopatus Græcorum instituerentur in insulâ Cypro Syriæ obiacente, quæ postea Venetis paruit, per Turcas ijs erepta, anno M. D. LXX.


Beatus Ludouicus eâ tempestate vrbem Ægypti Perusium (Damietam vocant) ad Nili Ostium cepit; verùm lue grassante per exercitum, cogitur restituere, & re infectâ in Regnum suum se recipere. Author fuit Legatus Archiepiscopi Græci ab exilio in Cyprum reuocandi, quem proscripserat Latinus Archipræsul (duo enim sunt Archipræsules, vnus Latinus, qui imperat, alter Græcus) factis etiam in Insulâ interdictis.

Innocentius Marochij Regem Sarracenum litteris Lugduni scriptis, secundo Calendas Nouembris, anno quarto sui Pontificatûs ad Fidei Catholicæ lumen inuitauit, Franciscanosque ad Infidelium salutem procurandam missos commendauit. Nicolaus III. constitutionem pro cultu diuino augendo in Ecclesiâ Vaticanâ edidit anno M. CC. LXXVIII. tertio Nonas Februarij, cui primus Cardinalium subscripsit Odo Tusculanus Episcopus.

Terram deserit XXVI. die Ianuarij anno M. CC. LXXXIII. Vrbe-veteri ditionis Pontificiæ, in sacris Prædicatorum ædibus sepultus.

Scripsit homilias de Tempore & de Sanctis (quæ Cremonæ in Monasterio Augustinianorum habentur) tomis duobus distinctas, meminit Odonis S. Antoninus, & Syluester Maurolycus in suo Oceano.

S. Anton. part. 3. tit. 9 c. 57. & 8.



Anno Christi M.CC.XLV.

GVILLELMVS DE TALIANTE SANCTORVM APOSTOLORVM CARDINALIS INNOCENTIO IV.

SPRETO huiusce sæculi fumo statim euanescente, mentem conuertit Guillelmus ad Deum, & ad Monachismum, vt solus cum solo, μονάχου nomen interpretans, vitam ageret temporalem æternam præstolans, & loco fumi inanium tum honorum tum diuitiarum tum voluptatum, prælibaret Paradisi delicias, vnius entis supremi nocturnâ & diurnâ contemplatione. Fratrem germanum habuit Atannesum de Taliante, Priorem in Diœcesi Lugdunensi, cuius meminit Innocentius in Registri anno vndecimo, Guillelmo iam mortuo.


Archimandrita Abbatiæ D. Facundi Legionensis Diœcesis claræ à temporibus Gothorum, Apostolicæ Sedi tantùm subiectæ, nullumque in Hispania Metropolitanum agnoscentis. Dum huius Cœnobij Abbas solùm audiret, cum duobus aliis Orator ab Innocentio statim Pontificatum ingresso missus anno M. CC. XLIV. ad Imperatorem Fridericum II. Ecclesiæ & Pontificis hostem, vt æquas pacis conditiones impetraret; quas obtinere non potuit; quamobrem Pontifex Galliam & Ludouicum Regem tanquam portum adiit, cogitauitque de indicendâ Synodo Oecumenicâ Lugduni, & de Imperio abrogando ipsi Friderico. Huius Legationis meminit Innocentius IV. in epistolâ Lugduni scriptâ quarto Kalendas Augusti, anno Pontificatus quarto.

Effecit dato Pileo Cardinalem Presbyterum Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum Summus Pontifex Innocentius IV. in Synodo Lugdunensi anno M. CC. XLV.

Ad Deum migrauit Lugduni anno M. CC. L. ibidem tumulo conditus, eodem prorsus anno, quo Sarraceni generosâ Damietæ Vrbis expugnatione ab exercitu Diui Ludouici Francorum Regis factâ acrius incitati, collectis in vnum, quæ supererant, viribus, & infinitâ Sarracenorum coactâ multitudine Christianum exercitum fame, morbo & inediâ laborantem ex improuiso aggrediuntur, & inito vtrinque prælio Regem sanctissimum, duosque ipsius fratres, Alphonsum Pictauiensem, & Carolum Andega-

Nangius l. de gestis S. Ludou.

uensem Comites, plurimosque milites faciunt captiuos post maximam cæterorum stragem; B. Ludouicus Rex morbo illo lethifero, quo laborabat, Soldani medicorum arte subleuato de faciendis induciis à Soldano requiritur, qui Damietâ sub induciarum conditionibus, quas Nangius refert, receptâ, & octo millibus Byzantiorum Saracenorum, pro captiuorum liberatione, & impensis belli numeratis, Regem cum exercitu, eiusque fratres in libertatem asserit, quos ad Reginam matrem suam consolandam duxit in Franciam remittendos Ludouicus: sed, proh dolor! Biennio pòst ad superos euolauit Regina Franciæ Blancha Regis mater nimirum anno M. CC. LIII. & Malodui, *Maubuysson* iuxta Pontisaram in Abbatiâ Monialium, quam ipsa fundauerat, est tumulata; quo nuntio non sine magna lachrymarum effusione audito, Rex in Franciam paulò post, nempe eodem anno, de transmarinis partibus remeauit. D. Lud. captiuus & duo eius FF. Blancha moritur. Nangius Tonuil.



ODO RIGAVLT MINORITA CARDINALIS S. RVFINÆ INNOCENTIO IV.

Anno Christi M. CC. XLVIII.

PROSAPIA & vitâ nobilem, diuinique verbi celebrem præconem refert S. Antoninus, ita vt domus eius perpetua fuerit magistra disciplinæ, vt loquitur S. Hieronymus; dicitur conuertisse & absoluisse mulierem Aprelijs, quæ septem annos incubo vsa fuerat diabolo. Inter Archiepiscopos Rothomagenses numeratur LVIII. Odo Rigault Minorita successit alteri Odoni (qui antea fuerat Archimandrita Sandionysianus) anno M. CC. XLIV. dicebatur forma Præsulum; ab Innocentio IV. Lugduni est consecratus mense Maio, locuplete teste eodem D. Antonino. Illius æuo Guillelmus de Saona Ecclesiæ Rothomagensis Thesaurarius Lutetiæ Collegium condidit, vulgò *College des Thresoriers*, & Ptochotrophium Rothomagi in Parœcia S. Crucis, in præsenti appellatur Regis hospitale. Fuit suffragijs Canonicorum post Odonem Rigaltium electus Archipræsul, sed ob natas difficultates non est adeptus possessionem, tresque annos vacauit Sedes; tandem inauguratur Guillelmus de Flauacour, cuius gentis Comes Flauacurtius. S. Hiero. ny. ep. 13. ad Paulin. Chronic. antiq. Ord. D. Antonin. tit. 24. cap. 9.

Ordinem D. Francisci fuerat professus, & ingressus magistro Eliâ Ge-

nerali. Lector sacri Palatij Apostolici.

Cambio permutauit cum D. Ludouico Leudinum & Viuardum Rothomagense & Molendinum de Deuille, & librarum quatuor millia Rex dedit Gallionem oppidum & terram des Noels, dominium de Douuran & Humesnil cum omnibus consequentibus iuribus, honoribus, qualibet iustitiâ & iurisdictione.

Ornatur Cardinalatu ab Innocentio IV. anno M.CC.XLVIII. non à Bonifacio, qui nullos creauit Cardinales Gallos; Rigaldus diem obierat extremum ante Bonifacij VIII. Pontificatum, qui contigit anno M.CC.XCIV. Huius Cardinalis nullam Ciaconius & Onuphrius fecêre mentionem; nuncupatur à Petro Rodulpho Tossigniano Reginaldus, diciturque à Bonifacio VIII. creatus Cardinalis, quod veritati minimè consentaneum est; Claudius Robertus in serie Rothomagensium Archipræsulum nullum refert Reginaldum vel Rigaldum Minoritam Archiepiscopum tempore Bonifacij.

Rodulphus hist. Seraph.

In electione Vrbani IV. præsens anno M.CC.LXI. tunc temporis octo solum numerabantur Cardinales, qui ius suffragij haberent. Ex Apuliâ anno M.CC.LXXI. reuersus Rothomagum ingreditur solemni pompâ.

Calendarium Dionysianum refert anno M.CC.LXXVI. die Maij quinto, nostrum Cardinalem Rigaldum è viuis abijsse.

Idem ibid.

Scripsit Sermones de tempore, seu regulam viuendi apud Petrum Rodulphum.

In quatuor sententiarum libros, & alia opuscula ex Nomenclatore Cardinalium.

M. S. in Chartulario Ecclesiæ Rothomagensis de modo visitandarum Parœciarum Diœcesis Rothomagensis.



Anno Christi M.CC.LI.

IACOBVS HEREBERTVS CARDINALIS PORTVENSIS INNOCENTIO IV.

Montalb. in chronic. Cisterc.

FAMILIÆ Cisterciensis Iacobus genere nobilis, sed virtute nobilior, in Claræ-vallensi Cœnobio pietatis lac suxit dulcissimum, doctrinâ non vulgari insignis.

Promotus ad Cardinalatum ab Innocentio I V. anno M. C C. L I. Pontificatus octauo Perusij, Episcopus Cardinalis Portuensis, & sanctæ Rufinæ cum Othobono Ligure Archidiacono Rhemensi Cardinale S. Hadriani, postea Summo Pontifice Hadriano V. Philip. Segum. de viris illustrib.

Anno sequenti turbæ oriuntur Lutetiæ inter Academiam Parisiensem & Religiosos ob quendam libellum, cuius epigraphe. *De periculo mundi*, quē magister Guillelmus de sancto amore Canonicus Bellouacensis euulgarat. Pontifex hanc litem composuit, Guillelmo ad Curiam accedente. Nang. l. de gest. S. Lud. Turbæ contra Religiosos.

Mortalitatem expleuit anno M. C C. L I V. paulò antè Innocentium, qui decessit eodem anno Idibus Decembris die sanctæ Luciæ Virginis, & Martyris. Conditus Iacobus in Clara-valle, vt testamento iusserat, iuxta B. Malachiam, in Presbyterio ad eius sinistram.



HENRICVS ASEGVSIO EBREDVNENSIS ARCHIEPISCOPVS CARDINALIS OSTIENSIS VRBANO IV. Anno Christi M.CC.LXI.

NAZARIVS in Panegyrico Constantini de Segusio sic paucis. Ripa est in Pedemonte superatis Alpibus Italiæ claustra obijciens; à patriâ itaque cognomen est sortitus Henricus Segusij ortus, qui in iure tantùm profecit, vt fons iuris ἀντονομαστικῶς fuerit appellatus: auditorem habuit Guillelmum Durandum Episcopū Mimatensem, dictum vulgò *Speculatorem*, ob subtiles in scientijs theorias & speculationes; non mōdò iuris peritissimus Cardinalis Ostiensis, sed supra Iureconsultum Theologus, supra Theologum Orator. Segusium describitur.

Ebredunensis Archiepiscopus vitæ inculpatæ frequentes ad populum conciones habuit vir dicendi peritus.

Ornatus purpurâ ab Vrbano I V. anno M. C C. L X I. mense Decembri, Pontificatus primo, Viterbij Episcopus Cardinalis Ostiensis in primâ creatione, secundùm Ciaconium, in secundâ secundùm Theoricum Vallisco-lorem eius æui auctorem, quam contigisse vult eodem anno in vitâ Vrbani IV. metro descriptâ.

Continuit fratres hos prima creatio septem,

Altera tot quorum nomina cerne loco.

Ebredunensis tunc Archiepiscopus hic fit

Præsul, & Henricus nomine dictus erat.


De huius & Guidonis Grossi Narbonensis Archiepiscopi Cardinalis Sabini, postea Papæ Clementis IV. promotione, Vrbanus ad sanctum Ludouicum scripsit epistolam duodecimo Calendas Nouembres Vrbeveteri.

In Galliâ Cisalpinâ Legatum egit Apostolicum, incenditque Ecclesiasticorum animos ad Sanctæ Sedi subsidia ferenda.

Viuere desijt anno M. C C. L X X X I. Lugduni octauo Idus Nouembres in Ecclesia Dominicanorum tumulatus.

Scripsit librum, quo decretales epistolæ explicantur, hortante Alexandro Papâ (*Apparatus* vocatur) opus doctrinâ refertissimum.

Summam celebrem iuris Pontificij eruditione commendatam, vulgò nuncupatur *Summa Ostiensis*.



Anno Christi M. CC. LXI.

GVIDO CISTERCIENSIS ABBAS XXIII.
CARDINALIS SANCTI LAVRENTII
VRBANO IIII.

BVRGVNDVS patriâ, XXIII. Cistercij Abbas Generalis. In Pontificiâ Curiâ pro negotijs Ordinis degens, adscitus ab Vrbano IV. in Cardinalium Presbyterorum numerum anno M. C C. L X I. Pontificatus primo, tituli S. Laurentij in Lucinâ, dum promotionem Patrum Purpuratorum recenset Theoricus Vallíscolor, ita de Guidone.

Burgundus patriâ fuit, & Cistercius Abbas.


Alter promotus, Guidoque nomen ei.

In Gallias à Clemente IV. Legatus. Qualis autem quantusque vir Guido amplissimo Vrbani II. testimonio declaratur in epistolâ ad Abbatem & Capitulum Generale Cistercij missâ, in quâ præter eminentes eius animi dotes, quas ibi connumerat, virum Angelicum virtutum & scientiæ splendoribus illustratum, odoriferum florem, & oliuam fructiferam è venustissimo

horto Religionis in Paradiso vniuersalis Ecclesiæ plantatam dicit. Extat hæc epistola apud Martinum de Ebulo M.S. Archiepiscopum Capuanum S.R.E. Vice-cancellarium in Bibliothecâ Vaticanâ. Martin. Ebulus l. 3. formulæ de vita Clericorum. Archiepisc. 9. inanis incarceratus.

Legationem Danicam eum obijsse à Clemente IV. missum anno M.CC.LXVI. Ennius Rex Daniæ in libello de origine Danorum testatur, in eaque Regem Christophorum Contumacem, eiusque vxorem Reginam tradit excommunicasse, Iacobum Archiepiscopum Lundensem persequentes, & à nouem annis carcere conclusum tenentes propter decimarum exactionem. Postquam è Daniâ soluisset, Viennæ sexto Idus Maij anno M.CC.LXVII. Apostolicæ Sedis Legatus Concilium celebrauit. Leges constitutionesque sanxit, quę habentur apud Henricum Canisium. Huic Synodo interfuêre Ioannes Pragensis, Petrus Pataujensis, Bruno Brixiensis, Conradus Frisingensis, Leo Ratisbonensis, Almaricus Lauadiensis Episcopi. Prouincias Breniensem, Saltsburgensem, & Guesnensem visitauit ad Crucigeris suppetias administrandas. Poloniam inde quarto Kalendas Iulij eiusdem anni ingressus, primò Cracouiam peruenit à Boleslao Pudico, & Paulo Cracouiensi Episcopo processionatim exceptus est cum omni veneratione; Vratislauiam dehinc diuertens in festo Purificationis Synodum tenuit pro subsidio terræ sanctæ, Iubilæi gratiam & crucem contra Sarracenos, Lituanos & Liuones prædicauit: hac de re Matthias de Michotia. Crantz. l. rerum Vandal. Canisius tom. 3. antiq. lect. on Concil. Viennen. in Germ. Michotia libro 3. c. 7. Reg. Polonic.

Eius mortem accidisse tradit Ciaconius anno M.CC.LXXIII. Verum citata monumenta vitam liquisse asserunt decimo tertio Kalendas Iunias, anno M.CC.LXXII. idemque hisce verbis memorat Ennius Daniæ Rex; anno M.CC.LXXII. obijt Guido Cardinalis. Lugduni peste sublatum referunt in Synodo Oecumenicâ; at non ita est, cum Concilium Oecumenicum secundum Lugdunense habitum fuerit Gregorio X. anno M.CC.LXXIV. iam vitâ functo Guidone Cardinale.



ANCHERVS TRECENSIS CARDINALIS S. PRAXEDIS VRBANO IV.

Anno Christi M.CC.LXI.

ANCHERVM Pantaleonem Fratris Vrbani Pontificis filium, Campani contribulem suum iactitant, licet humili loco natum. In Ecclesiâ Laudunensi Archidiaconatum gessit.

Patruus Pontifex Cardinalem creauit tituli sanctæ Praxedis in primâ Patrum Purpuratorum promotione, anno M.CC.LXI.

Vallisfol in Vrbano IV.

Hique Sacerdotes, Ancherus in vrbe Trecensi
Progenitus, Papæ sanguine, corde nepos.

Cum alijs quatuor, Cardinalitijs eū infulis insigniuit anno M.CC.LXV. Apud Carolum Regem Neapolitanum Clementis IV. nomine (quâ de re in Rodulpho Cardinale) in Neapolitano Regno legatione per aliquod temporis interuallum est functus.

Subscripsit Romæ Constitutioni Nicolai III. anno M.CC.LXXVIII. pro diuino Ecclesiæ Vaticanæ cultu.

Templum S. Vrbani Martyr. Trecis.

Ab Vrbano ad immensas opes prouectus, omniumque Cardinalium præcipuus habitus; ædes sacras D. Vrbano Martyri Trecenses à patruo excitatas in paterno solo auxit, in quibus duodecim Canonicorum Collegium instituit, multa ornamenta aurea & sericea contulit, icones & vasa sacra, tum aurea, tum argentea ac codices seu libros decantandis diuinis laudibus inseruientes magni pretij dono misit.

Illustriss. Nomencl. Cardd.

Romæ mortalibus spolijs exutus anno M.CC.LXXXVI. primo Nouembris in sanctâ Praxede marmoreo cœnotaphio conditus.

Qui legis Ancherum duro sub marmore claudi;
Si nescis, Aldi, quem vere perdis herum.
Treca parit puerum, Laudunum dat sibi clerum.
Cardine Praxedis titulatur, & istius ædis.
Defuit in cœlis, largus fuit, atque fidelis.
Dæmonis à telis, serua Deus hunc quoque cœlis.
Anno milleno centum bis & octuageno
Sexto decessit hic primâ luce Nouembris.

Ad Ancherum Cardinalem scripsit Theodorus librum carminum.



Anno Christi M.CC.LXI

RODVLPHVS DE CHEVRIERES CARDINALIS ALBANVS
VRBANO IIII.

IOANNEM Caprarium Auratum Equitem, & Mariam Comitis Baugæi & Sebusianorum Principis filiam parentes habuit in Matisconensi Dioe-

cessis filius natu minor, cuius fratres germani Guido de Cheurieres Auratus Eques, & primus Centumuiralis in eadem Iurisdictione Matisconensi Iudex, & Henricus, quos Blancha Regina D. Ludouici Parens, Alphonsi filii sui Comitis Pictauiensis, & Raymundi Comitis Tolosæ generi nomine amplissimæ Tectosagorum Prouinciæ (quam Languedochiam vocant) Præsidis iure & imperio præfecit. Gens Capraria pro Gentilitio stemmate gestat in scuto argenteo tres canterios coccineos Vitruuio τὰ πάντα. Natalium splendor ad Comites Matisconenses est referendus. Diui Ludouici Regis Cancellarius ex veteri Chronico Normanniæ, idem obseruauit Henrico Magno à secretis in augustioribus negotijs Dominus de Lomenie ex vetustis instrumentis Galliæ, quæ ipse improbo labore & diligentiâ singulari coaceruauit. D. de Lomenie.

Ebroicensis Antistes trigesimus secundus anno M. CC. LVI. de quo Theoricus Vallíscolor in Vrbani vitâ auctor illius temporis.

Præsul consilijs, moribus aptus erat.

Huius Episcopi tempestate Franciscani ab Ebroicis admittuntur suscipiunturque. Rodulpho successit in Episcopatu Philippus de Cahors anno M. CC. LXX. sepultus apud Parisienses Dominicanos.

Episcopus Cardinalis Albanus Vrbani IV. anno M. CC. LXI. mense Decembri, eâdem omnino lectione, quâ Guido Grossus postea Clemens IV. Pontifex Maximus.

In Galliâ Legatus Clementis IV. & D. Ludouico Rege huius nominis IX. monente, inter clerum & populum Lugdunensem arbiter Caduceator seditionem compescuit, armis vtriusque factionis depositis penitus est extinctum dissidium Rodulphi prudentiâ. Interdictos sacris Lugdunenses & Christianorum exclusos communione ab Hæduorum Episcopo, Ecclesiæ restituit. Gasp. de Morniu. histor. Lug. l. 3. c. 37.

Carolum sancti Ludouici fratrem Comitem Prouinciæ & Andegauensem creatum sancti Imperij Vicarium in Hetruriâ & Vrbis senatorem Regem Neapolis & Siciliæ S. R. E. clientem & tributarium, & vxorem eius Beatricem Romæ donauit Rodulphus Regio diademate in Basilicâ Constantinianâ, anno M. CC. LXV. in Epiphaniæ Domini festo. Clementis IV. à latere Legatus, vnâ cum Anacleto sanctæ Praxedis, Richardo S. Angeli, Godefredo sancti Georgij, Matthæo Vrsino sanctæ Mariæ in porticu Cardinalibus. Caroli Regis coronati, & Rodulphi Cardinalis coronantis effigies veræ conspiciuntur in Romano Farnesiorum Palatio cum his verbis. *Charle Roy de Naples & de Sicile couronné par Raoul Cardinal de Cheurieres Euesque d'Albane* 1265. quas publico donarunt anno M. DC. XVII. Franciscus Cheurieres, & Claudius Clemens. Nauclér. gener. 42. an. 1264. Platina in Clem. 4. Paul. Æmil. in Lud. IX. Ipse Clem. 4.

Anno primo Clementis IV. Rodulphus primâ die Septembris Assisij ædem Diuæ Claræ consecrauit Summo Pontifice præsente, ipse vero Pontifex aram maximam eiusdem S. Claræ, in quâ eius lipsana delitescebant, sacrauit. Corrigendus Franciscus Belleforest in Ludouico IX. qui asserit Clementem diadema imposuisse Carolo, & eius coniugi sine vicariâ Cardinalis Legati operâ.


In Siciliam properantem Carolum comitatus Pontificis iussu, vt cum in Regni Siculi possessionem deduceret.

Apostolicæ Sedis Legatus in transmarinâ expeditione sancti Ludouici, cuius zelum & pietatem æmulatus: vterque ibidem piè obijt.

In S. Petri Matisconense Cœnobium,& in Patres Dominicanos,& in publicum illius ciuitatis Ptochotrophium multa & magni pretij contulit beneficia.

Christiano Orbi ereptus graui morbo Turneti quarto Idus Augusti die,à Virginis partu anno M. C C. L X X. de quo pluribus Claudius Clemens Societatis Iesu in vitâ Clementis Papæ IV. Publicum diuisionis bonorum Ro- dulphi inter filios Guidonis fratris, anno M. CC. L XXIII. peractæ adhuc seruatur instrumentum, cuius meminit Papyrius Massonus. In fastis Ecclesiæ Ebroicensis anniuersaria memoria colitur, nono Kalendas Nouembres, eo fortasse die, quo acceptus mortis nuntius, & vndecimo Cal. Ianuarias.

Massonus in elog. Gent. Caprar. 1. le Iau. in catal. Episc. Ebroic.



Anno Christi M. CC. LXIII.

GVILLELMVS DE BRAIO CARDINALIS S. MARCI VRBANO IV.

Ecclesiæ Rhemensis Archidiaconus maior Guillelmus, in Pago Braio editus in virum literatissimum euasit, laureâ Magisterij Theologiti donatur.

Presbyterum Cardinalem creauit Vrbanus IV. tituli S. Marci, secundâ promotione, anno M. C C. LXIII. de quo Theoricus Vallisculor.

Theor. in gest. Vrbani IV.

Guillelmus Rhemis tunc Archileuita, Decanus
Lugduni factus tertius inter eos.

Subscripsit diplomati priuilegiorum Guerrico Abbati Præmonstratensi concessorum à Gregorio X. anno M. C C. L X X I I.

Ego Gregorius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus.
Ego Odo Tusculanus Episcopus.
Ego Fr. Ioannes Portuensis sanctæ Rufinæ Episcopus.
Ego Simon tituli sancti Martini Presbyter Cardinalis.
Ego Ancherus tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.
Ego Guillelmus tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis.

Ego Simon tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis.
Ego Ioannes sancti Nicolai in carcere Tulliano.
Ego Ottonius sancti Adriani Diaconus Cardinalis.
Ego Iacobus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis.
Ego Godefridus sancti Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis.
Ego Hubertus sancti Eustathij Diaconus Cardinalis.
Ego Matthæus sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.

Datum apud Vrbem-veterem per manum Magistri Iauonis Lecracorni S. R. E. Vice-cancellarij secundo Calendas Septembres, indictione decimâ quintâ, Incarnationis Dominicæ anno M. CC. LXXII. Pontificatûs verò Domini Gregorij Papæ X. primo.

Romæ morabatur cum Nicolaus III. Pontifex suam edidit Constitutionē pro diuini cultûs celebratione in Ecclesiâ Vaticanâ anno M. CC. LXXVIII. cui etiam subscripsit Guillelmus cum Anchero, & Odone Gallis Cardinalibus.

Morti soluit debita, Vrbe-veteri, tertio Calendas Maij anno M. C C. LXXXII. marmoreo donatus sepulchro, & elogio apud Prædicatores.

Sit Christo gratus hic Guillelmus tumulatus
De Braio natus, Marci titulo decoratus.
Sit per te, Marce, cæli Guillelmus in arce.
Quæso non parcè Deus Omnipotens sibi parce.
Francia plange virum, mors istius tibi mirum
Defectum pariet, quia vox similis sibi fiet.
Defleat hunc Mathesis, lex, & decreta, Poësis,
Necnon synderesis, heu mihi quam Themesis!
Bis sex centenus binus, bis bisque vicenus
Annus erat Christi, quando mors affuit isti.
Obijt tertio Calendas Maij.

Fit eius obitûs memoria singulis annis in Ecclesia Rhemensi, vigesimo nono Aprilis.

Circa eam tempestatem, (Nangius refert anno eodem) Petrus Comes d'Alançon Regis Philippi Audacis frater, Robertus Atrebati, Othelinus Burgundiæ, Ioannes de Dammartin Comites, etiam Comes Boloniæ & Dominus de Montmorancy, multique tum nobiles tum ignobiles in auxilium Caroli Regis Siculi Auunculi Philippi ex Gallia profecti in Apuliam cū ingenti exercitu per mediam Italiam transeuntes absque obice vexillis explicatis & festinatis passibus ad Carolum peruenêre paulò ante reuersum ex obsidione ciuitatis Messanæ, qui in apricis & planis campis sancti Martini à Calabria tunc versabatur. Nangius l. de gestis Philip. Principes Francia adeunt Carolum Siculum.



ANNO CHRISTI M CC.LXV.

BERNARDVS AIGLERIVS ABBAS LERINENSIS CARDINALIS CLEMENTE IV.

A Plvribvs omissum non omittemus Bernardum Aiglerium Gallum Cœnobij Sauiniacensis Diœcesis Lugdunensis Monachum, ibidemque ab adolescentiâ humanioribus literis, & ingenuis disciplinis egregiè instructum, Innocentij IV. Papæ Capellanum, deinde anno M.CC.LVI. Cœnobiarcham Lerinensem. Porrò Lerinus Insula Maris Mediterranei in Gallia Narbonensi Diœcesis Grassensis, olim Antipolitanæ inter Forumiulium, & ipsam Antipolim, hodie sancti Honorati Archiepiscopi Arelatensis nomine celebratur, qui migrauit ad Christum anno salutis CCCC.XXIX. Est in præsenti Congregatio Cassinensis in eo Cœnobio, ex quo prodière Archipræsules duodecim, totidem Episcopi, quatuordecim Confessores, quam-plurimi Martyres.

Insula & Abbatia Lerinēsis.

Fratribus insinuans quantos illa insula plana
Miserit in cœlum montes, quæ sancta Caprasi
Vita senis, iuuenisque Lupi, quæ gratia Patrem
Mansit Honoratum.

Eucherius etiam Lerinæ suæ amore raptus, tum de Lerina, tum de Honorato hæc habet. Equidem cunctis Eremi locis, quæ piorum illuminantur secessu, reuerentiam habeo; præcipuè tamen Lerinam meam honore complector, & amore, quæ procellosis mundi naufragijs effusos, piissimis vlnis recuperat, venientes ab illo sæculi flagrantes æstu blandè sub vmbras suas introducit, vt illic spiritum sub illâ interiore Domini vmbrâ anheli resumant, aquis scatens, herbis virens, floribus renitens, risibus odoribusque iucunda, paradisum possidentibus se exhibet, quam possidebunt; digna quæ Honorato authore fundata sit, quæ tantis institutis tantum nacta sit Patrem, Apostolici spiritus vigore & vultus honore radiantem; digna quæ illum suscipiens ita emitteret, Arelatensis scilicet Ecclesiæ Pastorem.

Cassinensis Abbas LIX. Vrbani iussu anno M.CC.LXIII. in locum Theodorici Acerrarum Episcopi electus præfuit annos vndeuiginti, magnâ

cum laude; quâ tempestate effectus ab Vrbano IV. Cardinalis ex sententia Claudij Roberti, & Arnaldi Wion, sed Andreas Victorellus in annotationibus Ciaconij creatum opinatur à Clemente IV. circa annum M.CC.LXV. idemque Vincentius Salernitanus arbitratur. Prima opinio non videtur veritati consona, cum Theoricus Vallisicolor eius æui author dicat fuisse quatuordecim Cardinales Vrbani IV. inter quos non numeratur Aiglerius.

Claud. Rob. in catalogo Abbat. Arnald. VVion in ligni vitæ. Vinc. Salernit. in Chronol. SS. Lerin.

In Gallias missus pro expeditione Albigensi, apud Almaricum Biterrensem, cuius Legationis meminit ipse Bernardus in prologo speculi Monachorum; frequenter, inquit, pulsatus, & à multis temporibus maximè modernis, quando missus eram de mandato Sedis Apostolicæ, vt agerem quædam negotia ipsius sedis in partibus Gallicanis. Numerant nonnulli Bernardum Aiglerium inter Arelatenses Archipræsules, sed (pace eorum dixerim) illis temporibus fuêre Archiepiscopi Bertrandus à sancto Martino, Florentius, Bernardus de Languisello, Bertrandus, Almaricus, B. Rostagnus, vt notat Saxius in accuratissimo Arelatensium catalogo.

Cassini mortuus, pridiè Nonas Aprilis anno M. CC. LXXXII. ibidemque sepultus.

Scripsit non contemnenda opera ex VVione, inter quæ habetur liber vnus super regulam sancti Benedicti.

VVion l. ligni vitæ

Speculum Monachorum.

Librum vnum collationum beneficiorum, & officiorum.

Montis Cassini Registrum vnum.

Inquisitorium iurium & bonorum in castris & villis.

Montis Cassini Registrum alterum.



BERTRANDVS A S. MARTINO CARDINALIS SABINVS GREGORIO X.

ANNO CHRISTI M. CC. LXXIII.

CONFVNDVNT nonnulli hunc Bertrandum cum Bernardo Aiglerio, qui præerat Abbatiæ Cassinensi M.CC.LXIV. sed perperam, de quo in superioribus. Bertrandus à sancto Martino fuit natalibus clarus, & popularis Arelatensis, ex Præposito Archiepiscopus LXXXVII. anno M. CC. LXVI. Porceletum Cenasij Dominum Arnaudum, Pontium, & Raimundum Mon-

Ex Saxio in Pontif. Arelat.

tis-draconis dominos, Bertrandum Balthium Barralis filium & alios quamplurimos Beneficiarios Arelatensis Ecclesia suscepit: nec dubites ipsum post Bertrandum alterum, & Florentium sedisse; quippe qui canonem Concilij a Florentio celebrati citat XVI. & XVII. Concilij Prouincialis, quod ipsemet conuocauit. Adhuc etiam, ait, infra scriptum statutum editum, per bonæ memoriæ D. Florentium Arelatensem Archiepiscopum prædecessorem nostrum statuimus. Falsò equidem notatur Concilium hoc Auenione initum anno Domini M.CC.LXXIX. vel sane fallitur Ciaconius, qui hoc elogio Bertrandum commendat. Bertrandus Gallus ex Arelatensi Archiepiscopo Cardinalis Sabinus obijt in inter-regno, post mortem Ioannis XXI. anno M.CC.LXXVII. A Clemente IV. ius deferendæ crucis per vniuersam Prouinciam Arelatensem obtinuit Pontificum Romanorum more; diplomatis verba sunt. Ad rememorandum Sacramentum Dominicæ Passionis, quæ fuit nostra redemptio, mortis nostræ destructio, & vitæ reparatio salutaris, crucem, quam ipse Redemptor nos redimendo subiit, gerimus figuratam interius, & in crucifixi memoriam deuotis mentibus exterius adoramus: illius quoque mirificæ crucis signum Romani Pontifices, velut Christi Vicarij, habent suis gressibus præuium, vt in eis signum cum signato concordet, ac eius, cuius vices gerunt in terris, vestigia prosequi dignoscant; licet igitur deferendæ crucis dignitas solis eisdem Pontificibus conuenire noscatur, dignum tamen duximus, vt Arelatensem Ecclesiam, quam propter laudabilia suorum, qui fuerunt pro tempore, merita Prælatorum, grandium honorum conspicimus titulis insignitam, huiusmodi Apostolicæ dignitatis participem faciamus: quare ad tui & ipsius Ecclesiæ decoris augmentum tam tibi, quam tuis successoribus in perpetuum faciendi coram vobis deferri crucem per Arelatensem Prouinciam, & præsenti priuilegio, quo prædictam Ecclesiam de speciali gratia præsignimus, plenam præsentium authoritate concedimus facultatem. Anno III.

Datur potestas crucis deferendæ Archiepisc.

Purpurâ indutus à Gregorio X. Episcopus Sabinus, non in Concilio Lugdunensi, vt ait Ciaconius, sed ante Synodum vnà cum S. Bonauentura Fidenza Balneoregiensi Hetrusco insigni Theologo, & VIII. Generali Magistro Ordinis Seraphici Cardinale Albano; etenim ante Pentecosten illius anni erant creati Cardinales, & primæ sessioni interfuêre, quæ die Lunæ VII. Maij fuit habita; hinc Bellarminus tradit D. Bonauenturam mense Decembri anno M.CC.LXXIII. inter sacros Romanæ Ecclesiæ Senatores à Gregorio scriptum.

Bellarm. li. de script. Eccles.

Bertrandus noster Cardinalis creatus Arelatensem Ecclesiam dereliquit, vt manifestissimè probant gesta Maleferrati successoris: sed si Clemens nullum fecerit Cardinalem, aut saltem vnum Bernardum Aiglerium, non video quomodo à Gregorio potuerit creari, qui anno tantum M.CC.LXXI. sedit: at iam Bertrandus alter cognomento Maleferratus Arelate sedebat, sed hæc intelligenda de Maleferrato Coadiutore; Bertrando enim successit Maleferratus M.CC.LXX. Conciliumq; habuit Idibus Iulijs eodem anno.

Parma Bertrandi à sancto Martino cæruleâ liliis aureis impressâ, & tribus palis item aureis.

IOANNES



IOANNES CHOLET CARDINALIS S. CÆCILIÆ.
MARTINO IV.

ANNO CHRISTI M. CC. LXXXI.

PARENTE Eduardo procreatus Ioannes Cholet, qui Canonicorum Bellouacensium albo fuit inscriptus: eum in Lutetianis Annalibus refert Brulius Præsulem fuisse Bellouacensem, non tamen secundùm rei veritatem, & historiam Episcoporum illius Sedis: fratrem habuit Odonem Abbatem sancti Luciani Bellouacensis Monasterij à Rege Childeberto conditi. Canonum, & legum Ecclesiæ peritissimus, Francorum Regibus Philippo cognomine Audaci, Diui Ludouici IX. filio, & Philippo Pulchro charissimus, insignitus à Martino II. Turonensi alias IV. Presbyter sanctæ Cæciliæ anno M. CC. LXXXI. quem titulum antea habebat Summus Pontifex.

Ad Eduardum Angliæ Regem missus ab eodem anno M. CC. LXXXIII. vt monomachiam inter Carolum Neapolitanum, & Petrum Arragonensem excommunicatum Siciliæ inuasorem impediret; locus duello designatus Burdegalensis ager, qui tunc temporis Eduardo suberat; non adfuit Arragonensis. Duellum inter Reges.

In litteris Eduardo scriptis Vrbe-veteri, Nonis Aprilis, eodem anno, Pontifex de Ioanne sic loquitur. Dilectum filium nostrum tituli sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem virum vtique grandi scientiâ præditum, prudentiâ & morum honestate decorum, quem suæ probationis obtentu grandi affectione prosequimur, cuiusque consilijs te in his acquiescere rogamus.

Misit Ioannem in Gallias & Hispanias idem Martinus IV. anno M. CC. LXXXIV. contra Petrum Arragonensem, cuius Legationis meminit Nangius. Iuerunt cum Rege, Ecclesiæ Romanæ Legatus Dominus Ioannes cognomento Cholet sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, & ferè totius Franciæ nobilitas vniuersa, & Chronicon Ecclesiæ sancti Pauli Narbonensis his verbis. Anno M. CC. LXXXV. Calendis Maij, Dominus Philippus Rex Francorum cum Domino Philippo primogenito suo, & Domino Carolo filio suo secundo, cui Dominus Papa Martinus IV. dederat regnum Arragonum, & Dominus Ioannes tituli sanctæ Cæciliæ Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus; intrauerunt villam Narbonæ, deinde Rossilionem, & Lib. de gestis Philippi 3. Æmil in Philippo 3. Marian. L. 14. c. 9.

destruxerunt ciuitatem Eluensem, quia resistebat eis. Postmodum per montes de Auscone, videlicet per la Messana intrauerunt Cataloniam, & ceperunt ciuitatem Gerundensem, & Comitatum Impuriarum, & dum rediret Rex Philippus migrauit ad Christum in villâ Perpiniani, in crastinum Diui Francisci sexto Idus Nouembres; porrò pugnatum est in Hispaniâ, Petrus Arragonensis ex vulnere obijt pridiè Nonas Octobres.

Petrus Arragon. occiditur.

Munificentissimus benefactor Abbatiæ sancti Luciani Ioannes. Collegium Choletæum sui nominis Lutetiæ erexit, ex quo virj tum de virtute, tum de litteris optimè meriti prodière, inter cæteros Ioannes Boery Ambianensis, Præsul Meldensis anno M. CCCC. XLVII. Alter Præsul Lingonensis Carolo VII. Francorum Regi à Confessionibus. Hubertus Morus Decanus & Ecclesiastes Rhemensis, qui in lucem emisit tres præclaros de sacrificio & cæremonijs missæ tomos. Huius Gymnasij incolæ sunt Diœcesis Ambianensis & Bellouacæ. Empta est domus Episcopi Syluanectensis Galteri de Chambly è regione capellæ sancti Simphoriani in Vineis: in apice enim montis sanctæ Genouefæ plantatæ vineæ quam-plurimæ visebantur; huius Gymnasij Statuta fuêre edita à Ioanne Cardinale Monacho, qui executioni mandauit res testamento legatas à Cardinale Choletæo, morte sublatis Eurardo de Noientel, & Gerardo à sancto Iusto postremæ voluntatis executoribus: in codice manuscripto huius Gymnasij legitur epigramma in Ioannis Choletæi memoriam.

Collegiũ Choletæum.

Belgarum me primus ager nutriuit, honorat
Roma: seni fœdera pacis erant.
Religio, pietas, studiorum insignia crescunt
Me duce, quis fuerim, comprobat ista domus.

Anno primo Honorij IV. exercitum nobilium Francorum Legatus curauit in Sicilia conseruari dato stipendio, Comite Artesiæ Duce copiarum, nepote Caroli I. Neapolitani, qui statim moritur.

Ioannes missus ab eodem Honorio anno M. CC. LXXXVII. Legatus in extremas Regni Galliæ oras, versus Baionam, vt Sanctium Castellæ Regem, & Philippum Galliæ cognomento Pulchrum fœdere vniret malè affectos ob fratres Alphonsum & Ferdinandum Sanctij nepotes, Morellâ arce loco munitissimo detentos ab auunculo. Iam Baionam peruenerat Sanctius, & Legationibus vltrò citròque de Blanchæ & filiorum iniuriis tractabatur. Ita fessi diuturno carcere nepotes maiorisque mali metu perculsi ad pacem inclinabant, quibuscunque vellet conditionibus Sanctius. Ioannes Legatus oportuno adueniens tempore Reges nomine Pontificio, & censurâ Ecclesiasticâ ad pacem compulit acceptandam; Philippus à cœptis destitit, causam pupillorum & nepotum Legati arbitrio commisit, postea diem dixit vtrique Regi Lugduni; eò missi à Gallo Mornaius & Lambertus viri Consistoriani, à Sanctio Merinus Antistes Asturiarũ; tandem Ioannis Cardinalis operâ fœdus ictum hisce conditionibus. Alphonsus Cerda à Regis Castellæ appellatione abstineret, & Murciæ Regnum Sanctio, vtpote Castellæ Regis beneficiario traderet, & si absque

prole decederet, substitueretur Ferdinandus frater natu minor. Mille Equites in auxilium Galli Arragoniam repetere cogitantis mitterentur, tutumque iter Gallicis copiis per Prouinciam donaretur. Cerdæ fratres soluti ergastulo in Philippi Regis potestate essent.

Sub finem vitæ profectus in Curiam Romanam, Nicolao IV. Pontifice, à quo fuerat imposita prouincia Ioanni pro libertate Caroli Valesij Principis Salernitani primogeniti Regis Neapolis Caroli Ecclesiæ Vasalli, datis super eâ re litteris ad Galliæ & Angliæ Reges, contra Alphonsum Arragonensem, cuius frater Iacobus Siciliam occuparat anno M. CC. LXXXVIII. septimo Calendas Iunij, & septimo Calendas Decembris.

Vir multæ ætatis, & meritorum testamentum condidit in Monasterio Cellensi Diœcesis Tricassinæ, primâ Aduentus Dominicâ anni M. CC. LXXXIX. quo legat Monachis sancti Luciani Bellouacensis duo millia libellarum Parisiensium agro emendo; decernit corpus apud eundem sanctum Lucianum terræ mandandum, eo testamento plura legata continentur; inter cætera hoc vnum notatu dignum, decernit centum calices argenteos inauratos fieri quemlibet ponderis vnius libræ, sexaginta voluit distribui Diœcesi Rothomagensi, quadraginta Bellouacensi. Testam. Choleti.

Vitam cum morte commutauit secundâ Augusti anno M. CC. XCII. sepultus in Andrio sancti Luciani sepulchro magnificentissimo, cui superposita ipsius Cardinalis Choletæi iustæ staturæ effigies argentea, postea diuendita causâ ædificandæ Ecclesiæ flammis consumptæ ab Anglo; illius epitaphium accipe.

Ista legens siste, pensa quantus fuit iste,
Cuius tam pulchrum cernis fulgere sepulchrum.
Est rosa sub Petrâ, quam primum subdita metra
Et tanti floris via se diffundit odoris.
Ecce sub hoc tumulo venerabilis ossa Ioannis
Cæciliæ titulo decorati pluribus annis.
Postea Legatus fuit inclytus atque probatus,
Vir magni cordis, cuius mens nescia sordis,
Gloria Francorum, decus Orbis, formaque morum.
Fautor iustorum, constans vltor vitiorum,
Canonis & legum professor erat generalis.
Francorum Regum Consul bonus, & specialis.
Prouocet ad fletum pietas recolendo Choletum,
Tanquam deletum fontem, bonitate repletum.
Mors quid fecisti vitæ resecans iter isti?
Multa gregi Christi Charismata subripuisti.
Dapsilis & mundus, verax fuit atque fidelis.
Floreat in cœlis, quia nunc sibi nemo secundus.

Annos depromens octo de mille trecentos
Augusti Nonas quarto lux est morientis.

Religiosi Sandionysiani in Franciâ commemorationem Ioannis nostri anniuersariam penultimâ Iulij renouant.

Scutum Choletæum aureum, cruce & quatuor clauibus obuersis miniatis exaratum maiori ianuæ Collegij Choletæi insculptum; videtur idem cum Ecclesiæ Bellouacensis insigni, in hoc verò quatuor claues non sunt obuersæ.



Anno Christi M. CC. LXXXI.

GERVASIVS COENOMANENSIS CARDINALIS SS. SYLVESTRI ET MARTINI. MARTINO IV.

IN Cœnomaniæ finibus natalem diem vidit Geruasius Giancoletus de Clinchamp, qui Archidiaconatu Ecclesiæ Parisiensis est ornatus, quem in minore fortunâ habuit amicissimum Papa Martinus, vt & Gaufridum Cardinalem, de quo statim verba faciemus.


Cardinalis tituli SS. Syluestri & Martini à Papâ Martino IV. anno salutis reparatæ M. CC. LXXXI.

Apud Philippum III. cognomento Audacem Francorum Regem Apostolicæ Sedis Legatus, contra Petrum Arragonensem Insulæ Siculæ inuasorem, in quem Philippus bellum mouit anno M. CC. LXXXV.

In Theologicis apprimè versatus, quædam ad Theologiam pertinentia scriptitauit, quæ ad hæc tempora non peruenerunt, vt tradit Paulus Cortesius.

Lue pestiferâ sublatus Romæ anno M. CC. LXXXVII. sepultus in æde sacrâ SS. Syluestro & Martino; epitaphium vetustate consumptum hoc legitur.

Hic iacet Dominus Geruasius Cardinalis Cœnomanen ------ ------- amare sta 69. constans & ment ----- 40. quæ misce--- ---- o sine fine.



BERNARDVS DE LANGVISELLO CARDINALIS PORTVENSIS MARTINO IV.

ANNO CHRISTI M. CC. LXXXI.

FRATRES habuit Bernardus Andream & Bertrandum, illum Auenionensem, hunc Nemausensem Episcopos. Inauguratus Archipræsul sanctæ Arelatensis Ecclesiæ LXXXIX. Bertrandum Balthium Barralis filium liti subiecit, propter Nionis, Mirabellij & Vinsobrij castra, quòd Bertrandus Malcferratus refragante capitulo, ea Barralis fidei & sacramento commisisset: iuri paterno renunciauit Bertrandus, nouisque acceptis à Bernardo legibus, Beneficiarius Arelatensis Ecclesię dictus est, instrumēti publici verba refero. Dominus Bertrandus, Dominus Balthij confitens, & recognoscens dicto Domino Archiepiscopo Bernardo, quòd præmissa Arelatensis Ecclesia habet maius dominium in dictis castris & eorum territorijs supra Monasterium S. Cæsarij, & ipsum Monasterium supra ipsum Dominum Bertrandum, Dominum Balthij, immediatè promisit, quòd erit fidelis Vasallus pro prædictis castris, & territorijs eorundem, ipsi Monasterio, & quòd tenebitur perpetuò dictæ Arelatensi Ecclesiæ, prout Vassallus. Vassalli maiori Domino tenebitur de iure. Ex Saxio Eccl. Arelaten. Canonico.

Duo Concilia Prouincialia celebrauit, factusque est Portuensis Episcopus, & Cardinalis, anno M.CC.LXXXI. hinc Ciaconius, Bernardus de Languissello Gallus olim Archidiaconus Lauratensis in Ecclesia Tolosana, & Papæ Clementis IV. Capellanus ex Archiepiscopo Arelatensi Episcopus Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ. Legatus in Lombardia, Romandiola, & Hetruria sub Martino IV. Honorio IV. obijt Romæ anno M. C C.XC. Duo Concil. Prouinc.

Duobus illis, quibus Ecclesiæ Arelatensi præfuit Bernardus annis, viuente in otio Rodulpho Cæsare, quem licet Electores intra annum proficisci in Italiam voluissent, deterreri tamen se ab Italiâ, quòd Cæsarum vestigia in Italiam læta, sed foras versa luctuosa videret, non publicè sed inter familiares vixit.

Nicolaus III. Summus Pontifex nuptias puellæ Regiæ pro fratris filio expetens à Carolo Neapolitano repulsam passus, quamdiu vixit, iniquior fuit. Aliam tradit causam Æmilius, horrere scilicet Nicolaum incrementa Francorum in Italiâ. Zurita in sui Regis gratiam subdit Nicolaum populo- Æmil. in gestis Franc. Zurita in rebus Aragon.


rum oppressionibus prouocatum, cum Fridericus Manfredusque maiorem nunquam Tyrannidem exercuissent, idque ex Clementis, qui illum in Regiam euexerat, literis refert: quicquid sit, certum est apud omnes, compertumque Siculos Nicolaum ad rebellionem prouocasse, nec ignarum fuisse icti inter Græcos & Tarraconenses fœderis, cum Ioannes Prochyta rebellionis author ad eum, & Pontificis literas in Hispaniam detulerit: verum decessit Nicolaus antequam Siculi rebellionē facerent, Martino Gallo successore, nec ideò conquieuêre populi, qui tot artibus rebelles iā animos induerant, imò sequenti anno seculis inauditum scelus, Prochytâ authore, & Petro Tarraconensi annuente, perpetrarunt, de quo superius in Martino

Ibi.I. IV. quo anno noster Bernardus inter Cardinales annumeratur.

Iusta à nobis Bernardo persoluenda sunt, qui licet in aliam conuolarit Ecclesiam, moramque fecerit in Aulâ Pontificiâ, suę Arelatensis Ecclesiæ non est oblitus: testamentum enim condidit, legauitque annuentibus Andreâ, & Bertrando Episcopis fratribus, quam-plurimos redditus sacello construendo dicandos anno Domini M.CC.XCIV. Guillelmo & Petro Notario; ex quibus Ciacconium corrige, qui illum defunctum tradit anno M.CC. XC. Nec tamen in viuis aut in Episcopis esse desijt Episcopus Arelatensis: nam eo superstite, & Episcopo Portuensi, vixisse alios Arelatenses Episcopos nimirum Bertrandum, Amalrinum, qui Concilium Prouinciale Auenio-

Ex Memb. Eccles. Arelat. ne indixit, in cuius canone V. facta mentio Bernardi Episcopi Portuensis. Decessit Bertrandus anno Episcopatus quinto. M.CC.LXXXVI. & statim Pontifex B. Rostagnus Capra, natione Prouincialis patriâ de Grans Comitialibus Capituli suffragijs electus apud Insulā vrbem, quam alluit, & interluit Sorgia Rex fontium, quo præconio eum decorat Petrarcha; illius obitus contigit X. Cal. Augustim. CCC.III.

Scutum Bernardi de Languisello non illud à Ciaconio relatum, sed parma miniata tribus fascijs argenteis exarata.



GAVFRIDVS DE BARBEAV CARDINALIS S. SVSANNÆ MARTINO IIII.

Anno Christi M.CC. LXXXI.

BVRGVNDO Gaufrido cognomine de Barbeau ordo, & locus hic assignandus. Quidam diuinatione potius quàm veritate fulti existimarunt

nominatum de Barbo à ciuitate Barro ad Sequanam, & quod è Burgundia esset oriundus; hoc nomen potiùs sortitus à Barbatulis piscibus, cum pro insignibus gerat duos Barbatulos.

Ecclesiæ Parisiensis Decanus, quę Dignitas prima est post Archiepiscopalem. Illā administrarunt dignissimè postremis temporibus viri celebres è familia Seguieria Ludouicus Seguier Petri Præsidis filius septem lustra integra, qui Laudunensem Episcopatum respuit; Dominicus Seguier nepos in Senatu Parisiensi Consiliarius vir non satis laudandus, Episcopus Altissiodorensis meritissimus, & Nicolaus Tudert auunculus in præsenti Decanus dignissimus, æquissimusque Senator. Seguierij Decani Eccle. Parisien.

Cardinalem Presbyterum sanctæ Susannæ Martinus IV. creauit anno M.CC.LXXXI.

Romę morbo sublatus pestifero anno M.CC.LXXXVII. secundum Pannuinum: tumulatus in sacris ædibus S. Praxedis in Esquilino à Paschali I. Pontifice Maximo exstructis, ibi columna ad quam Christus flagellatus, Romam delata ex Oriente à Ioanne Columna Cardinale: hic D. Petrus habitauit; in epitaphio Gaufridi legitur. Columna Christi.

Ego Gaufridus de Barbo quondam tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, credo quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.

In Necrologio Ecclesiæ Parisiensis notatur duodecimo Calendas Septembres obitus Gaufridi de Barbo ex Decano Cardinalis.



BERNARDVS PONTIFICIVS CAMERARIVS CARDINALIS PRÆNESTINVS NICOLAO IV. ANNO CHRISTI M.CC.LXXXVIII.

MARTINI IV. Papæ Turonensis Camerarius fuit Bernardus, natione Gallus (vocatur à Ciaconio Berardus). Canonicatum possedit in Ecclesia Eboracensi donante eodem Pontifice Martino, qui etiā contulit eidem Auximanæ Ecclesiæ in Picæno Episcopatum. Bernardus præter

multa pietatis opera edita Palatium Episcopale ad Aquilonarem partem à fundamentis exædificauit, aliud ad Orientem ante Campanariam turrim, vt scribit Zachius Volaterranus, eius Ecclesiæ Antistes in catalogo Auximiæ Præsulum.

A Nicolao IV. galerum miniatum accepit anno M.CC.LXXXVIII. cum alijs sex, Episcopus Prænestinus. Legatione fungitur Siculâ, eodem Pontifice, missus ad Carolum Andegauensem hoc nomine II. cognomento Claudum; Iacobus Arragonensis Siciliam vsurparat, in quem mouit bellum Carolus Rex Neapolitanus, & Siculus à Nicolao coronatus. Legationis causa fuit schisma horrendum à Colomnensibus alijsque excitatum in Ecclesiam; propterea Robertus Andegauensis Calabriæ Dux Caroli Regis Siciliæ filius magnas duxit copias ad Schismaticos debellandos, & Summo Pontifici subijciendos.

Excessit mense Iunio, anno M.CC. XCI. prope castrum Fontis agri Spoletini in Vmbriâ, Pontificatus Nicolai quarto.



Anno Christi M.CC. LXXXVIII.

HVGO SEGVIN CARDINALIS DE BILLON
NICOLAO IV.

IN admirando S. Dominici Ordine numerantur innumeri fratres, tum in doctrinâ, tum in virtute exercitatissimi, & dignitatibus Ecclesiasticis eminentissimi, de quorum numero extitit Hugo Seguin patriâ Aruernus, Diœcesi Claromontanus, vrbe Billonensis. Ordinem Prædicatorum ingressus, in quo mirum in modum profecit maximè in Theologia. Doctoratus laureâ redimitus, & Lectoris munere in Conuentu Romano S. Sabinæ functus est.

Inter Archiepiscopos Lugdunenses est annumerandus post Ioannem huius nominis III. anno M.CC. LXXXIX. non fuit eius Ecclesiæ Metropolitanæ Archidiaconus, vt amicus noster Robertus est opinatus, omittens Hugonem in serie Archipræsulum Lugdunensium. Hoc non subterfugit scriptores Ordinis Dominicani, nec litteratissimum Præsulem Pictauiensem in suo Nomenclatore, qui vocat Hugonem Archiepiscopum Lugdunēsem in diuinis scripturis iugi exercitatione doctum, & Theologicarum diffi-

Illustr. Nomencl.

cultatum

cultatum pensitatorem subtilissimum; Ratio enim fauet nostræ sententiæ, qui enim fieri potuit, vt Religiosus Diui Dominici fungeretur Archidiaconi officio in Ecclesia Cathedrali, quod hactenus fuit inauditum; nec etiam ante emissa Religionis vota, cum iuuenis eum sit ingressus Ordinem, adolescentiam exercens in Philosophicis & Theologicis studijs; quare melius re agitatâ, inter Archipræsules suos Lugdunenses in secunda editione reposuit Hugonem nostrum Iacobus Seuertius Ecclesiastes Lugdunensis, quem omiserat in prima.

In vigiliâ Pentecostes Cardinalatus insignia suscepit Hugo Nicolao IV. S. Francisci discipulo conferente, anno sui Pontificatus primo, post natum Christum M. CC. LXXXVIII. tituli S. Sabinæ, postea Cœlestinus V. qui immediatè successit Nicolao, creauit Episcopum Ostiensem & Veliternum in locum fratris Latini, quo mortuo Pontificatum reliquit Cœlestinus. Paulò aliter censet Stephanus de Stampayo etiam Dominicanus; M. Fr. Hugo Billonius, inquit, Claromontanus, Episcopus Lugdunensis factus Cardinalis à Nicolao PP. IV. anno M. CC. XC. Cardinalis, inquam, Diaconus & à Cœlestino V. succedente factus est Cardinalis Episcopus Ostiensis. Verum in tribus errat 1. fuit Archiepiscopus, 2. peccat in anno referendo, 3. Presbyter extitit Cardinalis non Diaconus. Stampayus in Thesaur. arcano.

Subscripsit priuilegio à Pontifice Nicolao dato Iulianæ Abbatissæ Monasterij (quod Custodia B. Mariæ Virginis nuncupatur) siti in territorio Blesensi, eiusque Sororibus.

Ego Nicolaus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Reg. Vatican. ep. 128.

Ego frater Latinus Ostiensis & Velletrensis Episcopus subscripsi.

Ego Bernardus Prenæstinus Episcopus subscripsi.

Ego Frater Benteuenga Albanensis Episcopus subscripsi.

Ego Bernardus Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Tusculanus Episcopus subscripsi.

Ego Fr. Matthæus tituli S. Laurentij in Damaso Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Fr. Hugo tituli sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Fr. Matthæus S. Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Iacobus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Benedictus S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Neapoleo S. Adriani Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Petrus S. Georgij ad Velum aureū Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Petrus S. Eustachi Diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Reate per manum M. Ioannis Decani Baiocensis S.R.E. Vicecancellarij tertio Nonas Septēbris, indictione primâ, Incarnationis Dominicæ anno M. CC. LXXXVIII. Pontificatus verò Domini Nicolai Papæ IV primo.

Interfuit creationi Summi Pontificis Cœlestini V. anno M. CC. XCIV. ipse Prior Presbyterorum.

In vrbe diem clausit extremum, anno Virginei partûs M. CCC. XVIII. tertio Kalendas Ianuarias; iacet in suo sanctæ Sabinæ titulo ante altare maius; insignia sunt tria Leonum capita, fert tamen parmam D. Dominici.

Hugo vocatus homo fuit, & de Billonio
Per mortem clarum dedit hunc Aruernia clarum,
Ordinis hic frater, quippe dicat hunc bona mater.
Edidit ad studia Doctorem Theologiæ,
Cui socios Petrum Paulum det gratia Christi.

In hocce epitaphio non fit mentio Cardinalatûs, vt nec in sepulchrali inscriptione Cardinalis de Alliaco. Noster Hugo plurima ad Theologiam spectantia edidit in lucem, quibus difficillimas quasque quæstiones nodo Gordio intricatiores dissoluit.

Commentaria in Threnos Hieremiæ.
In quatuor libros Sententiarum.
De immediatâ visione diuinæ essentiæ.
Contra Corruptorium sancti Thomæ.
Sermones plures, & alia.

Meminit Hugonis S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, tertiâ parte Historiæ, & Antonius Senensis in Chronico.

E familiâ Seguinorum prodijt Ioannes Seguin Billoniensis sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, Ecclesiastes Curiosopolitanus in Armoricis, & frater natu minor Decanus Ecclesiæ Collegiatæ Billoniensis.



ANNO CHRISTI M.CC.XCII

SIMON DE BEAVLIEV ARCHIEPIS. BITVRIGVM CARDINALIS EPISCOPVS PRÆNESTINVS COELESTINO V.

IN Briâ Prouinciâ natus est Simon de Beaulieu Ecclesiæ Bituricensis, & sancti Martini Turonensis, & in Carnotensi Archidiaconus. Eiusdem æui Gaufridus de Beaulieu, qui vitam D. Ludouici scriptis mandauit, illius mentio apud Iodocum Coccium habetur. (Cocc. in Thesaur. an. 1280.)

Lego Albertum Miræum induentem Monachismo Simonem, & Cisterciensi habitu donantem; idem refert Bel-fortius, quod etiam referunt Cistercienses historici. (Bel-for. l. 1. Cosmo graph.)

In Senatu Parisiensi sedit, dum de Comitatu Pictauiensi lis fuit iudicata, anno M.CC.LXXXIII. referente Tillio. (Tillius in memorial.)

Clauum Metropoleos Bituricensis regere cœpit anno M. CC. LXXX. dignissimus Archiepiscopus LXIV. Papa Martinus in monimentis Ecclesiæ Biturigum laudibus Simonem efferens, appellat magnis scientiarum dotibus præditum, conuersatione laudabilem, honestate decorum, morum elegantiâ redimitum, varijsque gratijs & virtutibus insignitum. Ioannes de Sully Canonicus Biturigum compromisso electus ius suum cessit Summo Pontifici, qui Simonem de Bello-loco instituit. Alter Ioannes de Sully mitrâ Archiepiscopali Bituricensis Ecclesiæ ornatus ordine LXII.

Biturigibus excepit Philippi Audacis Perpiniani vitâ functi corpus, decimo quinto Octobris, anno M.CC.LXXXV. cadauer proprijs humeris deferente Philippo Pulchro nouo Rege eius filio, Othone Burgundiæ Comite alijsque Principibus adiuuantibus, Simone missæ sacrificium operante, Carnotensi & Cadurcensi Episcopis præsentibus. Philip. Pulcher humeris fert cadauer Patris.

Cadurcensem Ecclesiam suæ Metropolis Suffraganeam rogante illius loci Episcopo Raymundo visitauit, in comitatu Ioannis D. Sulpitij Cœnobiarchæ; sic enim scripserat Raymundus. Paternitatem vestram nobis carissimam requirimus, & rogamus quatenus hac instante die Sabbathi vbique vos esse in nostra Diœcesi contigerit omnes si placet Ordines celebretis, & omnia alia faciatis nomine vestro & nostro quod ad vestram pertinet dignitatem, nos si placet habentes benè excusatos, quòd vobis tardè scribimus, cum hoc instanti die Veneris tardá hôrâ, vbi vos eratis, ignorabamus, omnino scientes, Reuerende Pater, quòd ad vos habuissemus decessum, si equitare possemus. Valeat Paternitas vestra per tempora longiora. Datum Cadurci die Veneris post Dominicam quâ cantatur *lætare* anno Christi M.CC.XCI.

Simon sic ei rescripsit: cum nos hac instanti die Veneris ante ramos palmarum ad vestram Ecclesiam proponamus causâ ibidem officium visitationis exercendi fauente Domino declinare, mandamus vobis quatenus dictâ die procurationem nobis debitam præparetis &c.

Anno Christi præcedēte, Sabbatho post Brandones Ægidium de Billione electum, confirmatumque Archipræsulem Narbonensem ordine & charactere Sacerdotali inaugurarat. Terræ apud Franciscanos Bituricenses corpus Henrici de Sully monumento Soliacorum gentilitio mandarat. Cor eiusdem paulò ante in Andrio Loci-regij, vernaculè *Loroy*, Ordinis Cisterciensis condiderat. Purpuram Cardinalitiam accepit à Cœlestino V. anno M.CC.XCII. mense Septembri, Episcopus Prænestinus. In Gallias missus à Bonifacio VIII. cum Berardo Gouth Cardinale, legationis causam attingemus infra in Berardo.

Spiritum Deo reddidit septimo Calendas Septembres, anno M.CC.XCVI. & eodem anno successorem habuit in Archiepiscopatu Ægidium Columnam.



IOANNES LE MOINE CARDINALIS SS. MARCELLINI ET PETRI. COELESTINO V.

Anno Christi M. CC. XCIV.

IN Cressiaco pago diœcesis Ambianensis iuxta Abbauillam ortus Ioannes cognomento Monachus, cuius frater Andreas Monachus Nouiomensis Præsul. Aliqui existimarunt inter cæteros Arnaldus Vvion Ioannem vocitari Monachum ob professionem Religiosam, verum toto cœlo aberrant; sic enim legitur in epitaphio fratris germani in capellâ Collegij Cardinalitij humo conditi.

Vvionl. ligni vitæ

Hic iacet Dominus Andreas Monachus Ambianensis Diœcesis, quondam Nouiomensis Episcopus, frater germanus Domini Joannis Monachi istius domus fundatoris.

Vnde constat nomen Monachi fuisse gentilitium. Certè Nicolaus de Grauibus Theologiæ Doctor,& Collegij Cardinalitij incola typis exarauit vitam nostri Cardinalis, Ioannes, inquit, cognomento Monachus. Plures familiæ eiusdem nominis per Europam; Drepani in Siciliâ, licet omnibus legere epitaphium trium Nobilium Iureconsultorum in D. Augustini templo nimirum Francisci, Mazziottæ, & Martini.

Corpora trina iacent, Monachi cognomine, legum
Doctores celebres hos tenet vrna simul.

Adolescens litteris Humanioribus, & Philosophicis mirum in modum studuit Canonicus Parisiensis, referente Ioanne Chenu in Episcopis Meldensibus. In iure Pontificio versatissimus Romam adijt, & in familiaritatem Eminentissimorum Cardinalium admissus quædam commentaria euulgauit in Sextum Decretalium à Bonifacio VIII. compositum, vt testatur Philippus Probus epistolâ ad Cardinalem Borbonium Glossæ aureæ Ioannis Cardinalis Monachi præfixâ.

Chenu. in Episc. Meld.

Prob. ep. ad Card. Borbon.

Iuris Canonici & Cæsarei laureâ decoratus in Galliâ; præclara Romæ insignis doctrinæ, vt & virtutum edidit documenta: Rotæ auditor initio Glossæ à se editæ nuncupatur.

In Caroli II. vtriusque Siciliæ Regis familiaritatem admissus est. Brulius in Lutetianis Annalibus non benè Pictaniensem facit Episcopum Ioannem; nunquam enim eo Episcopatu fuit vestitus, nec benè Demochares libro de Missæ sacrificio præuius Brulio in ea opinione.

In Senatum Cardinalium legit anno M. CC. XCIV. Papa Cœlestinus V. non Bonifacius VIII. (sicut asseruit Probus Glossæ Aureæ Ioannis nostri illustrator anno M. D. XXXV. ad Ludouicum Borbonium S. R. E. Cardinalem) certum enim est Bonifacium nullos creauisse Cardinales Gallos, licet sexdecim aliarum nationum Cardinalitio Collegio adscripserit. Meldensium Episcoporum catalogo adlectus, hunc Episcopatum eiurauit ante diem vitæ extremum. Legatus à latere Auenionensis Diœcesis, quam anno septimo Vrbani V. Hugo Monachus Romanæ Ecclesiæ Vicarius moderatus est. Amplissimum sui nominis Collegium anno M. CCC. II. Lutetiæ Parisiorum in locis antea habitatis ab Augustinianis Fratribus Heremitis iuxta D. Victoris suburbium erexit, dotauitque anno regni Philippi Pulchri decimo septimo, cuius Statuta ipse Bonifacius VIII. probauit Pontificatus octauo. Patere Collegium suum studiosis Theologiæ voluit, legum studiosis non item, ne operam Sacerdotijs comparandis, aut litibus habendis impenderent.

Bonifac. 8. nullos creauit Card. Gall.

Collegiũ Cardinalitium.

Vice-Cancellarius S. R. E. electus Hermannum Pongilupum Ferrariensem defunctum, & in Ecclesia sepultum hæresis conuictum exhumari iussit Pontifex, quod Capitulum & Archipresbyter Ecclesiæ Ferrariensis Iudices postularunt à Bonifacio, qui Ioannem nostrum atque Nicolaum Cardinalem Ostiensem causæ cognoscendæ commisit anno M. CCC.

Idem Bonifacius eodem anno misit in Gallias Legatum Ioannem ad Philippum Pulchrum, vt Romanæ Sedi succensenti audiens esset. I. vt reuocaret Rex prohibitionem laicam contra Romanam Curiam adeuntes. II. pro beneficiorum Ecclesiasticorum collatione à Pontifice prætensâ, & quòd summam eorundem haberet dispensationem. III. Rex vsum gladij spiritalis Prælatorum non impediret. IV. conquereretur Legatus de bullâ Pontificiâ combustâ, compareret Rex, interim reuocarentur omnia priuilegia, pro iure Ecclesiæ Lugdunensis villæ sancti Irenæi, & loci sancti Iusti à Rege non dependente.

Contra Philip. Pulchrũ.

Legatum Philippus datis custodibus obseruari iussit, Nicolaum Benefractum famulum litteras Bonifacij ferentem in carcerem detrusit; Robertum Abbatem Cisterciensem, qui Philippi factum non probabat, Lutetiæ detineri imperauit: ijs Bonifacius auditis, regno sacris interdixit, nonnullos Galliæ Præsules deposuit, potestatem creandorum Doctorum Academiæ Parisiensi ademit, fœdere icto cum Flandris Albertum Cæsarem hortatur ad bellum Philippo inferendum.

Abbas Cister. contra Regem.

Rem postea cum Philippo vtcumque composuit; sed intestinum odium inter Pontificem & Regem est renouatum, cum ille fulmen Ecclesiasticum in hunc contorserit Calendis Nouembris anno M. CCC. II. & sequenti copijs Regiis Anagniæ septimo Idus Septembres captus Pontifex malè excipitur à Nogaretio Columnensibus & Gibellinis, Bonifacius sacras vestes induerat pallium & thiaram susceperat.

Bonifacius habitu Pontificio capitur.

Vitam cum morte commutauit non quarto Nonas Maij ex Ciaconio, sed vndecimo Calendas Septembres, vt patet ex sepulchrali inscriptione anno M. CCC. XIII. quæ in sacello amplissimi illius Collegij Cardinalitij visitur.

Hic iacet Dominus Ioannes Monachus Ambianensis Diœcesis tituli sanctorum Marcellini, & Petri Presbyter Cardinalis fundator istius domus, qui obijt Auenione anno Domini M.CCC. XIII. *die xxii. mensis Augusti sepultus fuit hic primâ die mensis Octobris eiusdem anni.*

ORATE PRO EO.

Supra fornicem maioris portæ Collegij à se fundati statua ipsius datur inspicienda breui corpore, magni animi indice, capite exiguo rasoque mento, vt ætas ferebat.

Scripsit commentaria in sextum Decretalium Bonifacij VIII.

Glossam auream, quam illustrauit Philippus Probus anno M. D. XXXV. Lutetiæ typis mandatam, Venetiis denuo anno M. D. LXXXVI.

Summi fuisse ingenij, morum suauissimorum, singularis pietatis, non Picardiæ modò, sed etiam Galliæ totius summi decoris hominem, epistolâ citatâ refert Probus Iureconsultus.



Anno Christi M.CC.XCIV

NICOLAVS CARDINALIS DE NONANCOVRT
COELESTINO V.

IN oppido Nonancurtio ad Drocas Diœcesis Carnotensis, suos traxit natales Nicolaus, qui fratres germanos habuit Thomam, & Petrum de Nonancourt Archidiaconum Rothomagensem, & nepotem Michaelem.

In vrbe Neapolitanâ anno M.CC.XCIV. mense Septembri, vocatus in numerum Presbyterorum Cardinalium à Cœlestino V. tituli sancti Laurentij in Damaso, in regione Pineæ; vetustissima est ædes sacra & domui inclusa, in quâ hodie Pontificia Cancellaria. Marmora arcus Gordiani ornamentis & triumphis insculpta ad Palatij huius Ecclesiæ substructionem fuêre translata.

Pontificia Cancellaria.

Vir sanctissimæ vitæ Cœlestinus prædictus ante Pontificatum instituerat Ordinem sancti Benedicti in Montibus, qui à nomine Pontificio sumpsit nomen Cœlestinorum: eum approbauit Gregorius X. & Bonifacius VIII. Cœlestini successor confirmauit. Penè in sacri illius instituti incunabulis vidit Gallia Cœlestinos Parisijs à Iacobo Marcello ciue Parisiensi primùm dotatos, deinde regiè auctos à Carolo V. Rege, amplissimo benefactore, & Ecclesiæ fundatore anno M. CCC. LXX. die XV. Septembris, eam dedicante Guillelmo de Melun Senonensi Archipræsule; ante illius princeps altare iacent exuuiæ Ioannæ Borboniæ Reginæ vxoris Caroli, defunctæ M. CCC. LXXVII. huiusce Monasterij Cœnobita humanissimus P. Goussencourt mihi quasdam schedas præsenti Cardinalium operi inseruientes communicauit. Ordo Cœlestino. & domus Parisien.

Ex hac vitâ migrauit Nicolaus Anagniæ anno M. CC. XCIX. sicut notum est ex testamento in illa ciuitate confecto, quo hæredes constituit fratres & nepotem supra memoratos.



BERARDVS DE GOVTH CARDINALIS ALBANVS COELESTINO V.

Anno Christi M.CC.XCIV

AREA parmæ aurea tribus fascijs miniatis expressa Berardi de Gouth Burdegalensis origine, pago de Vilandran qui teste Bsouio fratrem germanum Bertrandum Cameracensem Episcopum, deinde Archipræsulem Burdegalensem à Bonifacio VIII. institutum, tandem Summum Pontificem Clementem V. habuit. Eiusdem generis Berardus Gothus Petræcauæ oppidi Dominus vir Nobilis in Armeniaco Comitatu anno M. D. LXXXVI. viuebat, qui se agnatum & gentilem Clementis V. fratris Cardinalis Berardi gloriabatur. Iacobus Seuertius vnum & eundem esse opinatur Berardum & Bertrandum, quàm sint diuersi Lectoris iudicio committo. Parad.l.2. cap.56. Bsou. in Annal. supplem. tom.1. Seuert. in Chronol. Archiep. Lugdun. ad annum 1290.

In Metropoli Lugdunensi sedit Berardus ordine LXXXIX. Hugonem Seguin Cardinalem de Billon à nonnullis prætermissum subsequutus, & post hunc Henricus de Villariis dictus vulgò homo nobilis, Comes enim ab ephebis iure patrimonij. Collegio Cardinalium cooptatus à Cœlestino V. ante Pontificatum Eremitâ, & Episcopatu Albano cohonestatus anno Verbi Incarnati M. CC. XCIV. in vrbe Neapolitanâ mense Septembri. Familia de Villars.

In Galliâ egit Legatum Bonifacio Papâ VIII. anno M. CC. XCV. vnà cum Simone Episcopo Prænestino ad componendam litem inter Philippum Pulchrum Franciæ, & Eduardum IV. Angliæ Reges. Bzouius ait fœliciter cessisse Cardinalibus Legatis negotium, qui non tantum eos Reges fœdere iunxêre, sed & affinitate, statimque in Rodulphi Cæsaris perniciem incubuisse. Tamen alij referunt eos Legatos nihil potuisse consequi, tantum erat odium inter Gallum & Anglum; Rex Philippus Aquitaniam eripuerat Anglo, inde mali labes & bellum intestinum; tandem ad Bonifacium missi Legati vtriusque nomine; à Franco legantur Romam Rhemorum Archipræsul Petrus Barbet, & Comes sancti Pauli. Causam diremit Pontifex in gratiam Angli; Bullæ Apostolicæ ab Archiepiscopo Rhemensi allatæ ita Regi displicuerunt, vt Comes Artesiæ foco eas consecrarit, vti Flandriæ testantur historiæ.

Bzouius ad annum 1295. Histor. Flandr.

Eduardum Angliæ Monarcham adijt Berardus, de cuius Legatione plura refert in Annalibus Anglicanis Thomas Valsinghamus.

Valsingh in Annal. Anglic.

Philippus Rex Galliæ Cardinalis Berardi de Gouth mentionem facit anno M. CCC. V. dum eius fratrem Bertrandum curat eligi in Summum Pontificem.

Obijt Legati partes in Galliâ sustinens anno M. CC. XCVII.



ANNO CHRISTI M.CC.XCIV

GVILLELMVS FERRERIVS CARDINALIS S. CLEMENTIS COELESTINO V.

IN Prouinciâ Gallicâ Guillelmus Ferrerius diem vidit natalem: Ferreriorum familia superstes Sallone ad Crauum municipio Prouinciæ. Ioannes Ferrerius alter, primùm Melphitensis in Apuliâ Episcopus Alexandro VI. cognitus: certantibus Francis contra Arragonios pro regni Neapolitani iuribus Alexandri VI. authoritate ad Ludouicum XII. Francorum Regem & Ferdinandum Orator missus est; legationem digniss mè obiuit colloquiumque duorum Regum impetrauit. Ferdinandus enim in Hispaniam rediens cum Ludouico apud Sauonam ad Mare Ligusticum colloquutus est, nec indonatus à Rege abscessit, honorem enim lilium in scuto deferendi præcipuis regni dignitatibus impertitum obtinuit, lituoque sacro Arelatensi, Ecclesiâ Pastore destitutâ, eiusdem Regis authoritate honestatus

Familia Ferreriorum. Ferdinandus & Ludouic. Sauonæ.

est

est anno M. D. De nouo sæcularem viuendi formam à Summis Pontificibus obtinuit,nouumq; sæculum inchoauit.Massiliæ defunctus decimo septimo Ianuarij anno M. D. XXI. eiusdem nominis & cognominis nepos in eodem Archiepiscopatu dignissimus successor, qui sacellum Ferreriorum in Ecclesia sancti Trophimi Arelate erexit.

Ecclesiæ Massiliensis Præpositus Guillelmus. In Ordinem Cardinalium cooptatus à Cœlestino V. anno M. CC. XCIV.

Romæ vitali corporis facultate destituitur anno sequenti, primo Pontificatus Bonifacij VIII.



SIMON PRIOR CHARITATIS B. MARIÆ CARDINALIS S. BALBINÆ COELESTINO V.

ANNO CHRISTI M.CC.XCIV

CLVNIACI Monachus, deinde Prior Monasterij illius celebris Charitatis ad Ligerim fundati anno M. inter primarios quinque Prioratus Ordinis Cluniacensis princip ē locum tenentis,quod Charitati agri Niuernensis oppido ad Ligerim nomen fecit. Quibus acceptum hunc debeant Cluniacenses, Ludouici VI. Regis diploma Aurelianis editum docet his verbis. Prioratus B. Mariæ de Charitate super Ligerim, quem Gaufridus Altissiodorensis Episcopus,& Guillelmus Comes Niuernensis, & Bernardus de Chaillant, & alij fideles Regni nostri,ad quos locus ille de Charitate cum villâ & pertinentiis suis omnibus in spiritualibus & temporalibus totaliter pertinebat, Hugoni Abbati & Monasterio Cluniacensi,& eorum successoribus dederunt & concesserunt, absque vllâ retentione per se & Monachos suos professos omni tempore habendum, tenendum & possidendum. In eo Charitatis Cœnobio debebant octoginta Monachi septa domus habitare ex Ordinis Cluniacensis Statuto anno M. CCC. XLIII. decimaque pars panis,qui illic coquebatur, egenis erat eroganda. Bibliothecæ Cluniacensis liber numerat Prioratus minores ab illo dependentes quinquaginta.

Fundatores Prioratus Charitatis.

Notatu digna de illo Prioratu.

In Collegium Presbyterorum Cardinalium admissus tituli sanctæ Balbinæ à Cœlestino V. anno M. CC. XCIV.

Romæ priuatur vsurâ lucis anno M. CC. XCVI. medioque choro Ecclesiæ SS. Syluestri & Martini sepelitur, inscriptio talis legitur.

Simonis exta, caroque iacent hic ossaque, Charitate Prioratu qui præfuit huic, titulique
Sanctæ Balbinæ sacra dat candore colentes
In cineres redigi fasces, caput omne iacere.
Discite labentis non gaudia spernere mundi.
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque quod hic est.
Anno milleno bis centum cum nonageno
Sexto defungens deserto corpore fungens,
Regnis cœlorum numerandus parte bonorum.



Anno Christi M.CC.XCIV.

ROBERTVS ABBAS XXVIII. CISTERCIENSIS CARDINALIS S. PVDENTIANÆ COELESTINO V.

ORDINEM Cistercienſem ingreſſus eſt Robertus iuuenili adhuc ætate, qui pietatem vnà cum eruditione ſemper coluit. Philippus Franciæ, & Carolus Neapolis Reges familiarem habuerunt, qui ſacræ Theologiæ fuit Doctor Pariſienſis.

Henriq. in faſcic. SS. Ord. Ciſterc.

Generalem ſui Ordinis trigeſimum tertium facit Henriquez, ſed tabulæ Abbatum XXVIII. referunt electum anno M. CC. XCIII. Huius Generalatu moritur Ciſtercij Alanus Doctor Pariſienſis, qui ob exquiſitam omnium ſcientiarum cognitionem & Encyclopædiam, *Vniuerſalis* eſt appellatus, in Ciſtercio primū Cuſtos ouium, deinde Conuerſus, vt legitur in epitaphio.

Alanus Doctor Pariſien.


Robertus Cardinalitio pileo decoratur vnà cum aliis nouem, Neapoli anno M. CC. XCIV. Pontifice Cœleſtino V. tituli S. Pudentianæ. Adijt Gallias Legatus ad pacem firmandam inter Bonifacium VIII. Pontificem, & Philippum Regem anno M. CCC. III. nihil profecit, imò Pariſijs iuſſu Regis detentus eſt, vt notauimus in Ioanne Cardinale le Moine.

Diſſidium inter Bonifacium & Philippum.

Auenionem petens, Parmæ ex hac peregrinatione terreſtri ad patriam cœleſtem commigrauit anno M. CCC. V. menſe Auguſto palmam ſuorum accepturus laborum. In Cœnobio S. Martini extra Parmam corpus ſepultum, inde delatum eſt Ciſtercium in maiori Eccleſia ante Presbyterium tumulatum, inſignia conſpiciuntur, & inſcriptio.

Icon ipsius videtur in Aula Cœnobij Cisterciensis maiore, cum duobus his versibus.

Hinc Rex Robertum cepit vitâ speciosum.
Cui Romana dedit rubeum pòst Curia sertum.



ÆGIDIVS COLVMNA ARCHIPRÆSVL BITVRICENSIS CARDINALIS. Anno Christi M. CCC.

BONIFACIO VIII.

AEGIDIVS Columna, ciuis Romanus, Ordinem Eremitarum Diui Augustini professus est. Ab infantia optimis moribus imbutus, & liberalibus eruditus artibus, miro ingenij acumine, tenacissimæq; memoriæ beneficio locuples: Diui Thomæ Aquinatis auditor in eius disciplinam admissus tantùm profecit, vt siue vitæ sanctitatem, siue diuinarum scripturarum, & Philosophiæ Peripateticæ studium spectes, nunquam vel à præceptore suo, vel ab illustrissimâ, quâ oriundus erat, familiâ deuiarit. D.Thom. auditor.

Modestiam cum grauitate, animique demissionem cum sui generis excellentiâ, tam arcto coniunxit nexu, vt nihil omnibus magis esset admirationi; in alienis confutandis opinionibus (vt non rarò inter viros doctrinâ eminentiores contingit) nihil eo temperatius, quod etiam in lucubrationibus maximè præstitit; cum enim sui præceptoris aliqua sibi non arrideret opinio, eam supra ingenij sui aciem esse aiebat, & Doctorem ipsum, tacito nomine, virum magnum, aut præstantem appellabat. Ingrati animi labem in eundem Diuum Aquinatem adeò detestari visus est, vt etiam pro sententiis illius defendendis librum Defensorij nomine euulgarit.

In Religione Eremitarum Diui Augustini eam de se apud omnes probitatis & doctrinæ opinionem conciliauit, vt per vniuersos & bonarum literarum titulos, & vitæ regularis præfecturas ad supremum Ordinis sui Magisterium conscenderit. Prior creatus VI. Ianuarij, die ipsâ Epiphaniæ Domini anno M.CC. XCII. cumque illud triennio summâ cum laude gessisset, spontaneè eiurauit. Philippo cognomento Pulchro Francorum Regi à primâ eius adolescentiâ mirum in modum gratus extitit, quin eiusdem ius-

Æmil. l. 8. de gestis Francor. Belforest in Orat. Politic. & Militaribus.

su libros de Francorum regimine Principum scripsit: tum deinde eodem à sacris regiis in Rhemensi vrbe susceptis reuertente, primùmque ex more Parisiensem Academiam inuisente, orationem pro tempore luculentissimam in frequentissimo virorum vtriusque Ordinis consessu habuit.

Bonam vitæ partem in Lutetianâ scholâ consumpsit, eamque tum sanctitate, tum doctrinâ plurimum exornauit, vnde ab Academiæ Parisiensis Doctoribus Theosophis nuncupatur *Doctor fundatissimus*. Tandem Bonifacij VIII. Pontificis Maximi authoritate, Archiflamen Ecclesiæ Bituricensis, & Aquitaniæ Primas anno M. CC. XCVI. fuit consecratus; Cardinalium postea cœtui adscriptus, sed morte Pontificis interueniente in vulgus minimè renunciatus. Pro eiusdem Pontificis innocentiâ à quam-plurimis proscissâ, apologeticum commentarium euulgauit, eoque scripto, & Regis, & Procerum quorundam, quibus voluptati fuerat memoriam Pontificis Bonifacij damnare, in se animos concitauit tantopere, vt totos conatus adhibuerint, ne Clemens Bonifacij successor dignitatem illi destinatam denunciaret. Pro Fide Christianâ inter Tartaros propagandâ commentarium iussu eiusdem Bonifacij scripsit, ex quo Nuncij Apostolicæ Sedis Orthodoxam inter Barbaros Religionem prædicarent. In acutiore Theologia stylo minus eleganti, nec Ciceroniano vsus ornatu, memor illius adagij.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Tum quòd sciret, res suâ naturâ intellectu difficiles non posse verborum lenocinijs explicari. Synodo Oecumenicæ Viennensi interfuit Clemente V. Præside anno M. CCC. XI.

Angel. Rocca Episc. Tagusten. in eius vita.

Mulier graui morbo vexata ad eum Pontificali gloriâ fulgentem accessit ægri corporis sanitatem efflagitans, quæ pristinam valetudinem recuperauit his Beati Ægidij verbis. *Vade bona mulier, fiat tibi secundum fidem tuam.* In summa hic omnium virtutum choro cinctus Ægidius, vitæ sic effulsit innocentiâ, vt ab omnibus sanctus haberetur, cumque libros pene conscripsisset innumeros, & multa Ecclesiæ commoda procurasset, post viginti duos Sedis Bituricensis annos tandem vitam mortalem finiuit ad æternam migraturus, Auenione, vndecimo Calendas Ianuarias. Corpus illius Lutetiam Parisiorum delatum, & in Ecclesia Augustiniana sepultum. Scriptum his verbis legitur epitaphium in sarcophago à latere aræ Principis.

Vir sanctissimus.

Hic iacet aula morum, vita munditia, Archiphilosophia Aristotelica perspicacissimus commendator, clauis & Doctor Theologia, lux in lucem reducens dubia, Frater Ægidius de Roma Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, Archiepiscopus Bituricensis, qui obijt anno Domini M. CCC. XVI. *die XXII. mensis Decembris.*

Eo procurante, quem nunc incolunt locum, tum Lutetiæ, tum Biturigibus, Augustiniani obtinuêre. Reliquit Ægidius præter alios discipulos, Albertum Patauinum Eremitam Augustinianum, tam sacris quàm profanis

litteris ornatissimum, & concionatorem suo tempore celeberrimum: Bibliothecam suam locupletissimam Augustinianis Parisiensibus legauit supremis tabulis.

Scripsit, testibus Posseuino, & Illustrissimo Nomenclatore Cardinalium, Possevin. in appar. sacro. Illustriss. Noméncl. Cardd.

Libros duos de mundo sex diebus condito.
In Canticum Canticorum.
In omnes epistolas D. Pauli
In epistolas Canonicas.
In Euangelium Ioannis
In totum Canonem Bibliorũ libros II.
In Boetium de Philosophicâ consolatione.
De excellentiâ Summi Pontificatûs.
De esse & essentiâ.
Introductionem Christianæ Fidei ad Regem Armeniæ Bonifacio VIII. iubente.
Super Sententias libros quatuor.
Expositionem primæ Decretalis.
De Regimine Principum.
Quodlibeta multa.
In officium Missę.
De Intellectu possibili.
Laudes sapientiæ diuinæ.
De sapientiâ diuinâ in beatis.
De subiecto Theologiæ.
De bonâ fortunâ.
De corpore Christi.
De mensurâ Angelorũ.
De mortuis.
Distinctionem articulorum Fidei.
De gradibus formarum.
De prædestinatione.
De generatione & corruptione.
De peccato originali.
De formatione humani corporis.
De potestate Ecclesiasticâ, ad Bonifacium.
De Carcere.
Compendium Theologiæ.
De renunciatione Papæ.
Aduersus corruptorem librorum S. Thomæ Aquinatis.
Sermones varios.
In omnes Aristotelis libros commentaria.
De materia cœli contra Auerroem.
De medio demonstrationis.
De Paradiso, Inferno & Purgatorio.
De Resurrectione mortuorum.



NICOLAVS A PRATO DOMINICANVS CARDINALIS OSTIENSIS BENEDICTO XI.

Anno Christi M.CCC.IV.

Non sum ego nescius hunc Cardinalem patriâ Tuscum à Prato villâ ditionis Florentinæ nuncupatum, qui in Gallia nostra plures annos vixit Clemente V. & Ioanne XXII. Philippo Regi percharus, & in Gallijs donatus sepultura. A Benedicto XI. octo mensium Pontifice antea Domi-

nicano, Nicolaus etiam Dominicanus & Præsul Spoletinus est adscriptus sacro Cardinalium collegio Episcopus Ostiensis. In Hetruriam mandatus ad sedandas seditiones Florentinas, quas non potuit compescere, propterea ciuitatem interdicto supposuit Ecclesiastico.

Clementem V. Romanum Pontificem creandum curauit, re communicatâ cum Philippo Pulchro Francorum Rege in Italiam Auenione missus cum quatuor Cardinalibus delectis Berengario & Raymundo, qui eò non peruenerunt, Arnaldo Falguerio Cardinale Sabino inter Legatos primario, & Lucâ Flisco ad Imperatorem Henricum huius nominis VII. Comitem Luxemburgensem, quem Nicolaus sacro inunxit oleo, & Arnaldus coronam auream Romæ capiti imposuit, postquam Mediolani pro more fuisset redimitus ferreo diademate. Eâ conditione Clemens electum Francofurti consecrarat, vt infra biennium collecto milite Italiam ingrederetur, motusque excitatos à pluribus annis sedaret, qui ansam præbuerāt transferendæ Sedis Apostolicæ Auenionem. Rectè factorum gloriâ prædicandum Cæsarem dicunt venenatâ hostiâ vltimo viatico sublatum datâ à Dominicano Guelphorum technis subornato: dum Augustus Florentiam obsidione cingeret se morti proximum persentiens, Monachum, vt fugâ sibi consuleret (inquiunt) admonuit, verum putâ pura calumnia à Magdeburgensibus Hæreticis, (quorum fuit Antesignanus Matthias Illyricus) relata: licet à quibusdam etiam Catholicis referatur ex parte, vt à Genebrardo, Henricus enim de Dominicanis optimè erat meritus; & certè Bernardus de Monte-Peluciano S. Dominici Religiosus fuit Henrico à confessionibus vsque ad extremum vitę spiritum, quod ęgrè ferens alterius Ordinis Cœnobita motus inuidiâ & odio architectus fuit calumniæ, tunc temporis persecutione vigente in Dominicanos, & mali fama creuit eundo.

Causa transferendæ Sedis Auenionem.

Fabola de Henrico venenatâ hostiâ sublato.

Bernard. Dominican. Confessarius Henrici.

Ad Curiam Pontificiam reuersum Ioannes XXII. misit Legatum, vt Siciliæ Regem Robertum Caroli filium cum illius consorte vxore coronâ insigniret Siculâ, de qua Legatione Diuus Antoninus.

Antonin. Lib. 2. parte 3. hist. titul. 20. c. 9.


Nicolaus potiorem Conuentus Auenionensis Prædicatorum partem erexit, præterea Pratensem, & alium Sanctimonialium Diuo Nicolao patrono suo sacrum. Post vndeuiginti annos in Cardinalatu emensos, fatis cessit Auenione, Kalendis Aprilis in Dominicanorum Ecclesia tumulatus, anno M. CCC. XXI. cum epitaphio sequenti.

Eloquium bona vita virens, discretio fulta,
Consilium, doctrina vigens, prudentia multa.
Ista silent, hic illa docent, sunt cuncta sepulta,
Virginis à partu numeratis mille trecentis
Annis bis denis vno quartisque Calendis.
Quem genuit Pratum, Spoletum Pontificatum,
Ostia quem dedit Romano cardine dignum.

Scripsit de Paradiso.

De Pontificalium Comitiorum habendorum ratione, vt habet Cortesius.

LIBER TERTIVS
CARDINALES SEDIS AVENIONENSIS.



PETRVS DE CHAPELLE TAILLEFER EPISCOPVS TOLOSANVS CARDINALIS S. VITALIS CLEMENTE V.

Anno Christi M.CCC.V.

NATALE solum Petri Capella de Taillefer Diœcesis Lemouicensis, cuius municipij ipse Dominus vt & Parens. Auunculum habuit B. Rogerium le Fort Bituricensem Archipræsulem, huius Pater Guido vitam centum & viginti annorum duxit. Petri hisce verbis meminit Bernardus Guido Dominicanus, postea Præsul Lodeuensis: Clemens (inquit) Papa, anno primo sui Pontificatûs fecit vnam Cardinalium ordinationem, inter quos fuit Petrus de Capella Episcopus Tolosanus. Episcopatum porrò Tolosanum obtinuit anno M.CC.XCIX. felici morte B. Ludouici Franciscani ex Mariâ Hungaricâ Caroli II. vtriusque Siciliæ Regis, Prouinciæ Comitis filij, qui eodẽ die & loco mortuus, quo natus Brignolę die decimâ nona Augusti; in æde Franciscanorum Massiliensium sacræ corporis seruantur reliquiæ, de cuius apotheosi egimus in Ioanne XXII. Lugduni Presbyter Cardinalis S. Vitalis tituli Vestinæ, purpuram dante Clemente V. anno sui Pontificatus primo, die Sabbatho quatuor temporum Dominici Aduentus, eidem postea Episcopatus Prænestinus confertur. De creatione huius Cardinalis & aliorum verba facit Matthæus VVestmonasteriensis: mox ipso die Dominico creauit alios Cardinales (intellige pronunciatos, cum die præcedenti fuerint creati) sex de Vasconia, duos de Francia, vnum de Anglia scilicet Thomam fratrem Ordinis Prædicatorum.

Bernad. Guido in Chronico.

B Ludouicus Francisc. eod. die & loco natus & mortuus.


VVestmonast. in florib. Histor.

Vitam cum morte commutauit, non Auenione, nec anno M.CCC.XII. (vt refert Ciaconius) sed decimo sexto, vt fert veritas, & quidem Capellæ, in Diœcesi Lemouicensi.

Gens de Taillefer Domina de Mauriac in Petragorijs scutum habet

Scutum de Taillefer.

miniatum brachio argenteo ensem tenente, vnâ item molula echinatâ in summo, alterâ in imo exaratum.



Anno Christi M. CCC. V.

RAYMVNDVS DE GOVTH DE VILANDRAN
CARDINALIS SANCTÆ MARIÆ NOVÆ
CLEMENTE V.

CLEMENTIS Papæ germani fratris filius Raymundus Gothus de Vilandran Burdegalensis: in eo sterili agro de Vilandran Clemens arcem munitissimam exædificari iussit, vt aliàs notauimus libro primo, dum actum de Clemente V. Diaconum Cardinalem S. Mariæ Nouæ, anno M. CCC. V. primâ Patrum creatione elegit nepotem Clemens Pontifex.

Bern. Guido in Chron. Papir. Masson. in Clem. V.

In Italiam Legatus cum alijs designatur, anno M. CCC. XI. ad Henrico VII. Imperatori Comiti Luxemburgensi, viro pacis bellique artibus, & pietate in Deum egregiè instructo (Alberto occiso) Francofurti electo coronam imponendam, & ad soluendos interdicto Florentinos lato à Cardinale Neapoleone, quem in vrbe suâ Florentini comiter & perhonorificè susceperunt, Pontificemque iuuarunt Equitatu & Peditatu in Ferrariensi acie, de quâ in Arnaldo Cardinale de Pelagruâ.

Obijt porrò Cæsar IX. Kalendas Septembres anno M. CCC. XIII. cum annos ferè quinque Imperij habenas rexisset, in Pisanâ ciuitate sepultus. In eadem Italicâ peregrinatione vltimo defungitur die apud Ligures eius vxor Margareta Augusta Ducis Brabantiæ filia in æde Franciscanorum Genuæ humo mandata; de fabellâ, quâ asseritur Henricus venenatâ hostiâ sublatus, actum in Clemente V. & Nicolao Cardinale à Prato.

Mortem oppetijt Raymundus Auenione, die vigesimâ quintâ Iunij, anno M. CCC. XX.

BEREN-



BERENGARIVS FREDOLE EPISCOPVS BITERRENSIS CARDINALIS SS. NEREI ET ACHILLEI CLEMENTE V.

Anno Christi M. ccc. v.

BERENGARIVM Fredole virum extitisse literatissimum non ignorabit, qui sciuerit Bonifacio VIII. in Sexti Decretalium editione præsto fuisse. Patriâ fuit Narbonensis de castro Benna Magalonensis Diœcesis, nunc Montis-pessuli est Sedes. Decretorum Doctor, & Ecclesiæ Biterrarum Succentor, Archimandrita Diui Aphrodisij Biterrensis, qui primus fuit Episcopus & Confessor Biterris apud Septimaniam à B. Paulo Narbonensi institutus ex Vsuardo 11. Calend. Aprilis, non itaque Biturigis sed Biterris legendum apud Pamelium in Liturgicis. Bonifacij VIII. fuit Capellanus. Basianum Berengarium Cardinalem non distingui à Berengario Biterrensi autumat illustrissimus familiâ & doctrinâ Præsul Pictauiensis in suo Cardinalium Nomenclatore.

Episcopus Biterrarum, anno M. CC. XCV. ad Orobum fluuium sub Archipræsule Narbonensi, in quâ ciuitate habita Pseudosynodus, quâ S. Hilarius Pictauorum Episcopus à Galliâ amandatur ab Arianis, anno CCC. LVI. malitiâ & technis Saturnini Arelatensium Episcopi. Bonifacius VIII. Decretales libri sexti à Guillelmo Archiepiscopo Ebredunensi, Berengario hoc Episcopo Biterrensi, & Richardo de Senis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellario recenseri iussit, ipsique scribit idem Pontifex, vbi præscribit formam degradationis peragendæ in reis, & morti addicendis Sacerdotibus.

S. Hilarius exul.

Bonifac. c. Vnico de rerum permutati. & cap. de pœnis.

Purpurâ ornatur à Clemente V. Lugduni Presbyter Cardinalis Sanctorum Nerei & Achillei tituli Fasciolæ, eodem die & anno, quo Petrus de Chapelle: postea Episcopus Cardinalis Tusculanus. Chartophylacium tamen Auenionense aliter meminit Cardinalis nostri, anno M. CCC. XII. die XIII. Decembris creati fuerunt Cardinales à Clemente V. Guillelmus de Mandagoto Episcopus Aquensis cum titulo Episcopi Prænestini, Arnaldus Episcopus Pictauiensis cum titulo Episcopi Albanensis, Berengarius Fredole tituli SS. Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis

Episcopus Biterrensis, Iacobus Deüza ex Episcopo Auenionensi Portuensis Episcopus, Raymundus tituli S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis ex Abbate sancti Seueri, Michael tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis, ipse Frater Guillelmus tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Frater Vitalis tituli sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis, G. Testa tituli S. Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis. Membranæ verò Auenionenses confundunt primam & secundam Cardinalium creationem, ac etiam tertiam.

Corrigendus Onuphrius hunc Cardinalem vocans Reginaldum Episcopum Biterrensem creatum à Bonifacio vnà cum Cardinale Guillelmo Mandagoto. Corrigendi etiam alij, qui Basianum Berengarium diuersum volunt à Biterrensi Berengario, cuius meminit author Vocabularij Iuris.

Designatus fuerat Legatus in Italiam pro Augusto coronando, verum non est profectus, sed alij. In Galliam se contulit iussu Clementis cum alijs Cardinalibus, cuius Legationis mentionem facit anno tertio sui Pontificatûs Bonifacius in literis ad Philippum Pulchrum datis in causâ Templariorum. Dilectis (inquit) filijs nostris Berengario tituli SS. Nerei & Achillei, & Stephano tituli S. Cyriaci in Thermis Presbyteris, ac Landulpho sancti Angeli Diacono Cardinalibus, de quorum prudentiâ, fidelitate & experientiâ indubitatam fiduciam obtinemus, causam Templariorum commisimus, vt eam Nobis referrent.

Hugo Cadurc. Episc. degradatur.

Hugonem Geraldi Abbatem, Episcopum Cadurcensem, imperio Summi Pontificis Ioannis XXII. anno M.CCC.XVII. omnibus Pontificalibus insignibus exuit, vulgò degradatum dicunt, quòd in cædem eiusdem Pontificis conspirasset, sæculari Curiæ tradidit, candentibus forcipibus est laceratus, tandem igni traditus. Almaricus Augerius, Platina, & Bernardus Guido hæc habent. Ioannes in iure degradauit Sacerdotali & Pontificali Ordine ac dignitate Episcopum Cadurcensem Hugonem Geraldi, ablatis ab eo Pontificalibus insignibus, videlicet annulo atque mitrâ & cappâ cum Romana Camisia & Bireto, sicque primò relictus in simplici habitu Clericali fuit adiudicatus priuato carceri decimo quarto mensis Maij apud Auenionem anno Domini M.CCC.XVII. degradationem verò cum solemnitate iuris fecit Cardinalis Episcopus Tusculanus, sicque vltimò degradatus fuit, traditusque Curiæ seculari, post cuius iudicium fuit tractus & excoriatus, atque combustus mense Iulio subsequenti, hactenus Guido.

Augerius Biterreni. in act. Pontif. Rom. Platina in Ioan. 22. Bernard. Guido. in Chronic.

Berengarius mortem oppetijt Auenione anno M.CCC.XXI. cuius meminêre Almaricus Augerius Biterrensis, Abbas Trithemius & Ioannes Villanæus.

Auger. Biter. lo. cit. Trith. l. vir. illustr. Villan. l. 2. c. 79.

In iure versatissimus scripsit insigne volumen super Summam Ostiensis ordine alphabetico, quod misit Guillelmo de Mandagoto Archidiacono Nemausensi, à quo libri de electionibus Prælatorum nuncupatione fuerat cohonestatus, quod opus vocauit oculum, inquit Trithemius Abbas.

Liber oculus.

Librum alium edidit de sententiâ excommunicationis.

Repertorium iuris M. S. in Bibliotheca Ecclesiæ Cameracensis.

Eodem vixit tẽpore Berengarius natione Gallus, Diœcesis Ruthenensis, Ordine Dominicanus & Generalis, quem Ioannes XXII. instituit Archipræsulẽ Compostellanum, quod in morte indoluit acceptasse: in Castellæ Regnum Legatus à Ioanne Pontifice ad conciliandos Ferdinandum & Alphonsum fratres de Regni possessionibus contendentes.



ARNALDVS DE PELAGRVA CARDINALIS SANCTÆ MARIÆ IN PORTICV CLEMENTE V. Anno Christi M.ccc.v.

QVis mortalium bellicis virtutibus illustrem Cardinalem Arnaldum de Pelagrua non mirabitur, patriâ Burdegalensem, Pontifici Summo Clementi V. affinem? Antistes Pictauiensis asseritur à quibusdam, sed non verè; attamen id verum est de Arnaldo d'Auch Cardinale Sabino, iisdem temporibus vitam trahente, nomine itaque & tempore hallucinantur.

Diaconus Cardinalis S. Mariæ in porticu à Clemente V. anno M.ccc.v. Lugduni renunciatur. Post vigesimum secũndum Generale Ordinis Franciscani Capitulum Barcinonæ habitum missi ad Clementem Pontificem anno M.cccxii. primarij dicti Ordinis Patres ad poscendum Arnaldum, vt Protectoris Franciscanorum munere fungeretur in locum Cardinalis de Muro paulò ante demortui, cum Alexandro ab Alexandria nouissimo electo Ordinis Generali, quod Clemens volens libens concessit. Huius Cardinalis fauore impetratæ sunt litteræ à Clemente ad diuersos Italiæ Præsules, vt Fratres compellerentur regredi, qui recesserant ab Ordine, & Superiorum nutui & obedientiæ subijci. Protector Franciscan.

Legatus abijt Auenione Ferrariam recuperaturus, anno M.ccc.ix. die XXIII. Aprilis, redijt anno sequenti, die decimâ Decembris. Alberto Imperatore occiso à suo nepote Ioanne, in Italia multæ ciuitates rebelles, Mantua à Passerinis, Verona à Scaligeris, Padua à Carrarijs, Ferraria ab Estensibus occupatæ.

Azone Estensi Ferrariæ Principe sine legitima prole mortuo, de nouo

Principatu acris dissensio orta est inter ipsius fratres, & ejusdem filium nothum Friscum nomine, quem protegebat Veneti, quòd natus esset Venetijs, à quibus adiutus vrbis imperium anno M. CCC. VIII. occupauit, moxà Ferrariensibus pulsus ciuitatem amisit, quã Veneti vi occuparunt. Pontifex eam ob rem accensus (ditionis enim Ecclesiasticæ vrbs erat) bellum ijs indixit, & anathemate notatos sacris interdixit, & eos pro seruis, eorum bonis vbique direptis, haberi iussit. Quamobrem gens mercaturæ admodum dedita in Angliâ, & Galliâ maxima incommoda perpessa est; ad eos debellandos Legatum creauit Arnaldum de Pelagruâ, qui cruce signatorum exercitu coacto, initoque cum Longobardis, Bononiensibus, & Florentinis fœdere, Venetis insigni prælio Francolino ad Padum superatis, & sex millibus cæsis, Ferrariam Ecclesiæ recuperaturus vrbem sub imperio constituit Ecclesiastico. Inde in Hetruriam abiens beneficij à Florentinis accepti non immemor in Ferrariâ recuperandâ, eos interdicto soluit, quo Neapoleo Cardinalis Vrsinus Legatus ob contumaciam vinxerat. Eo tempore Clemens Robertum Siciliæ Regem, oppidorum & vrbium Galliæ Cisalpinæ & Romandiolæ Præfectum constituit, præter Bononiam, & Ferrariam, quas vrbes Legato Pelagruæ reliquit, cui Rex ipse pro Romanâ Ecclesiâ præstitit clientelæ sacramentum. Veneti atroci pugnâ afflicti Oratores Nobilissimos viros Auenionem ad Pontificem miserunt Carolum Quirinum, & Franciscum Dandulum, qui veniam petentes, oblatâ satisfactione, à Pontifice soluti sunt: nec longo pòst tempore Legatus ex Italia discedens, Auenionem redijt, Ferrariæ curâ Regi Roberto commissâ, ciues ministrorum insolentiam tolerare nequeuntes, anno M. CCC. XVIII. eos vrbe expulerunt, seque & omnia Marchionibus Estensibus dedêre, sub quorum potestatem ea vrbs vsque ad Clementem VIII. permansit.

Veneti vincuntur.

Ferraria subijcitur Estensibus. Bernardin. Corius parte 2. de eiusdem victoriâ Villanæ. l. 9. hist. c. 115.

Raymundus Pauchellus Cadurcensis Episcopus sese sponte abdicat Episcopatu in gratiam & fauorem nostri Arnaldi Cardinalis Diaconi, anno M. CCC. XI. & ex Antistite homo priuatus, & factus de Consule Rhetor: id effecit æs alienum conflatum, effecêre lites dissidiaque, effecit Pariagij (prouocante ad Pontificem maximum Cadurcensi Capitulo) conditio acerbior. Petrus de Larillaco Archidiaconus Catalaunensis absens anno M. CCC. XII. Clementis V. placito electus Cadurcensis, tamen noluit acceptare omninò respuens, in cuius locum suffectus Gerardus Papæ Capellanus & Rothomagensis Archidiaconus; res tota patebit literis ipsius Papæ datis ad Philippum IV. Francorum Regem.

Pauchellus abdicat se Episc. Cadurcen.

Clemens seruus seruorum Dei, & charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

Diuinæ Maiestis gratia acquiritur, si ministris eius, & ijs præcipuè, qui Pontificali præditi sunt dignitate, pro ipsius reuerentiâ condignus honor impenditur, & fauor necessarius exhibetur. Dudum siquidem D. F. Raymundo olim Cadurcensi Episcopo per D. F. M. Guillelmum de Dolis Procuratorem ipsius Raymundi habentem ab ipso ad hoc sufficiens & speciale mandatum, cedente regimine Cadurcensis Ecclesiæ, cui tunc præerat, in manibus Domini F. nostri Arnaldi sanctæ Mariæ in porticu Diaconi Cardinalis, nomine ipsius Raymundi ad Sedem Apostolicam de mandato

noſtro ſpeciali ceſſionem huiuſmodi admittentis. Nos de dilecto filio Magiſtro Petro Archidiacono Catalaunenſi licet abſente, eidem Eccleſiæ de Fratrum noſtrorum conſilio Apoſtolicâ authoritate duximus prouidendum: & cum ad ipſius Magiſtri Petri notitiam prouiſio perueniſſet, idem Magiſter Petrus certis conſiderationibus motus, ſponte renuit conſentire. Nos autem ad prouiſionem ipſius Cadurcenſis Eccleſiæ, cum nullus præter Nos hac vice de ipſius Eccleſiæ ordinatione ſe intromittere potuerit (pro eo quòd nos dudum circa promotionis noſtræ principium ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, prouiſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium, tunc apud dictam ſedem vacantium, & vacaturarum impoſterum, diſpoſitioni noſtræ & eiuſdem ſedi reſeruantes, decreuimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſcienter vel ignoranter à quouis actum foret) ne dicta Cadurcenſis Eccleſia prolixæ vacationis exponeretur incommodis, cœpimus intendere diligenter, & poſt deliberationem factam ad deputandum eidem Cadurcenſi Eccleſiæ perſonam vtilem & etiam fructuoſam, cuius induſtriâ probitatis in ſuis valeret viribus adaugeri, ac etiam defenſari, ad D. F. Hugonem electum Cadurcenſem Archidiaconum Augenſem in Eccleſia Rothomagenſi in Sacerdotali Ordine conſtitutum, Capellanum noſtrum, cui literarum ſcientiam, honeſtatem morum, & vitæ circunſpectionem & in ſpiritualibus & temporalibus, & alia multiplicia dona virtutum familiari experientiâ ſuffragari conſpicimus, quem & Tu nobis per tuas literas de præmiſſis & aliis multiplicibus probitatis meritis commendaſti, direximus aciem mentis noſtræ: quibus omnibus diligenti meditatione diſcuſſis, de perſona ipſius Hugonis, vtpote nobis & dictis fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum probati, præfatæ Cadurcenſi Eccleſiæ authoritate Apoſtolicâ de ipſorum Fratrum conſilio duximus prouidendum, eundemque Hugonem illi in Epiſcopum præfecimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Cadurcenſis Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus & temporalibus committendo firmâ ſpe fiduciáque conceptâ, quod eadem Cadurcenſis Eccleſia ſub ſuo fœlici regimine (dexterâ Domini ſibi aſſiſtente propitiâ) ſalubriter & proſperè dirigetur, & grata ſuſcipiet incrementa: quocirca Serenitatem Regiam rogamus, & hortamur attentè quatenus eundem electum ob reuerentiam Apoſtolicæ Sedis, & veſtram benignè recipiens, Te ſibi reddat in regio fauore munificum, & in cunctis opportunitatibus gratioſum: ita quod idem electus tuæ Celſitudinis fultus auxilio in commiſſâ ſibi curâ Paſtoralis officij poſſit aſſiduè Deo propitio proſperari, ac tibi exinde à Deo perennis vitæ præmium, & à nobis condigna proueniat actio gratiarum. Datum Auenione, decimo quarto Kalendas Martij, Pontificatûs noſtri anno octauo, qui erat annus Chriſti M. CCC. XII.

Porrò prædicto Raymundo datæ ſunt trecentæ libræ annui prouentus pro vitâ ſuſtentandâ. Hugo autem poſtea miſerè perijt carnificis manu, Ioannis XXII. mandato ob populi oppreſſiones, Simoniam, Luxuriam & alia, de quibus hoc libro tertio in Berengario Cardinale Tuſculano. Anno M. CCC. XI. die quartâ Iulij ad Henricum II. Auguſtum coronandum abijſſe dicitur reuerſus anno M. CCC. XIII. die ſeptimâ Octobris ex Archiuis Aue- *Penſio trecentorum libr. pro Epiſcopa.*

nionensibus, sed malè; non enim fuit Arnaldus de Pelagrua, verum Arnaldus de Falguerijs, de quo postea.

Ioan. Villan. lib. 9. hist. Flor. cap. 13.

Noster Arnaldus eodem anno sacra D. Barnabæ Apostoli pignora dono misit magno Florentinis, accepta magni fecère, & summo, vt decebat, honore honestarunt in ara sancti Ioannis Ecclesiæ Cathedralis collocantes.

Eius anima ab humani corporis ergastulo soluta est anno M. CCC. XXXV. sub Benedicto XII. Pontificatûs primo.



Anno Christi M.CCC.V.

PETRVS ARNAVLT BEARNENSIS CARDINALIS S. STEPHANI CLEMENTE V.

IN Galliæ confiniis natus est Petrus Arnaldi F. Prouinciæ Bearnææ Monachus, & Abbas sanctæ Crucis Burdegalensis Ordinis Benedictini; huic Cœnobio præclarum concessit priuilegium Guillelmus Dux Aquitaniæ, cuius lectione multa dignoscuntur ad hanc Abbatiam pertinentia. Ego Guillelmus diuinâ ordinante iustitiâ & prouidentiâ, Aquitaniæ, & Vasconiæ Dux & Comes. Notum omnibus fidelibus per hoc priuilegium nostræ authoritatis fieri volumus, quòd vir venerabilis Fulco sanctæ Crucis Abbas postulauit à nobis, vt sicut clarissimus genitor noster venerandæ memoriæ Guillelmus, qui & Goffridus vocatus est, altare sanctæ Mariæ de Solaco, cum omnibus suis appendiciis, iudicio Legatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Amato videlicet Florensium Episcopo, & Hugone Diensium Pontifice in Concilio Burdegalensi præsidentibus, Goscelino Burdegalensi Archipræsule assistente, cum multis aliis Archiepiscopis, & Episcopis, & Abbatibus, Arnaldo Abbati sanctæ Crucis iure petenti & eius successoribus concessit, ita & nos concederemus, & locum sanctæ Crucis cum loco sancti Macarij sub tutelâ & defensione nostrâ susciperemus. Cui petitioni libentissimè nostrum præbuimus assensum, & Petro Decano & Archidiacono Ecclesiæ Burdegalensis, vt totum hoc scriberet, aut scribi præciperet, sub testimonio & præcepimus & sigilli nostri impressione signari. Ego Mathildis vxor Domini Guillelmi Ducis Aquitaniæ & Comitis Guasconiæ affui, & assensum præbui. Ego Petrus Decanus sanctæ Matris Ecclesiæ Burdegalensis & Archidiaconus subscripsi. Confirma hoc Deus. Eblo Archidiaconus, Arnaldus Simonis Cantor, & multi alij Canonici S

Fulco Abbas.

Concil. Burdeg. ann. 1079.

Andreæ interfuerunt. Hugo frater Comitis Guillelmi, Arnaldus de Blancafort, Guillelmus Præpositus, Gumbaldus Austrini, & multi alij milites similiter. Actum est & concessum anno Incarnationis Dominicæ M. XCVI. octauo Kalendas Apriles, Epactâ vigesimâ tertiâ concurrente secundo, Indictione quartâ, Domino Papâ Vrbano II. & D. Amato Burdegalensi Archiepiscopo. Data per manum D. Guillelmi Comitis ante altare sancti Andreæ Fulconi Abbati, prima concessio in turri Astellari, vndecimo Kalendas Apriles.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius Presbyter Cardinalis effectus à Clemente V. anno M. CCC. V. primâ lectione tituli sancti Stephani in Cœlio monte, decimo octauo Calendas Ianuarij, anno primo Pontificatûs. Mathæus Westmonasteriensis verba facit de Petro Abbate sanctæ Crucis, & de eius promotione ad Cardinalatum, dicitque eundem fuisse præfectum Vice-cancellariæ Sedis Apostolicæ. VVestmonast. ad an. 1305

Vitam cum morte commutauit Auenione non anno Christi M. CCC. XXII. sed veriùs CCC. VI. Vnde Chronicô Fratris Bernardi Guidonis Ordinis Prædicatorum, postea Episcopi Lodeuensis in Clemente V. Petro Arnaldo Bearnensi Abbati sanctæ Crucis Burdegalensis non fuerunt anni attributi in Cardinalatu, sed obijt infra annum. Ciaco. in Clem. V. Bernard. Guido in Clem. V.



GVILLELMVS DES FORGES NOVEMPOPVLANVS CARDINALIS DIACONVS SS. COSMÆ ET DAMIANI CLEMENTE V.

Anno Christi M. CCC. V.


LVCEM vidit primam Guillelmus Cardinalis in Nouempopulaniâ à Nouempopulis dictâ, in qua sunt Vibici (quibus cincta est Burdegala) Vasates, Meduli, Brij, Ausci, Conuenæ, Bigenones, Tarbelli; harum nouem Prouinciarum dicitur Præses integerrimus Geminus anno Christi DCC. XXX. ex ichonographia marmorei sepulchri eiusdem Gemini crucē sinistrâ gestantis in ædibus B. Honorati Arelatensis. Papæ Clementi affinitate coniunctus Cardinalis Guillelmus, quem nonnulli nuncupant Arcusati, alij Rufati, vt docent monimenta Auenionensia; rectius cum Andrea Quercetano appellamus des Forges. Qui Nouempopulani. Monim. Auenion. data à Soaresio.

Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ & Damiani Lugduni creatus anno M.

ccc. v. quem postea Ioannes XXII. creauit Presbyterum Cardinalem sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris.

S. Nicolaus Tolentinas. Anno sequenti D. Nicolaus Tolentinas ex sancti Augustini Instituto migrauit in cœlum, sanctorum Confessorum catalogo ascriptus ab Eugenio IV. Pontifice, anno Virginei Partus M. CCCC. XLVI. Pontificatûs decimo sexto.

Morti Auenione succubuit Guillelmus die vigesimâ quintâ Februarij, Verbi Incarnati anno M. CCC. XI. humo mandatus apud Franciscanos.



ARNALDVS FRIGERIVS ARCHIEPISCOPVS BVRDEGALENSIS CARDINALIS S. MARCELLI CLEMENTE V.

Anno Christi M.CCC.V.

CLEMENTIS V. propinquus Arnaldus Frigerius, quem tulit Cantalupum aliàs Sanctalupum municipium in diœcesi Burdegalensi.

Archiepiscopus Burdegalensis, post Bertrandum Gouth Burdegalensem, qui euectus est ad Summum Pontificatum, Clementem V. nomine.

Presbyter Cardinalis tituli sancti Marcelli Lugduni cum aliis promotus, in prima creatione anno M. CCC. V. S.R.E. Camerarius.

Almar. Augerius in gestis Pontif. Rom. Defunctum Frigerium asserit Almaricus Biterrensis anno M. CCC. X. quo Rhodum Insulam cum aliis quinque vicinis vindicant à Turcis Equites Hospitalarij D. Ioannis Baptistæ, & ex ea Rhodiorum Equitum nomine illustres haberi cœperunt, quæ post annos ducentos & duodecim, videlicet

Rhodus Insula. anno Christi M. D. XXII. deditione capitur à Solimanno Turcâ, obsidionem sex mensium passa magno Magistro Liladamo Gallo pro aris & focis, etiam senio confecto fortiter dimicante induto loricam ferream quinquaginta dierum interuallo.



NICOLAVS FARINVLA PRIMVS E MINISTRIS REGIÆ CARDINALIS SANCTI EVSEBII CLEMENTE V. — ANNO CHRISTI M.CCC.V.

ROTHOMAGENSIS Nicolaus Farinula, aliis de Frouille; ſcutum eius cyaneum liliis aureis incerto numero, coronide aureâ notatâ, Leone emergente muricato expreſſum: nomen dedit ſacro Ordini Prædicatorũ, Theologiæ Doctor eximij nominis, vtpote præclaras animi dotes conſequutus naturâ, gratiâ, exercitio, labore. In ſuæ Prouinciæ Monaſteriis multos annos ſacras literas profeſſus non paruâ cum laude, & officio Prioris multoties functus; cum itaque concionandi gratiâ, morum ſuauitate, prudentiâ, & rerum peritiâ inſignis haberetur, ſelectus eſt à Philippo Pulchro Rege huius nominis IV. Conſiliarius, & ab exhomologeſi.

Eiuſdem Philippi Regis poſtulatione creatur Cardinalis Presbyter tituli ſancti Euſebij à Clemente V. anno M. CCC. V. primuſque omnium Cardinalium inter ſacri Palatij, Regiæque Aulæ miniſtros: alij poſtea quam-plurimi ſunt ſubſequuti maximè Regis Confeſſarij & Magni Franciæ Eleemoſynarij, vt Petrus de Alliaco, Ægidius des Champs, Ioannes Baluë, Ioannes le Veneur, Antonius Sanguin de Meudon, Iacobus Dauy du Perron, Franciſcus de la Rochefoucault, Alphonſus du Pleſſis de Richelieu. Galliæ etiam Nomophylaces, vt Stephanus de Suiſy, Petrus d'Arablay, Petrus de la Foreſt, Ioannes de Dormans, Reginaldus de Chartres, Robertus Briſſonet, Antonius du Prat, Ioannes Bertrand, Renâtus Birague. Redeamus ad Nicolaum, de quo ſic Paulus Corteſius; Nicolaus Farinula, qui quamquam primò fuiſſet in vmbratili ludo literator, ſic tamen poſtea dicendo eſt progreſſus, vt iure ſit habitus in principibus Theologorum: rituales fuiſſe libros ab eo editos dicunt, qui ſcripti ſunt priſcâ diſciplinâ rudius, propterea quòd nondum eſſet mos ſplendidior ſtatarum cæremoniarum natus. Nonnulli referunt fuiſſe in Francia Legatum Apoſtolicum. — Multi Regiæ miniſtri Cardd.

Lugduni mortalitatem exuit anno M. CCC. XXIII. Cardinalatûs decimo octauo, apud ſuos Prædicatores ſepultus.

Scripſit Sermones plurimos, vt notat Eiſengrein. Rituales libros.



Anno Christi M.CCC.V.

STEPHANVS DE SVISY FRANCIÆ CANCELLARIVS CARDINALIS CLEMENTE V.

PARISIENSEM vocat Nomenclator Cardinalium; hic non est confundendus cum antiquiore Stephano Episcopo Parisiensi *Patrepauperum*, Franciæ Nomophylace Ludouici Crassi, sepulto apud S. Victorem in subvrbiis Parisiensibus anno M. C. XL. qui curauit Ecclesiæ Parisiensi concedi ab eodem Ludouico scutum cyaneum liliis aureis incerto numero exaratum, cui additum est pedum medium aureum. Noster autem Stephanus fuit natus in municipio Suisiaco Diœcesis Laudunensis, vt patet ex epitaphio Laudunensi.

Vnde scutum Ecclesiæ Parisien.

De Suisy natus Stephanus iacet hic tumulatus,
Qui se gessit ita viuendo, quod Archileuita
Burgensis pridem, mox Cancellarius idem
Aulæ Regalis fuit, inde Cardiguenalis.
M. semel, & C. ter, V. bis, semel I. nece teter
Factus, decessit Decembri, cui requies sit.

Fuit Archidiaconus Burgensis in Ecclesiâ Morinensi, deinde Franciæ Cancellarius à Feronio omissus, antecessor Guillelmi de Nogaret à S. Felice.

Præsens aderat in Conuentu Parisiensi, dum intercessum est contra Bonifacium huius nominis VIII. anno M. CCC. II. Præside Ioanne Minio Ordinis Minorum Cardinale, Sedis Apostolicæ Legato, qui eò missus fuerat à Summo Pontifice, quòd Episcopi Galliæ Romam in ius à Bonifacio vocati non comparuissent.

Episcopi Galliæ citantur à Bonifacio.

Ostro Cardinalitio decoratus à Clemente V. Presbyter tituli S. Cyriaci in Thermis Diocletiani, die Sabbathi decimo octauo Calendas Ianuarias, anno M. CCC. V.

In criminibus Templariorum examinandis vnà cum Berengario Cardinale SS. Nerei & Achillei commissus in Galliis à Clemente Pontifice anno M. CCC. VII qui prudentiæ & experientiæ ipsius plurimum deferebat, vt ipsemet Clemens testatur in epistolâ ad Philippum Pulchrum eos accusan-

Clemens V. epist. ad Philip.

tem hæresis, auersæ libidinis, contemptæ crucis, læsæ maiestatis. Initium mali ortum à Priore Monfalconis in Tolosatum agro, & Noffo proscripto Florentino, quorum hic à Prætore Parisiensi multorum criminum reus in ergastulum fuerat coniectus; ille causâ Hæresis & vitæ sceleratæ iudicio, & sententiâ Iacobi Molæ Templariorum Magistri perpetuis carceribus addictus, postea ipse Mola cum nouem & quinquaginta Equitibus collegis captus: qui varijs affecti fuêre supplicijs. Crimina Templariorum & pœna.

Occidit Auenione, sepultus Lauduni anno M. CCC. XI. mense Decembri in Andrio sancti Ioannis Ordinis Benedictini.



ARNALDVS DE FALQVERIIS ARCHIPRÆSVL ARELATEN. CARDINALIS SABINVS CLEMENTE V.

Anno Christi M. CCC. X.

IN castro Miri-montis in Nouempopulaniâ ortum habuit Arnaldus Falquerianus. Raimundus eiusdem cognominis & loci, Episcopus Tolosanus apud sanctum Antoninum, fatis concedens anno M. CC. LXX. apud Prædicatores eiusdē ciuitatis. Præcessit Arnaldum in Pontificio Arelatensi Petrus de Ferrariis Iureconsultissimus Carolo II. Hierosolymorum & Siciliæ Regi à secretis, & Summus annuli regij Custos seu Cancellarius: edidit constitutiones regno Siciliæ & Prouinciæ vtiles Archiepiscopus Arelatensis, cui successit Galardus frater Ecclesiæ Arelatensis curam suscipiens, superstite Arnaldo: Galardi precibus motus Henricus VII. diplomate aureo cauit, ne Ecclesia Arelatensis nisi centum annorum spatio vt Romana, præscriptioni subijceret ex Saxio (cuius melle dulcior fluit oratio.) In Domino obdormiuit anno M. CCC. XXIV. Antonin. in histor. tit. 23. cap. 11. Constitutiones Siciliæ. Saxius in Pontif. Arelaten.

Episcopus Cardinalis Sabinus S. R. E. Camerarius creatus Arnaldus, Auenione anno M. CCC. X. secundâ Cardinalium creatione.

Clementis Legatus ad Henricum VII. Cæsarem pro ipsius coronatione faciendâ profectus Romam anno M. CCC. XI. quinque porrò Cardinales designarat Pontifex ad hoc munus implendum, verum lis orta inter Sabinum & Ostiensem Episcopos, qui præferretur in hoc munere: Clemens auditis vtriusque rationibus, id muneris Sabino commisit, Legationisque voluit esse principem, solumque Legati nomine insigniuit, vt ipse Imperatorem Legati pro coronatione Henrici 7

coronaret; reliquos enim quatuor Apostolicæ Sedis Nuncios vocauit, duobus excandescentibus tres in Italiam venerunt, Arnaldus iste, qui Henricum imperiali diademate insigniuit, Frater Nicolaus Ostiensis, qui eum inunxit, & Lucas Fliscus, qui vtrisque sacra operantibus astitit; de eo acta extant, & horum Cardinalium epistolæ Pisis, Auenione, Romæ, in mole Hadriani, & in Bibliothecâ Vaticanâ. Arnaldus Roberto à popularibus Comiti Prouinciæ salutato, ipsi postea apud Pedemontanos agenti copias auxiliares, & ducentas auri libras concessit.

Chartæ Eccles. A relatens.

Redux ex Italicâ peregrinatione moritur Auenione anno M. CCC. XII.



Anno Christi M.CCC.X.

RAYMVNDVS DE FARGIS CARDINALIS S. PVDENTIANÆ CLEMENTE V.

GVILLELMI de Fargis filius Raymundus, cuius mater Clementis Pontificis soror; hunc Cardinalem vocat Papyrius Massonus in Clemente Guillelmum Fargium. Raymundus de Fargis Ordinis Dominicani nominatus inuenitur hoc tempore, & Beraldus de Fargis Albiorum Episcopus anno M. CCC. XIII.

S. Pudentiana.

In numerum Patrum Purpuratorum adscriptus ab ipso Clemente V. anno M. CCC. X. Cardinalis Presbyter sanctæ Pudentianæ in Viminali. Hic titulus erat Pastoris, & est antiquior omnibus Ecclesijs Romæ, cùm D. Petrum Apostolum in eo celebrasse primùm dicitur post aduentum suum in Vrbe. Habentur in hac Ecclesiâ SS. Martyrum corpora tria millia, & puteus illorum sanguine venerandus. PP. Dominicani Pœnitentiarij pro sanctâ Mariâ Maiori hic degebant, in præsenti eas ædes incolunt Fuliantini.

SS. Martyrū tria millia corpora.

Henricus Cardinalis Caietanus, Patriciâ & Romanâ dignitate natus, multis virtutibus clarus, pro vniuersali Ecclesiâ fessus, honorificentissimè restaurauit, & mortuus tumulatur; iuxta quem collocari voluit mundi iubar Cardinalis Ratziuil Lituanus, Cracouiensis Episcopus & de Fide Catholicâ optimè meritus, etsi de Patre Hæretico natus.

Ratziuil Cardin. Patre Hæretico.

Mortuus fertur Raymundus paulò post Clementis V. obitum, dum sedes vacaret, nimirum decimâ nonâ Iulij; mense sequenti creatus est Pontifex Ioannes XXII.



BERNARDVS A GARVO CARDINALIS SANCTI EVSTACHII. CLEMENTE V. ANNO CHRISTI M CCC. X.

DIOECESIS Burdegalensis Bernardus à Garuo de sanctâ Liberatâ Summi Pontificis consobrinæ filius. Bernardum cognomine Guarinum appellat Papyrius Massonus in Clemente V.

Diaconum fecit Cardinalem S. Eustachij Clemens, anno M. CCC. X. postea Presbyterum tituli S. Clementis Ioannes XXII. Presbyteri Cardinales exordio suæ institutionis Ecclesiarum vrbis Romæ incertos habuêre titulos,& per numerum septennarium diuisi in quatuor principes Ecclesias dicati fuerunt. Atque ex his septem coram Pontifice celebrare debent,eidemque in sacrâ D. Petri æde primariâ deseruire, hi sunt D.Mariæ Transtyberim; D. Chrysogoni; D. Cæciliæ; D. Anastasiæ; D. Laurentij in Damaso, D. Marci; D. Martini in montibus; Alij verò septem, quos Pontifici ministrare,coramque eo celebrare debere diximus in D. Pauli Ecclesiâ, hi sunt D.Sabinæ, D. Priscæ, D. Balbinæ; S S. Nerei & Achillei; D. Marcelli; D.Xisti; D. Susannæ; Alij septem,qui etiam seruiunt Pontifici ex antiquo ritu,coramque eo in Ecclesiâ Patriarchali D. Mariæ Maioris celebrant (sic enim appellant) hi sunt D. Cyriaci in termis; D.Eusebij; D. Potentianæ D. Clementis; D. Marcellini; D. Petri; Basilicæ XII. Apostolorum. Septem alij, qui coram eo sacra faciunt in Ecclesiâ principali D. Laurentij extra muros,sunt D. Praxedis, D. Petri in Vinculis, D. Laurentij in Lucina,S. Crucis in Hierusalem, D. Stephani in monte Cœlio; DD. Ioannis & Pauli; DD. quatuor Coronatorum.

Bernard. Guido in Anal. Manfred. de Cardinalatu. c. 4.

In quibus Ecclesijs Presbyteri Cardd. deseruiunt.

Nostris verò temporibus Cardinales Presbyteri in quotidianis sacris non deseruiunt,sed in maioribus tantùm,& ijs,quæ à Pontifice, tam pro viuis, quam pro defunctis solemniter fiunt, ordine sibi ipsis munus hoc inuicem deferentes, interdum commutant, pro voluntate Summi Pontificis, aliquando in sequentem reijciunt.

Priuatur Bernardus vitâ Auenione,sepultus apud Minores.



ANNO CHRISTI M.CCC.X.


BERTRANDVS DES BORDES ALBIORVM EPISCOPVS CARDINALIS ALBANVS CLEMENTE V.

BERTRANDO des Bordes locus à nobis hic assignandus Albiorum Antistitianno M.CCC.IX. cuius antecessor Bernardus du Chastenier Cardinalis Ioanne XXII. Notatur inter Præsules Lectorenses Bertrandus noster, post Gerardum du Puis Cardinalem anno M.CCC.LXXXIX. defunctum, sed Bertrandus Albiensis est antiquior, vt patet.

Auenione Cardinalis Episcopus Albanus à Clemente V. lectus in secundâ Cardinalium promotione anno M.CCC.X. decimo quarto Kalendas Ianuarias, postea S. R. E. Camerarius, vno anno Cardinalis.

Almar. Aug. in gest. Pontif.

Extremum diem clausit Auenione, die duodecimâ Septembris anni M.CCC.XI. Ex Almarico Augerio Biterrensi.



ANNO CHRISTI M.CCC.X.

ARNALDVS NOVVEAV, CARDINALIS S. PRISCÆ CLEMENTE V.

PRÆCLARAM huiusce Cardinalis mentionem faciunt Annales Cistercienses, quem è præcipuâ Nouempopulaniæ nobilitate referunt pietati addictum, prudentem, scientiâ clarum, & omni cùm humanâ, tum di-

uinâ Philoſophiâ inſtructum; cuius eloquentiam & doctrinam non ſemel admiratus Clemens V. hominem cœpit amore non vulgari proſequi, imprimis Vice-cancellarium ſuum inſtituit à primo ſui Pontificatûs anno ad quinquennium.

Idem Clemens Nuncium cum Epiſcopo Pictauorum anno M. CCC. IX. in Angliam miſit ad conciliandos maioris Britanniæ Proceres cum Eduardo V. Rege. Inſuper inuigilarunt, egeruntque cum iſtius Inſulæ Principe, vt Templariorum poſſeſſiones, & annui reditus addicerentur Rhodiis militibus; Primarij viri & Regni Principes obicem poſuêre, ſicque re infectâ ſe in Curiam recepêrunt; quâ de re conſulendi Thomas VValſingamus, Nicolaus Arpsfeldius, aliique Angliæ Hiſtorici. De Templariis.

Monachus Ordinis Ciſtercienſis, Cœnobiarcha Fontis-Frigidi Narbonenſis Diœceſis. Presbyter Cardinalis à Clemente V. creatus tituli ſanctæ Priſcæ, & Cancellarius anno M. CCC. X.

Ex hac mortalitate abiit anno M. CCC. XIV. vt vult Ciaconius, quarto ſui Cardinalatûs anno; ſed ſcheda Auenionenſis miſſa Romam à Soario fidem facit defunctum eodem die, & anno, quo Bernardus Cardinalis du Chaſtenier, nimirum anno M. CCC. XVII. die decimâ quartâ Auguſti, cadauer ſequenti die illatum in tumulum.



PETRVS ARCHIMANDRITA SANCTI SEVERI CARDINALIS CLEMENTE V.

Anno Christi M. CCC. XII

MONACHVS & Archimandrita ſancti Seueri de Roſtagno Ordinis Benedictini, Tarbienſis Diœceſis; eſt alia eiuſdem nominis & Ordinis Abbatia in Diœceſi Adurenſi; circa ea tempora Ioannes Rex Armeniæ eiurans Regnum, & Leoni nepoti cedens induit habitum Diui Franciſci. Ioannes Rex Armeniæ Minorita.

Presbyter Cardinalis in tertiâ creatione, Sabbatho quatuor temporum Aduentûs, vndecimo Calendas Ianuarias, anno M. CCC. XII. quo erecta Aureliis Academia à Philippo Pulchro, quæ iiſdem pene gaudet priuilegiis, quibus Toloſana; hæ duæ Academiæ ſunt celebres iuris Cæſa- Middemburg. lib. 3. Acadd. Academia Aurel.

rei præclaris Professoribus, ad quos confluunt ex omnibus Orbis Gallici partibus adolescentes.

Ioanne XXII. morti satisfecit Petrus, viam vniuersæ carnis ingressus.



ANNO CHRISTI M.CCC.XII

MICHAEL DV BEC CARDINALIS S. STEPHANI
CLEMENTE V.

GENVS antiquum est virorum nobilium Beccensis familiæ è Neustriâ oriundorum, cuius arboris ramus Michaël du Bec à Ioanne Beccensi, & Tiphena Paon procreatus, eius frater Iordanus du Bec. Eiusdem Gentis Philippus du Bec ex Episcopo Nannetensi Archipræsul Rhemensis, qui Synodo Tridentinæ interfuit, & Rhemis animam efflauit multæ ætatis anno M. DC. VI. Ioannes du Bec Antistes Macloujensis sepultus in Abbatiâ Mortui-maris, cuius nepos Marchio de Vardes. Monumenta Ecclesiæ Parisiensis referunt nostrum Michaëlem Canonicum extitisse in eadem Cathedrali, etiam donatum Decanatu sancti Quintini.

In Cardinalem Presbyterum est electus Michaël tituli sancti Stephani in Cœlio monte à Clemente V. anno M.CCC.XII. in tertiâ Patrum promotione. Alia sunt fana plurima Romæ sancto Stephano sacra, sed non tituli Cardinalium, vt in foro Boatio, quod olim fuit Deæ Vestæ templum; in viâ Iuliâ; in Silice; etiam prope porticum Antonini Cæsaris vulgò *de Druglio*.

Fundatio in Eccles. Parisien.

Dotauit Michaël Cardinalis sacellum sancti Michaëlis Archangeli Lutetiæ in D. Deiparæ templo à latere sinistro Chori, vti apparet in vitrea fenestra eiusdem sacelli, pro cuius foribus visitur icon lapidea sancti Michaëlis, & Cardinalis nostri è regione, illicque hæc leguntur, *Michaël de Becco Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis hanc capellam fundauit in honorem Diui Michaëlis.* De aliorum Cardinalium imaginibus in eadem basilica erectis mētionem habebimus in Dionysio Cardinale de Moulins Episcopo Parisiensi.

Libro 4.

Ad aliam euolauit vitam Michaël, Sede vacante, post Clementis obitum.

Scutum Beccense in fusos incerto numero digestum argenteum & muricatum.



GVILLELMVS TESTA CARDINALIS CONDOMIENSIS CLEMENTE V.

Anno Christi M CCC. XII.

CONDOMIENSEM testatur Almaricus Augerius Diœcesis Agennensis, nondum Episcopatu Condomij constituto, quem erexit Ioannes XXII. ex Abbatiâ (vt notauimus in Ioanne Pontifice) S. Petri Ordinis Benedictini olim fundatâ ab Algasio Aquitaniæ Duce, & Isamburge matre, ac Agnete ipsius vxore. In actis Roman. Pontif.

Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis à Clemente V. effectus, demum Cardinalis Episcopus Albanus à Benedicto XII. Ex institutione primariâ Cardinales Episcopi septem tantùm habentur. Primus Ostiensis, qui propter Pontificis dicationẽ, inter Cardinales, quò ad suam primariam Ecclesiam dignior censebatur, itáque etiam digniori vtebatur pallio; alij sunt Portuensis, S. Ruffinæ, Sabinus, Albanensis & Tusculanus, qui primi sunt Romani Pontificis assessores in festis maioribus, & in sacris peragendis ipsius vicem gerunt Metropolitani. Vt Episcopi vicem Pontificis gerentes tam in Ecclesiâ Lateranensi quàm alibi, debent statis diebus anni coram Pontifice solemnia sacra peragere. Verumiampridem introductum est, vt Prior Episcoporum Cardinalium cùm duobus ex senioribus id muneris obiret. Sacris missarum solemnijs ritè peractis proceditur ad coronationem. Pontifex assumptis chirothecis, & annulis cum omnibus paramentis suis: in quibus celebrauerat, & cum Cardinalibus, Prælatis & Officialibus omnibus, vt in missâ paratis: procedit ad suggestum supra gradus Basilicæ Apostolorum Principis bellissimè apparatum & ornatum, ibique in sede eminenti sibi paratâ sedet: & cum omnes Prælati conuenerint, & populus in aream ex Basilicâ exierit, Diaconus à sinistris deponit mitram consuetam è capite Pontificis, & Diaconus à dextris tiaram, quod *Regnum* appellant triplici coronâ ornatum Pontificis capiti imponit, populo acclamante Kyrie eleison. Et Diaconus à dextris Latinè, alter à sinistris vulgariter plenarias publicant indulgentias. Tum paratur solennis processio ad Lateranum.

Septem Cardd. Episcopi.

Marcel. l. Cæremon. Rom. Eccl.

Coronatio Pontificis.

Excessit è viuis anno M. C C C. X L V. Auenione.



ANNO CHRISTI M CCC.XII.

ARNALDVS D'AVX EPISCOPVS PICTAVIENSIS
CARDINALIS SABINVS CLEMENTE V.

NOBILIS Nouempopulanus in pago d'Aux in lucem editus (vnde nomen suum est sortitus) in Diœcesi Condomiensi, sub Archipræsule Burdegalensi.

Præsul Pictauiensis, quo Cathedram tenente Maleacensis & Lucionensis Episcopatus noui eriguntur à Ioanne XXII. qui à Pictauiensi illos segregauit; Vrbem Pictauorum ingreditur septimo Maij, anno M.CCC.VII. Nepotem habuit Fortium d'Aux in hac Pictauij Cathedrâ successorem. Primus huiusce Sedis Episcopus memoratur S. Victorinus: cuius festus dies celebratur 11. die Nouembris: eiusdem Cathedræ sanctissimus Antistes Hilarius Arrianorum malleus, quem S. Paulinus vocat Latinæ eloquentiæ Rhodanum, Pictauij genitum, de quo sic D. Hieronymus, Ecclesiæ Catholicæ aduersus Hæreticos acerrimum defensorem venerandum quis ignorat Hilarium Episcopum Gallum? Viro omni commendatione maiori Pictauorum Patrono epitaphium hocce datum.

Paulin. ep. 13. S.Hier. ep.3 ad Lætam. De S. Hilario.

Hilarius cubat hac Pictauus Episcopus vrnâ,
Defensor nostræ terrificus Fidei.
Istius aspectum serpentes ferre nequibant:
Nescio quæ in vultu spicula sanctus habet.

Legatus in Angliam cum Arnaldo Noualeau Cardinale S. Priscæ à Clemente V. missus ad conciliandos animos Eduardi V. Regis, & Angliæ Procerum; at incassum laborauit, teste Thomâ VValsingamo. Habita Synodus anno Virginei partus M. CCC. XXVII. in illius Diœcesi Pictauiensi, inquit Papyrius Massonus.

Clem. Pontif. ep.34. VValsing. hist. Anglic.

In Ecclesiâ de Romano Condomiensi Canonicorum instituit Collegium, insigne pietatis opus, & ære perennius.

Cardinalis Episcopus Sabinus instituitur à Clemente V. anno M.CCC.XII.

Extremum vitæ spiritum exhalauit Auenione, duodecimo Septembris, anno M. CCC. XVII. Ioanne XXII. corpusque delatum in ædem sacram S. Petro de Romano Condomiensi.



GVILLELMVS GODIN DOMINICANVS BAIONENSIS CARDINALIS SANCTÆ CÆCILIÆ CLEMENTE V.

Anno Christi M.CCC. XII.

DOCTOR Theologus Parisiensis Academiæ Magister Guillelmus modicæ & deformis staturæ, sed ingenij admirandi, cuius parens Petrus Godin Baionensis.

Celeberrimo Prædicatorum Ordini nomen dedit in Conuentu Baionensi, plures annos illic degit, ex Prouinciali Tolosano factus Summi Palatij Lector; in eo vixit Ordine omnibus gratissimus, habebaturque in ore omnium magnus Ordinis Prædicatorum parens, vt pote de illo optimè meritus Cœnobia quinque Diuo Dominico sacra exædificauit. Sacrarum Litterarum Lutetiæ fuit non vulgaris interpres.

Plura cœnobia ædificat.

Asseritur à nonnullis Tolosanus Archiepiscopus, diciturque, successorem obtinuisse Stephanum Abbatem Cellensem: hoc sedēte Vrbani V. iussu sacrum D. Thomæ Aquinatis Doctorum Coriphæi è Monasterio Fossæ nouæ Regni Neapolitani corpus allatum Tolosam, verum non permittit Chronologia Godinum fuisse Tolosanum Archipræsulem, cùm Raymundus Cardinalis Conuenarum (de quo postea) fuerit primus eius vrbis Archiepiscopus, quem sequuti sunt Dominicus de Vayrolis, Guillelmus de Lauduno Ordinis Prædicatorum, Stephanus Abbas Cellensis. Presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ gratiâ Clementis V. anno M.CCC. XII. postea Episcopus Sabinus à Ioanne XXII.

De Legatione in Hispaniam M.CCC.XXI. mandato Ioannis Summi Pontificis, ita Historicus Rerum Hispanarum Mariana. Guillelmus Cardinalis Sabinus Episcopus à Romano Pontifice in Castellam legatur, si eius diligentiâ, Pontificiâ auctoritate malis, quæ vniuersam Prouinciam occupabant, finis imponeretur. Eo auctore, Palentiam Regni Conuentus indicti: Alphonso Infanti administratiô Regni attributa, Proceres, qui tutorum nomine omnia miscebant, ablegati, summaque rerum Regi ipsi commissa. Habuit insignem Prælatorum Hispaniæ Synodum coactam Vallisoleti anno M.CCC.XXII. quarto Nonas Augusti, in quâ permulta & præclara ad Cleri mores reformandos, præsertim contra concubinarios Ecele-

Marian. l. 15. c. 18.

Synodus Vallisoletana.

ſiaſticos decreta fuēre. In eo numero anathemate vinciuntur, qui carnibus Quadrageſimæ aut quatuor temporum diebus veſcentur: quique in ijs publicè vendiderint carnes. A noſtra Religione alieni ne templis, dum res diuina peragitur, interſint præſcribitur; ijs tamen, ſi noſtra ſacra ſuſceperint, ſacri Ordines, & Sacerdotia, vnde inopiam tolerent, non denegantur. Purgatio vulgaris reprobatur, quâ Hiſpani vulgo vtebantur.

Maria Regina piiſſima moritur.

Eodem anno Valiſſoleti morte extincta Maria Regina mulier pientiſſima trium Regum ætate, reipublicæ præſidium, Caſtellæ columen. Olgarum cœnobium in eo oppido eſt eius impenſâ inſtauratum exſtructumque, vbi funus eius illatum; duo alia Monaſteria Burgij vnûm, Tauri alterum conſtituta.

Tres Eccleſias miræ pulchritudinis conſtruxit Guillelmus ſuis Patribus Dominicanis, vnam in Monaſterio Auenionenſi, alteram in Conuentu Toloſano, tertiam in Monaſterio Baionenſi.

Iura naturæ perſoluit Auenione, pridie Idus Iunij anno M.CCC.XXXVI. Cardinalatûs vigeſimo quarto, corpus Toloſam delatum in Cœnobium Dominicanorum ad læuam aræ maioris marmoreo tumulo ſepelitur cum hoc epitaphio.

Dominus Frater Guillelmus Godinus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis.

Quare corrigendus Antonius Senenſis Luſitanus & Dominicanus, qui in Chronico Prædicatorum aſſerit Montis-peſſulli tumulatum in Dominicanorum Conuentu; eum vocitans Barbadenſem, & Godinum.

Librum edidit in lucem, quo iura omnia & conceſſiones, ac priuilegia Romanæ Eccleſiæ conceſſa, & ab eadem alijs collata continentur.

De nuptijs Chriſti Domini & Eccleſiæ.

Sermones multos.



Anno Christi M.CCC.XII.

ARNALDVS CARDINALIS ALBANVS
CLEMENTE V.

MVLTI hoc Arnaldi nomine donantur Cardinales Arnaldus de Cantalupo, Arnaldus de Pelagrua, Arnaldus de Falguerijs, Arnaldus

Noueau, Arnaldus de Auxio, Arnaldus Cardinalis Albanus; hi sexà Clemente V. promoti ad Cardinalatum, & diuersi. Recensetur à nonnullis Archipræsul Aquensis Arnaldus Albanus, sed quâ veritate fulciantur, non reperio; etenim lego Arnaldum de Pireto electum Archiepiscopum Aquarum-sextiarum, sed anno M.CCC.XXXI. nostro Arnaldo vitâ functo, quod euenit M.CCC.XVI. Ille autem interfuit Synodo Prouinciali in æde sancti Rufi in Auenionensium agris anno M. CCC. XXXVII. die Decembris tertiâ, Gasberto de Valle Archipræsule Arelatensi Præside; videtur itaque Arnaldus noster dicendus Episcopus Aquarum-augustarum ad flumen Atyrum sub Archipræsulatu Auxitano in Nouempopulaniâ ab aquis Aquitaniæ nomen consequuta. Monimenta Auenionensia vnicum commemorant Arnaldum, eumque Pictauiensem Antistitem; sed è tribus, quas Clemens egit, Cardinalium promotionibus, vnius tantummodo mentionem faciunt, videlicet vltimæ, in qua reponunt nonnullos in diuersis lectionibus lectos Cardinales. Synodus Auenionen.

Episcopus Aquensis: huius Episcopatûs Præsulum decurtata admodum nomenclatura apud Claudium Robertum amicum nostrum, Arnaldusque ab eo prætermissus.

Episcopum Albanum inter Cardinales reposuit Clemens V. anno M. CCC. XII. Sabbatho quatuor temporum Aduentûs.

Defunctus est Ioanne XXII. Auenione anno M. CCC.XVI.



GVILLELMVS DE MANDAGOT PRÆSVL AVENIONENSIS CARDINALIS PRÆNESTINVS CLEMENTE V. Anno Christi M.CCC.XII

DYNASTA loci de Monte-Petroso in Diœcesi Lodeuensi; alter Guillelmus de Mandagoto anno M.CC.LVI. In iure Pontificio & Cæsareo noster apprimè versatus Guillelmus natalibus clarus, & popularis Lodeuensis. Præpositus Ecclesiæ Tolosanæ Ordinis D. Augustini, Nemausensis Archidiaconus, Patruus Guillelmi primò Vticensis, deinde Lodeuensis LIX. Episcopi, & Roberti Massiliensium Antistitis anno M. CCC. XLV.

Notarius Nicolai Pontificis hoc nomine IV. anno M. CC. XC. Bonifacij VIII. Capellanus, qui eum plurimum iuuit in sextâ Decretalium editione

cum duobus aliis suis collegis. Ecclesiasticæ libertatis propugnator acerrimus.

Auenionensis Antistes anno M. CCC. X. cessit Episcopatum Iacobo Deüsa (qui Summum obtinuit postea Pontificatum Ioannes XXII.) cum ad Ebredunensem Archipræsulatum transferretur Guillelmus. In Cardinalium Collegio numeratur Episcopus Prænestinus à Clemente V. anno M. CCC. XII. Excessit Auenione Ioanne X X I I. Christi anno M. CCC. XXIV. huius meminit Abbas Trithemius.

Scripsit super legum disciplinâ plura opuscula, inter quæ vnum ad Berengarium Biterrensem Succentorem, postea Cardinalem.

Alterum de electione Prælatorum; hic liber in Bibliotheca sancti Geminiani in Hetruriâ seruatur hoc titulo prænotatus. M. Guillelmi de Mandagoto Archidiaconi Nemausensis Domini Papæ Capellani, liber de electionibus Prælatorum, ad Magistrum suum Dominum Berengarium Fredolle Succentorem Ecclesiæ Biterrensis, Domini Papæ Capellanum, & Doctorem Decretorum.



Anno Christi M.CCC.XII

VITALIS DV FOVR FRANCISCANVS CARDINALIS VASATENSIS CLEMENTE V.

ORDINIS Minorum Doctor Theologus F. Vitalis du Four Vasatensis, Prouinciæ Aquitanicæ Minister. In eo Ordine lis mota & quæstio inter Prædicatores & Minores (quorum Antesignani Michael Cesenas Generalis, & Guillelmus Occham) apud Ioannem X X I I. Summum Pontificem de Christi, & Apostolorum paupertate; cùm eo Schismate Ordo diuisus collaberetur, Fr. Vitalis & Fr. Bertrandus Cardinales Franciscani curam & prouinciam tuendi Ordinis suscepêre, anno M. CCC. X X I I I. & in pristinum statum restituêre.

Lucas VVadd. to.3. Ann. min.

Hinc definitio Ioannis X X I I. de quâ supra actum libro primo in Ioanne Pontifice, cuius tempestate Frater Ioannes de Serinano (aliis Strincius) Diœcesis Biterrensis, Ordinis Minorum promulgans articulos errorem, & Hæresim variam continentes, (inde secta orta est Beguinarum seu pauperum è tertio Ordine sancti Francisci) condemnatus à Ioanne Pontifice anno M. CCC. XXV. sexto Idus Februarias in Consistorio Cardinalium.

Bernard. Guido in Ioann. & Bzouius eod. anno

Aliquot post annos iussu Innocentij VI. duo Fratres Minores Montispessuli capti, malè sentientes de proprio, & paupertate contra Ioannis XXII. constitutionem Auenione flammis deuoti. *Prend. Berra d. Guidon. in Innoc. VI.*

Presbyter Cardinalis SS. Syluestri & Martini in Montibus tituli Equitij creatus à Clemente V. deinde Episcopus Albanus à Ioanne XXII. est effectus anno M. CCC. XII. in Aduentu Dominico: successit in eâ dignitate & titulo Gentili de Monteflorum Cardinali Minoritæ, qui vitâ functus eodem anno Auenione; corpus vero in Italiam delatum, Assisij in Diui Francisci Basilicâ, & sacello SS. Ludouico & Martino Sacro à se condito tumulatum. In eâdem vrbe Auenionensi, anno sequenti, vt tradit Marianus, extremum diem obijt alter Cardinalis eiusdem Ordinis sancti Francisci Ioannes à Muro Episcopus Portuensis sepultus apud Minores Auenionenses, cum Clemens Pontifex tertio Idus Februarij anno præcedenti ei concessisset testandi facultatem.

Interfuit sexto Idus Nouembris anno M. CCC. XVIII. translationi corporis sancti Ludouici Episcopi in Ecclesiâ Massiliensi Fratrum Minorum, à medio choriloco, in quo iacuerat, ad thecam argenteam affabrè elaboratam in arâ principe collocandam. *Petr. Natal. lib. 7. cap. 77.*

Extremum vitæ spiritum exhalauit Auenione anno M. CCC. XXVII. ibidem apud Franciscanos tumulatus cum hac epigraphe.

Hic iacet Reuerendus in Christo Dominus Fr. Vitalis Ordinis Minorum bonæ memoriæ Episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis, qui obijt die decimâ sextâ mensis Augusti anno Dominicæ Incarnationis M. CCC. XXVII. *cuius anima requiescat in pace.*

Scripsit concionatorios commentarios anniuersariâ notatione, ex quâ præcipuè optima concionandi ratio in Quadragesima eruitur, ad reformandos Aulicorum mores, præsertim Ministrorum Curiæ Romanæ.

Postillam in Apocalypsim.
De paupertate Christi & Apostolorum.
In Prouerbia Salomonis.
In Euangelia libros quatuor.
Quodlibeta.
De tuendâ sanitate & remediis morborum.
In quartum Sententiarum opus nondum excusum, quod in Bibliothecâ Vaticanâ asseruatur.
Sermones multos.
Speculum morale totius sacræ scripturæ, in quo vniuersa ferè loca, & figuræ veteris & noui Testamenti mysticè explanantur.



Anno Christi M.CCC.XVI

BERTRANDVS DE POYET CARDINALIS OSTIENSIS. IOANNE XXII.

IOANNIS XXII. filium à quibuſdam maleuolis & maledicis habitum abſque veritatis titulo refert Petrarcha, cum ait dictum à nonnullis hunc fuiſſe filium Ioannis; at id falſiſſimum eſſe certo certius eſt, fuit enim Papæ ſororis filius Cadurcenſis, quem Ciaconius vocat de Podieto, & Bzouius Abbatem de Porto.

Petrarch. epiſt. 19.

Cardinalatum conſequutus Presbyter tituli ſancti Marcelli anno M.CCC.XVI. cui deinde collatus eſt Oſtienſis, & Veliternus Epiſcopatus.

Auditâ à Ioanne XXII. Ateſtinorum & Ferrarienſium rebellione Legatus ſummâ cum poteſtate in Italiam anno M.CCC.XVII. mittitur ſtipatus multis Equitibus Ciſalpinis, vt armis & cenſurâ Eccleſiaſticâ illos ad pacem cōpellat. Galliç Ciſalpinæ, Piceno, Romandiolæ, & Bononiæ annorum ſexdecim inter capedine præfuit. Accuſatur ipſe Bertrandus proditionis partium Pontificiarum, quòd Ludouicum Bauarum Romam petentem, & in Hetruriam penetrantem potuerit viâ Lunenſi tribus Equitum millibus, quos ducebat, potuerit inquam in anguſtiis Alpium opprimere, verum Legatus non valuit militem cogere, qui conquerebatur de non perſoluto ſtipendio.

Gibellini & Guelphi.

Occaſione porrò Legationis iſtius, cōtrouerſia Genuæ orta inter Gibellinos cauſam Imperatoris tuentes, & Guelphos ſtantes à partibus Summi Pontificis; atq; cum Guelphi à ciuitate Genuenſi, & Ligurum ditione amandaſſent Gibellinorum turmas, & tradidiſſent Pontifici, & Roberto Siciliæ Regi Genuam in decennium; Gibellini confugiunt ad Maphæum Mediolani Vice-comitem, qui præſto ipſis fuit, & comparato exercitu Genuenſes adit; excommunicationis fulmine percellitur Maphæus. Interim noſter Bertrandus inuigilat, ne quid detrimenti patiatur Genua, adeſtque in auxilium Pontificis Philippus Valeſius Francorum Regis fratris filius (quem ferunt pecuniâ à Maphæo acceptâ in Gallias redijſſe) qui non diu in Italiâ militauit, quo diſcedente Bertrandus ſolus præeſt exercitui, donec Raymundus Cordonius nobilis Hiſpanus adueniat. Legatus vbique mandat crucem prædicari in Gibellinos excommunicatione ictos, & mandata Pon-

tificis

tificis obseruare detrectantes; moritur Vice-comes, cuius præsidia militum expelluntur Placentiâ à Virgilio Laudo Placentino ciue primario, Genua autem traditur Pontifici & Legato Bertrando, remansitque arx tutissima in Mediolanenses Vice-comites, quorum copiæ profligantur, Dortonâ & Alexandriâ deditis, horum mentionem instituit Ioannes Villanæus. Nec modò nouum est Genuensibus partes sectari Gibellinorum, verum etiam ante aliquot annos, puta anno M. CC. XCVII. Bonifacius VIII. de more cineres die cinerum capiti imponens, accedenti eos accepturo Iacobo de Voragine Episcopo Genuensi dixit. Memento homo, quia Gibellinus es, & cum tuis Gibellinis in cineres & nihilum reuerteris, & redigeris, cineres in oculos conijciens, vt pote Ecclesiæ hosti. Villan.l. 9. Cineres coniecti. in oculos Gibellini. Blondus l. 9 Decade 1.

Prima excommunicationis sententia lata Auenione, in Maphæum Vicecomitem à Ioanne Pontifice, anno quinto Pontificatûs, & reparatæ salutis M. CCC. XXI. decimo Calendas Martij. Secunda sententia pronunciatur ob detrimenta Ecclesiæ illata. Tertia propter facinora: has censuras refert Bzouius integras anno M. CCC. XXII. Super his censuris scripsit literas Maphæus ad Bertrandum Legatum, missas postea Pontifici. Ioannes dedit epistolam Bertrando Legato anno M. CCC. XXII. vt Scalmum Veronensem titulo Vicarij, quem vacante Imperio vsurparat, sese abdicantem audiret, & quibus pactis & conditionibus id muneris & dignitatis Veronensibus authoritate Pontificiâ transferret. Anno M. CCC. XXVI. Parmenses & Bononienses se dedunt Legato, qui arcem ad portam Galeriæ condidit. Bzouius ad an. 1322 Ioan. ep. 74. Sigon. l. 3. de Episc. Bonon.

Comitia Generalia quadragesimi secundi Capituli Ordinis Minorum Bononiæ celebrantur vigesimo secundo Maij anno M. CCC. XXVIII. quibus non interest Michael Cesenas Generalis Auenione detentus: Protectorem Capituli designauit Pontifex Bertrãdum Legatum Cardinalem Ostiensem (non verò Bertrandum à Turri Cardinalem Minoritam, vt putauit doctissimus Waddingus ad annum eundem; hic enim Cardinalis fuit Tusculanus) missis ad eum his literis. Capitulum Minorum.

Dilecto filio Bertrando electo Ostiensi Apostolicæ Sedis Legato salutem.

Cum ex eo, quòd dilecti filij Michaelis Ordinis Fratrum Minorum Generalis Ministri præsentia nobis existat pro certis negotiis opportuna, idem Minister in Generali Ordinis Capitulo Bononiæ in instanti festo Pentecostes, dante Domino, celebrando personaliter nequeat interesse, Nosque intensis desideriis affectemus, quòd dictum Capitulum ad Dei laudem, & Ecclesiæ sanctæ suæ prædictique honorem Ordinis, & statum prosperum celebretur, Fraternitati tuæ, de quâ fiduciam in Domino gerimus specialem, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus illis, quos præfatus Minister iuxta sui constitutiones Ordinis Vicarios ordinabit, aut per easdem constitutiones extiterint ordinati, vt præmissa promptius exequi valeant, assistas vice nostrâ, fauoribus & auxiliis opportunis, eisdem in virtute sanctæ Obedientiæ districtius iniungendo, vt, fauore prorsus & odio relegatis, prædicta studiis vigilantibus exequantur. Quòd si forsitan ipsos senseris indispositos ad eadem, ipsis adiungendo alium, vel alios seu etiam subrogando, sic cures sedulò super his prouidere, quod dictum Capitulum ad laudem diuini nominis, & Ecclesiæ san-

ctæ Dei ac dicti Ordinis honorem, & commodum celebretur, super quibus hominibus, & ea tangentibus tibi plenam & liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem. Contradictores quoslibet & rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo, non obstantibus quibuscunque priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis eidem Ordini, aut personis ipsius generaliter vel specialiter sub quacunque formâ, vel explicatione verborum ab Apostolica Sede concessis, etiamsi de illis esset in præsentibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio facienda, quæ quoad hoc nulli suffragari volumus, aut si eis, vel aliquibus eorum communiter, vel diuisim ab eadem sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Auenione Kalendis Maij anno XII.

Sig. n.li. de Episc. Bonon. — Paulò ante Ioannis Pontificis obitum Bononiâ à Thadæo Pepulo Bononiensi pulsus Bertrandus, à Florentinis summo honore, non aliter ac Summus Pontifex afficitur, prodeunte Clero obuiam cruces deferente; eius absentia confœderatis Italiæ Principibus præbuit occasionem, vt oppida vnicuique destinata, quemadmodum erat pactum inter eos, partirentur. Mutina Atestinis; Parma Scaligeris; Bergomum, Cremona, & Verona Vicecomiti; Regium-lepidi Ludouico Gonsagæ; Luca Florentinis cessit. Hæc omnia nutu & ductu Ludouici Bauari agebantur. (Villaneus lib. 5. hist. Florent. cap. 17.)

Subscripsit cum Clemente VI. priuilegio dato Monialibus sancti Francisci anno M. CCC. XLVIII. secundo Calendas Maij.

E viuis eripitur Bertrandus Auenione anno M. CCC. XLVIII. sepultus apud Minores.



ANNO CHRISTI [.]CCC.XVI

GAVCELINVS DEVSA S. R. E. CANCELLARIVS CARDINALIS SS. MARCELLINI ET PETRI IOANNE XXII.

NEPOS Ioannis Summi Pontificis ex fratre Gaucelinus Deüsa, Cadurcensis, quem Annales Belgici Iosselinum vocitant.

Sanctorum Marcellini & Petri Cardinalis Presbyter à patruo creatus,

dum primâ creatione Purpuratos Patres legeret anno M. CCC. XVI.

In Belgium anno sequenti Gaucelinus legatur ad Belgas cum Philippo Longo Rege Gallorum conciliandos, quod non multùm ex animi sententia egit; Tornacum aduenerat, & Guidoni Episcopo negotium commiserat, vt Flandros colloquij gratia Tornacum aduocaret. Is porrò Stephanum de Neriaco, & Guillelmum de Gandauo duos Minoritas, cum Petro Paludano Ordinis Prædicatorum, ad Robertum Betunensem Comitem Flandriæ ire iussit, quos quidem Fratres in custodiam duci Robertus imperauit, pacem, cuius causâ venerant, aspernatus: eâ re commotus Legatus auctoritate, quâ pollebat, in Robertum censuras publicauit. Prorogata Legatio anno M. CCC. XIX. pro pace dandâ Regi Galliarum, & Roberto Flandro. Belgæ Insulis oppido Gallos eiecêre: Legatus Tornacum eo accepto à Rege nuncio conuolauit. Ob violatas inducias à Flandris, Gandauenses à partibus Legati steterunt, partim minis & fulmine Ecclesiastico perterriti. Robertus pollicetur se iturum Parisios ad Regem. Sed cum dies, inquit Gaguinus, conuentionis successisset: per nuncios excusatum se facere falsis argumentis conatus est. Instante tamen Legato anno salutis M. CCC. XX. Robertus & Flamingorum Procuratores in Philippi verba iurauerunt: sed de pacis conditionibus cum ad constitutum diem ageretur: firmare conuenta Comes recusauit, nisi tria sibi oppida Insulam, Bethuniam & Duacum, quæ Rex occupabat, redderent: quæ & ipse Enguerranus Matiagnianus Philippi Pulchri olim negotiorum gestor, Regio nomine facere promisisset. Nam inter pacis leges, quæ illo tempore dictæ erant: adiectum extitit Flandriæ Comitem debere Regi duodecim millia librarum annui preuentus infra Franciæ regnum constituere. Mayerus ad annum 1317. Guaguin. l. 7. in Philip. Lógo.


Cancellarius Sedis Apostolicæ, idemque demum Episcopus Albanus inauguratus. Meminit Gaucelini Episcopi Albanensis Clemens VI. Pontifex in epistola, quam scripsit Arnaldo Minoritæ Episcopo Ortosensi pro electione ipsius in Præsulem. Datum apud Villam-nouam Auenionensis Diœcesis, quarto Nonas Iulij anno Pontificatûs quarto.

A Summo Pontifice in Galliam, & Britanniam vnâ cum Luca Cardinale missus ad pacem procurandam inter Galliarum & Britanniæ Monarchas mutuis odiis dissentientes, & bello ferali digladiantes.

In Angliâ Legati Cardinales censum Romanæ Ecclesiæ, etiam in Hiberniæ Regno debitum exegerunt, & Robertum Scotum, quòd pactis non stetisset, & arma in Eduardum Angliæ Regem mouisset, anathemate percusserunt, atque vniuersæ Scotiæ sacris interdixerunt: secuta est Ecclesiasticæ censuræ contemptores diuina vindicta; Eduardus enim Roberti filius vnâ cum viginti nouem Scotis primoribus in prœlio interceptus, capitis imminutione interiit in Dondalkiana arce.

Mortuo Ioanne Marrochitano Præsule, ej genti Alphonsum Bonhomium Ordinis Dominicani Religiosum Antistitem à Gaucelino Cardinale Episcopo Albanensi consecratum Clemens præfecit. Bzouius ad annum 1345.

Subscripsit cum Clemente Pontifice & decem Cardinalibus priuilegio concesso Abbatissæ & Monasterio misericordiæ B. Mariæ Virginis de Deneyo Elien. diœcesis anno M. CCC. XLVIII. Moritur Auenione an. M. CCC. XLIX.



ANNO CHRISTI M.CCC.XVI

GVILLELMVS DE TRIA ARCHIEPISCOPVS RHEMENSIS CARDINALIS IOANNE XXII.

DVo præcesſêre huiuſce nominis Guillelmum de Tria in Archiepiſcopatu Rhemenſi, qui à Regio ſanguine ortum duxit, vtpote Philippi Valeſij auunculus, quem anno M. CCC. XXVIII. quarto Calendas Iunij die Sanctiſſimæ Triadi ſacro coronauit in Baſilicâ Metropolitanâ Rhemenſi. Claudius Robertus in ſuâ Galliâ Chriſtianâ refert fuiſſe Baiocarum Antiſtitem, quem tamen non recenſet in Baiocenſium Epiſcoporum catalogo.

In Catalo. Rhem. Archiepiſc.

Vnum & eundem cum Guillelmo Teſta Cardinale, de quo ſupra actum eſt, opinatus Ferdinandus Vghellus Ciſtercienſis, verum differre clarum eſt, ſi natale ſolum, mortis annus & ſepultura videatur. Purpuram accepit à Ioanne XXII. in primâ creatione anno M. CCC. XVI.

Extremũ diem obiit in vigiliâ D. Archãgeli Michaelis anno M. CCC. XXXIV. iacet in Eccleſia Rhemenſi ante aram D. Mariæ Magdalenes ſeu ſanctæ Crucis celebratur obitus XXIV. Septemb. Eius ſcutũ Eccleſiæ Rhemenſis.



ANNO CHRISTI M.CCC.XVI

GALLARDVS DE LA MOTTE PRESSAGE EPISCOPVS TOLOSAS VLTIMVS CARDINALIS S. LVCIÆ IOANNE XXII.

BVRDEGALENSIS Clementis V. Nepos ex ſorore Gallardus de la Motte Preſſage. Eodem æuo Gallardus Archiepiſcopus Arelatenſis.

Apostolicæ Sedis Protonotarius Diaconusque Cardinalis S. Luciæ in Silice lectus à Ioanne XXII. anno M. CCC. XVI. die decimâ sextâ Kalendas Ianuarij.

Eo ipso anno moritur Ludouicus Hutinus huius nominis X. Rex Franciæ mense Iunij, & quidem alterô Regni sui anno, relictâ Clementia filiâ Regis Hungariæ grauidâ, vnde natus Ioannes octo tantum dies vixit: Longus Hutini frater & ventris procurationem & infantis tutelam gessit Senatus-consulto vt propinquior. Mortuo Pupillo Ioanne reliqua erat Hutini soboles Ioanna ex Margaretâ Roberti Burgundiæ Ducis filiâ procreata. Huic puellæ iure & paterno & fraterno deberi Regnum prædicabat Odo Burgundiæ Dux, eius auunculus. Cæteri Francorum Proceres defendebant ius Regni Franciæ virorum tantùm, non etiam mulierum esse: Legis Salicæ verba hæc identidem recitantes: *in terram Salicam mulieres ne succedant.* Terram Salicam, Regnum, Franciamque esse interpretabantur. Salios Francorum gentem fuisse Ammianus Marcellinus refert, Iuliani Augusti, qui res in Galliâ gessit, comes, ac suorum temporum scriptor. Lex Salica. Marcel. l. 17.

Præsul Vasatensis postea Episcopus Tolosanus vltimus Petri Cardinalis de Chapelle Taillefer successor; nam Tolosanus Episcopatus paulò post in Archipræsulatum est erectus, vt in Ioanne Cardinale Conuenarum notabimus, qui primus fuit Archipræsul Tolosatum. Sedem Regiensem oblatam acceptare noluit, teste Almarico Biterrensi. Nicolaus Rauennæ Archiepiscopus questus apud Clementem, quòd Opizo Estensis Ferrariæ Vicarius Argentam Ecclesiæ suæ Rauennatis oppidū occuparet, proinde sibi restitueret; Pontifex Gaucelino Episcopo Albanensi, Bertrando tituli sancti Marci, Stephano tit. SS. Ioannis & Pauli (qui pòst Innocentius fuit VI.) Sacerdotibus, & Gallardo S. Luciæ in Silice Diacono Cardinalibus præcepit, vt de concordiâ inter partes agerent. Almaric. in actis Pontif. Rom.

Die Dominicâ infra Natalis Domini Octauam, quarto Kalendas Ianuarij anno M. CCC. LII. Innocentius VI. Pontifex in Ecclesiâ primariâ Auenionensi, quæ Deiparæ Mariæ de donis est sacra, à Gallardo Archidiacono, seu Diaconorum Cardinalium Priore coronationis insignia suscepit.

Monumentum Clementis V. magnificentissimum exædificari curâuit Gallardus de la Motte, vt ex verbis supremarum eius tabularum constat. Volo & ordino, executoresque meos attentè rogo, vt tumulus, quem ad sepeliendum corpus felicis recordationis Clementis Papæ V. auunculi mei fabricare feci in Ecclesiâ B. Mariæ de Vsesta Diœcesis Vasatensis, compleatur & absoluatur stipendijs meis, prout eisdem executoribus aut vni ex ipsis videbitur faciendum.

Proh dolor! hoc maximi pretij sepulchrum ab impijs Caluinianæ sectæ professoribus dirutum, cuius rei mentionem fecimus in Clemente V. Lib. 1.

Viuere desijt anno M. CCC. LVII. sepultus in vrbe Vasatum (quam arenosam vocat Ausonius) in Diui Ioannis templo, quod à Caluinianis funditus est dirutum, anno M. D. LXXVII.

eiusdem Ordinis Mariano Florentino Chronicorum Ordinis Seraphici auctore. Multùm laboris impendit cum Vitale du Four Cardinale Minoritâ (de quo supra) pro Ordine contra nonnullos Fratres de Christi paupertate malè sentientes à Ioanne Pontifice damnatos.

Protonotarius Apostolicæ Sedis, & Diaconus S. Mariæ in Aquiro, anno M.CCC.XVI. rubeum pileum accepit dante Ioanne XXII.

Lutetiæ congregatio totius Ordinis Minorum celebratur in festo Pentecostes, die Iunij vndecimâ, anno M.CCC. XXIX. Præside Bertrando Cardinale, qui vnà cum Academiâ Parisiensi declarat impias Cesenatis Minoritarum hactenus Generalis in Ioannem Pontificem criminationes, & iure non iniuriâ ab eo depositum Cesenatem; in cuius locum electus est Gerardus Odonis professus in Aquitaniâ, Doctor Parisiensis. Controuersia de Christi paupertate his Comitijs planè terminata, & quæstionis cardo reductus ad concordiam Decretali Nicolai III. & decisione Capituli Perusini, cum Ioannis Pontificis Decretalibus de hac quæstione editis. Criminationes contra Ioan. XXII.

A Benedicto XII. in Gallias Legatus anno M. CCC. XXXVII. cum Petro Gomesio Hispano Cardinale sanctæ Praxedis pro pace procurandâ inter Philippum Francum, & Eduardum Anglum, quià Ludouico Bauaro suppetias petijt & obtinuit, etiam ab ipso Bauaro in imperio Vicarius creatus; Cameracum obsedit, sed frustra. Legati debito honore excipiuntur in Galliâ, sed Eduardus aditum ijs in Angliam negauit, ad eos missis Procuratoribus Ioanne Cantuariensi, & Richardo Dunelmēsi Antistitibus de rebus controuersis tractaturis cum Philippo: nil effectum, quare Auenionem contendunt certiorem de legatione Benedictum facturi. Anno sequenti scripsit Eduardus ad Benedictum hæc inter alia. Et licet coram Reuerendis Patribus, Petro tituli S. Praxedis Presbytero, & Bertrando S. Mariæ in Aquiro Diacono Cardinalibus, & Sanctitatis vestræ Nuntijs, qui circa pacis negotium laudabiliter & sollicitè laborarunt, petitum sit nostro nomine dictum Regnum Franciæ, quod ad nos pertinere noscitur omni iure, nosque præfatis Cardinalibus sub certis vijs pacis velle nostrum bonâ fide fecerimus aperire, offerentes semper ad omnem viam pacis rationabilem nos paratos pro certo tum de voluntate partis aduersæ, nec per dictos Cardinales, nec per alios huc vsque scire quiuimus, quòd idem Philippus quicquam facere voluerit, vel offerre. Poly. l. 9. Valsingam. de rebus Anglic.

Post reditum, in monte-Fauentio extra muros Auenionenses domum exædificauit amplam, in eáque Canonicos Regulares Ordinis D. Augustini constituit, quibus sustentandis congruos assignauit prouentus, Ecclesiamque D. Mariæ de Bonâ-requie, vulgò de monte Fauentio fabricari curauit. Eius exemplo Gomesius Cardinalis extruxit ædes, quas *Hispaniam* nuncupauit seu Monasterium S. Praxedis, anno M. CCC. XLVIII. fundatum Clementis VI. Pontificatûs anno sexto, cum templo Dominicanis Monialibus dato, & redditibus amplis: illic tandem sepultus. Primæ Moniales ex Pruliano antiquissimo eius Ordinis Monasterio Diœcesis S. Papuli in Narbonensi primâ, Coloniæ causâ sunt deductæ. Monasterium Hispania.

Exuuias corporis reliquit in vrbe Auenionensi sepultus cum hoc epitaphio extra muros Auenionenses in æde sanctæ Mariæ de Bonâ-

requie, siue de monte Fauentio ante aram principem.

Hic iacet Bertrandus de monte-Fauentio de castro nouo Rathery Cadurcensis Diœcesis, tituli S. Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis, qui post extructam suis expensis, & dotatam hanc Ecclesiam & Monasterium, aliaque piè & præclarè à se gesta in Domino feliciter obdormiuit, anno Domini M.CCC.XLIII.



PETRVS D'ARABLAY FRANCIÆ NOMOPHYLAX CARDINALIS SANCTÆ SVSANNÆ IOANNE XXII.

ANNO CHRISTI M CCC. XVI.

EVNDEM cum Petro Cardinale de Chapelle Taillefer autumat in suâ Galliâ Christianâ triginta annorum opere Claudius Robertus de Archiepiscopis Tolosanis agens: diuersos tamen esse toto cœlo patet, si cognomina, si tituli, si obitus vtriusque perpendantur.

Belforest in Galliæ Annal. Feron l. de Cancellar.

Franciæ Nomophylacem tempore Regis Philippi Longi à longâ corporis staturâ sic denominati refert Belforestius; cuius tamen Cancellarij non meminit Feronius, sed eius loco reponit Ioannem Cadurcencensem Summum postea Pontificem, cum insignibus Cardinalis d'Arablay. Sigillorum Regiorum Guillelmo Cardinali donatorum meminit Ciaconius. Galliæ Cancellarij primis temporibus nuncupabantur Annularij & Referendarij, ex Vincentio Bellouacensi; postea Iuris præfecti sunt appellati, à Iureconsultis præfecti prætorio, à Græcis Αρχιγεραμματεῖς: In ijs suprema residet Iuris dicendi potestas, suntque Dices & Themidos Principes.

Vinc. B. llouac. spec. Histor.

Cardinalis Presbyter sanctæ Susannæ in primâ creatione, nimirum anno M.CCC.XVI.

Mors cum Orbi rapuit Ioannis XXII. Pontificatu. Auratam parmam adhibuit Petrus, inuerso ac prono canterio cyaneo depictam miniatoque apice, & tribus stellis argenteis impressam.

BERNAR-



BERNARDVS DE CHASTENIER PRÆSVL ALBIENSIS CARDINALIS PORTVENSIS IOANNE XXII.

Anno Christi M. CCC. XXI.

CIVEM Montis-pessulani vocitat Almaricus Augerius Biterrensis, venerabilem etiam virum, nec non Clericum magnificum, ab Innocentio V. Bernardus ex sacri Palatij Auditore Generali ad sedem Albiensem, anno M. CC.LXXVI. est vocatus; cathedram tenuit annos plures, putà vsque ad annum M.CCC.VIII. quo ad Podiensem seu Aniciensem euolauit. Bertrandum de Casteneto Bernardus Guido nuncupat.

Augerius Biterrens. in Innoc. V.

Nec verò putes Bernardum hunc nostrum de Chastenier virum alioqui omnibus virtutum titulis commendatissimum ex eá oriundum familiâ, ex qua vir spectatæ sanctitatis, doctrinæque singularis laudibus ornatissimus Henricus Ludouicus Castaneus hocce tempore Pictauiensis Antistes illustrissimus; præterquā quod enim res est apud scriptores notissima, insignia vtriusque longè diuersa, diuersis etiam familijs vtrūque originem deducere satis superque testantur. Affinem tamen quis merito virtutis & literaturæ vtrumque appellabit? qui nouerit Bernardum multa & præclara edidisse, pariterque Henricum Ludouicum Castaneū Philosophicas & Theologicas distinctiones, in Euangelium Matthæi commentaria anno M.DC.XIX. typis mādata, in alios tres Euangelistas exercitationes. Item in Genesim, in Exodum, in Numeros, in librum, qui Iosue inscribitur, in libros Iudicum, Regum, Iobi, Prophetarū, dissertationes Ethicopoliticas, opera longè doctissima conscripsisse, quibus viri Cardinalatu dignissimi vt doctrinâ, sic virtute pietateq; in administrandâ perpetuò Episcopali prouinciâ sole clarius innotuerunt. Pluribus Episcopis est idea. Scutum Castanæorum aureum leone prasino currente. Gregorij X. Pontificis Capellanus, Archidiaconus Maioricensis & de Felaneto in Ecclesiâ Narbonensi.

Bernardus Albiensis Præsul & Guillelmus de Flauacourt Archiepiscopus Rotomagensis Diui Ludouici IX. Francorum Regis apotheosim & canonizationem procurarunt apud Bonifacium VIII. Regno Galliæ alioquin infensum, examine vitę & morum ac miraculorū facto apud sanctyonisium, quod Vrbeueteri peractum à Pontifice tertio Idus Augusti, Pontificatûs anno tertio, Régem in Sanctorum Confessorum numerum cooptan

Ioan. de Ionuille in fine histor. S. Lud.

te defunctum Tuneti in sacro bello anno M. CC. LXX. miraculis refulgentem; Ludouicus XIII. pro pietate singulari obtinuit à Pontifice Gregorio XV. vt Diui Ludouici propatrui sui festum duplex, vt vocant, & solemne per totam Galliam celebraretur. A Pontifice Nicolao IV. fuit Bernardo de Castaneto Albiensi Episcopo iniunctum, vt decimas Ecclesiasticas aliaque bona, quæ vijs obliquis à mensâ Episcopi Lodeuensis, vel eius Capituli substracta fuerant, Sedis Apostolicæ nomine eidem restitui iuberet. Virgines Religiosas Podij, vulgò *du Val* nuncupatas, sub sancto Augustino militantes instituit.

Ioan. Paul. Episc. in Præsul. Lodeuen.

Episcopus Cardinalis Portuensis & S. Rufinæ, quadragesimo primo suæ in Episcopatu Gallico consecrationis anno, est creatus à Ioanne XXII. primâ Patrum lectione, anno M. CCC. XVI. die Veneris quatuor temporum Aduentûs, in ipsâ Auenionensi ciuitate.

Naturæ iura persoluit Auenione, sepultus ibidem in Ecclesiâ primariâ. Scheda à Soario missa Romam Auenione, testatur mortuum anno M. CCC. XVIII. die Augusti decimâ quartâ.



Anno Christi M CCC. XVII.

PETRVS DE PRÆLATIS CARDINALIS
IOANNE XXII.

ALMARICVS Augerius Biterrensis hunc commemorat Cardinalem, anno M. CCC. XX. cuius non meminêre Pannuinus & Ciaconius. Cardinalatu donatus est à Ioanne XXII. anno M CCC. XVII. Hac tempestate rem mirandã contigisse refert Robertus Guaguinus. Constat, inquit, Iudæos quadraginta Vitriaci ob venenũ in puteos iniectũ, in custodiâ habitos mirabile in sese facinus perpetrasse; nam cum se morti addictos iam minimè dubitarent, duos ex eorum numero delegerunt, qui eos occiderent, ne Christianorum manibus sumerent supplicium. Vetustissimus illorum atque iunior execrabile ministerium exequuntur. Omnibus interemptis cùm duo tantùm homicidij authores superessent, senior orat iuniorem se necet. Ille seniore occiso cùm se solum videt, direpto auro, quod apud interemptos erat, fune ex defectis lintheis facto per fenestram se dimisit: sed & corporis atque auri grauitate, fune, quâ se deorsum mittebat, dissoluto, in fossas delapsus crus fregit; atque ita in fossâ procumbens deprehensus est, & vltimo supplicio affectus; Iudæorum autem cadauera cremata sunt.

Guaguin l. 7. in Philippo Longo.

Mirandum de Iudæis.



ARNALDVS DE VIA CARDINALIS S. EVSTACHII IOANNE XXII.

Anno Christi M. ccc. xv I.

IN fratris Iacobi Cardinalis demortui locum ſucceſſit Arnaldus de Via Summi Pontificis Ioannis nepos, ille enim deceſſit menſe Iunio, anno M.CCC.XVII. hunc creauit Cardinalem auunculus eodem menſe, & anno. Hac tempeſtate Petrus de Via Albiorum Præſul viuebat.

Apoſtolicus Protonotarius, & anno M.CCC.XVII. Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij creatione ſecundâ, iſque ſolus obitu fratris.

Ædem Beatæ Mariæ Collegiatam, vt vocant, Villænouæ prope Vrbem Auenionenſem trans Rhodanum conſtruxit Arnaldus, dotauitque & literæ ſuper eâ fundatione ſunt datæ ab eius Auunculo, anno M.CCC.XXXIII. inſtitutis Canonicis cum Decano; decreuit præbendarum collationem alternatis vicibus ad Galliæ Regem pertinere. Hac tempeſtate multæ Eccleſiæ Collegiatæ erectæ à Ioanne Pontifice; inter alias in villâ Inſulæ Iordani Diœceſis Toloſanæ, in villâ ſancti Felicis eiuſdem Diœceſis, in caſtro Montis-reguli Diœceſis Carcaſſonenſis. Præbendæ Villænouæ.

Epiſcopatum Auenionenſem in morte fratris obtinuit; ædes à paucis annis fabricatas Auenione ab ipſo Arnaldo poſt eius obitum emit Camera Apoſtolica, deditque Epiſcopo Auenionenſi habitandas, Summo Pontifice Benedicto XII. accipiente domum Epiſcopalem, in quâ Palatium Pontificale extruxit ſchemate admirando, quod poſtea eſt crematum eodem die, quo Gregorius XI. Pontifex Opt. Max. Romę obijt, vt notauimus in Gregorio.

Ad ſuperos euolauit anno M.CCC.XXXVIII. Auenione.

Pia quædam in laudem Virginis Matris ſcripſit, vt notat Eiſengrein; ſpeciali enim cultu Deiparam venerabatur ſciens quandam eſſe infinitatem in dignitate Matris Dei, vt notauit Angelicus Doctor. Humanitas, inquit, Chriſti ex hoc quòd eſt vnita Deo, & beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei, & B. Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquod fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo. D. Thom. 1. p. q. 25. ar. 6. ad. 4.



Anno Christi M.CCC.XX.

PETRVS DV PRE' ARCHIEPISCOPVS AQVENSIS CARDINALIS SANCTÆ PVDENTIANÆ IOANNE XXII.

Vghellus In Annot ad Ciacon.

Duo Episc. addendi catal. Episc. Regien.

FERDINANDVS Vghellus Florentinus, Abbas Cisterciensis reuocat in dubium, an hic Petrus à Prato vnus,& idem sit cum Petro Aureolo Cardinale: sed nullum debet esse dubium, quin sint diuersi, licet vterque Minorita, vterque Aquarum Sextiarum Archiepiscopus. Imprimis Petrus hic à prato fuit Regiensis Præsul, sub Archiepiscopo Aquensi, cui successit in eodem Episcopatu F. Rossélinus etiam Minorita, anno M. CCC. XXI. Kalendis Octobris. Horum duorum Episcoporum non meminit Claudius Robertus in catalogo Episcoporum Regiensium. Translatus inde fuit ad Metropolim Aquensium, successoremque habuit Petrum Aureolum; ab eodem etiam Claudio Roberto prætermissus hic à Prato in nomenclaturâ huiusce Sedis Archipræsulum.

Presbyter Cardinalis sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris à Ioanne XXII. feriâ sextâ quatuor temporum Aduentûs, anno M.CCC.XX. tertiâ Patrum promotione, postea S. R. E. Cardinalis Episcopus Prænestinus,& Cancellarius.

Coram Petro Pratensi Cardinale olim Prouinciæ S. Francisci Ministro, & Cardinale Bertrando de Turri, anno M.CCC.XXVIII. Sabbatho in Albis decimo Aprilis Ioannes Pontifex vocatum ad se Cesenatem Minorum Generalem insanum, temerarium, Ludouici Bauari & Hæreticorum fautorem, serpentem in sinu Ecclesiæ nutritum esse obiecit; appellauit à Pontificis sententiâ Cesenas. Ego Frater Michael attendens quòd sacri Euangelii &c. id effecit ne à Curiâ Pontificiâ recederet.

Vna cum Annibaldo Cardinale Tusculano collega missus à Clemente VI. In Gallias, anno M.CCC.XLII. ad pacem stabiliendam inter Monarchas Philippum Valesium Francorum, & Eduardum Angliæ tunc Rhemis agentem. Induciæ à Legatis procurantur trium annorum incipientium à festo D. Michaelis. Audiamus Thomam Valsingamum his verbis rem totam referentem. Super omnibus controuersijs & dissensionibus, mittantur ad Curiam Romanam aliqui de sanguine Regum dictorum No-

Valsingamus in Eduardo.


biles, & alij habentes potestatem concordiam ordinandi, affirmandi & roborandi, super causis à partibus ostensis, secundum tractatum Domini Papæ, & nobilium prædictorum, & poterunt partes dicere, & proponere rationes suas coram Domino Papâ, non tamen ad finem dissensionis, & dandi sententiam, sed pro faciendâ pace meliori, & tractatu. Item quòd antedicti Nobiles, qui ad Curiam mittentur Romanam, sint in curia circa festum sancti Ioannis Baptistæ proximè futurum, negotiaque præfata diuino mediante suffragio, necnon Summi Pontificis instantiâ circa festum Natalis Domini, etiam de assensu dictorum Nobilium, termino illo nullatenus prolongato, maneant expedita. Si verò Dominus Papa fuerit impeditus, vel pacem & concordiam inter Reges præfatos reformare non poterit, treugæ nihilominus vsque ad terminum infra positum perseuerent, & firmiter ab omnibus conseruentur. Ad finem quoque illum, vt negotia supradicta meliorem plenioremque sortiantur effectum, concedantur treugæ, vt ad festum sancti Michaelis in mense Septembri proximo futurum, & à festo illo ad finem trium annorum proximè sequentium, inter prædictos Reges Angliæ & Franciæ, Regemque Scotiæ, Comitem Hannoniæ, Duces Brabantiæ, & Geldriæ, Marchionem de Gillers, Dominum Ioannem de Hannonia, & gentem Flandriæ, omnesque eis adhærentes in omnibus terris eorundem, à tempore datæ treugarum præsentium, per totum tempus supradictum. Insuper Rex Scotiæ, Comes Hannoniæ & dictis Regibus cæteri Nobiles alligati, mittant Nuncios suos ad Curiam præfatam, cum potestate consentiendi & affirmandi, secundum tractatum coram Domino Papâ habendum, in quantum eos attinet, circa festum S. Ioannis pernotatum. Si verò dictorum Nobilium aliqui, Nuncios (vt præmittitur) ad curiam Romanam mittere non curauerint, negotia supradicta nequaquam ob hoc maneant prolongata. Conseruentur quoque præfatæ treugæ in Britannia inter supradictos, & eis adhærentes, quanquam in Ducatu illo ius se dixerint possidere. Durante verò treugâ, ciuitas de Vannes in manibus Cardinalium, nomine Domini Papæ detineatur, elapsisque treugis, de vrbe illâ suam faciant voluntatem. Cardinales insuper partes suas diligenter apponant pro absolutione Flandrensium, & sententiis, quas incurrerunt, amouendis; & quòd via bona & rationabilis inueniatur, curiosè studeant laborare. Comes Flandriæ sine medio, & medius velut superior, durante treugâ remaneat in Flandriâ; ita tamen, quòd hoc fiat de assensu populi Flandriæ. Si vero aliqui in Vasconiâ vel alibi durante treugâ, vicinis suis vel inimicis partis alterius guerram suscitent, dicti Reges per se, nec per alios, directè vel indirectè, se nullatenus intromittant, nec ob hoc treugæ violatæ sint infectæ. Dicti vero Reges partes suas sine fraude diligenter apponant, nec vnius partis subditi durante treugâ, parti alteri in Vasconiâ & Britanniâ guerram moueant quoquo modo; nec aliquis vni parti obediens, pendente treugâ, parti alteri fœdus siue amicitiam inire permittatur, nec detur, vel promittatur quicquam durante treugâ directè vel indirectè pro guerrâ suscitandâ; & tam per terram, quam per Mare treugæ firmiter ab omnibus sint conseruatæ. In Vasconiâ verò, & in Flandriâ, infra quindecim dies, in Angliâ & in Scotiâ infra quadraginta

dies treugæ fiant proclamatæ. Omnes captiui partis vtriusque à Dominicâ ante festum sancti Vincentij proximo præteritâ, vsque ad diem præsentem è carceribus emittantur, bona rapta reddantur, & liberi, prout ratio exigit, dimittantur. Nulla nocumenta vel inuasiones durante treugâ inter partes in præiudicium treugæ fiant, vel despectum. Dicti quoque Reges & eis adhærentes durante treugâ in tali remaneant possessione & securitate, quâ hodiè persistunt in omnibus bonis, terris & possessionibus, quas detinent, vel acquisierant quoquo modo, & securè de vnâ terrâ in alteram redibunt, & omnes mercatores cum mercibus, & cæteri singuli fideles, tam per terram, quam per Mare & aquas consuetas, portorijs tamen in regno persolutis, ita liberè veniant, & securè, sicut tempore dictorum prædecessorum Regum ire solebant & redire; exceptis bannitis dictorum regnorum pro alijs causis, & pro guerris Regum supradictorum. Sed barones Vasconiæ, & cæteri de eodem Ducatu banniti in dicta guerra continentur, & ire & redire poterunt, durante treugâ sæpe dictâ; Banniti verò patriæ Flandrensis & fugitiui, qui fuerunt ex parte Regis Franciæ durante treugâ Flandriam intrare non poterunt. Dictæ vero treugæ continebunt & comprehendent Hispanos, Cathalanos, Ianuenses, Prouinciales, Episcopum Cameracensem & Capitulum Cameracense, castra pagi Cameracensis, Dominum de Brette Vice-comitem de Fronsac, Dominum de Tymbon, Dominum de Roya; Dominus verò Odo Dux Burgundiæ, Dominus Petrus Dux de Bourbon, in animam Domini Philippi Regis Franciæ, & Dominus Henricus Lancastriæ, Dominus Guillelmus de Buon, Dominus Guillelmus de Monte-acuto Comites, in animam Domini Eduardi Regis Angliæ, secundum mandatum eis per Reges sæpefatos factum, tactis sacrosanctis Euangelijs iuramentum præstiterunt concordale. Datum in Prioratu sanctæ Mariæ Magdalenæ de Male-trette, Ordinis sancti Benedicti, Diœcesis Nannetensis.

Anglus Pontifici diffidens pacis conditiones, expiratis induciis, respuit, inde prœlium postea Cressiacum, vigesimo sexto Augusti anno M. CCC. XLVI. quo Franci ad internecionem dati sunt quamplurimi, & eo prœlio cecidêre Ioannes Cœcus Bohemiæ Rex fortiter prœlians Caroli IV. Augusti Pater sagittæ vulnere, Maioricarum etiam, Alenconij, Flandriæ, Ebroicum, Lotharingiæ Domini, alijque viri Principes, Cardinales fugâ sibi consuluêre. Hic Eduardus Regis Franciæ titulum primus sibi vendicauit; Caleto potitur, post anni vnius obsidionem & Periselidis Ordinem Diuo Georgio sacrum instituit, addito hoc verbo. *Honny soit, qui mal y pense.*

Eduardus primùm vocatus Rex Franciæ.

Lucis vsuram amisit Petrus Auenione, mense Maio anno M. CCC. LXI.



PILVS-FORTIS DE RABASTENS CARDINALIS S. ANASTASIÆ IOANNE XXII. ANNO CHRISTI M.CCC.XX.

NATVS apud sanctum Georgium propè Tarnem fluuium Diœcesis Albiensis, cuius parens Diui Georgij Comes. Raymundus de Rabastens Tolosas Archiepiscopus ex Archidiacono Agennensi anno M. CC. I. cuius mentio apud Guillelmum de Puy-Laurent his verbis: defuncto Domino Fulcrando Episcopo anno circiter M. CC. I. eligitur in Episcopum Raymundus de Rabastens Archidiaconus Agennensis, sed quia laborauit ab initio vitio simoniæ, benedictione caruit in fine: nam cum illam eandem paupertatem, quam prædecessor suus habuerat, in litigando & alias guerras habendo cum Raymundo Forti de Bellopodio Vasallo suo inutiliter ferè triennio consumpsisset, & borias suas, & fortias creditoribus obligasset, ipse tandem ab Episcopatu per Sedem Apostolicam ad depositionem fuit finaliter condemnatus. De Podio Laurentij Chron. cap. 6. Deponitur Episc. Tolosan.

Apamiarum Præsul, cuius transactio habetur cum Canonicis Religiosis Apamiensibus, in qua non Pileus, vt quibusdam placet, sed Pilus nuncupatur; eiurauit Episcopatum Apamiarum, vt gradum faceret ad Riuensem, quem instituit Ioannes XXII. vt Bonifacius VIII. Apamiensem anno M. CC. XCVI. instituto primo Antistite Bernardo Faisseto ex Cœnobiarcha suæ Ecclesiæ, Diuo Antonino Martyri natione Gallo sacræ; non sacrum lituum Sedis Riuenarum primus gessit, vt in Riuensibus Episcopis notatum reliquit Claudius Robertus; primus enim factus est Antistes auctoritate Ioannis XXII. anno M. CCC. XVII. Ioannes de Texenderiâ Cadurcensis Minorita ex Episcopo Lodeuensi, cùm hoc æuo adhuc legatur epitaphium in laminâ æreâ exaratum in sacello Riuensi ab ipso erecto apud Franciscanos Tolosanos, cuius epigraphe sepulchralis.

Epitaphium R. P. Ioannis de Texenderia Ordinis Minorum, primi Episcopi Riuensis huius capellæ fundatoris. Alij dicunt fuisse Guillelmum de Brutiâ.

Cardinalis Presbyter sanctæ Anastasiæ, Ioanne XXII. anno M. CCC. XX. procreatur; anno præcedenti interfuit Synodo Tolosanæ. Synod. Tolosan.

E viuis excessit Ioanne XXII. in Rapistano castro. Parma Rapistanensium Dominorum tres raphani.



Anno Christ M.CCC.XI

MICHAEL EBRARDVS A S. SVLPITIO CARDINALIS IOANNE XXII.

Papyr. Masson in Ioan. 22.

SPECTATÆ nobilitatis atque virtutis Michaelem Ebrardum numerat inter Cardinales Ioannis XXII. Papirius Massonus; sex enim suos contribules creauit Ioannes Pontifex, in quorum numero fuit Ebrardus a sancto Sulpitio: eiusdem Sulpitianæ familiæ Antonius Ebrardus Præsul Cadurcensis, qui interfuit Synodo Bituricensi anno M. D. LXXXIV. mense Septembri, cuius obitus annotatur hoc disticho chronographico.

EbràrDVs seXto seXtILeIs ante CaLenDas.
NoCtV ConCVoLa PræsVL In astra VenIt.

Ex eâ familia materno genere prodière filij Ducis Vticensis, quorum secundo-genitus appellatur Marchio à sancto Sulpitio; San-sulpitium obuenit Duci Vticensi iure vxoris vnicæ San-sulpitianæ domus hæredis.

Scutum Ebrardorum à sancto Sulpitio semipartitum argenteum, & miniatum.



Anno Christi M.CCC.XX

BERTRANDVS DE TVRRI CARDINALIS TVSCVLANVS IOANNE XXII.

FRANCISCANI Ordinis Theologus F. Bertrandus de Turri è Cambolico in Cadurcensi Diœcesi, Peripateticam apprimè callebat doctrinam,

nam, & in diuinis paginis versatissimus, egregius verbi diuini Orator; Minorum Ordinem protegit, vti Ordinis protector. Cæsar Nostradamus in historiâ Prouinciæ virum insignis doctrinæ, meriti non exigui, & magnæ auctoritatis nuncupat. Lucas Vvaddin. tom. 3. Annal. Minor. N. strad. p. 3. hist. Prouinc.

Committit Ioannes Pontifex anno M. CCC. XVII. Bertrandum contra Galliæ Narbonensis Fratres rebelles, Narbonæ & Biterris domicilia constituentes, vt à proprio Pastore, & ouili aberrantes ad caulam reuocaret. Obedire detrectarunt, appellationem ad ipsum Ioannem melius informatum interposuere: super eâ appellatione scripsit Pontifex ad Officiales Narbonensem, & Biterrensem, Auenione, quinto Kalendas Maij, eodem anno.

Nuncius mittitur ipso anno in Italiam cum Bernardo Guidone Dominicano, vt nomine Pontificis medeatur malis & calamitatibus Italicis Pontificiâ absentiâ causatis; hæc est inscriptio duarum Commissionum in Registro Vaticano descriptarum. Dilectis filiis Fratribus Bernardo Guidonis de Ordine Prædicatorum Inquisitori Hæreticæ prauitatis in Regno Franciæ, per Sedem Apostolicam deputato, & Bertrando de Turri Ordinis Fratrum Minorum Ministro Prouinciali Aquitaniæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Etsi pacis hostis inuidus Charitatis iactum à longis retro temporibus discordiæ semen inter dilectos filios Duces Comites, &c. Datum Auenione, Calendis Martij, Pontificatûs nostri anno primo. Inquisitio in Hæreticos.

Prima commissio ad pacificandos Italiæ Primates. Secunda, vt ad pacem & vnitatem Guelphi & Gibellini reuocentur. Addita tertia particularis ad discordias inter Robertum Siciliæ Regem, & gentem suam in partibus Pedemontanis ex vnâ parte, & Amedeum Sabaudiæ Comitem, & Manfredum Salutiarum Marchionem, Philippum de Sabaudia, & Matthæum Vice-comitem Mediolani ex alterâ componendas. Chronic. Bosij ad Ann. 1316.

Ex Ministro Aquitaniæ & Generali Ordinis, Salernitanus in Regno Neapolitano Archipræsul à Ioanne Pontifice creatur, in Capitulo Massiliæ agens anno M. CCC. XIX. Vacabat Sedes Salernitana morte Onufrij in vrbe defuncti. Sanctorum Syluestri & Martini in montibus Cardinalis Presbyter ab eodem anno M. CCC. XX. Nostradamus loco citato Cardinalem S. Crucis fuisse testatur & Marianus; postea Episcopum Tusculanum. Gaspar Musca de Archiep. Salernit. Marian. lib. 4.

Præposituram accepit statim à Cardinalatu Monasterij S. Angeli de Formis non longè à Capuâ Ordinis Benedictini, obitu Guillelmi S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, & aliam Cœnobij D. Benedicti etiam Capuani, morte Bertrandi de Ripaneria. In arma & Bertrandi insignia nimirum turrim sic quidam lusit.

Turrius hic ille est, turrim quam creditus olim
Ipse suo vincto constituisse Deus.

Quatuor lilia Ciaconius in scuto annotat, duo à dextris & duo à sinistris; alij stellas duas ipsi turri superponunt.

Mortalitatem exuit anno M. CCC. XXVII. Auenione apud Franciscanos sepultus, ex Gaspare Musca. Gasp. Musca loc. citat.

Scripsit in sententias Opuscula. Plures codices sermonum.

Euangelia & epistolas est commentatus, quæ per anni circulum in Ecclesia recitantur. De paupertate Christi & Apostolorū. Collationes quasdā.



Anno Christi M.ccc.xx.

RAYMVNDVS LE ROVX CARDINALIS S. CHRYSOGONI IOANNE XXII.

PApæ Ioanni propinquus, patriâ Cadurcensis Raymundus le Roux. Imprimis sanctæ Sedis Protonotarius, deinde Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin à Ioanne XXII. anno M. CCC. XX. postea Presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni inauguratur.

Vitâ functus Auenione anno M. CCC. XLII. cuius cinis apud Minores iacet.



Anno Christi M.ccc.xx.

SIMON D'ARCHIAC ARCHIEPISCOPVS VIENNENSIS CARDINALIS SANCTÆ PRISCÆ IOANNE XXII.

Almar. Augerius in gestis Pontif. Roman.

Du Chesne histor. des Chasteigners.

SAnctonensis Simon d'Archiac, de quo Almaricus Biterrensis, Patre Ademaro Equite, Matre de la Roche-choüart, filiâ Aimerici Vicecomitis eiusdem loci, qui comitatus est Philippum Pulchrum in bello Flandrico, vbi præclara edidit facinora; Fratres habuit quatuor Ademarum, Fulcaldum, Guillelmum D. Francisci Religiosum, & Aymericum; primùm donatus Canonicatu Ecclesiæ Sanctonensis, inde Decanatu; eâ porrò Dignitate potiebatur cum Philippus Longus eum Legatum misit ad Summum Pontificem Ioannem XXII. anno M. CCC. XVIII. vnà cum Henrico Domino de Sully Franciæ Oenochoo, vulgò *Bouteiller de France*, &

Ioanne Cherchemont in Ecclesiâ Pictauiensi Decano.

Viennensis Archipræsul LXXXI. Eo Viennensium Cathedram occupante habita est Synodus XV. Generalis Viennæ ad Rodanum in Delphinatu. Angelus Roccha in Bibliothecâ Vaticanâ huic Concilio parum aptè assignat Viennam primariam Austriæ in Germania ciuitatem; in eo Oecumenico Concilio anno M. CCC. XI. habito à Clemente V. est promulgatus eiusdem Clementis constitutionum codex; Processio solemnis corporis Christi instituta. Cardinalitiæ dignitatis infulis potitus Presbyter Ioanne XXII. anno M. CCC. XX. tituli sanctæ Priscæ. Clementinæ promulgantur.

Moritur Ioanne XXII. Scutum coccineum duobus palis petasiti velleris, coronide aureâ impressum.



PETRVS LE TESSIER CARDINALIS S. STEPHANI IN COELIO MONTE IOANNE XXII. Anno Christi M. CCC. XX.

IN vrbe sancti Antonini suos sortitus natales. In Siciliâ Nuncius Apostolicus; etenim cùm Robertus Rex Siciliæ anno M. CCC. XVII. in Fridericum Trinacriæ Regem arma terrâ marique mouisset, & Ioannes Summus Pontifex vel stabiliendæ paci, vel inducijs obtinendis ad Fridericum Nuncios, Robertum Stephanum Episcopum Trecensem, & Petrum Textoris familiarem suum misisset; is quoque suos, & Elizabethæ sororis Dionysij Lusitani Regis vxoris Oratores interesse voluit, tantùmque vnà cum reliquis inter Reges discordes peregit, vt Fridericus Rhegium nomine Henrici Imperatoris olim interceptum manibus Nunciorum Summi Pontificis tradiderit, à iuramento omnes, qui se illi obstrinxerant, absoluerit; ipséque sacramentum ex formulâ præscriptâ dixerit, se non amplius armis rem tentare, aut quouis alio modo disponere velle, donec à Romano Pontifice decerneretur. Rhegio restituto induciæ in festum Natiuitatis Domini diem, & ex eâ die in tres annos pacto constitutæ; & præconis voce Panormi, ad decimum Kalendas Iunij, ex instrumento dato Messanæ, sunt promulgatæ publicatæque.

Inter Robertum, & Fridericum Monarchas non diuturna stetit pax. Postquam enim Nunciis Apostolicis Fridericus Rhegiū, aliaque oppida Calabriæ citra Pharum ex pacto reddidisset, & illi recepta continuò Francorum

præfectis administranda dedissent, Robertus siue bello contra Gibellinos suscepto distractus, siue aliquibus incertis rumoribus excitatus, conditionibus ex fœdere propositis non stetisse visus est. Itaque cum pax à Pontifice per Legatos decreta differretur, Fridericus Franciscum Panormitanum Archiepiscopum, & Franciscum Vintimilium cum quinque triremibus pro pace sibi ab eo promissâ Oratores misit: qui quòd à Roberto Nuncij ad designatum diem destinati præstò non adfuissent, neque ipse Robertus curis aliis impeditus grauissimis coram aduenisset, putantes se, Regemque suum deludi, re infectâ in Siciliam sunt reuersi.

Presbyter Cardinalis à Ioanne XXII. tituli sancti Stephani in Cœlio monte anno M.CCC.XX. procreatur. S.R.E. Cancellarius.

Hac mortali vitâ destituitur, meliori tandem aliquando potiturus anno M.CCC.XXX. in vrbe Auenionensi.



REGINALDVS DE LA PORTE ARCHIEPISCOPVS BITVRIGVM CARDINALIS SS. NEREI ET ACHILLEI IOANNE XXII.

Anno Christi M.CCC.XX.

EX Archidiacono Lemouicensi, ipse Lemouicensis Reginaldus ad gradum Episcopatûs Lemouicum, demum Archiepiscopatûs Biturigum promouetur; nomenclaturam de Alafano natali solo est sortitus. Fratrem habuit Guidonem XXXIV. sancti Martialis Archimandritam. Recusante Petro de Seperia Episcopatum Lemouicensem, ad quem fuerat omnium Canonicorum vnâ voce electus, antea etiam oblatum à Summo Pontifice Præsulatum Albiensem respuente, Reginaldus decimâ quintâ Nouembris anno M.CC.XCIV. eligitur Præsul Lemouicensis. In approbationis tabulis diei festi D. Stephani à Mureto anno M.CC.XCVII. nominatur Reginaldus. Statuit quâ methodo celebrandum esset, tum à Clericis, tum à Sacerdotibus diuinum officium. Dum sacra corporis sancti Aureliani lipsana, & reliquiæ eleuantur anno M.CCC.XV. memoratur noster Præsul.

De Seperia respuit Episcopatus plures.

Auarici Biturigum quatuor annos Archiepiscopatum tenuit, cuius tempestate vixit B. Rogerius le Fort Decanus eiusdem Ecclesiæ, postea Archipræsul. Circa eadem tempora Petrus Rogerius extitit Archidiaconus Bituricensis, demum Summus Pontifex Gregorius XI.

Presbyter Cardinalis Sanctorum Nerei & Achillei à Ioanne XXII. secundâ Patrum creatione, feria sextâ quatuortemporum Aduentûs creatur, anno M.CCC.XX. postea Episcopus Ostiensis, & Veliternus.

Vitam morti cessit Auenione, anno post Cardinalatum quinto.



PETRVS AVREOLVS CARDINALIS IOANNE XXII.

Anno Christi M.CCC. XXVII.

EVERBERIA ad OEsiam fluuium Picardiæ Prouinciæ egressus Petrus Aureolus cognomento Verberius in Verberia, seu (vt antiquo verbo vtar cum capitularibus Caroli Calui) in Vermeia Aureolus velut rosa in spinis, mel in fauis, saccharum in cortice incultiore.

Antequam initiaretur Presbyterio Parisijs adolescens Scoti discipulus gradum Doctoratus est consequutus; præclarum edidit libellum in gratiam immaculatæ Conceptionis Deiparæ; Ita notus, vt Summus Pontifex Ioannes ad Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis miserit literas in eum finem, vt Aureolus publicè doceret, quarum hic tenor.

Dilecto filio Cancellario Parisiensi.

Summus Pontifex scribit ad Cancell. Parisien.

Sicut partim experientiâ, partim fide dignâ relatione didicimus, & te ipsum etiam non latere putamus; Dilectus filius Petrus Aureoli Ordinis Minorum, sic in studia Teologicæ Facultatis diebus insudauit & noctibus, sic per continuationem studij & exercitium lectionum profecit laudabiliter in eodem, quòd dignum se reddidit, vt credimus, ad obtinendam docendi licentiam in huiusmodi Facultate. Quia igitur ipsum honestate conspicuum & tantum thesaurum scientiæ diuinâ sibi suffragante gratiâ assecutum, dignũ est vt beneuolentiâ prosequamur gratiosâ, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Petro iuxta morem, qui seruari consueuit in talibus licentiam huiusmodi auctoritate nostra remoto cuiuslibet tarditatis obstaculo largiaris. Per huiusmodi verò licentiam eidem Petro dandam de nostro speciali mandato, nolumus Fratribus prædicti vel alterius Ordinis iam præsentatis per eundem vel alium Ordinem, vel imposterum præsentandis ad huiusmodi licentiam obtinendam aliquod generari præiudicium, vel promotionem eorum quomodo libet retardari. Datum Auenione secundo Idus Iulias anno secundo.

Instituti Minorum professor, deinde Prouincialis Aquitaniæ merito & iure electus, suffectusque Bertrando de Turri promoto ad Archiepiscopatum Salernitanum. Lauro itaque Doctorali Theologicâ redimitus, vulgò *Doctor facundus*, inter omnes sui æui Theosophos emicuit; vir sanè præstantissimus ingenio ac eruditione admirandus, facundiâ Nestor; licebat intueri in verbis flumina, pondera in sensibus, neruos in argumentis.

Præclaræ dotes Aureol.

Promptius imponam glaciali Pelion Ossæ
Si partem tacuisse velim: quodcunque relinquam
Maius erit.

Archiepiscopus Aquensis à Ioanne Pontifice anno M. CCC. XXI. renunciatur tertio Kalendas Martij, Petro de Prato in Cardinalatum assumpto, antea Regiensi Episcopo sub eodem Archipræsule.

Antonin. tit. 24. c. 8. Gonsag. de Ordin. Seraph. part. 3.

Ioannes XXII. Cardinalatum contulit Petro anno M. CCC. XXVII. ex D. Antonino, & Posseuino in apparatu sacro, Cardinalium Nomenclatore, & Francisco Gonsagâ Episcopo Mantuano. Etiam ornatur Cardinalitio titulo in commentarijs illius in Magistrum Sententiarũ Romæ editis.

Scripsit Compendium literalis sensus totius diuinæ scripturæ, in quo sensa verbis æquauit, quod Sallustio laudi dari debet.

In libros Sententiarum opus insigne Ioanni Papæ XXII. dicatum, plurima huius operis ex Petro Aureolo citat Capreolus Dominicanus.

Commentaria compendiosa in vniuersam sacram scripturam iuxta literalem sensum.

De Conceptione B. Mariæ Virginis. Rosæ distinctiones.

Sermonum de tempore, & de Sanctis libros duos.

De paupertate & vsu paupere rerum.

Logicam in Bibliothecâ Vaticanâ.



Anno Christ. M. CCC. XVII.

IOANNES PRIMVS TOLOSANVS ARCHIEPISCOPVS CARDINALIS CONVENARVM IOANNE XXII.

BERTRANDI Conuenarum Comitis, qui obijt anno M. CCC. XL. filius ex perillustri admodum familiâ. Vir prudentiâ, nobilitate, & inte-

gritate commendatissimus, cuius frater natu-minor Petrus Raymundus Comes.

Magalonensis Episcopus, à Magalonâ Insulâ nuncupatur; Cathedra Montem-pessulum translata, anno M.D.XXXVI auctore Paulo III. consentiente Francisco I. cuius Ecclesiæ Patronus S. Germanus, & Capitulum D. Augustini regulæ addictum.

Primus Tolosanus Archipræsul, mense Iulio, anno M.CCC.XVII. iussu Pontificis cedente Gallardo de Pressac (quem supra de la Motte-presage nominauimus) Clementis V. defuncti nepote, cui oblatus est Regiensis in Prouinciâ Episcopatus, quem renuit acceptare. Multos annuos prouentus alienauit ad duodecim millia libellarum quolibet anno. Nouum hunc Ecclesiæ S. Stephani Archiepiscopatum erexit Ioannes XXII. anno M.CCC.XVI. (antea hæc Ecclesia Suffraganea Ecclesiæ Narbonensis) qui septem attribuit Tolosano Suffraganeos Apamiensem à Bonifacio VIII. institutum, Mirapicensem, Montalbanensem, Vaurensem in regione Lauracensium: ex Monasterio D. Augustini dicato S. Albano Episcopo, & Confessori, ab eodem Ioanne creatus est Episcopatus; S. Papuli, Riuensem, Lombariensem. Legendus liber quartus Extrauagantium eiusdem Ioannis titulo de Præbendis, & Dignitatibus capite quinto, cuius prima hæc verba sunt *Saluator noster*. Congregauit nouus Archipræsul Synodum Tolosæ anno M.CCC.XIX. successorem habuit ante obitum in Archiepiscopatu F. Guillelmum de Lauduno Ordinis Prædicatorum, sic dictum à loco *Laudun* in Diœcesi Vticensi.

Gallard. It. Episc. Tolos. malè excipitur.

Bernard. Guido.

Cardinalis Presbyter anno M.CCC.XXVII. tituli S. Vitalis in Vestina, quartâ Patrum creatione, feriâ sextâ quatuor temporum Aduentûs, & quidem Auenione. Inde Episcopus Prænestinus.

Respuit Summum Pontificatum oblatum eâ lege, ne vnquam Romam repeteret, asserens id cedere in Ecclesiæ detrimentum; quare nobilissimo relicto Cardinale ignobilem Iacobum Fornerium molitoris filium elegerunt Benedictum XII. Sauerduni natum Apamiarum Episcopum, antea Mirapirensem Cardinalem sanctæ Priscæ omnium doctissimum; id procurante Cardinale Conuenarum, contrarium tentantibus Petragoricensi, & Columnâ Cardinalibus.

Respuit Summum Pontific.

Alphonsus Rex Arragonensis, anno M.CCC.XXXVII. Petro Patruo & Tarraconensi Archipræsule, alijsque Proceribus suæ Curiæ comitibus Benedictum inuisit: noster Ioannes obuiam profectus; ad Druentiæ fluminis transitum, viginti duo Cardinales illum excepêre; Auenionem ingredientem Iacobus Balearius Rex præiuit medium inter Neapoleonem Vrsinum sacri Collegij Decanum, & Cardinalem Conuenarum. Causa aduentûs exposita, Pontificis Maximi beneficio iura Regni Sardiniæ & Corsicæ sacramento clientelæ interposito recepit, & censum sanciuit.

Sardinia & Corsica feudi Eccles.

A Cardinale Conuenarum Talairandum Cardinalem Petragoricensem multis verbis contumeliâ plenis affectum in publico Patrum consistorio, quasi in Regis Neapolitani Andreæ strangulati Ioannę vxoris imperio necem consensisset, Ecclesiæque proditorem appellatum refert Villanæus; etenim Petragoricensis erat auunculus Caroli Dyrrachij Ducis, cuius

Villan. l. 12. hist. Flor. c. 59.

technis, & fraude credebatur Andreas interfectus, vt Regno potiretur.

Idem ibid.

Dum proposita Auenione electio Caroli IV. in Imperatorem, ipse Ioannes contradixit, vnà cum Ioanne cæco Hungariæ Rege Caroli parente (quâ de re agetur infra in Talairando Cardinale Petragoricensi) Non benè Mariana refert Conuenarum Cardinalem, anno M. CCC. LXXII. in Arragoniam appulisse (erat enim defunctus abhinc multos annos) a Gregorio Pontifice de pace stabiliendâ inter Arragoniæ, & Castellę Reges & Iacobum Baleariumè custodiâ emissum, qui adiuuabatur Galliæ viribus, vbi magni delectus habebantur, timebaturque ne Ruscionenses fines inuaderet, quod fore propediem erat fama.

Mariana l. 17. c. 17. de reb. Hispan.

Celeberrimum Cœnobium S. Pantaleonis (cuius sacrum os brachij dedit) Sanctimonialium curauit ab vltimæ suæ voluntatis executoribus erigi in loco viciniore D. Stephani Basilieæ, in quo alerentur suis impensis ducentæ Virgines Deo sacræ Ordinis Augustiniani, & ad diuinum officium illic celebrandum duodecim Canonicos Regulares instituit.

Dies obitus incidit in mensem Februarium, anno M. CC. XLIX. huius Cardinalis meminit Theodoricus à Niem in vitis Pontificum; anno sequenti fundatum est Cœnobium supra memoratum.

Scripsit de Passione Christi.

Sermones diebus festis habitos.

Scutum Conuenense.

Scutum Comitum Conuenarum miniatum, decussatis quatuor Amygdalis argenteis expressum.



Anno Christi M. CCC. XXVII.

PETRVS DES CHAPPES PRÆSVL CARNOTENSIS CARDINALIS IOANNE XXII.

AB Italis appellatur de Capis & de Campis, sed reuera appellandus des Chappes; eius nominis castrum in Diœcesi Tricassinâ.

Episcopus Ecclesiæ Carnotensis post Robertum de Ioigny, successoremque habuit Ioannem de Pasté eiusdem Ecclesiæ Decanum, qui Atrebatensi relicto Episcopatu ad Carnotensem euectus est numero LII. iacetque apud S. Ioannem in valle. Ecclesia Carnotensis Deiparæ in cœlos assumptæ sacra nouæ Parisiorum Metropoli subiecta.

Presbyter Cardinalis mense Decembri, anno M. CCC. XXVII.

RAYMVN-



RAYMVNDVS S. FLORI PRIMVS EPISCOPVS CARDINALIS SANCTI EVSEBII IOANNE XXII. Anno Christi M. CCC. XXVII.

PATRIA Ruthenensem nobilem loco de Monsfaiouls Raymundum de Moscueroles ex Monacho & Priore Cœnobij S. Flori (cuius festus dies quarto Nouembris celebratur) in Aruerniâ Benedictini Ordinis, primum à Ioanne XXII. constitutum Episcopum Florensem nanciscor; vrbs est in monte edito sita, cuius radices lambit Adia fluuius. Hic Floropolitanus Episcopatus à Claromontano resectus anno M. CCC. XVII. Abbatialis sancti Flori Ecclesia fuerat ab Vrbano II. consecrata, & condita ab Amblardo Brisonio Clementis II. Pontificis permissu, & sancti Odilonis Cluniacensis consilio; in præsenti resident in eâ viginti Canonici togâ sæculari à Sixto IIII. anno M. CCCC. LXXVI. vestiti; secundus huius Ecclesiæ Præsul Henricus de Falterijs Abbas Cluniacensis. Raymundus fuit Cœnobiarcha Monasterij Gelonensis, vulgò S. Guillelmi de Desertis, Diœcesis Lodeuensis, anno M. CCC. XXII.

Apud Ciaconium confunditur cum Deodato de Canillac Cardinale Episcopo Florensi, ipsique dicitur Raymundus de Canillaco, quem Episcopatûs nomen decepit; dum enim legisset quendam Raymundum Episcopum Florensem Cardinalem creatum, pro primo Episcopo Florensi quartum sibi delegit, & ex Deodato fecit Raymundum: Deodatum inter Episcopos Florenses quidam non reponunt.


Episcopus creatur sancti Pauli siue Tricastinus sub Archiepiscopo Arelatensi, teste Claudio Roberto. Vrbs dicta olim Augusta Tricastinorum dissita à Ponte sancti Spiritus duabus leucis; cuius successorem autumat Hugonem, qui Synodo Aueniosensi in æde S. Ruffi anno M. CCC. XXXVII. interfuit; verum non sancti Pauli, sed sancti Papuli habendus secundus Præsul, Bernardo de Turri defuncto anno supradicto, qui ex vltimo Abbate sancti Papuli Ordinis Benedictini primus Antistes creatus à Ioanne XXII. anno M. CCC. XVII. sub Tolosate Archipræsule. Claud. Rob. in Gall. Christi.

Tituli sancti Eusebij Cardinalis Presbyter anno M. CCC. XXVII. Ray-

mundus à Ioanne Pontifice creatur eodem anno Episcopus II. S. Papuli; Bernardus enim de la Tour I. fuit Antistes eius Sedis.

Interijt anno M. CCC. XXXV. pridiè Idus Octobres tumulo conditus in Andrio S. Guillelmi de Deserto, Lodeuensis Diœcesis, vt obseruat ornatissimus tum pietate tum doctrinâ non vulgari Pictauorum Episcopus in suo Cardinalium Nomenclatore.

Illustriss. Nomenclat. Cardinal.



Anno Christi M. CCC. XXVII.

PETRVS DE MORTEMER CARDINALIS SABINVS IOANNE XXII.

NEc è ramo illo nobilibus virescente virtutibus Mortemar extracto à trunco familiæ antiquissimæ de la Roche-choüard nomen ducit nec genus Petrus de Mortemer, vt malè nonnulli sunt opinati, sed quòd apud Mortuum-mare in Lemouicibus fuerit in lucem editus.

Altissiodorensis Præsul, anno M. CCC. XXV. Episcopus antea Viuariensis, quem præcesserat Gonsaluus Falignerius Ordinis Franciscani, & Lector sacri Palatij.

Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cælio monte, à Ioanne XXII. postea Episcopus Sabinus à Benedicto huius nominis XII. Suis effecit literis, vt Petrus Rogerius à se vnicè dilectus ad Curiam Romanam accederet, qui sensim ad honores Ecclesiasticos est promotus vsque ad Summi Pontificatûs apicem, nuncupatusque est Clemens VI. quem elegit cum alijs Cardinalibus Pontificem.

Interfuit itaque electioni Clementis VI. anno M. CCC. XLII. Tria Cœnobia extruenda curauit in eo ipso loco, cuius habebat nomen. Priuilegio Religiosarum D. Francisci, Eliensis Diœcesis subscripsit Auenione, cum Clemente VI. anno M. CCC. XLIII. secundo Calendas Maij.

Occidit Auenione, anno M. CCC. L. die ipsâ Parasceues, corpus tumulatum in Mortuo-mari, in tumulo legitur.

Vbi natus, ibi sepultus.

In Neustricis est Abbatia eiusdem nominis de Mortemer Diœcesis Rothomagensis Ordinis Cisterciensis filia Vrsicampi.



IMBERTVS CARDINALIS DE PONS
IOANNE XXII.

Anno Christi M. CCC. XXVII.

SVMMO Pontifici Ioanni propinquitate coniunctus Imbertus Pontius, malè nonnullis Hubertus de Puteo. Ioannes Villanæus Cadurcensem fuisse commemorat. Montis-pessuli consanguinei ei fuere inter cæteros R. de Conchis; hinc sumpsêre ansam, vt eum natum ibi dicerent. Ioannes Pontifex Ioannem Deüsam fratrem germanum μιάτης sedandæ litis dicti de Conchis voluit erga Vicarium Episcopi Magalonensis constitui. Villan. in Hist. Florent. l. 10. c. 53

Sedis Apostolicæ Protonotarius Pontius. Multi hoc nomine de Pons inueniuntur Cardinales, vt Raymundus de Pons (de quo actum libro secundo) Cardinalis Episcopus Petragoricensis anno M. CC. XXVII. vt Godofredus de Pons Cardinalis Episcopus Engolismensis anno M. CCCC. LX. Pontius de Pons Cardinalis Episcopus Sanctonensis, cuius meminit Nomenclator Cardinalium, ac Trithemius; Tres fuere eiusdem Sedis Episcopi Pontij de Ponte: primus anno M. C. XXVII. secundus anno M. CC. LX. & tertius anno M. CC. LXXV. Cardinalis Pontius de Pons videtur secundus huius nominis Episcopus Sanctonensis; nam Raymundus de Pons fuit primus Cardinalis huius familiæ, anno M. CC. XXVII. primus autem Pontius Sanctonensis præcessit Raymundum de Pons Petragoricensem. Multi de Pons Cardd.

Cardinalis Diaconus creatur Pontius anno M. CCC. XXVII. decimo quinto Calendas Ianuarias à Ioanne XXII. Pontificatûs duodecimo. Postea Presbyter Cardinalis Basilicæ SS. duodecim Apostolorum.

Vitâ priuatur Auenione, anno M. CCC. XLVII. quo Sanctius Rex Lusitaniæ extremum diem obijt: cuius frater germanus Alphonsus Comes Bononiensis habenas Regni rexit se constituens eiusdem administratorem.



Anno Christi M. ccc. xxxi.

IOANNES GALVANVS EPISCOPVS ATREBATENSIS CARDINALIS IOANNE XXII.

IN Episcopatu Atrebatensi successit Ioannes Andreæ Gini Florentino Cardinali, anno M CCC.XXXIII. hoc Præsule politica celebrantur Atrebati Comitia, anno M.CCC.XXXV. quibus pax datur, & fœdus Atrebatense nuncupatur inter Galliæ & Angliæ Reges, ac Burgundiæ Ducem.

Proclamatur Cardinalis Presbyter à Ioanne XXII. prætermissus à Ciaconio & Onuphrio: nonnulli creatum volunt à Benedicto XII. anno M.CCC.XXXVII. sex tantum purpurâ donauit Benedictus, in quorum numero non reperitur Galuanus.

Soluitur ex hoc terreno ergastulo anno M.CCC.XLI.



Anno Christi M.ccc. xxxi.

TALAIRANDVS PETRAGORICENSIS CARDINALIS SANCTI PETRI AD VINCVLA IOANNE XXII.

Theod. à Niem 1 Innoc. VI. & Vrban. V.

ELIÆ Talairandi huius nomenclaturæ v. Comitis Petragoricensis (ex Archambaldo II. & Mariâ Tolosanâ) nec non Brunezindis in secundis nuptijs locatæ; nam prima vxor fuerat Philippa Vicecomitissa d'Auui-

lar & de Loumagne filius, de quo Theodoricus à Niem. Petrarcha gloriatur epistolâ ad Talairandum Albanensem Episcopum, adolescentiam suam à turpibus studiis & maleficis artibus abhorrentem cognitam fuisse Benedicto XII. Duos habuit fratres Archambaldum III. qui duxit vxorem Ioannam de Pons, & natu minorem Rogerium Bernardum tertium Eliæ Talairandi filium; succedit fratri in Petragoricensi Comitatu: in vxorem acceperat Heleonoram filiam Bouchardi Comitis Vindocinensis ab anno M.CCC.VIII. ad XXIII. quo connubio natus Archambaldus IV. huius nominis Petragoriorum Comes.

Altissiodorensis Episcopus anno M.CCC.XXIX. successit Petro Cardinali de Mortuo-mari. Presbyter Cardinalis sancti Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ anno M.CCC.XXXI. postea Episcopus Albanus Clementis VI.

Bis in Gallias legatur; primùm quidem vnâ cum Guidone de Bononiâ Episcopo Portuensi anno M.CCC.XLII. Ordini Minorum Protector datur, defuncto Iacobo Caietano protectore: propterea ei misit Clemens Pontifex hoc diploma anno sequenti.

Dilecto filio Talairando tituli sancti Petri ad Vincula Presbytero Cardinali.

Petitionis dilectorum filiorum Generalis, & Prouincialium Ministrorum Ordinis Fratrum Minorum, Nobis nuper exhibitæ series continebat, quòd ipsi dudum in suo Generali Capitulo Massiliæ celebrato, diligentiùs attendentes, quòd bonæ memoriæ Iacobo sancti Georgij ad velum aureum Diacono Cardinale protectore, gubernatore & correctore ipsius Ordinis deputato auctoritate Apostolicâ (sicut Domino placuit) ab hac luce subtracto, dictus Ordo protectoris & gubernatoris, & correctoris erat præsidio destitutus, & cupientes super hoc salubriter prouideri, Te, quem ad eundem Ordinem affectu syncerae deuotionis, & beneuolentiæ specialis indubiè confidunt affici, vnanimiter & concorditer, ad huiusmodi protectoriæ gubernationis, & correctionis officium elegerunt. Quare Nobis humiliter supplicarunt, vt iuxta sui Ordinis præceptum regulæ, Te, in protectorem, gubernatorem, & correctorem prælibati Ordinis concedere dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem ipsum intra nostra & Sedis Apostolicæ præcordia recumbentem prosequimur fauoribus dilectionis paternæ, supplicationi huiusmodi benigniùs inclinati, Te, de cuius probitate, & circumspectione prouidâ plenè confidimus, in protectorem, gubernatorem, & correctorem Ordini memorato, & ipsius Fratribus, auctoritate Apostolicâ duximus tenore præsentium concedendum, sinceritatem tuam attentius exhortantes, tibique in tuorum remissionem peccaminum iniungentes, quatenus circa hæc piè, vtiliter, fideliter, prout tibi ministrauerit Dominus, te impendas. Nulli ergo, &c. Datum apud Villam-nouam Auenionen. Diœcesis, quarto Kalendas Octobres, anno II. P. otector M. norū.

Cum scripsisset Clemens VI. ad imperij Electores, vt repudiato Ludouico Bauaro alium eligerent Cæsarem, Carolus Morauiæ Marchio vnâ cum parente Bohemiæ Rege conuenit Pontificem; actum de eligendo Carolo in Imperatorem, Cardinale Petragoricensi rem promouente, cui contradicebant Ioannes Rex, & Raymundus Cardinalis Conuenarum, nihilominus conditionibus quibusdam oblatis Auenione subscripsit. Carolus vi-

gesimo secundo Aprilis anno M. CCC. XLVI. Electio deinde facta duodecimo Iulij apud Rensium ab Imperij Electoribus eos Gerlaco Electore Moguntino conuocante, quem Clemens substituerat in Herrici Wembergij Archipræsulis Moguntini excommunicati locum Bauaro nimium fauentis. Bonnæ ab Archiepiscopo Coloniensi coronatur Cæsar Carolus.

Petragorij Capellam sancti Antonij dotauit cum duodecim Capellanis, hinc diploma Pontificium Clementis VI. anno M. CCC. XLVII.

Alterâ vice Legatus in Gallijs, Innocentio VI. anno M. CCC. LVI. cum Nicolao Capoccio Cardinale sancti Vitalis, ad animos Eduardi Walliæ Principis, qui Burdegalâ discedens Aurelianensem Prouinciam ferro & igne depopulabatur, & Ioannis Franciæ Regis numerosissimum tunc habentis exercitum, animos, inquam, conciliandos; sed frustra; pugnatum enim iuxta Pictauium duodeuigesimo die Septembris eiusdem anni. Anglis cessit victoria Rege captiuo, & in Angliam ducto, vt aliàs notauimus: antequam pugnaretur obtinuit vnius diei inducias, imò Anglus fidem dederat, & promissum non pugnandi saluo iure suo, & honore exercitus, Gallorum tamen vicit impatientia & suspicio de Talairando, quod haberet in acie Anglicanâ tres consanguineos.

Talairandus vna cum Carolo Franciæ Delphino Carolum IV. Imperatorem conuenit, vt eius auctoritate Ioannes Rex Caroli Parens è carcere Anglicano liberaretur; mox traiecit in Angliam, serióque egit cum Eduardo de dimittendo Ioanne: sequuta pax Britiniacensis M. CCC. LIX. quâ statutum est Prouincias Pictauiensem, Agennensem, Petragoricensem, Lemouicensem, & Engolismensem cedendas summo iure ipsi Anglo.

Pax Britiniacen.

Cardinalis Auunculus Caroli Dyrrachij, seu Durazzij Ducis Neapolitani, Regni incubatoris, Mariam neptem ex filio prædefuncto Regis Roberti, matrimonio iungi Carolo procurauit, dispensatione à Clemente obtentâ, quem cædis Andreæ Regis conscium accusabat Ludouicus Rex Hungarus apud Clementem, & quòd suum nepotem Carolum Dyrrachij Ducem Regni successorẽ destinasset, obijciebat; cùm enim Ioanna Neapolitana Andream consobrinum Hungarum virum duxisset, eæ nuptiæ non placuerunt: vix igitur delibatis Regni fascibus infami laqueo perimitur Andreas à Ioannâ vxore (vt referunt) parato; gestabat interim vterum Ioanna, viroque defuncto Carolum Martellum enixa est: legitur enim in Ptolemæo Lucensi, dictâ Dominâ Ioannâ Reginâ eius Andreæ scilicet vxore prægnante, ex quâ natus est postmodum filius Carolus dictus Martellus; continuò Ioanna Ludouico Tarentino consanguineo nupsit, & Ludouici Hungari aduentu territa in Prouinciam Phocensem tribus triremibus nauigauit Summum Pontificem deprecatura, vt nuptias etsi iure damnatas laudaret. Ludouicus porrò Neapolitanus Rex decimo regni anno decessit; sic enim loquitur Ptolemæus Lucensis, qui se illâ ætate vixisse insinuat, nec librum suum vltra perduxit. Anno, inquit, Domini M. CCC. LXII. die vigesimâ sextâ mensis Maij, quâ die fuit festum Ascensionis Domini, obijt prædictus Ludouicus Rex Siciliæ, Neapoli, completis decem annis integris à die suæ coronationis, consecutoque post anno tertias, eodem authore, adiuit nuptias Ioanna, his verbis. Anno Domini M. CCC. LXIII. com-

Plures Ioannæ mariti.

Ptolemæus Lucen.

pleto anno obitus prædicti Regis Ludouici ſupradicti, Domina Ioanna Regina contraxit matrimonium cum Domino Iacobo Rege Maioricarum, cum quo nupta manet ad præſens. Porrò Carolus Nepos Talairandi in eâdem arce Auerſanâ, vt ſceleris author habitus, à lictore fuit occiſus iuſſu Ludouici Hungari, Neapolim cum exercitu, vt fratris mortem vlciſceretur, contendentis. Bonfin. li. 11 hiſtor. Hungar.

Apud eundem Cardinalem animi arcana reſerat Petrarcha ad eum datâ epiſtolâ, dum dolet ſe falsò accuſatum Magieæ artis, & Pontificem Innocentium id credidiſſe perſuaſum à iureconſultiſſimo ante Pontificatum. Mortuo Sicophantâ Innocentius crimen falſum nouit viro doctiſſimo obiectum: itaque Petrarcha, qui tum agebat in Italiâ, rogatur, & donis & precibus Auenionem repetere, & fore Pontificis ſcribam, à quo munere obeundo ſeſe excuſatum voluit ſenectutis ergò.

Franciæ Rex Ioannes Vrbanum Auenione inuiſit; initio Pontificatûs decreta eſt Tranſmarina profectio contra Sarracenos, cuius Dux conſtitutus ab Vrbano ipſe Ioannes, & Talairandus Epiſcopus Albanus Legatus à latere, qui Regem comitaretur: vterque morte præuentus non potuit rem aggredi. Ioannes Londini moritur anno M.CCC.LXIV. Petrus Rex Cypri eorum loco profectus ciuitatem Alexandrinam obſedit, vique cepit, vndecimo Octobris, anno ſequenti. Bernardus Guido in Chron.

Liberatus de mortis corpore Auenione anno M.CCC.LXIV. decimo quinto Calendas Februarias, ibidem tumulatus. Paulò ante obitum auctor fuit Collegij nuncupati Petragoricenſis Toloſæ; cui coronis impoſita à Gregorio XI. diplomate dato Auenione die v. Octobris, anno ſui Pontificatûs quinto.

Multa præclara facinora huiuſce Cardinalis celebrantur in Trigenario pro animæ requie, ab optimis Patribus Carthuſianis in Capitulo Generali congregatis ipſi Cardinali conceſſo, cuius meminit Hiſtoriographus Præſulum Petragoricenſium in Andoino & Guillelmo Epiſcopis, ita habet Conceſſio. Domum, ſeu Monaſterium Vallis Claræ noſtri Ordinis inchoatum, per inclytæ recordationis Principem Archimbaldum Comitem Petrachorenſem germanum ſuum præclariſſimum, quaſi in primo lapide præmaturâ morte, ſed tamen deuotâ & Deo gratâ ſublatum erexit, muniuit, magnificéque dotauit, & nihilominus quaſi deſuper abundanti pro ſupplemento aliquorum ædificiorum reſtantium, duodecim millia Florenorum in manibus Ordinis nouiſſimè numerauit. Ioann. du Puy Franciſc.

Parma Comitum Petragoricenſium miniata, tribus Leonibus aureis inſilientibus impreſſa, quæ in multis ſacris ædificijs conſpicitur, etiam in Abbatiâ de Chancelade Ordinis Auguſtiniani, Diœceſis Petragoricenſis, cuius Cœnobij erat Archimandrita noſter Cardinalis. Scutum Petragoricenſe.



Anno Christi M. CCC. XXXI.

HAYMERICVS DE CHALVZ CARDINALIS SANCTI MARTINI . IOANNE XXII.

IN Lemouicibus vir nobilitate, & virtute insignis Archidiaconus in Ecclesiâ Turonensi Iuris tum Pontificij, tum Cæsarei Doctor, Triumuir ciuitatis Ferrariæ in temporalibus administrandæ à Ioanne XXII. constituitur anno M.CCC.XXVI. inde Flaminiæ Rector & XCI. Rauennas Archiepiscopus, septimo Idus Apriles, anno Pontificatûs Ioannis septimo, post Raynaldi Polentani Archipræsulis electi non confirmati necem; ne quid enim detrimenti Ecclesia Rauennatensis acciperet Pastore orbata, Archiepiscopum illi præfecit Haymericum à Castro-Lucerij Æmiliæ Rectorem virtutibus clarissimum, vt præstò esset Bertrando Cardinali contra Estenses, qui Ferrariam vsurparant; eidem præscribit Pontifex, nisi infra dies triginta Atestini se Principatu abdicent, eos excommunicatione percellat.

Rubeus l. 6 histor. Rauenn.

Pigna. l. 4 histor. Atestinæ.

Carnotensis Ecclesia in Gallijs illi committur LXXXI. Præsuli, & S.R.E. Presbyter Cardinalis tituli sancti Martini in montibus creatur à Ioanne Pontifice anno M.CCC.XXXI. Auctor tamen appendicis Chronici Bernardi reponit eius creationem in Clemente V. anno M.CCC.XLII. Idem Pontifex Haymerico Prouinciæ Flaminiæ Rectori scribit, anno sequenti, octauo Idus Februarias, vt diligenter inuigilet, ne Veneti se patronos perduellium Romanæ Ecclesiæ profiteantur: alioquin, inquit Pontifex, tam Apostolicâ, quam Imperiali auctoritate, quæ in Nos pro eo, quòd Romanum Imperium Imperatoris regimine caret, ad præsens residere dignoscitur, compellere non omittas, rescripturus Nobis per tuas patentes literas, vel instrumentum publicum harum seriem continens, quicquid in præmissis duxeris faciendum. Alteris literis Summus Pontifex Rauennates, cæterosque Æmiliæ Proceres ac Decuriones scriptis hortatus est, vt Haymerico Rectori stipendia persoluerent, quæ superioribus annis in Equites trecentum, totidemque Pedites solui consueßent; ipsorum id Prouincialium custodiæ, & quietis causâ fieri; ad hæc ne vnquam reciperent, Andream Lippatiumque Auximates, Gonzolini filios, Tarabocum, Raynaldutij Tarabocti F. Anconitanum, aliquosque præterea Recinetenses, qui Auximatis, & Recinetensis defectionis fuerant authores. Iam enim eos à Laurentio

Rector Haymer. in Æmilia & Flaminia.

rentio

rentio Mondainense Franciscano, Fidei Quæsitore, Hæreticos atque Idololatras obscœnum domi idolum colentes, esse declaratos. Quapropter in Flaminiam si peruenirent, eos caperent, inque custodiâ haberent, & Haymerico Prouinciæ Rectori interim fauerent.

Clemens VI. Pontifex anno primo Haymericum vices agentem, & quem vocant Baliuum pro Sede Apostolicâ in Regno Neapolitano constituit, neque potuisse Robertum Regem, aut Gubernatores Regno, aut Curatores Ioannæ citra Summi Pontificis voluntatem præficere declarauit, omniaque ab eis gesta hactenus edixit irrita, totiusque Regni Imperium, & rerum gerendarum prouinciam Haymerico Vicario concessit, qui solus Regiâ vsus est potestate.

A Ioanná Reginâ nepti Roberti Regis ex Carolo filio prædefuncto sacramentum clientelæ recepit Pontificius Legatus, & Regni homagium, vt vocant, Neapoli in templo Diuæ Claræ, die vltimo Augusti anno M. CCC. XLIV. præsentibus Andreâ eiusdem Reginæ spôso, Roberto Romaniæ Despotâ, Achaiæ Principe, Carolo Duce Durazzi, & Ludouico Tarentino eiusdem Reginæ fratribus, & Reuerendis Dominis Ioanne Archiepiscopo Neapolitano, Rogerio Episcopo Barrensi, Philippo Episcopo Cauillonensi eiusdem Ioannæ Cancellario, aliisque innumeris.

Haymericum in Regno Neapolitano Legatum continuari voluit Clemens, Andreâ resti interfecto, ne Regnum periculo exponeretur Ioannæ impotentiâ, & donec constarent parricidij Andreæ complices, an de eorum numero Ioanna, quæ funeratam Andreæ libidinem aliàs querebatur; suo itaque Legato Cardinali, & Nouello, ac Bancio Comiti Adriæ dedit in mandatis Clemens, vt inquirerent in sceleris auctores. Accusabatur Carolus Durazzius sceleris auctor, & consilij Ioannæ dati, vt sibi ad Regnum viam aperiret. Vrsus Minutolus Canonicus Neapolitanus miseratione commotus corpus Andreæ Regis ære collato Aversâ Neapolim transferri curauit, & in Basilicâ Cathedrali, & in capellâ Diuo Ludouico sacrâ deposuit; diutius in sarcophago ignobili iacuit, donec Franciscus Capicius Abbas tumulum candido marmore erexit.

Strangulatus Rex Andreas.

Collenut. l. 5. histor. Neapol. Summont. li. 3 histor. Neapolit.

Andreæ Caroli Vberti Pannoniæ Regis F. Neapolitanorum Regi, Ioannæ vxoris dolo, & laqueo necato Vrsi Minutoli pietate hîc recondito, ne Regis corpus insepultum sepultumve facinus Posteris remaneret. Franc. Berardi filius Capicius Tit. nomenque. Mortuo annorum xix. M. CCC. XLV. xv. Kal. Octobr.

Interim Regnum nomine Pontificio administrabat Cardinalis sancti Martini, cuius commissio reuocatur post biennium, rogatu, & Reginæ, & Regni. Ioanna timens sibi à Ludouico Hungaro fratre Andreæ, nupta Ludouico Tarentini Principis filio, pacem cum Ludouico Rege Trinacriæ adhuc puero init, quâ ius omne Siciliæ ei permittit. Siculus vectigal annuum, & auxiliares copias promittit contra Hungarum, & Regni Neapolitani inuasores.

Romam accedit ad sedandas seditiones, quas excitarat Tyrannus Nico-

laus Gabinus homo ex argilla lutoque fictus; natus enim erat Romæ Patre popinario, matre Magdalenâ lotrice, & aquæ baiulâ, qui tamen populum coëgit, ad sibi deferēdam Tribunitiam potestatem. Legatus in Vaticanum Palatium descendit, Tribunoque diem dixit: venit ille non vt reus, sed Imperatorio paludamento, & Dalmaticâ gemmis & auro ornatâ indutus, diadema capite, virgam chalibæam manu ferens; personabant illi tubicines: hæc Haymericum alloquitur; Cur audaciâ insigni se euocasset, quidque illi secum esset; nomine Summi Pontificis aliqua se habere nuncianda significauit Legatus; verum Nicolaus in furorem raptus, à quo, inquit, Pontifice? Cogitur tempori seruire Cardinalis videns hominem vesanum militibus cinctum, cui anathema dixit postea à Lucâ Sabellio, & Sciarrâ Columnensi animatus; tandem à plebe Romanâ pulsus Tyrannus Vrbe aufugit.

Gabinus homo nihili vt Rex incedit.

Hac priuatur lucis vsurâ Haymericus anno M.CCC. XLVIII.




ANNO CHRISTI M. CCC. XXXI.

IMBERTVS DV PVY CARDINALIS BASILICÆ XII. APOSTOLORVM IOANNE XXII.

Bernard. Guido in Chronic.

AGER Montis-pessuli produxit Imbertum, cuius meminit Bernardus Guido. Ioannis Papæ erat propinquus. Protonotarius Apostolicus. Cardinalitiam accepit Auenione purpuram à Ioanne Pontifice anno M. CCC. XXXI. in quartâ Cardinalium lectione, feriâ sextâ quatuor temporum Aduentûs, primùm Cardinalis Diaconus, postèa Presbyter tituli SS. XII. Apostolorum. Interfuit electioni Benedicti XII. anno M. CCC. XXXV. & promotioni Clementis VI. Pontificis anno M. CCC. XLII. Vnâ cum Clemente VI. subscripsit priuilegio Monialium Diui Francisci, Diœceseos Eliensis, secundo Kalendas Maij anno M. CCC. XLVIII.

Moritur Auenione anno M. CCC. L. Scutum eius aureum Leone cæruleo, linguâ, faculis, & coronâ miniatis exaratum.



BERTRANDVS DEVCIVS EBREDVNENSIS ARCHIPRÆSVL CARDINALIS SANCTI MARCI BENEDICTO XII.

Anno Christi M. CCC. XXXVII.

SENARIO Cardinalium numero vnica Patrum promotio à Benedicto XII. facta comprehenditur. Quinque Galli;è quibus Petrus Rogerius, postea Clemens VI. vnus Italus nimirum Gotius de Ariminis, quem Ciaconius facit Gallum Tolosatem, & Præsulem Vasionensem, qui sub Viennensi olim erat Archipræsule, nunc in Metropoli Auenionensi; sed nihil horum veritati consonum videtur. Enimvero Gotius patriâ Ariminensis, cognomento de Battagliis è familiâ Nobili Ariminensi, quæ etiamnum est superstes. Ex testamento enim anno M. CCC. XLV. die Augusti decimo sexto iussit Gotius sanæ mentis & corporis cineres asportari Ariminium in fratrum suorum sepulturam, in capellam scilicet Protomartyris Stephani, quam extruxerat, vt & aliud fabricari curarat sacellum sanctæ Priscæ in templo principe, vbi hæc leguntur in marmore. *Anno Domini M. CCC. XL. Dominus Gotius de Battaglijs Iuris vtriusque professor S. R. E. Cardinalis fecit fieri hanc capellam, & de suo proprio eam dotauit.*

Cardinalis Gotius non est Tolosanus.

Dicamus huiusce promotionis fuisse Bertrandum Deücium Vticensem, natum in oppido Blandiaco, pietate & literis illustrem, Legum Pontificalium, & Cæsarearum Doctorem, Archipræsulem Ebreduni, qui interfuit Concilio Auenionensi Gasberto Archipræsule Arelatensi Præside (Ioannes tunc erat Episcopus Auenionensis) anno M. CCC. XXXVII. in Ecclesiâ *S. Rhus.* extra muros Auenionenses; ei itaque præsens fuit Archiepiscopus Ebredunensis cum Suffraganeis Bertrando Episcopo Sanicienfi, Eliâ Episcopo Diniensi, Iacobo Episcopo Glandatensi, Arnaldo Episcopo Venciensi, Guillelmo Episcopo Niciensi, Gofredo Episcopo Grassensi. Eidem interfuit Arnaldus Archiflamen Aquensis cum Suffraganeis. Inter alia decretum fuit, vt nullus in festis Paschalibus synaxim acciperet, nisi in Parœciâ;& ne ante fores excommunicatis amplius proijcerētur lapides, nec deferretur Libitina, quæ erat mortuorum dea, videlicet feretrum, solebatq; decantari officium Defunctorum.

Episcopi in Synod. Auenio.

Libitina.

Presbyterum Cardinalem tituli sancti Marci creari voluit Benedictus

XII. anno M. CCC. XXXVII. aliis octauo, die decimo quinto Calendas Ianuarij, Auenione, quarto sui Pontificatûs anno, postea Episcopus Sabinensis est delectus. S.R.E. Vice-cancellarius.

Mandato Pontificis Clementis ad Petrum Arragonensem Regem se contulit anno M. CCC. XLIII. ad sedandum Balearium, & Arragoniæ Regum bellum; inducias inter Reges statuit decimo septimo Calendas Septembres cum administro Legationis Oliuerio Valentino Episcopo.

Clemens VI. in Italiam legauit ditionis Ecclesiasticæ reformandæ, & protegendæ gratiâ. Inducias Bertrandus inter Vrsinos & Columnenses Proceres Romanos, qui partes Guelphorum & Gibellinorum tuebantur, ad biennium pactas in Ecclesiâ Capitolinâ Aræ cœli, præsente Clero, Senatu populoque Romano, ad diem Ianuarij decimum tertium anno M. CCC. XLVI. publicatas roborauit, & violantibus anathema dixit. Etiam eodem anno Regnum Neapolitanum petijt ob cædem Regis Neapolitani Andreæ; at à Reginâ & Regni Regulis, ac Proceribus non eo, quo decuit, honore fuit exceptus, videnſque nullam spem, & remedium esse rebus quasi in extremum reductis secessit Beneuentum, diuque illic commoratus flocci à pluribus æstimatus, vir alioquin non satis æstimandus. Postea egit cum Ludouico Rege Hungariæ fratre Andreæ Regnum ingresso ad vltionem de cæde fraternâ repetendam, egit inquam, vt res componeret, Pannoniamque reuerteretur.

Anno sequenti Fidei propagandæ inuigilans constituit Hæreticæ prauitatis Inquisitorem in Italiâ Ioannem Spellanum Minoritam datis ad eum literis. Bertrandus miseratione Diuinâ tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, terrarum ac Prouinciarum Romanæ Ecclesiæ in partibus Italiæ consistentium Reformator, & Vicarius Generalis. Dilecto in Christo Fratri Ioanni de Spello Ordinis Fratrum Minorum, salutem in Domino.

Inquisitio facta.

Inter sollicitudines varias, quibus ex officio iniunctæ nobis Legationis adstringimur, sollicitè cogitare nos conuenit, vt officium Hæreticæ prauitatis exerceatur sollicitè, & personis talibus committatur, quòd eorum sacro ministerio errantes ad lumen redeant veritatis. Nuper siquidem Sanctissimus Pater, & Dominus noster, Dominus Clemens Diuinâ prouidentiâ Papa VI. nos ad Regnum Siciliæ, & totam terram ipsius Regni citra Pharum & Tusciam, ac nonnullas alias partes & Prouincias in literis Domini Papæ nobis super nostrâ Legatione concessis specialiter nominatas, cōmisso nobis plenæ Legationis officio in eisdem pro vrgentibus & arduis Ecclesiæ Romanæ negotiis destinans nobis concessit suas Apostolicas literas his verbis.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Bertrando tituli S. Marci Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Plenam de tuæ probitatis, & circumspectionis tuæ prudentiâ, & donis virtutum tibi concessis à Domino fiduciam obtinentes, te ad Regnum Siciliæ, terras ac Prouincias Ecclesiæ Romanæ immediatè subiectas, cæterasque partes Italiæ plenæ Legationis officio, & aliis negotiis tibi

per Nos commiſſis, varijs & diuerſis, de Fratrum noſtrorum conſilio prouidimus deſtinandum. Cupientes itaque Fidei negotium ſic ſollicitè vbique dirigi, quòd nihil circa illud inhoneſtum committatur, quomodolibet, vel ſiniſtrum: vt per te, vel alium, ſeu alios, de Inquiſitorum Hæreticæ prauitatis infra terminos Legationis tuæ conſtitutorum exceſſibus inquirere, ac de illis quibuſuis conquerentibus iuſtitiam facere, ac de quibus tibi videbitur, illos ab officijs remouere, & alios ſubſtituere valeas, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, plenam tibi concedimus tenore præſentium poteſtatem. Datum Auenione, IV. Idus Augusti, Pontificatûs noſtri anno quinto.

Ædem D. Deſiderij Auenionenſem erexit, dotauit, Monaſteriumque Carthuſienſe ibidem condidit.

Mortalis eſſe deſijt duodecimo Calendas Nouembres, anno M. CCC. LV. ſepultus in Eccleſiâ D. Deſiderij cum hoc epitaphio.

Hic iacet bonæ memoriæ Bertrandus de Deücio Gallus Caſtri de Blandiaco, Vticenſis Diœceſis, Legum Doctor egregius, qui fuit Ebredunenſis Archiepiſcopus, & deinde tituli S. Marci Presbyter Cardinalis, & demum Epiſcopus Sabinenſis & S. R. E. Vicecancellarius, vir magnarum virtutum & ſcientiæ, qui de ſuis bonis hanc ſacram Eccleſiam dotauit, & fieri ordinauit. Obijt autem Auenione XXI. Octobris, ibidem Curiâ Romanâ reſidente anno à Virginis partu M. CCC. LV. *Domini Innocentij Papæ VI. tertio, cuius anima in pace quieſcat.*

Scripſit vitam & Paſſionem Chriſti carmine Sapphico.



BERNARDVS DE ALBIA EPISCOPVS RVTHENENSIS CARDINALIS SANCTI CYRIACI IN THERMIS BENEDICTO XII. ANNO CHRISTI M. CCC. XXXVII.

PETRVS Petrarcha Poëta laureatus ſæpe-numerò in epiſtolis meminit Bernardi cognomento de Albia, Diœceſis Apamiarum, interque alia ad eum ſcribit. Petrarcha varijs epiſt.

Dij tecum vberius, quoniam tibi conscia cœli
Vox adamantina est, calamus quoque ferreus, omnes
Promptus ad insultus, pleno tibi copia cornu
Copia suppeditat, versus breuis hora trecentos
Et septemdecies excudit.

Floruit etiam ipse Poëta celebris, & Euangelistes facundus maximâ ingenij pollens acie. Episcopus Ruthenensis successorem habuit Gilbertum à Cantobrio Monachum Benedictinum Bertrandi de Turre Cardinalis Protoepiscopi S. Papuli nepotem.

Bernardum numero Cardinalium Presbyterorum adscripsit Benedictus XII. anno M. CCC. XXXVII. decimo quinto Kalendas Ianuarij, tituli S. Cyriaci in Thermis, de quo Appendix Bernardi Guidonis, qui Chronicon suum Ioanni XXII. dicauit anno M. CCC. XX. & M. CCC. XXXI. Lodeuæ viuendi finem fecit, in Cœnobio Dominicanorum Lemouicensium voluit testamento tumulari. Fuerat vir doctrinâ & Religione clarissimus in Albigenses, hostes illos Christiano nomini infensissimos, cœlis terrisque execrandos, Fidei Generalis Inquisitor à Sede Apostolicâ deputatus: illud verò Chronicon, seu Historiæ speculum Berengarij Ordinis Prædicatorum decimi tertij Magistri Generalis, postea Archiepiscopi Tolosani imperio composuisse referunt; hunc eundem Bernardum Lodeuensi Episcopatui præfuisse notum est ex catalogo Præsulum Lodeuensium in lucem emisso ab eiusdem Sedis illustrissimo Præsule Plantauitio Pausæo, qui linquam Hebraicam ad miraculum nouit; Chronico & appendici Summorum Pontificum Auenione sedentium notas eruditione plenas adiecit Franciscus Bosquetus Narbonensis IC. Ecclesiasticæ antiquitatis studiosissimus.

Appendix Bernardi Guidonis in Bened. 12. Mors Bernardi Guidon.


Subscripsit cum Pontifice Clemente priuilegio concesso Monialibus Cœnobij S. Claræ de Manuasca Sistaricensis Diœcesis, anno M. CCC. XLIII. die secundo Nonas Aprilis.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Et ego Gotius tit. S. Priscæ Presbyter Cardinalis subscripsi.
Et ego Bertrandus tit. S. Martini Presbyter Cardinalis subscripsi.
Et ego Bernardus tit. S. Cyriaci in thermis Presbyter Card. subscripsi.
Et ego Guido tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis subscripsi.

Clem. 6. ep. 124.

In Hispaniam proficiscitur ad Petrum Arragoniæ Regem, & Iacobum Maioricarum à Clemente VI. missus, anno M. CCC. XLVII. Petrus à Iacobo repetebat terras; hinc orta dissensio, & bellum intestinum. Bernardus Legatus ab eis inducias impetrauit, vt suo tempore fœdus inirent; Petrus Rex à falsis suggestoribus inductus Episcopo Gerundensi, & Canonicis infensior, toto Regno eos eiecerat, à Sede Apostolicâ excommunicatione percussus: ad cor rediens proscriptos reuocauit, supplex à Pontifice obtinuit, vt Bernardus Cardinalis ipsum anathemate solueret, & sacra vniuerso Regno interdicta postliminio restitueret.

Obijt anno M. CCC. XLVIII.



GVILLELMVS D'AVRE CARDINALIS SS. IV. CORONATORVM BENEDICTO XII.

ANNO CHRISTI M.CCC. XXXVII.

IN Montis-Oliuarum Cœnobio Benedictini Ordinis, Diœcesis Carcassonensis Monachismum professus est Domnus Guillelmus de Aura, ibidemque Cœnobiarcha, Professor iuris Canonici & Ciuilis.

Cardinalitiâ indutus purpurâ tituli SS. quatuor Coronatorum Martyrum à Benedicto XII. anno M.CCC. XXXVII. demum Episcopus Tusculanus à Clemente VI. M.CCC. L. die XV. Kalendas Ianuarias.

Anno verò sequenti, qui fuit M.CCC. LI. in Cataloniâ Edicto generali Perpiniani in Curiâ Decembris XXV. à Petro Rege Arragonensi constitutum fuit, ne Calendæ à Notarijs in instrumentis publicis adscriberentur, nec etiam annus ab Incarnatione Domini, sed à Natali inchoaretur; quod tamen à Genebrardo refertur ad annum M.CCC.LVIII. idemque pariter actum à Ioanne primo recenset Mariana apud Castellanos anno M.CCC.LXXXIII. apud Lusitanos à Ioanne etiam primo anno M.CCCC.XV. idem innuit Mariana; atque inde fuit obliterata in publicis Hispaniarum monumentis & expuncta Æræ mentio.

Genebr. l.4. Chronol.


Mariana l. 5. de rebus Hispan.

Porrò Æra illa, quæ ab Hispanis fuit expuncta, Cæsarea fuit: enimuero illa à Cæsare Augusto constituta est, & ab eo anno deducta, quo æs in tributum ab illo, & cēsus dari iussum est, & initium annorū numerandorum inibi fixum & statutum: quemadmodum Æra quondam Narbonassari ab authore fuerat constituta: alio etiam nomine Epocham appellant. Incidit autem Æra Augusti in annum ante Christi Natalem XXXVIII. hæcque Æra in perpetuum Hispanorum decreto è suis chartis reiecta fuit annis superius citatis.

Æra Hispanica sublata.

Suo firmauit chirographo cum alijs Cardinalibus collegis priuilegium datum ab eodem Clemente, anno M.CCC.XLVIII. Monasterio Sanctimonialium D. Francisci Diœcesis Eliensis, subscripsitque hoc modo. Guillelmus Cardin. SS. IV. Coronatorum, vnde apparet Auctorem appendicis Chronici Bernardi Guidonis non appositè vocare Cardinalem S. Stephani in Cœlio monte.

Epidemiæ morbo infectus efflauit animam Auenione, pridie Idus Iunij, anno M.CCC.LXI.



ANNO CHRISTI M. CCC. XXXVII.

GVILLELMVS CVRTI CARDINALIS SANCTI STEPHANI DICTVS ALBVS BENEDICTO XII.

Append. Bernardi Guid. in Bened. 12. Bosquet. in Notis

PATRIA Tolosas Benedicti XII. ex fratre nepos, in Balbonensi Andrio, Cisterciensis Ordinis, Patrui sui Pontificis, qui ab adolescentiâ Monasticum eo in loco habitum induerat, vestigijs inhærens, virtutes imitatus & ipse nomen eidem Ordini dedit, in virum eruditum, & pium euasit. In eo Balbonensi Cœnobio sepultus Rogerius Comes Flussatum, anno M.CC. LXXII. die sexto Kalendas Maias in Ecclesia S S. Philippi & Iacobi, quam erexerat.

Lutetiæ Parisiorum in Collegio Bernarditarum à Patruo renouato operam nauauit literis & Philosophicis & Theologicis, tandemque laureâ Doctorali ornatus. Abbas sui Cœnobij electus, & à Cistercienfibus magnus Ordinis Pater nuncupatus. Albiensis ciuitatis (quæ Gregorio Turonensi est Albiga) Præsulem numerat Claudius Robertus post Bernardum Seneceyanum, Monasterij Conceptionis B. Mariæ in vrbe Albiensi fundatorem: in eo nunc degunt Annunciatæ Sorores. Verum Guillelmus Curti non fuit Albiorum Antistes, sed alter Guillelmus, qui lituum Albiensem breuì tenuit moriens anno M.CCC.XXXVIII. nec etiam fuit Archipræsul Arelatensis (quibusdam contrarium sentientibus) vt obseruauit eloquentissimus Saxius.

Non fuit Albien. Episc.

Saxius In Pontif. Arelat.

Cardinalis Presbyter tituli S. Stephani in Cœlio monte à Benedicto XII. Patruo, cuius nomen Cardinalitium sortitus, anno M. CCC. XXXVII. Prouinciam commisit Pontifex Guillelmo Cardinali nepoti, vt cum Nuncijs Ioanne Episcopo Cracouiensi, & Niemira Nobili Polono Casimiri Regis Poloniæ & Cruci-ferorum tunc Auenione præsentibus ageret, & inter Cruci-geros, & ipsum Regem pacem stabiliret.


In Italiam missus à latere Legatus à Clemente VI. anno M.CCC.XLII. decimo quarto Kalendas Augusti; aliquos annos illic permansit ad sopienda bella; eò etiam mandatus Haymericus Cardinalis, secundo Idus Octobres,

bres, vt Italiæ Principes contra Ludouicum Bauarum excitaret nolentem imperio se abdicare; Ludouicus, repetitâ sæpius Legatione, egerat apud Pontificem de solutione excommunicationis, quæ ei denegabatur; ex Abbate Trithemio. Interim diem claudit extremum Robertus Rex Neapolitanus, anno sequenti, die Ianuarij decimosexto Ioannâ, Mariâ & Margaretâ ex Carolo Duce Calabriæ neptibus superstitibus; Regni possessio Ioannæ tradita, anno M.CCC.XLIV. die vltimâ Augusti, & Andreas maritus à Guillelmo Episcopo Carcassonensi Legato coronatur; præpositus ab eodem Clemente cum Talairando Episcopo Albanensi & Ægidio Albornotio Cardinale sancti Praxedis, ad conciliandos Venetorum & Genuensium animos; hi nolebant è Corsicâ Insulâ excedere, neque Sardiniâ, ius belli opponentes. Ioannæ duæ Sorores. Ioannes Villan. l. 12. c. 50. Zurita li. 3. de rebus Arragon.

Collegium Cisterciense in florentissimâ Parisiensi Academiâ, vulgò Bernarditarum appellatum, perfecit à Patruo Pontifice incœptum, templum etiam celebre ibidem extruxit, cui coronidem imponere non potuit morte præuentus. Libris quam plurimis Bibliothecam exornauit, sexdecim Theologiæ operam dantes in perpetuum instituit. De quibus hæc inscriptio legitur pro templi memorati foribus.

Dominus Guillelmus quondam Cardinalis Doctor Theologiæ, Tolosanus natione, Cisterciensis religione, Ecclesiam præsentem ad perfectionem, qualem obtinet, perduxit, Bibliothecam insigniuit, sexdecim scholares in Theologiâ studentes perpetuò fundauit.

Mortalis esse desijt Auenione, anno M. CCC. LVI. De eo VVion, Sylvester Maurolicus, Genebrardus, & Historici Cistercienses. Vvion. l. 1. ligni Vitæ. Syluest. Mauro. in Oceano. Genebr. l. 4. Chronologiæ.



ADEMARVS ROBERT CARDINALIS
SANCTÆ ANASTASIÆ
CLEMENTE VI.

Anno Christi M. CCC. XLII.

AQVITANVS Ademarus cognomento Robertus Sedis Apostolicæ Notarius, quem in Diœcesi Lemouicensi natum refert auctor appendicis Bernardi Guidonis, I. V. Doctor, Episcopus Lexouiensis post Gui- Append. Bern. Guidon. in Clem. VI.

donem de Harcuriâ defunctum vigesimo quarto Aprilis, anno M.CCC. XXXVI. Atrebatensis, Morinensis, & demum Archiepiscopus Senonensis LXXXVIII. quâ tempestate vixit Archidiaconus Nicolaus de Veris, postea Episcopus Cabilonensis.

In Presbyterum Cardinalem electus à Clemente VI. anno M. CCC. XLII. mense Septembri, in primâ creatione, tituli Anastasiæ. Anno sequenti Clemens in gratiam Ademari Cardinalis scripsit Eduardo Regi super carcere Anglicano Procuratorum ipsius Cardinalis prouentus annuosque redditus Ecclesiasticorum beneficiorum in Anglia requirentium; assignarat enim Pontifex nouis Cardinalibus redditus nonnullos, & beneficia ad sustinendam Cardinalitiam dignitatem; literæ Pontificiæ his verbis referuntur.

Charissimo in Christo Filio, Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Literæ Pontificiæ pro augmento prouentus Cardinalium

Dudum post creationem nouorum S.R.E. Cardinalium, prouidâ & maturâ deliberatione præuiâ per nos factâ, honoribus Dei & Ecclesiæ ac vtilitatibus Reipublicæ conuenire iudicauimus: quod Cardinales ipsi, qui super expediendis negotijs ad alueum Apostolicæ Sedis vndique confluentibus nobiscum labores & onera patiuntur, & haberent congruè, vnde suis valerent necessitatibus secundum status sui decentiam prouideri: demum excogitatis vijs & modis licitis, quibus absque maiori Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum grauamine huiusmodi prouisio sequi posset, de beneficijs Ecclesiasticis tunc in diuersis Regnis in partibus Christianitatis vacantibus, & in antea vacaturis, vsque ad certam summam, pro singulis eorum nouorum Cardinalium, & sub certis formis, & limitationibus præfatis Cardinalibus, distinctis eis, prout expedire vidimus, Prouincijs, gratias fecimus speciales. Cum autem *duobus ex eis de Ducatu Aquitaniæ oriundis, videlicet dilectis filijs nostris, Ademaro titulo sanctæ Anastasiæ & Geraldo titulo sanctæ Sabinæ Presbyteris Cardinalibus*, de huiusmodi beneficijs, in Regno, & terris tuis, Fili charissime, consistentibus, in formâ pro ipsis & alijs prædictis Cardinalibus, cum magnâ deliberatione consilij ordinatâ, gratias huiusmodi prouiderimus faciendas, ipsique pro ijs consequendis gratijs certos Procuratores, & Nuncios suos Ecclesiasticos, viros scilicet prudentes & litteratos ad partes Regni tui Angliæ destinarent, ipsi Procuratores & Nuncij postquam ad Regnum peruenientes prædictum, incœperunt ibidem Dominorum suorum prædictorum negotia prosequi supradicta, per gentes & Officiales Regios non solum impediti super eis, quin imò captiuitati, & tandem Regno prædicto expulsi cum ignominiâ, sicut infestis nimis relatibus, percepimus, extiterunt. Profectò (Fili dilectissime) si præmissa, quæ de Procuratoribus prædictis præmittimus, veritate nituntur, attentâ deuotione & syncerâ, quam ad Dominum & Sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam gerere dignosceris, sicut claræ memoriæ Progenitores tui Reges Angliæ gesserunt, dum in humanis agerent, ea de tuâ processisse conscientiâ faciliter credere non valemus.

Incarcerati Procuratores Ademari.

Certum est autem quòd non solum in Regno & terris tuis prædictis, imò quasi in omnibus Regnis & partibus, tam propinquis, quàm remotis, vbi Catholicæ Fidei viget cultus, alijs nouis Cardinalibus consimilem gratiam fecimus, in quibus rebellionem aliquam præter prædictam, quam (si vera sit) cum dolore cordis referimus factam, nullatenus audiuimus vsquequaque: satis namque honoribus & commodis Regijs credebamus, & credimus expedire, quòd Cardinales, & illi maximè, qui naturaliter afficiuntur ad honores & commoda tua Regia, in Regno & terris tuis beneficia obtineant Ecclesiastica; quia ex hoc procul dubio libentiùs & frequentiùs ad promouendos profectus Regios inducuntur, & vtinam illi, qui nutriti de micis eiusdem Romanæ Ecclesiæ, & ad honores, & status exaltati per eam, impedimenta & alia prædicta procurasse, non absque magnæ ingratitudinis vitio, & alijs suis periculis verisimiliter æstimantur, ex quibus propter hoc excommunicationibus, & alijs pœnis, & sententijs promulgatis aduersus tales à Canonibus, se periculosè nimium subiecerunt, quæ salutis, famæ & honoris Regij felicia respiciunt incrementa, fidelibus intenderent studijs, & contrarium attentando nequaquam lucra propria, sed munera Regia venarentur.

Demum Regiam rogamus Excellentiam, & in Domino attentiùs exhortamur, quatenus his, quæ præmisimus, & alijs, quæ in hac parte circumspectioni Regiæ possunt occurrere, diligenti præmeditatione intra pectoris Regij claustra discussis, ea, quæ contra dictos Procuratores Regio fauore suffultos, & quosdam alios *præfati Cardinalis Ademari*, qui postmodum in eo Regno capi & detineri dicuntur, facta fuerunt, reparari & reuocari decenter, & benignè faciat, ipsosque Procuratores Regio fauore suffultos, circa prosequenda in eodem Regno supradicta negotia plenâ securitate gaudere, pro diuinâ & nostræ, dictæque Sedis reuerentiâ faciat Regia Celsitudo; aures non accommodando Regias in illis, quæ in Dei offensam, Ecclesiæ prædictæ contumeliam, ac honoris, salutis & famæ tuæ culminis læsionem possent quomodolibet redundare; vt Dominum tibi semper propitium, & Sedem prædictam super tuis opportunitatibus constituas promptiorem, rescripturus Nobis, (fili dilectissime) quæ tua Regalis circumspectio prouiderit circa hæc ordinanda. Dat. apud Villamnouam Auenionensis Diœcesis, quinto Cal. Sept. Pontificatûs nostri anno secundo.

Mortalitatis rebus Ademarum extricauit morbus, die Conuersionis S. Pauli, anno M.CCC.LXXXIV. ad læuam maioris altaris sepultus in Metropolitanâ Senonensi.



Anno Christi M.CCC. XLII.

ANDREAS GINI CARDINALIS S. SVSANNÆ
Clemente VI.

IN hoc theatrum Gallicum non prodiret Florentinus patriâ Andreas Gini, nisi maiorem vitæ partem in Galliâ transegisset multiplici donatus ibidem Sacerdotio, Philippoque Gallorum Regi hac nomenclaturâ VI. mirificè charus, vir in rebus gerendis exercitatissimus. Caroli Regis Franciæ, & Nauarræ Clericus curauit in Ecclesiâ Carthusianorum Parisiensium capellam ædificari: vocatur ab alijs Andreas de Florentiâ. Atrebatensem imprimis rexit Ecclesiam, deinde ad Tornacensem Cathedram conscendit.

Fundator Collegij Longobard.

Gymnasium Longobardorum in suo Vrbis Parisinæ Palatio extruxit. Collegas fundatores Collegij adsciuit tres Nobiles Italos, vnum Pistorensem, alterum Modenensem, tertium Placentinum: vndecim stabilitis in perpetuum Bursarijs, datique sunt huic Collegio Protectores, Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius, & Abbas Sanuictorianus; epigrammati super huius Collegij Dotatore aurem præbeamus.

Mille trecentenos supra trigesimus annos,
Dum cœli rapido volueret axe rotam,
Ginius Attrebatum Præsul, qui Florida lucem
Ora tuo dederat nobilis Arne sinu.
Has Italis sacras Musarum condidit ædes,
Quas Lombarda nouo nomine turba tenet.
Hic vbi Phœbigenæ constant sua vota iuuentæ,
Cui tenuis census claudit ad astra viam.
Illas longa dies, lento ne subruat auro,
Debita neu studijs sportula deficiat.
Hercle cauere tuum est, sol maxime gentis Hetruscæ

Qui cupidè Musas, nec minus arma colis.
Cuique soli Thusci Francis non exter alumnus
Montius hac fidei pignora certa dicat.

Zacharias Montius Nobilis Florentinus Matthæi filius canebat.

Cardinalibus Andreas adiunctus à Clemente VI. anno M.CCC.XLII. duodecimo Calendas Octobris Auenione, tituli sanctæ Susannæ, & quidem Franco Rege Philippo Valesio instante. In Hispaniam à Pontifice Clemente anno post Cardinalatum concessum sequenti Legatus, ad Iacobum Regem Balearium, & Petrum Arragonensem sedandos bello excitatos: eò proficiscentem decessisse notat Ioannes Villanæus & Ciaconius, sed non ita est; missus etiam Armandus Auxitanus Archipræsul (Aquensem vocat Bzouius) qui inducias rogauit; Andreas Quercetanus refert missum Bernardum Cardinalem sancti Cyriaci. Ioannes Villan. hist. Flor. l.12. cap.7. Andreas Quercet. in Clem. 6.

Anno M.CCC.XLV. die Iunij vigesimâ, vitam non in Thusciâ patriâ suâ reliquit, vt aliqui volunt, sed in castro Perpiniano Regni Maioricarum, & in Diui Benedicti Cœnobio à se dotato sepulturæ locum habuit, cadauere illuc delato.



HVGO MONSTRIVS CARDINALIS SANCTI LAVRENTII IN DAMASO CLEMENTE VI.

Anno Christi M.CCC.XLII.

PONTIFICIS Clementis VI. hoc nomine frater germanus cognomento Monstrius, patriâ Lemouicensis, cuius parens Guillelmus Rosei vici in Lemouicibus Dominus, non Rosei vici Andiû ad Ligerim. In Monachum iuuenis admissus in Cœnobio Tutellensi, postea erecto in Sedem Episcopalem, non Tullensi, vt vult Trithemius, quem appellat Ioannem, à fratre Pontifice Cardinalem Diaconum creatum, testaturque scientiâ scripturarum & prudentiâ in agendis clarum extitisse, ab infantiâ Monasticis disciplinis institutum, nec minus moribus, quàm literarum studio profecisse. Episcopus Ruthenorum proclamatur, sed in nomenclaturâ huius Sedis Præsulum non reperitur, licet alium Hugonem reperiam, mense Iulio defunctum anno M.CC.XIV. Appendix Chronici Bernardi Guidonis refert electum Tutellensem, dum ad Cardinalatum promoueretur. Trithem. li.4. de viris illust. S. Benedicti cap.39. Appendix in Clem. 6.

In catalogum Presbyterorum Cardinalium tituli sancti Laurentij in Damaso relatus à Clemente fratre primâ creatione, anno M. CCC. XLII. duodecimo Kalendas Octobris Auenione. Hic Cardinalis Lemouicensis vnà cum Cardinalibus de Boloniâ & Bel-fortio (qui postea Gregorius XI,) tempore Vrbani V. anno M. CCC. LXII. litem inter Comitem Armaniacum, & Vice-comitem Turenæ sedauit iunctus sanguine, vt & alij duo Cardinales cum partibus inter se litigantibus.

Nostradamus in hist. Prouinciæ.

E viuis excessit Auenione, duodecimo Calendas Octobres anni M. CCC. LXIII. sepultus apud Casam-Dei ex Papyrio Massono, qui eum vocat Petrum.

Papyrius Massonus in Clemente 6.



Anno Christi M. CCC. XLII.

ELIAS PATRIARCHA HIEROSOLYMITANVS CARDINALIS SANCTI VITALIS CLEMENTE VI.

FRATER Elias de Nabunal Diœcesis Petragoricensis à Rodulpho Minoritâ, & Ciaconio confunditur cum alio Elia Cardinale Benedictino Innocentij VI. Consanguineum habuit Fr. Iterium de Nabunal etiam Minoritam Præsulem in Ecclesia Minociensi in Insula Cypro sub Archiepiscopo Nicosiensi. Doctor Theologus Ordinis Minorum, in cuius insignia lusit quidam Minor.

Duo Eliæ Cardd.

Binorum vis fida canum, pacemque, fidemque,
Annuit ingenij hac Nabunalde tui.

Archiepiscopus Nicosiensis, & Patriarcha Hierosolymitanus obitu Petri; retinet tamen Ecclesiæ Nicosiensis administrationem dispensatione Pontificiâ.

Venerabili fratri Eliæ, olim Archiepiscopo Nicosiano in Patriarcham Hierosolymitanum electo Administratori in Spiritualibus & Temporalibus Ecclesiæ Nicosiensis.

Cum Ecclesiarum omnium sollicitudo sedula nobis quamquam immeritis supernâ sit dispositione commissa, ille Nos regente, qui cœlum terramque regit, de statu Ecclesiarum ipsarum, & Prælatorum prudenter disponimus cum oportet, prout consideratis exactè personis, & locis &

Elias retinet Nicosien. Eccl.

temporibus & causis, eorumque circumstantiis vniuersis, cum perpensi etiam maturitate consilij, hoc in Deo conspicimus rationabiliter expedire. Sane Ecclesia Nicosiensi ad præsens vacante, pro eo quòd Nos hodie, Te, nunc Nicosiensem Archiepiscopum apud Sedem Apostolicam constitutum à vinculo, quo ipsi Ecclesiæ Nicosiensi, cui tunc præeras, tenebaris, de Fratrum, &c. & Apostolicæ potestatis plenitudine absoluentes, Te ad Ecclesiam Hierosolymitanam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo Te illi in Patriarcham & Pastorem. Nos considerantes, quòd Tu de bonis ad mensam Patriarchalem tuam spectantibus, quæ in vltra-marinis partibus consistere dignoscuntur, quæque per impios Sarracenos blasphemos nominis Christiani detinentur indebitè occupata, destitutus existis, Tibique propterea paterno compatientes affectu, dignumque plurimum atque congruum æstimantes, vt pro tuis necessariis, decentis prouisionis suffragia ex prouidentiâ Sedis Apostolicæ consequaris, ne, quod absit, necessariorum defectus Patriarchalis præeminentiam dignitatis, quâ præditus fore dignosceris, inhonoret, ac diligentiùs attendentes, quòd eidem Nicosiensi Ecclesiæ sic vacanti, cuius regimini hactenus, sicut fide dignorum habet assertio, laudabiliter præfuisti, per tuæ circumspectionis industriam in spiritualibus & temporalibus esse poteris plurimum fructuosus, prædictam Ecclesiam Nicosiensem de dictorum Fratrum consilio Tibi authoritate Apostolicâ commendamus, per Te, dum vixeris, gubernandam, administrationem plenam, generalem & liberam eiusdem Ecclesiæ ac iurium & bonorum ipsius, Tibi tam in spiritualibus quàm in temporalibus plenariè committendo, vt dictam Ecclesiam Nicosiensem tuæ gubernationi & administrationi commissam, spiritualiter ac temporaliter iuxta datam Tibi à Deo prudentiam regas, dirigas & augmentes, ac de fructibus, redditibus, & prouentibus, iuribus & obuentionibus vniuersis ad mensam Archiepiscopalem Nicosiensem spectantibus, ordines & disponas, provt veri Archiepiscopi Nicosienses, qui fuerunt pro tempore, de illis ordinare & disponere potuerunt ac etiam debuerunt, alienatione quorumlibet bonorum immobilium eiusdem Ecclesiæ Nicosiensis Tibi penitus interdictâ. Tu igitur circa eiusdem Nicosiensis Ecclesiæ regimen & gubernationem sollicitè & fideliter exercendam Te sic exhibeas studiosum, quòd præfata Nicosiensis Ecclesia, diuinâ tibi fauente Clementiâ, sub gubernatione tuâ prouidâ & salubri, votiuis continuè in spiritualibus & temporalibus amplietur commodis, & salutaribus proficiat incrementis, Nosque tuæ circumspectionis & diligentiæ fructuosum studium in hac parte dignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum Auenione, quarto Idus Iulij, anno primo.

Patriarcha Hierosolym.

Dispensatio pro Nicosien. Eccl.

Eliæ potestatem fecit idem Clemens dispensandi cum Lusignano Hugonis Regis Cyprij filio, vt in matrimonium assumeret Ecchinam Monfortij filiam sanguinis gradu coniunctam. Duæ sunt in Galliâ Mon-fortiorum familiæ vna in Neustriâ, cuius caput Tristandus Mon-fortius dictus de Bastembourg: altera ducit originem ab Amaurio filio notho Roberti Regis, huius familiæ Simon Comes Mon-fortius & Ecchina Monfortia.

Duæ familiæ Monfortiorum. Du Tillet in memor. reg. Fran.

Cardinalis creatur sancti Vitalis in prima Cardinaliũ promotione à Clemente VI. facta die vigesima Septembris, sexta feria quatuor temporum anno M. CCC. XLII. Appendix Chronici Bernardi Guidonis in Clemente. Cardinalis, inquit, tituli sancti Clementis postea Episcopus Ostiensis, & Veliternus ab Vrbano V. proinde sacri Collegij Decanus.

Ad eundem Eliam, anno Pontificatûs tertio aliqua misit diplomata Clemens hoc titulo. *Dilecto filio Eliæ tituli sancti Vitalis Presbytero Cardinali*, in quibus plura ei beneficia Ecclesiastica, & annuos confert redditus, addita quibusdam hac clausulà. Non obstantibus, quod Professor Ordinis Minorum existis.


Adfuit Comitijs Massiliæ anno M. CCC. XLIII. in quibus Fortanerius Vasallus electus Minister Generalis Minorum.

Incolatus eius non est prolongatus vltra quartum diem Nonas Octobris ex Necrologio Minorum anno M. CCC. LXVII. Auenione sepulturâ donatus apud Minores.

Scripsit super quatuor sententiarum libros.

In Apocalypsim.

De vitâ contemplatiuâ, & alia.



Anno Christi M. CCC. XLII.

STEPHANVS DE GARDIA ARCHIEPISCOPVS ARELATENSIS CARDINALIS SS. SYLVESTRI ET MARTINI CLEMENTE VI.

Saxius in Pontific. Arelat.

LEMOVICENSIS Stephanus de Gardia: eiusdem stirpis Gaucelinus de la Garde, qui præfuit Ecclesiæ Lodeuensi annis quinque M. CC. XCII. deinde ad Sedem Magalonensem gradum fecit. Clementi VI. propter sanguinis affinitatem charus, datus est Arelatensibus Præsul anno M. CCC. XLVIII. creatusque iam antea Presbyter Cardinalis sanctorum Syluestri, & Martini in montibus tituli Equitij, & Longobardiæ & Romandiolæ Legatione fuerat insignitus. Roberto vitâ functo summam rerum Neapolitani Regni Clementis VI. voluntate demandatam rexerat, acceptoque à Proceribus iureiurando totius Regni procurationem in se verterat: at fidissimis Roberti ministris contemptui habitis, nobilium animos sibi iratos reddiderat, rogatuque ipsius Reginæ, & Regni Procerum Pontifex (vt ait

Ciaconius) Legatum biennio antequam fieret Arelatensium Præsul reuocauerat, verum fallitur Ciaconius Haymericum de Suardia vocans, quem Stephanum de Gardia dicere debuisset.

Ab illo Pontius de Quiqueran beneficiario accepto fundo Ecclesiæ Arelatensis cliens est declaratus. Salonis ad Crauum ciuibus, publicæ domus, thesaurariæ & campanarum vsu ob rebellionem interdixit, illosque Carolo (vt opinor IV.) Cæsare Romam eunte, se seruos subditosque Arelatensis Ecclesiæ fateri coëgit: demum aureo chirographo eiusdem Imperatoris obsignatam sibi quæsiuit præteritarum ab Imperatoribus & Regibus donationum Ecclesiæ Arelatensi concessarum confirmationem, iure salis conficiendi, & cudendæ monetæ addito. Priuilegia Eccles. Arelaten. firmãtur.

Erat sanè ætas illa multiplici calamitate nobilis, furente in Ioannam, & Ludouicum Principes Rege Hungaro, & ex sopitis Francorum (vt credebatur) cum Anglo bellis, emergente vndique milite. Ioanna & Ludouicus Reges, hic enim coniux Ioannæ solus Regis nomen tulit, licet inter iniquas pacis conditiones Hungarus illi abrogatum voluerit, cum Arragonio spe nuptiarum filiæ fœdus percusſère, quod disertè explicat Zurita. Rex, inquit, Arragonum Genuensi bello intentus Ioannam Reginam, & Ludouicum eius virum, qui in Prouinciâ Gallicâ commorantur, amicitiæ fœdere sibi deuincit, paciscuntur, vti Ioannes Gerundæ Dux Catharinam natu maiorem Reginæ filiam necdum nubilem in matrimonium ducat, qui hoc ipso anno natus fuerat: contendit præterea Rex vti Prouinciæ Gallicæ, & Folcalquerij Comitatus Catharinæ doti addantur, solutoque matrimonio, aut nullis eius matrimonij liberis superstitibus, ij Comitatibus Regno Arragoniæ cedant, atque contribuantur: subdit vero, Margareta tamen & Francisca (Catharinæ non meminit errore forte nominis deceptus) Ioannæ Reginæ filiis pueris infantibus mortuis, eæ pactiones dirimuntur. Zurita in reb. Arragon. ann. 1351.

Harum nuptiarum metu Arelatenses moti, Ludouicum & Ioannem Reges adiêre, ne quouis prætextu alieni iuris fierent, se liberè cum Ioannæ decessoribus, quod Franci essent, conuenisse, pacem coluisse, exterarum gentium imperium ferre non posse, ciuium fortunas, animum, vitam habeat, alios illi Reges non habeant. Vrbis Legatis & Oratoribus humanissimè exceptis regium diploma concessum est, quo præterita cum Ioannæ decessoribus fœdera renouantur: in illo etiam legitur ciues ab omni exactione vectigali, ære collatitio, imo solitis Prouinciæ oneribus immunes esse: obseruatum etiam Arelatem non posse in alium transferri, nisi hæredẽ Regum, si aliter imposterum visum, liberum sit Arelatensibus arma sumere, & aduersus quoscunque vrbem, liberos, vitam, vnoque verbo patriam tueri. Arelatensium prudentia.

Hungarus confectis rebus, quarum causâ venerat, celeriter in Hungariam transmisit ducto secum Carolo infante, non Ioannæ, vt vult Massonus, sed Caroli Durazzi filio, cuius Patrem capite damnarat: sed Carolo infante mortuo, pertæsi Hungarici Imperij Neapolitani Ioannæ & Tarentino scribunt, vt redeant collectâ pecuniâ; nam non erant satis rei bene gerendæ: vendidêre igitur Auenionem ad Rhodanum pretio tricies mille Florenorum Ecclesiæ Romanæ, & collecto milite Neapolim læti peruenêre.

Philippus Tarentinus, Tarentini Principis filius illis ab ſentibus Subregulus Prouinciæ res curabat, & cum non poſſet inter Prouinciales modum diſſenſionum facere, quòd momento in arma proruerent, legem de obliuione diſcordiarum retulit, quæ in Archiuiis ciuitatis hodie etiam legitur: ſed Balthiis rebellionem facientibus, denuò in armis eſſe oportuit, affuêre Arelatenſes, eorumque armis Balthiorum arx oppugnata, expugnataque eſt, in cuius rei gratiam Ludouicus & Ioanna Reges Arelatenſibus facultatem dederunt, vt animalia in agros Balthiorum immitterent ad decem annos propter nauatam egregiè operam in Balthiorum bello: huius rei geſtæ fidem facit diploma anno M. CCC. LVIII. datum, aſſeruatumque in vrbis Arelatenſis Cartophylacio.

Sequenti anno M. CCC. LIX. deceſſit Stephanus noſter, humatus in templo Diui Trophimi.



Anno Christi M. CCC. XLII.

PETRVS CYRIACVS CARDINALIS S. CHRYSOGONI
CLEMENTE VI.


ORTVS in Lemouicenſi Prouinciâ Petrus cognomento Cyriacus. Præſulem Atrebatenſem fuiſſe tradit Ciaconius, verùm in catalogo eius ciuitatis Epiſcoporum non reperitur, licet circa eam tempeſtatem recenſeatur Petrus de Campis Antiſtes Atrebas, qui in eo ipſo catalogo notatur Cardinalis anno M. CCC. XVIII.

Annus Iubilæi reducitur ad tempus breuius.

In ordinem adſcitus Presbyterorum Cardinalium tituli ſancti Chryſogoni anno M. CCC. XLII. à Pontifice Clemente VI. Mittitur vnà cum Cardinalibus Guidone de Bolonia, & Annibaldo Tuſculano in Italiam, anno M. CCC. L. ad celebrandum Iubilæum, illoque toto permanſit tempore in Vrbe; erat autem celebrandum anno ſolum M. CCCC. ſed Clemens VI. initio ſui Pontificatûs M. CCC. XLII. die ſexto Cal. Febr. Auenione conſtitutionem edidit, cuius exordium *Vnigenitus*, habetur Extrauagante *de Pœnis & Remiſsionibus*, quâ centeſimæ Indulgentiæ conceſſionem reducendam ad annum quinquageſimum ſtatuit, voluitq; eius rei primordia eſſe anno M. CCC. L. Ad exequenda diplomate Pontificio contenta Romam miſſus Cardinalis S. Chryſogoni; id Romani fuerant precibus conſecuti, cuius memoriam facit Pontifex initio cõſtitutionis, & in latino metro ita canit Petrarcha.

Hoc vnum post multa precor breuiore recursu
Annus eat, redeatque sacer Mundoque salubris.

Expirauit Petrus anno M.CCC.LI.



GVIDO DE BOLONIA CARDINALIS S. CÆCILIÆ. Anno Christi M. CCC. XLII.

CLEMENTE VI.

ROBERTI hoc nomine III. Comitis Boloniæ, & Aruemiæ cognomento Magni filius, & Blanchæ primogenitæ Roberti Franciæ Comitis Claromontani vltimi filij Diui Ludouici Regis; ab illo Roberto stirps Regia Borbonia. Guidonem propatruum Roberti de Gebennis Cameracensis Episcopi postea Clementis VII. Antipapæ tradit Claudius Robertus in Galliâ suâ Christianâ.

Tornaci Episcopus LVIII. adfuitque Synodo Syluanectensi anno M.CCC. XVII. celebratæ ab Archiepiscopo Rhemensi Roberto de Courtenay, cui etiam interfuêre Angerannus Morinorum Episcopus, & alij Suffraganei; Petrus verò Cameracensis, Bernardus Atrebatensis Procuratores suos misêre: in eâ Synodo excommunicati fuerunt omnes Domini temporales, qui spiritalia inuaserant, & bona temporalia Ecclesiasticorum detinuerant, cessatumque est ab officiis diuinis. Cameraci Præsul LVII. tandem Archipræsul Lugdunensis; malè à nonnullis asseritur Boloniensis Antistes, cum neque in Italicâ Boloniâ fuerit Episcopus, neque in Gallicâ; nondum enim hæc Sedes erat erecta in Episcopatum, cum tantùm anno M.D.LIX. Episcopatus Morinensis fuerit translatus in Boloniensem à Pontifice Romano Paulo IV. tunc Antonio de Crequi Teroanensi seu Morinensi Præsule; vox Boloniensis occasionem præbuit erroris; etenim prosapiæ fuit Boloniensis Guido, sed non Episcopus. Synodus Syluanectẽn. Annal. Flandr. li. II. Translatio Episcopatûs Morinorum.

Cardinalitiâ vestitus purpurâ à Clemente VI. tituli sanctæ Cæciliæ anno M. CCC. XLII. posteà Episcopus Cardinalis Portuensis sanctæ Rufinæ, de quo Theodoricus à Niem in Innocentio VI.

In Italiam legatur ab eodem Clemente post Bertrandum Deücium Cardinalem ad postulandas armorum inducias à Ludouico Rege Pannoniæ: duriorem se initio Pannonius ostendit Legato Pontificio, siue quòd vindictæ grauioris cupiditate flagraret, siue quòd iam Regnum Siculum,

Carolo Roberto infante Andreæ posthumo, statim atque in Hungariam delatus fuerat, defuncto, spe deuorauerat, deliciasque & possessionem certam sibi destinarat; siue quòd ab Haymerico Cardinale Apostolicæ Sedis Legato anathematis à Clemente Pontifice in vniuersos Regni Siciliæ inuasores publicatione (namque is hoc anno nimirum M. CCC. XLVIII. Romæ subsidens Edictum Pontificium vbique vulgarat) longè actiores iras coquebat: siue etiam quòd à tribus Cardinalibus iudicibus, in causâ successionis Regni Siciliæ inter eum, & Ioannam, & Ludouicum Tarentinum à Sede Apostolicâ deputatis, omni spe decidens nihil in gratiam Pontificis facere volebat. Quamobrem Clementi operæ pretium fuit & Legatum, ne ab incœpto conatu tractandæ pacis desisteret, admonere, & à Carolo Rege Romanorum postulare, qui operam suam in liberatione Principum Regiorum apud Ludouicum Pannonium interponeret, eosque modis, quibus posset, in libertatem assereret. Neapolitani charitate suorum permoti, quòd & Ludouicum atrocem, & Lupos ab eo relictos verè lupino more agere viderent, Pontifici pro Ioannâ & Tarentino supplices fuerunt, ac vtrumque, vt ad Regnum capessendum maturarent, inuitarunt; vt, hoste Hungaro quasi à Deo profligato, & Ludouico Trinacriæ Insulæ occupatore ad concordiam propenso, pacem cum omni felicitate sibi possent in Siciliæ Regno polliceri. Porrò pacē cōstituit Legatus inter Reginam Ioannam Roberti ex Carolo filio prædefuncto neptem, & Ludouicum Hungariæ Regem Andreæ interfecti fratrem, Roberti nepotem: conditiones pacis fuêre, vt Regiis titulis ornata Ludouicum Principis Tarentini filium maritum his excluderet, & tantum Princeps Tarentinus vocaretur, eáque mortuâ Regni ius ad Ludouicum, vel eius hæredes pertineret. Hac ratione Regno pacato Ioanna & Ludouicus Neapoli quietè vixerunt. In Hungariam Guidò mittitur ab eodem Pontifice rebus illic ex sententiâ cōpositis ad Curiam redijt & postmodum in Italiam Romamque se contulit tempore Iubilæi anno M. CCC. L. cum Petro Cardinale sancti Chrysogoni.

Pax in Regno post mortem Andreæ.

In Galliâ Legationis munere fungitur cum Cardinale Petragoricensi pro pace stabiliendâ inter Reges Francum & Anglum.

Templum Carmelitarum Parisien. dedicatur.

Ædes sacras Carmelitarum Parisiensium in Mauberti plateâ, anno M. CCC. LIII. decimo sexto Octobris solemni ritu dedicauit deprecante Ioannâ cognatâ suâ Philippi Longi Regis vxore, Collegijque Burgundici fundatrice, etiam Ecclesiam Moncelli D. Claræ Diœcesis Bellouacensis Margaretâ ipsius sorore Virginum Præfectâ, Rege Reginâque præsentibus.

Prædones villam à sancto Spiritu dictam occupabant tempore Innocentij, commeatus victuum pro Curiâ Pontificiâ Auenione agente intercipientes terráque, & Rhodano, cò milites ducti Duce Guidone Cardinale Portuensi, qui eos fugæ se dare breui compulit.

In Hispanias ab Innocentio VI. mandatur ad conciliandos Petrum Castellæ, & Petrum Arragonum Monarchas, in huius fines ille armatâ manu intrarat susque deque omnia versans ferro & igne, sic enim Hispanici Historici de hac Legatione verba faciunt. Anno M. CCC. LIX. Guido Boloniæ Cardinalis ab Innocentio Pontifice Legatus Almasanum appulit. In eo oppido factâ dicendi facultate, in Castellæ Regum laudes effusus, quos

Hispaniæ columen rebus perditis asseruit & præsidium extitisse. Nunc dolere Pontificem aiebat inter ciuilia arma sacri belli cogitationem omitti. Quantum, si contingeret oppressis cognatis & necessarijs proficisci? quæ gloria? ignominiam potius, inuidiam, luctum victori iuxta ac victo, verterent in impios arma, de summâ rerum illic decertarent: vltro honestissimas opes, decus, triumphosque obuenturos. Verbis se Sanctissimi Pontificis renunciare, venturum ipsum, tantopere ea iura solicitari, nisi ætatis incommoda, aliæque curæ auocassent. Ad hæc Castellæ Rex Arragonijs se fraudibus circumuentum ait, imagine pacis, specieque sæpius amicitiæ deceptum. Vnam tantum concordiæ conditionem superesse, si, perfugis Regno prohibitis, Orihuelam, Illicim, (Alicantem vulgò dicimus) aliaque vicina oppida Ferdinando auo suo minore ab Arragonijs iniuriâ occupata, redderentur: præterea in belli sumptus quingenta Florenorum millia. Id Pontificis voluntati, Legati ipsius precibus, nobilitatique dare. Adijt Cardinalis Arragoniam nonnulla pacis constituendæ spe, quoniam de conditionibus agi cœptum erat. Verum ille aduersarij culpâ bellum susceptum excusabat, priorem intulisse arma, de patriâ, auitâque ditione quidquam diminui, intolerandum videri, controuersiæ modo arbitrium Innocentio Pontifici permissurum, quamuis lite olim datis iudicibus diiudicatâ. Tempus altercationibus trahebatur nullo fructu, tetrum spectaculum vtramque gentem in mutuum ruere sublatâ opitulandi potestate. Ne induciæ quidem vt fierent, impetratum, sumptus ostendebantur in classe validâ comparandâ à Rege Castellæ facti. Hæc à Pontificio Legato dicebantur. Sed tandem Cardinalis Legati operâ in Hispaniâ pax constitit, neque synceris animis, neque diuturna futura, his tamen legibus. Vt capta belli tempore oppida inter se restituerent. Castellæ profugi Arragonijs finibus prohiberentur. Mensis Maij die decimo octauo ad Desam oppidum, vbi Castellæ Rex statiua habebat, voce præconis fœdus proclamatum.

Oratio Legati.

Præclarè agit in Hispania.

Ad Pontificem redijt, & Italiam petere iubetur, Carolumque Imperatorem Româ discedentem comitatur iussu Vrbani Guido Cardinalis Portuensis anno M.CCC.LXVIII. Per Italiam Vicarius constituitur, in ciuitate Luca commorans.

Demum in Hispaniam Legatus à Gregorio XI. anno M.CCC.LXXII. mense Maio, de qua posteriore legatione sic Mariana. Quo tempore Guidonem Boloniensem Cardinalem à Gregorio Pontifice Legatum venisse in Hispaniam nunciatum est, rogat Henricus Castellæ, vti eius aduentum Caracæ operiretur, vbi Regina morabatur; negat ille cum tantum belli esset excitatum, ad quod componendum missus esset in Hispaniam, ergo continuato itinere Mirobrigiam appulit, vtrumque Regem adire constituens, Henricum Castellæ, & Petrum Arragonensem, placuitque Regibus totius controuersiæ arbitrium Guidoni Legato permitti. Pace inter Hispaniæ gentes constituendâ feliciori quàm antea tres Reges parentelis inter se contractis confœderantur, cùm Ioannes primogenitus Henrici, filiam Petri, & Carolus primogenitus Regis Nauarræ, filiam Henrici, acceperint in vxores.


Mariana de rebus Hispan. l.17.c.17.

Tres Reges connubijs confœderantur.

A regione mortalitatis excessit Illerdæ in Hispaniâ Legatus, septimo Calendas Decembris anno à Virginis partu M.CCC.LXXII. sepultus in Abbatiâ Boscheti. Testamento Guidonis subscripsit Ioannes de Merlou Episcopus Claromontanus.

Scutum Comitum Bolonien.

Tessera Boloniensis quadripartita, parma primi & quarti laterculi aurea tribus miniatis bysantinis; secundi & tertij vexillo tribus segmentis miniatis prasyno fimbriatis exarata.



Anno Christi M. CCC. XLII

GERARDVS A SANCTO DOMARO DOMINICANVS CARDINALIS SANCTÆ SABINÆ CLEMENTE VI.

Seneñ. in Chron. Præd c. Quercet. in Clem. 6.

ANTONIVS Senensis vocat Gerardum altum à S. Domaro, Quercetanus Gerardum de Gorria. In Prouinciâ Narbonensi genitum Clementis Papæ consanguineum ex appendice Chronici Bernardi Guidonis, & Parisiensem Theologum Ordinis S. Dominici Religiosum reperio, qui fuit septimus supra decimum sui Ordinis Magister. Emissâ professione Religiosâ literis ita se diuinis addixit, vt eas in diuersis publicè Cœnobijs profiteretur, doceretque quam-plurimos: Prioratu vario egregiè functus est; tandem ad supremum sui Ordinis apicem peruenit, etenim in locum Hugonis Gallici Carcassonæ in Capitulo Generali omnium calculis, anno M. CCC. XL. Generalis designatur, quâ electione Clemens non parum est gauisus, lætatique mirum in modum Dominicani Fratres, rati his electionis suffragijs ipsum apud Pontificem ea, quæ contra Ordinem Benedictus XII. fuerat molitus, abrogaturum, quod breui ipse est consecutus, neque enim vllam à Clemente repulsam patiebatur.

Capitulum Generale Dominican.

Vocatur Lutetiâ Auenionem, & mense Septembri in Collegium Cardinalium cooptatur tituli sanctæ Anastasiæ, vt quibusdam placet, sed verius S. Sabinæ (vti eum vocat Clemens Pontifex in literis ad Eduardum Angliæ Regem relatis superiùs in Ademaro Cardinale) quâ dignitate biennio pòst eum infirmanimium corporis valetudo spoliauit. Se omnium virtutum alijs præbebat exemplar, apud omnes gratiosus, insignis humilitate, pietate prædicandus, & prudentiâ singulari, summâque in pauperes


Omnia impetrat à Pontifice.

magnificentiâ. In ſuo Ordinis Generalatu ſucceſſorem habuit è Conuentu Biſuntino Petrum de Baume Pariſijs electum, anno M. CCC.XLIII. auctorem commentariorum tum in Iſaiam, tum in quatuor libros Euangeliſtarum. Ita affectus in Ordinem Gerardus, vt plurimis promouendis ſuæ beneuolentiæ ſigna patefecerit; nam fratrem Bernardum curauit in Papæ Capellanum eligi, & Ioannem Molendinum ſui Conuentûs, & n Theologiâ Doctorem in ſacri Palatij Lectorem ſeligi, deinde Cardinalem.

Toloſæ efflauit animam Legatus anno M.CCC.XLV. ibidem apud Dominicanos ſepultus.

Scripſit nonnulla Theologica.

Sermones doctrinâ refertos in lucem edidit.



PETRVS BERTRANDVS SENIOR PRÆSVL EDVENSIS CARDINALIS SANCTI CLEMENTIS CLEMENTE VI. ANNO CHRISTI M.CCC. XLII.

NOBILIS Matthæi Bertrandi Annonæenſis ciuis in Diœceſi Viennenſi, & Agnetis cognomento Imperatricis (quæ iacet apud Franciſcanos Annonæos) filius, frater Guillelmi Bertrandi Præſulis Nouiomenſis; à Ciaconio prætermiſſus, & à multis confuſus cum nepote eiuſdem nominis, & cognominis Cardinale, ita vt vnicus videatur, ſed reuera duo fuêre Cardinales auunculus & nepos. Iuris vtriuſque profeſſor clariſſimus, publicéque in Auenionenſi, Monte-peſſulanâ, & Pariſienſi Academijs Iuris arcana explicauit. In Senatu Pariſienſi cum laude cauſas egit, eiuſque in primâ Curiæ claſſe Conſiliarius. Vnus è quatuor Clericis Conſilij Sanctioris, qui Regis tunc erant aſſeclæ, & Ioannæ à Burgundiâ Franciæ Reginæ Cancellarius.

Niuernenſis Præſul, ſtatim Auguſtodunenſis ſiue Eduenſis Antiſtes, qui anno M.CCC.XXIX. die Veneris decimo quinto Decembris, & ſequenti coram Philippo Valeſio Rege, Prælatis, & Viris Galliæ Principibus ad id accerſitis in ædes Palatinas Caſtri Vincennarum contra Petrum Cugnerium Regium (ſecundum nonnullos) in Senatu Pariſienſi Patronum, Ec- Diſputatio cum Cugnerio pro Ec-

clesiasticâ iurisdictione. La Bigne Biblioth. Patr. to. 2.

clesiasticam iurisdictionem infringere conantem egregiè depugnauit, feliciterque perorauit; Rex Philippus Valesius Episcopis & Ecclesiasticis fauit: vnde ab ijs Rex dictus Catholicus, qui eam litem sedauit die sancto Thomæ Cantuariensi Ecclesiasticæ libertatis defensori sacrâ: habentur actus, & disputatio in secundo Bibliothecæ Patrum tomo quæ est edita anno M.D.LXXXIX. & tractatus de spirituali & temporali potestate; ita vt de Bertrando dicere valeamus, quod Sidonius Apollinaris de Mamerco.

Doctus soluere vincla quæstionum,
Si qua Catholicam Fidem lacessant.

In eâ disputatione Bertrandus collegam habuit Guillelmum de Brocia, eodem anno ex Archipræsule Bituricensi creatum Senonensem. Magdeburgenses post aliquot annorum decadas hanc doctrinam de tollendâ omni iurisdictione Ecclesiasticâ conati sunt postliminio reuocare. Verum Christus iurisdictionis Ecclesiæ fundamentum iaciens litigantes hortatur, vt adeant Ecclesiam, si quâ in re se læsos arbitrentur, & in veteri lege apud Hebræos ad tribunal Ecclesiasticum sontes citabantur; apud eosdem nulla proferebantur iudicia, nisi duobus Leuitis assidentibus, quam legem secutus Iosaphat. Apostolus de terminandis in Ecclesiâ causis dat præceptum hoc est apud Episcopum, sicut interpretatur Synodus tertia Carthaginensis, cui adfuit sanctus Augustinus; huic doctrinæ Impp. sunt suffragati Constantinus Magnus apud Nicephorum, & apud Sozomenum, etiam Theodosius Magnus: & filij Arcadius, & Honorius dant optionem actori & reo, vt causas sæculares deferant ad Episcopos, tantam vim tribuentes Episcoporum iudicio, quantam Præfecti prætorio. Apud nos ipse Carolus Magnus in constitutionibus ex Calcedonensi & Carthaginensi Concilijs Ecclesiasticorum lites apud Clericos componendas decernit. Antistiti nostro Augustodunensi Philippus Archimandrita Corbiniaci Diui Leonardi Ordinis Benedictini præstitit Fidei sacramentum, cùm esset benedicendus, quod Abbates facere consueuerant (vt supra notauimus) anno M.CCC.XXVII.

Mathæi. 18. Deut. 17. Ioseph. antiq. Iudaic. l. 4. cap. 8. 4. Reg. 3. 1. Corinth. 6. Synod. 3. Carthag. can. 9. Nicephor. l. 7. c. 46. Sozomen. l. 1. c. 9.

Creatus Presbyter Cardinalis tituli S. Clementis à Clemente VI. in primâ Patrum lectione, duodecimo Calendas Octobr. anno M.CCC.XLII. Auenione. Petrum Cardinalem aliosque Cardinales Rex Philippus malè tractauit, à Clemente missus in eum finem Lutetiam Pastor Cardinalis Minorita. Prioratûs B. Mariæ montis Alti Ordinis Benedictini prope Villamnouam Auenionensem fundator Bertrandus (sed in præsenti hic Prioratus funditùs euersus, restat solum domus Villica) & Cœnobij Sanctimonialium S. Claræ Annonæi, nec non eiusdem vrbis nosocomij, vulgò *pulchra Domina* vocitatur, & sacelli Diui Iacobi in primario templo, in quo cineres parentis, sacelli præterea in æde Minoritarum, apud quam visitur Cardinalitius Bertrandi pileus: iacet ibidem mater Cardinalis, vti notauimus; extra vrbem aliud sacellum in Clauasiensium Monialium Cœnobio exstruendum curauit.

Ex lib. secr. anni sexti Clementis 6. ep. 171. & 218.

Collegiû Augustodunense.

Parisijs Collegium Augustodunense, quod Cardinalis Bertrandi nomine appellatur, institutum ab illo, die Augusti primâ, anno M.CCC.XXXVII. in suo

in suo Palatio; redditibus auctum, die Octobris decimâ tertiâ, anno M.CCC.XLV. in gratiam quindecim Scholasticorum, partim Theologiæ, partim Iuri Canonico, partim Philosophiæ studentium, è Diœcesi Viennensi, aut Aniciensi, aut Claromontanâ. In eo iacet Gymnasio Petrus Rebuffus I. V. laureâ donatus, & insignis famæ apud posteros. Sacelli altare sacrauit Petrus Episcopus Atrebatensis nepos Petri Cardinalis Bertrandi, anno M. C C C. X L I. coram Petro de Palude Patriarchâ Hierosolymitano, Guidone Archipræsule Lugdunensi, & Ioanne de Precy Archimandritâ Diui Germani à Pratis, in huius capellæ tabellâ hæc leguntur. Sepultura Rebuffi.

Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Petrus Bertrandi Diœcesis Viennensis, Doctor in vtroque Iure, Rector in studijs & Vniuersitatibus, Auenionensi, Montispessulanâ, Aurelianensi, & Parisiensi, consequenter occupatus certis temporibus in officijs Ecclesiasticis & secularibus Prælatorum & Principum, Consiliariusque Domini nostri Francorum Regis in suâ Curiâ & magnâ Camerâ Parlamenti Parisius, & in Consilio suo Secreto vnus de quatuor Clericis tunc Dominum nostrum Regem sequentibus. Cancellarius inclytæ Dominæ Ioannæ Burgundiæ Reginæ Franciæ, Comitissæ Burgundiæ, Palatinæ & Atrebatensis: clementiáque diuinâ Niuernensis, & deinde Eduensis Episcopus, & demum permissione diuinâ tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis.

Ex priuilegio dato à Clemente VI. Sanctimonialibus S. Francisci Diœcesis Eliensis vterque Bertrandus Cardinalis eodem tempore superstes noscitur subscripsisse anno M. C C C. X L V I I I. cuius priuilegij hæ subscriptiones leguntur.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Bertrandus Ostiensis Episcopus subscripsi.
Ego Gaucelinus Albanensis Episcopus subscripsi.
Ego Hannibaldus Tusculanus Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Sabinensis Episcopus subscripsi.
Ego Imbertus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.
Ego Petrus Bertrandi tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis.
Ego Guillelmus tituli SS. Martyrum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis.
Ego Petrus Bertrandi tituli S. Susannæ Presbyter Cardinalis.
Ego Gallardus S. Luciæ in cilice subscripsi.
Ego Ioannes S. Angeli Diaconus Cardinalis subscripsi.
Ego Bernardus S. Eustachij subscripsi.

Datum Auenione per manum Petri Episcopi Prænestini gerentis officium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-cancellarij, secundo Calendas Maij

indictione primâ, anno Incarnationis Dominicæ M. CCC. XLVIII. Pontificatûs verò Domini Clementis Papæ sexto.

Multa præstantis viri operum volumina à viris doctis in pretio habita nondum typis cusa Parisijs asseruabantur, quæ viri scelestissimi sacrilegio rapuerunt anno M. D. LXXV. propterea que suspendio interierunt; in eandem ipsam materiam eodem tempore editum hoc epigramma.

Donec Palladium Troianâ mansit in arce,
Non sunt Victrices Pergama passa manus.
Hoc vbi nocturno Diomedes abstulit astu,
Concidit, heu! Danaum Troia superba dolis.
Quid nisi venturum expectes domus Ædua casum
Ædua, Palladio (proh dolor) orba tuo.
Cui tot priscorum preciosa volumina Patrum
Subripuit vafrâ furcifer arte latro.
Vos ô Purpurei veneranda oracula Patres,
Quos penes est tanti criminis arbitrium.
Vos pietas, vos iura rogant, succurrite rebus,
Vt cadat in dirum debita pœna caput.

Spiritum vltimum reddidit die Iunij vigesimâ quartâ, anno M. CCC. XLIX. ex Martyrologio Augustodunensis Collegij, in cuius maiori porticu habetur, *le College de Maistre Pierre Bertrand Cardinal natif d'Annonay au Diœcese de Vienne.* Etiam icon conspicitur nostri Cardinalis cum hac subscriptione. *Petrus Bertrandi Diœcesis Viennensis, Niuernensis Episcopus deinde Eduensis, demum tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis.*

Corpus tumulum habuit in æde Prioratûs S. Mariæ de Montault nunc dirutâ, non longè ab Auenione.

Scripsit plura, de quibus Posseuinus in apparatu sacro, & Nomenclator. Inter alia Responsorum libros plures.

De origine Iurisdictionis, seu de duabus potestatibus temporali nimirum, & spiritali.

Orationes multas.

Librum aduersus Petrum Cugnerium Clero infensum. Malè Philippus Locrius hæc opera tribuit Bertrando Nepoti.

P. rma Bertrandi. Scutum Petri Bertrandi Senioris argenteum tribus rosis miniatis, cantherio cæruleo tribus lilijs aureis instructo, exaratum. Insignia Auunculi & nepotis Cardinalis, licet eiusdem nominis & cognominis, paulò sunt diuersa; parma enim Iunioris Bertrandi imprimitur cantherio duas columbas habente, vt infrà notabimus.



GVILLELMVS LE IVGE CARDINALIS SANCTÆ MARIÆ IN COSMEDIN CLEMENTE VI.

Anno Christi M.CCC.XLII.

NEpos ex sorore Summi Pontificis Clementis VI. Guillemus le Iuge scientiâ Iuris instructissimus, Legumque Doctor.

Honoratur Cardinalatûs dignitate factus Diaconus tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin siue scholâ græcâ, anno M.CCC.XLII. primâ promotione vltimus à Clemente VI. Vrbanus V. die vigesimâ secundâ Septembris, anno M.CCC.LXVIII. Presbyteratûs Ordinem dedit Guillelmo nostro Monspelij. Auenione Palatium extrui curauit, hospitio in Diui Agricolæ Parœcia empto, annô redempti generis humani M.CCC.XLVI. die decimâ septimâ Octobris; datum est autem hocce Palatium sacris Virginibus, quæ Cœnobium fecêre, & in illud commigrarunt Moniales Monasterij S. Praxedis extra muros, quod fuerat à Gomesio Cardinale Hispano conditum, quâ de re supra in Bertrando Cardinale de Monte-fauentio.

Annal. S. Victor. Parisien.

In Castellanum Regnum mittitur Legatus ab Innocentio VI. cùm Petrus Castellæ Rex & Legionis cognomento *Crudelis* Blancham Petri Ducis Borbonij filiam secundo-genitam duxit vxorem corporis specie commendatam sed bonis moribus magis apud omnes commendabilem; initio coniugij à Rege marito pessimè habitam, & nescio quo malo fato satis exosam operâ concubinæ cuiusdam Mariæ Padillæ, quam Rex antea adamarat, & ministerio Samuelis Iudæi magiâ illustris Præfecti Ærarij augurantis suos Mauros è Regno eliminandos, procurante Blanchâ. Hinc multæ in Regno turbæ excitatæ. Alphonsus Petri parens moriens præuidit corruptissimos filij mores, tyrannidem & lasciuiam; *licet*, inquit, *Adriani Cæsaris sit sententia, successorem non o odit; ego fateor Petrum vt filium diligo, vt successorem non diligo, nec eum Regem futurum lætor.* Summus Pontifex eò misit non Cardinalem Boloniæ, vt ait Mariana, sed Guillelmum Cardinalem sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Bertrandum Episcopum Senecensem Nuncium ad omnia pacificanda; animum tamen Regis conciliare non potuêre cum Reginâ: Innocentius consolatoriam Blanchæ misit epistolam.

Blancha Borbonia Regina male habetur à Petro Crudeli.

Carissimæ in Christo filiæ Blanchæ Borboniæ Reginæ Castellæ & Legionis illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

Literę Innocentij ad Blancham Borboniam.

Litteræ tuæ, per quas carissimi in Christo Filij nostri Petri Regis Castellæ & Legionis illustris viri tui iuueniles actus & motus, qui nec maritali pudicitię, nec Regiæ grauitati conueniunt, filialibus nobis litteris descripsisti, graui nos amaritudine resperserũt, & ad compassionis erga te plenioris affectum eò potius excitarũt, quò te synceriori prosequentes in Domino caritate, afflictiones & angustias tuas, quibus te Saluator Humani generis zelo paternæ dilectionis exercet, quadam tecum communicatione partimur. Sed quoniam generosos spiritus Deus tentat, & eos, quos diligit, ne per inertiam lanqueant, frequenter aduersitatum agitatione cõfirmat. Nos per huiusmodi afflictiones tuas, amorem in te feruere Domini cognoscentes & sperantes indubiè, quòd eò citiùs & pleniùs tibi tranquillitatis votiuæ desiderata prosperitas illucescet, quò aduersitatis procella fortiter intumescens à solo spiritu voluntatis præcipitis suscitatur, Serenitatem tuam attentè rogamus, quatenus hæc prouidè intuens confortêris in Domino, & in eo, qui post nubila, serena tempora benigniùs indulget, confisa quòd angustijs tuis imponet citò misericors terminum, consoleris. Nos quoque ad ipsius procellæ pacandos turbines Apostolicę authoritatis zelum ereximus, & sic iniustos motus comprimere iustè proponimus, duce Deo, quòd iustitiæ tuæ prouisio non deerit opportuna, & vt huiusmodi negotium celeriorem & fauorabiliorem habeat Deo præstante progressum, venerabilem Fratrem nostrum Bertrãdum Episcopũ Senecensem Apostolicę Sedis Nuntiũ cum opportunis, fauorabilibus, & efficacibus litteris ad eundem Regem propter hoc specialiter destinamus. Datum apud Villamnouam Auenionensis Diœcesis, octauo Idus Maij, anno secundo.

Arce Seguntinâ vxorem detinuit Rex, quam protegere conabantur Maria Petri mater, Rex Arragonensis Petrus, Episcopus Seguntinus, Petrus Barrosus Iuris peritissimus, ipsius etiam Castellæ Regis fratres. Petrus tandem ad sexcenta facinora Blanchæ Reginæ vxoris necem adiunxit: Henricus enim & alij fratres Regis tempori seruientes in Galliam concesserant, quorum partes in Arragoniâ Castellâque prævalidæ formidabilesque Gallorum fauore, & armis muniendæ erant, bellumque maiori quàm antea impetu instaurandum. Blanchæ Reginæ calamitas gentem permouebat, vt vires armaque sociarent. Non latuêre ij conatus Castellæ Regem, qui iram in Blancham quasi tantorum bellorum causam continuò vertit, Assidoniæ, vbi in custodiâ seruabatur, ipsam adeundi aut cum eâ colloquendi sublatâ facultate, extincta est veneno à Medico mariti iussu temperato. Detestandum, impium, & crudele facinus id Orbi visum, puellam insontem Borboniam, Regio sanguine nobilissimam, lectissimâ formâ, sanctissimisque moribus prudentiaque, quindecimo ætatis anno peremptam. Nulla ab omni memoriâ eo loco fœmina maiori miseratione digna. Alias quidem à Viris interfectas pulsasque legimus; sed aliquâ suâ culpâ. Certè arridentem fortunam aliquando expertæ, præsentem dolorem melioris olim temporis recordatione lenire potuerunt. Blanchæ primus nuptiarum dies, funeris instar fuit, relictæ,

Blancha moritur.

inclusæ, deductæ, vbi nihil præter calamitatem esset, pulsis domesticis, pellice validiore, auxilio suorum longè ablegato. Sed te, Rex truculente, fera veriùs immanis, diuina te ira manet, tuum caput hoc sanguine consecratur, breui gratissima superis victima cades. Insontis puellæ manes vltione feliciores, quam vitâ, dies noctésque exagitabunt, atque ita, vt neque pudor à turpitudine, neque à periculo metus, neque ratio à furore reuocatura sit incertum exitium tuentem. Petrus ille Diuum hominumque contemptor, cum innocentium sanguine vrbes, & oppida, arces, agri, maria redundassent, ac vbique sæuitiæ fuissent impressa vestigia, diuinam expertus est vindictam; ab vno enim fratrum Henrico victus vitam miser perdidit, vt notauimus libro primo in Vrbano V. exemplum sanè Regibus attendendum, ne se eo exemplo perditum eant memores illius, quod Salomon ait, *Fouea profunda meretrix est, in cuius amores non nemo nonnisi exitio suo se conijcit.* Contra vitia Petri Regis. Prouer. 23

Coronam imposuit Guillelmus Cardinalis, vt Diaconorum Prior, capiti Gregorij XI. Pontificalem anno M. CCC. LXXI. in Ecclesiâ Cathedrali Auenionensi.

Vitâ priuatur Auenione, quarto Calendas Maij anno M. CCC. LXXIV.



BERNARDVS DE TVRRI CARDINALIS SANCTI EVSTACHII CLEMENTE VI.

Anno Christi M. CCC. XLII.

BERNARDI parens fuit Bernardus III. Turris in Aruernia Dominus, Claromontanæ Diœcesis, mater Beatrix de Rhodez, Henrici II. Domini Ruthenarum filia. Canonicus fuit Ecclesiæ Lugdunensis, qui fratrem habuit natu-maiorem Bertrandum II. huius nominis Baronem Turrianum coniunctum matrimonio cum Isabellâ de Leuis filiâ Ioannis de Leuis Domini Mirapicensis. Tres Cardinales huius stirpis hic Bernardus noster, Ioannes à Turri Cardinalis Gregorio XI. Bertrandus à Turri Cardinalis Ioanne XXII. floruerunt. Sanmarthan. FF. hist. geneal. l. 30.

Diaconus Cardinalis sancti Eustachij à Pontifice Clemente, anno primo Pontificatûs, Christi verò M. CCC. XLII. tunc erat Pontificis Subdiaconus, inquit Bernardi Guidonis appendicis auctor.

Subscripsit postremus Cardinalium cum Clemente Pontifice priuilegio

Monialium Ordinis D. Francisci Diœcesis Eliensis anno M.CCC.XLVIII. qui fuit sextus ipsius Pontificis.

Pestiferâ lue perijt Auenione, sexto Idus Augusti anno M.CCC.LXI.

Insignia Gentis Turrianæ in Aruerniâ, turris argentea in campo cæruleo liliis aureis seminato. Lugduni in capellâ quadam Ecclesiæ maioris Diui Ioannis spectamus insignia Roberti à Turri Archiepiscopi Lugdunensis, filij Comitis Aruerniæ.



ANNO CHRISTI M.CCC. XLIII.

RAYMVNDVS DE CANILLAC CARDINALIS S. CRVCIS IN HIERVSALEM CLEMENTE VI.

Belfor. in Cosmograph. Democh. de missæ sacrificio.

DEODATI nomine non est appellandus, vt Belforetius & Demochares nuncupant, sed Raymundus, vti nominant auctor appendicis Bernardi Guidonis in Clemente VI. & Onuphrius. Iuris Pontificij Doctor, Cœnobiarcha Conchensis Diœcesis Ruthenensis, nunc sæcularis Ecclesia, in quam sanctæ Fidei corporis translata lipsana. Cæsar Nostradamus in historia Prouinciæ meminit cuiusdam Cardinalis de Canillac anno M.CCC. XVII. Auenione Ioanne XXII.

In Clemente 6. ad ann. 1350.

Sancti Flori IV. Antistes, non verò Atrebatensis, sicut Ciaconius refert, nullaque illius fit mentio in Præsulum Atrebatensium nomenclaturâ. Archipræsulem Tolosanum fuisse autumat auctor appendicis Bernardi Guidonis Lodeuensis Episcopi, & Claudius Robertus in Archipræsulum Tolosanum catalogo, eum locans statim post Stephanum ex Cellarum Archimandritâ Archiepiscopum.

Lectione secundâ Patrum anno M.CCC.XLIII. quarto Calendas Iunij, Auenione adnumeratur Cardinalibus Presbyteris tituli S. Crucis in Hierusalem seu Basilicæ Sessorianæ, auctor citatus appendicis reponit anno M.CCC. L. posteà Episcopus Prænestinus ab Innocentio VI. anno M.CCC.LXI. creatur.

Morti subiectus est Imperio duodecimo Calendas Iulij, Auenione anno M.CCC.LXXIII. apud Minores tumulatus.

Scripsit Recollectorum librum ad Septimianum Narbonensem Archipræsulem; sic enim legendum, non autem Septimanium: vocatur ea pars

Galliæ Narbonensis Septimania Sidonio, & Aymonio, quæ apud nos *Languedoc* dicitur. Consulendus de hoc Cardinale Locrius Ferreolus in Chronico Belgico.

Parma eius cærulea cane argenteo repente expressa, vt videre est Auenione in æde Collegij D. Martialis Belfortiorum sacello.



NICOLAVS DE BESSE LEMOVICENSIS CARDINALIS SANCTÆ MARIÆ IN VIA LATA CLEMENTE VI. ANNO CHRISTI M. CCC. XLIII.

CLEMENTIS nepotem ex sorore Nicolaum de Besse, & Gregorij XI. consanguineum tradit author appendicis Chronici Bernardi Guidonis, à quo appellatur Iacobus de Bessia. Electus Lemouicensis Antistes, dum creatur Cardinalis; Archiepiscopus Rothomagensis LXV. auunculus verò Petrus fuerat LXIII. posteà Summus Pontifex dictus Clemens. Append. Bernardi Guidon.

Adiunctus Cardinalium societati anno M. CCC. XLIII. quarto Calendas Iunij ab Auunculo Clemente in secundâ Patrum lectione, Diaconus Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in viâ latâ. Verum ex Chronico Bernardi Guidonis anno solum sequenti, die vigesimâ sextâ Februarij, cum solo Bertrando Cardinale sanctæ Susannæ.

Nicolaus Cardinalis subscripsit professioni Fidei Orthodoxæ, quam Ioannes Palæologus Orientis Imperator Romæ in Orbis vniuersi theatro anno M.CCC.LXIX. ex formulâ Romanæ Ecclesiæ professus est eiurato Schismate, se suosque Græcorum ritui addictos adiungens Ecclesiæ Occidendentali, quæ est vna sancta Catholica; huic professioni audiendæ, & cæteris peragendis Vrbanus Pontifex datis litteris Viterbij Nonis Octobribus, quatuor eminentissimos Cardinales Legatos in Vrbem destinauit, Guillelmum Episcopum Ostiensem, Bernardum Basilicæ XII. Apostolorum, Franciscum tituli sanctæ Sabinæ Presbyteros, & Raynaldum sancti Adriani Cardinalem Diaconum, in quorum præsentiâ & innumerabili populorum frequentiâ Græco idiomate Fidem Orthodoxam pronunciauit, datoque diplomate confirmauit in Principis Apostolorum Basilica: duo Franciscani frater Nicolaus Episcopus, & frater Antonius linguam Græcam callentes adfuêre authoritate Apostolicâ, vt professionem latino ser- Romæ Ioannes Palæolog. profitetur Fidem græcâ linguâ.

mone interpretarentur. Actum Romæ anno Pontificatûs Vrbani V. septimo, præsente Nicolao tituli sanctæ Mariæ in viâ latâ Diacono Cardinali, Arnaldo Archiepiscopo Auxitano Franciscano, Catalusio Insulæ Metylenes Domino, & aliis. Acceptâ hac Fidei professione Pontifex Viterbio Romam properauit, cui obuiam progressus Palæologus, deosculatis ex more Pontificiis pedibus, frænum equi tenuit vsque ad gradus Basilicæ Vaticanæ.

Extremum clausit diem Romæ, Nonis Nouembris anno M. CCC. LXIX. ibidem terræ mandatus.



Anno Christi M. CCC. XLIV.

PETRVS BERTRANDVS IVNIOR CARDINALIS S. SVSANNÆ, POSTEA EPISCOPVS OSTIENSIS CLEMENTE VI.

OB Auunculi munificentissimi reuerentiam sibi cognomen Bertrandi selegit, licet re ipsâ vocaretur Petrus Columbarius Bartholomæi à Columbario (loci Columbarij Annonæo viciniis erat, etiam de Gurin & Gurinot Dominus) & Margaretæ Bertrandæ Petri Senioris Bertrandi Cardinalis sororis filius, vir de pietate benè meritus. In Ecclesiâ Parœciali Diui Cyri Columbarij sacro Baptismatis fonte regeneratus: parentes genuerunt octo natos, in quorũ numero Margaretam de Colombier, quæ data in matrimonium Guillelmo Veræ, cuius nata fuit Esolleta Vera nupta Ioanni de Monchal Domino de Herario; eius stirpis illustrissimus Carolus de Monchal Archipræsul Tolosanus pietate, doctrinâ, & prudentiâ clarissimus, ipsiusque frater in magno Regis Consilio Senator.

Canonicus primùm Aniciensis, Decanus sancti Quintini, Canonicus Laudunensis, Episcopus Niuernensis, Petro Auunculo ea omnia resignante Sacerdotia. Posteà factus est Atrebatensis Præsul, successor Ioannis Galuani Cardinalis Atrebatensis vitâ functi. Tandem Cardinalis Presbyter tituli sanctæ Susannæ creatus à Clemente VI. vigesimo sexto Februarij, in quatuor temporibus, anno M. CCC. XLIV. (hæc promotio fuit duorum Cardinalium, alter Cardinalis Diaconus nominabatur Nicolaus de Bessa, electus Lemouicensis, nepos Clementis ex sorore) & Episcopus Cardinalis Ostiensis anno M. CCC. LXI. ab Innocentio VI. pallio Auenione decoratus.

Append. Chron. Bern. Guidon.

decoratus. Columbarij pro Cœlestinis tredecim extruxit de Gentilly Cœnobium, donans castrum paternum, doteque locupletans; in Prioratu Annonæensi sacellum erexit. Humanissimus & Religiosissimus vir P. Goussencourt Cœlestinus aliqua huius Cardinalis & Auunculi ex suo M.S. codice, quem parat de omnibus Ordinis Cœlestini in Franciâ Cœnobiis, mihi subministrauit.

Romam ab Innocentio VI. ad Carolum IV. Augustum & Annam vxorem in Vaticano coronandos legatur anno M. CCC. LV. de hac coronatione peragendâ scripserat Carolo Innocentius, II. Calend. Februarias eum fore coronandum, si prius Ecclesiæ iurium defensionem spoponderit ex formulâ datâ; sponsio data & scripta Laterani Nonis Aprilibus: in eundem coronationis finem scripsit Innocentius Cardinali Ostiensi iter peragenti his verbis.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Petro Episcopo Ostiensi Apostolicæ Sedis Nuncio salutem & Apostolicam benedictionem.

Speciosus forma præ filiis hominum Iesus Christus, &c. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem vrbem te personaliter conferens, ac ibidem die, quam idem Rex ad hoc duxerit eligendam, cum Legato conueniens memorato, tu in dictâ basilicâ missam celebres, & Regem inungas eundem, & tu dictusque Legatus Regi præfato, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Annæ Reginæ Romanorum illustri vxori suæ, mitras & diademata Imperij, ac eidem Regi sceptrum, pomum, & gladium, & alia solemnia, prout infra patentius clariusque distinguitur, tribuatis, ipsorumque inclytos vertices, insigniis eorundem adhibitis, vetustæ consuetudinis solemnitatibus decoretis, & ne quis in his peragendis solemniis possit error interuenire, quod absit, modum & formam agendorum, & vbi ac per quas personas agenda fuerint particulariter, & distinctè duximus præsentibus inserenda, prout in archiuo ipsius Ecclesiæ ac Pontificali ordinario continetur. Cardin. Albornos

Operæ pretium est rem referre ex itinerario M.S. & Diario à Ioanne de Porta Annonæensi Cardinalis Legati Capellano.

Auenione egressus Cardinalis Bertrandus acceptâ Pontificis benedictione die x. Februarij anno M. CCC. LV. terrestri itinere. Pisas peruenit die Iouis XII. Martij: ei obuius factus Cæsar breui coronandus mutuis amplexibus & osculis se salutarunt, ambo Vrbem Pisanam ingrediuntur tecti vnâ vmbellâ, Bertrandus ornamentis Pontificalibus erat indutus; die XV. eiusdem mensis Dominicâ lætare sacrificium Missæ obtulit habens tiaram Pontificalem, aliáque in celebrioribus sacrificiis haberi solita. Postridiè litauit pro defuncti Henrici VII. Cæsaris animæ requie, præsentibus Carolo & Annâ Imperatoris defuncti nepotibus; orationem funebrem habuit F. Simon Dominicani Ordinis Magister Generalis in præsentiâ viginti Antistitum. Inter moras impetrat Bertrandus Cardinalis trecentos milites contra Malatestam vsurpantem Ecclesiæ terras mittendos ad Ægidium antiquum Legatum Cardinalem tituli S. Clementis, qui illum captiuum intercepit missum posteà ad Cæsarem. Dominicâ die Passionis Cardinalis & Imperator Pisis discessêre Romam petituri diuersis itineribus pro vtriusq;

commoditate. Die Iouis secundâ Aprilis vterque Cezannum aduenit burgum ditionis Comitis Anguillarę distantem XII. milliaribus à Sutrio, equos conscendere, vt Romam peterent conducti ad D. Mariæ Magdalenes templum Romæ milliario vno vicinum: Imperator vnâ portâ incognitus Vrbem ingressus, Cardinalis alterâ, qui ad sanctum Petrum contendit exceptus à Benedicto Vrsino Canonico. Quintâ die Aprilis Paschati sacrâ antelucanis horis egressus Româ Cæsar, vt triumphantem introitum ageret. Cancellarius Romanæ ciuitatis Nicolaus de Monte-nigro, & Syndicus Lelius de Tosectis Euangeliorum codicem manu tenentes petierunt ab Imperatore priuilegiorum confirmationem & sacramentum: tres Cardinales nepotes creauit Equites Petrum Bertrandum, Petrum de Monestier, cuius familia superstes, Petrum de sainct Didier.

Cæsar creat tres Equites nepotes Cardinalis.

Cæsare Romam ingresso, Senatores incœpere ire pedites ante sanctæ Catharinæ templum, & habenas equi tenentes progressi sunt ad Vaticanum; Bertrandus Cardinalis ornatu Pontificio Imperatorem ante Basilicæ fores salutauit, quem vnxit in Cæsarem ipso die Anastasis Dominicæ, & coniugem eius Annam; non verò Elizabetham, vt vocat huius itinerarij auctor, Bogustai Stetinensium Ducis filiam, quæ fuit Carolo iuncta quartis nuptiis.

Die Mercurij octauâ Aprilis ad Ecclesiam suam Ostiensem visendam se contulit Cardinalis; postea Auenionem rediit, cui obuiam facti omnes Cardinales in Monasterio sanctæ Praxedis à ciuitate Auenionensi non multùm dissito.

Osculatus est Pontificios pedes, manus, & os Innocentij VI. vigesimâ septimâ Iunij ingressus Patrum Purpuratorum Consistorium orationem habuit, & gratias egit ita exorsus, *Domine factum est vt imperasti*. Ista verba, quæ sunt serui ad Dominum, dirigo ad Te Patrem sanctissimum de commisso mihi per Sanctitatem tuam negotio.

Lucæ 14.

Iuxta Pictauium inter Francos & Anglos conserta pugna decimo nono Septembris, sed Francis exitialis; nam captus Francorum Monarcha Ioannes, cum Philippo filio natu minore à Principe Valliæ Eduardo filio Eduardi Regis. Pontifex Innocentius VI. Legatos misit duos, quorum vnus fuit Petrus Bertrandus, factæ operâ Pontificis in biennium induciæ, quæ tamen pacem non peperêre.

Cœlestinos Columbarienses Monasterij Gentiliacensis instituit hæredes; multa multis testamento reliquit, Summo Pontifici, Ecclesiæ Aniciensi, Beatæ Virginis Ecclesiis, Niuernensi, Atrebatensi, Prioratui, & Ecclesiæ Beatæ Mariæ Dei Matris Annonæensi, ibique Sacello suo, Annonæensi Nosocomio, templo Parœciali sancti Cyri Columbarij, Prioratibus Ardanciæ, Tini, Quintenasij, Polgræi, Religiosis sancti Antonij, & Franciscanis Annonæensibus, Templo Auenionensi sanctæ Mariæ de Donis, sacris Virginibus sanctæ Claræ Auenione, Abbatiæ S. Antonij Viennensis, sacræ ædi Diuæ Mariæ de Monte-alto, puellis pauperibus Annonæensibus, Torancinis, Columbariensibusque matrimonio collocandis.

Legata Bertrandi.

In tabella Sacelli Lutetiani Collegij Augustodunensis hæc leguntur. Re-


uerendissimus in Christo Pater Dominus Petrus Bertrandi Diœcesis Viennensis, Episcopus Niuernensis, deinde Atrebatensis. Posteà sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, & consequenter Ostiensis & Veliternus Episcopus, nepos prædicti Domini Cardinalis sancti Clementis huius Collegij Eduensis fundatoris.

Animam efflauit in Prioratu montis-Alti decimo tertio Iulij anno M. CCC. LXI. vt habet Martyrologium Augustodunensis Collegij, in cuius maiore ianuâ conspicitur imago Petri Iunioris Cardinalis è regione Auunculi, ad quam hæc leguntur.

Petrus Bertrandi Diœcesis Viennensis olim Niuernensis, deinde Atrebatensis Episcopus, tituli postea sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis: demum Episcopus Ostiensis & Veliternus.

Cadauer ex Prioratu Montis-alti translatum ad templum Cœlestinorum Columbariensium, & ante aram Principem humatum sub lampade, vt pote qui Ecclesiæ fuit lampas & lucerna ardens & lucens. Cœlestini Columbarien.

Parma Petri Bertrandi Iunioris argentea, tribus rosis coccineis, canterio cæruleo, duabus columbis argenteis cruribus & rostro miniatis exarata.



ÆGIDIVS DE ROVCY ABBAS SANCTI DIONYSII CARDINALIS SANCTI CLEMENTIS CLEMENTE VI.

ANNO CHRISTI M. CCC. XLIV.

NVLLAM Ægidij Rigaldi à Rouciaco Doctoris Theologi memoriam fecêre Pannuinus & Ciaconius. Est alia familia de Roussy titulo Comitatus in Campaniâ decorata; ex quâ Simon Comes de Roussy sepultus in Monasterio Brennæ Ordinis Præmonstratensis. Patri erexit sepulchrum, & matri Mariæ de Coucy Ioannes de Roussy anno M. CCC. LXXXIV. Laudunensis Ecclesiæ Antistes, vulgò *bonus Episcopus*, Caroli VI. Regis consanguineus terræ mandatus in Ecclesiâ de Brenne in Diui Dionysij Sacello. Duæ itaque fuêre familiæ & loca de Roussy & Roucy.

Monachus Ægidius, & Prior Essonæ Ordinis Benedictini, à quo Ordine prodière innumeri in Ecclesiâ celebres viri post Gregorium Summum Pontificem huius nominis I. Monachum Benedictinum.

Cum Gallici Regni Monasteria perlustraret sua censura, Cardinalis eligitur absens Presbyter tituli sanctæ Sabinæ à Clemente VI. anno M.CCC.L.

Hinc ad Deum abijt Auenione, anno M.CCC.LVIII. Tolosæ sepultus apud Prædicatores.

Scripsit de reparatione lapsi.

Sermones multos, aliaque nonnulla, de quibus Paulus Cortesius.



PETRVS DE LA FOREST FRANCIÆ CANCELLARIVS CARDINALIS SS. XII. APOSTOLORVM CLEMENTE VI. — Anno Christi M.CCC.L.

SVSÆ in Cenomanicâ Diœcesi, anno M.CCC.XIV. prodijt in lucem Petrus de Foresta, cuius meminêre Froissardus & Tillius; frater ipsi fuit germanus Philippus Catalaunensis Præsul, de quo Necrologium Ecclesiæ Parisiensis. Monachus & Archimandrita D. Dionysij in Franciâ dicti. (Froissardus & Till. de Regib. Franc.) Regni Galliæ Cancellarius, Ioanne Rege, anno M.CCC.XXX. Feronio attestante; vnà cum Duce Borbonio ad Innocentium Pontificem mittitur, vt sedarentur bella inter Francû & Anglum orta; Induciæ trium mensiû obtinentur; auctor fuit pecuniæ colligendæ pro Rege in Angliâ captiuo.

Præsul Tornacensis electus, anno M.CCC.XLIX. defuncto Ioanne à Pratis, postea Parisiensis, quo sedem tenente Ioannes à Iustitiâ Parisiensis Canonicus, & Baiocarum Cantor Collegium erexit Lutetiæ, cui nomen dedit à Iustitiâ. Demum Rothomagensis Archipræsul, cuius tempestate in Ducem Neustrium recipitur Carolus Delphinus, anno M.CCC.LV. Ei successit in Archiepiscopatu Ioannes Cardinalis d'Alençon. (Collegium à Iustitia.)

Cum Auenione personam Oratoris Regij sustineret anno M.CCC.L. ad Cardinalis Diaconi dignitatem promouetur, postea fuit in Presbyterum Basilicæ SS. XII. Apostolorum electus. Auctor Appendicis Bernardi Guidonis eum refert inter Cardinales Innocentij VI. vigesimâ tertiâ die Decembris, anno M.CCC.LIII. At reuerâ hoc Cardinalium numero à Clemente creatorum comprehenditur Cardinalis de la Forest.

In Regnum Siculum Legatus ab Innocentio VI.

Extinguitur peste, annos natus quinquaginta quinque, in ciuitate Auenionensi, anno M.CCC.LXI. vigesimâ quintâ Iunij; in memorato tamen Necrologio notatur Petri, & Philippi fratrum anniuersarius dies obitûs

Calendis Nouembribus.

Scutum Petri de la Foreſt coccineum, Aquilâ aureâ roſtro & cruribus argenteis, molulis echinatis item aureis ſparſum, quadripertitum ex argento, clathratâ Symboli punicei paginâ, ſcutulo miniato medium quadrantum occupante, cruce ſphærulis hermionicis inſtructâ (quod ſculptor non expreſſit) exaratum.



ANNO CHRISTI M.CCC.L.

PASTOR D'AVBENAS MINORITA CARDINALIS SS. MARCELLINI ET PETRI CLEMENTE VI.

IN Comnenis montibus apparuit Paſtor de Sareſtudio ab Albernace appellationem ſortitus vrbe ſui natalis & Conuentus. Pro Inſignibus Gallum Gallinaceum gerebat, vnde ſic quidam luſit.

Albernace tuis vigilat quæ inſignibus ales
Criſtata, ingenij vim notat illa tui.

Bartholom. Piſ. conf. conformita tum conform. 8. Lucas Vvaddingus in Annal Minor. ann. 1337

In Monaſterio d'Aubenas S. Franciſci Religionem profeſſus, cuius meminit Bartholomæus Piſanus: Miniſter Prouinciæ electus; noluit tamen Patrum votis aſſentiri. Doctor Theologus Pariſienſis promotus ad cahedram Aſſiſiatem; ipſi proficiſcenti in Italiam ad ſuum Epiſcopatum eſt à Benedicto XII. commiſſum, vt ad preces Sanciæ Siciliæ Reginæ viginti ſorores prouectæ ætatis transferret ex Monaſterijs ad Regium corporis Chriſti Neapolitanum, quæ adoleſcentiores diſciplinis & inſtitutis regularibus informarent. Archipræſul Ebredunenſis aſſumpto Bertrando ad Cardinalatum tituli ſancti Marci, quorum Ordinem inuertunt nonnulli auctores ſcribentes de Ebredunenſibus Archiepiſcopis. In Paſtoris locum Epiſcopi Aſſiſiatis ſubſtituit Benedictus alterum Minoritam Nicolaum Zucium Idibus Martij, anno M.CCC. XXXIX.

Legatio Paſtori Archiepiſcopo Ebredunenſi, & Guillelmo Carnotenſi Epiſcopo ad Philippum Regem Galliarum commiſſa ſuper reuocandis, ſeu liberandis Petro Cardinale Preſbytero tituli S. Clementis, alijſque Cardinalibus & eorum familiaribus, quos Rex cuſtodiâ detinebat & ſuper reuocandis ijs, quæ contra Eccleſiæ auctoritatem & immunitatem ſanxerat. Vt Regis animum emolliret longo tempore Pariſijs opor-

tuit immorari, & tandem cooperante, ac sollicitè interueniente Ioannâ Reginâ ad optata peruenerunt. Huius Legationis instrumentum habetur in Regesto Clementis VI. in Bibliothecâ Vaticanâ.

Non Sanctorum Syluestri & Martini Presbyter Cardinalis, vt putat Ciaconius, sed SS. Marcellini, & Petri, anno M. CCC. L. quem creauit Clemens VI. anno sui Pontificatûs nono, mense Decembri. Paucis à creatione diebus nimirum decimo Calendas Ianuarias ad eum scribit Pontifex.

Dilecto filio Pastori tituli Sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinali


Nuper propter clara virtutum tuarum insignia, & grandium tuorum excellentiam meritorum, & alia dona, quibus te Dominus insigniuit ad supportandum nobiscum, & cum Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus vniuersalis Ecclesiæ onera, te olim Archiepiscopum Ebredunensem à vinculo, quo Ebredunensis Ecclesiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de dictorum Fratrum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absoluentes in S. R. E. Cardinalem Presbyterum authoritate Apostolicâ duximus assumendum. Cum igitur, prout huiusmodi Cardinalatûs tui status exigit, sufficientem & conducentem non habeas facultatem, & propterea congruum existimantes fore tuis opportunitatibus prouidendum, &c.

Hoc diplomate alijsque multis ad eum directis, conceduntur ei facultates magnæ, Canonicatus, & pinguia beneficia, per quæ iuxta dignitatis suæ gradum competenti viuat decôre.

Hac luce priuatur Auenione, quinto Nonas Iulij, anno M. CCC. LIV. apud Minores sepultus. Ex Necrologio eorundem Minorum Auenionensium.

Multa in sacros prophanosque libros edidit commentaria.

De gestis suo tempore in Ecclesiâ memorabilibus. Ex Eisengreino.



RAYMVNDVS DE VIS CARDINALIS TVSCVLANVS CLEMENTE VI. Anno Christi M. CCC. L.

NARBONENSIS in Volcis Arecomicis, quæ Regio à VVisigothis seu Occidentalibus Gothis Gothia est nuncupata, vulgò Landgothia, seu terra Gothorum; hæc enim dictio Land seu tellus indicat Gallicâ


voce admodum corruptâ *Languedoc*, pro *Landgoth.* Eiuſdem cognominis Ioannes de Vis Patriarcha Conſtantinopolitanus miſſus Neapolim.

Catel. Hiſtor. Narboneн.

Archiantiſtes Toloſanus exiſtimatur à Guillelmo de Catel: tamen ab alijs reponitur eadem tempeſtate Raymundus de Canillac Cardinalis, de quâ re actum ſuperiùs; duo fuêre Cardinales diuerſi licet à nonnullis confundantur.

Clemens VI. Cardinalem Preſbyterum creauit tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem, ſeu Baſilicæ Seſſorianæ anno M.CCC.L. Auenione decimo quinto Calendas Ianuarij.

E medio tollitur anno M. CCC.LII.



Anno Christi M.CCC.L.

GVILLELMVS D'ARG-FVEILLE ARCHIEPISCOPVS CÆSARAVGVSTANVS CARDINALIS S. MARIÆ TRANS-TIBERIM CLEMENTE VI.

IN Cluniacenſi inſtituto Monachum egit Guillelmus de Agri-folio Conuentualis Prior Diui Petri de Abbatis villâ Diœceſis Ambianenſis, Ordinis Benedictini, quem à pubertate ſemper domi habuerat Clemens, vt pote nepotem. Hic Cardinalis de Agri-folio patruus fuit Guillelmus de Agri-folio Cardinalis Vrbani V. Eius gentis Bernardus de Agri-folio Epiſcopus Viuarius, & Prior ſancti Martini Pariſienſis anno M. CCC. LXXIII. Archipræſul Cæſarauguſtanus, idque in Clementis gratiam ab Hiſpanis præſtitum.

Ægidius Cardin. Albornos.

In Preſbyterum Cardinalem S.Mariæ tranſtyberim tituli Calixti electus à Clemente VI. quartâ Patrum electione, anno M.CCC.L. decimo quinto Calendas Ianuarias, vnà cum Ægidio illo Garzia Carriglio Cardinale Albornotio natione Hiſpano poſt hominum memoriam celebrando, ob debellatos in toto Petri patrimonio Tyrannos. Vrbanus V. Sabinum creauit Epiſcopum die vltimâ Octobris Dominicâ, præuigilio feſti omnium Sanctorum, poſtquam in Principe Arâ Apoſtolorum Coriphæi Petri ſacra miſſæ ſolemnia celebraſſet, in quâ non fuerat ſacrificatum à Bonifacij VIII. tempore propter Summorum Pontificum abſentiam, qui ſoli in ipſâ ſacrificium offerunt.

Eiuis

E viuis sublato Rege Siciliæ Ludouico absque liberis, anno M.CCC.LV. ad Siculi Regni tutelam mittitur Guillelmus Cardinalis ab Innocentio huius nominis VI. tandem succedit frater Ludouici Fridericus dictus Simplex. Eodem anno moritur Ludouicus Ioannæ Reginæ Neapolitanæ maritus: illa cum Iacobo Tarraconensi ad tertias conuolat nuptias, & postea quartas circa annum M.CCC.LXXVIII. Fasell.l. de rebus Siculis. Pandulphus.

Pontifex Vrbanus grati animi memor erga Guillelmum Cardinalem promouit eius nepotem eiusdem nominis, & cognominis ad Cardinalatûs fastigium; aiebat enim Pontifex se fuisse vocatum ad Pontificatûs apicem, procurante inter cæteros Guillelmo Cardinale Cæsaraugustano. Comitatus funus est Clementis VI. Pontificis ad Casam-Dei, sexto Calendas Maij, anno M.CCC.LIII. cum alijs quatuor Cardinalibus propinquis. Grati animi significatio.

Viterbij perijt lue grassante, quarto Nonas Octobres, anno M.CCC.LXIX. tumulatus in sacrâ Eremitarum æde sanctæ Trinitatis.



PETRVS DE MONTESQVIEV ALBIENSIS PRÆSVL CARDINALIS SS. XII. APOSTOLORVM CLEMENTE VI.

Anno Christi M.CCC.L.

IN Aquitaniâ secundâ lucis vsurâ frui cœpit Petrus de Montesquinio. Familia hæc Montesquiniorum translata & inserta stirpi de Monluc matrimoniorum fœdere; enimuerò Fabianus Monlucius filius Blasij de Monluc Franciæ Polemarchi inuictissimi duxit matrimonio Annam de Montesquieu; eo connubio natus Adrianus de Monluc Comes de Carmain, cui data est vxor Ioanna Foxensis & Caramanni villæ Diœcesis Tolosanæ Primus Vice-comes de Carmain Bertrandus de Lautrec æuo Philippi Pulchri anno M.CCC.V.

Albiensis Præsul Petrus, anno M.CCC.XXXVIII. promoto Guillelmo de Curty Theologiæ Doctore ad Cardinalatū. Anno sui Pontificatûs tertio, Bonifacius huius nominis VIII. vigesimâ nonâ Decembris, anno M.CC.XCVII. Canonicos Regulares D. Augustini, qui Albiæ ad Tarnem clarum amnem, in templo & Monasterio Cæciliæ Virgini sacro, vt Deo seruirent, collocati à maioribus fuerant, Bonifacius, inquam (vt eius vtar verbis) secularizauit, propter eorum ignorantiam, corruptosque mores.

Collatus ei titulus Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presbytero Cardinali à Clemente VI. anno Iubilæi M. CCC. L. Aduentûs tempore, decimo quinto Calendas Ianuarij, in Auenionensi ciuitate.

Inter mortales esse desijt, anno M. CCC. LVI.



ANNO CHRISTI M. CCC. L.

ARNALDVS EPISCOPVS APAMIARVM CARDINALIS S. SIXTI CLEMENTE VI.

Auctor append. Bern. Guid.

E VILLA-MVRO vrbe Diœcesis Tolosanæ ad fluuium Tarnem, & Vicecomitatu, cuius Dominus Petrus de Villemur anno M. CC. II. & Bertrandus Villemur. Iuris Pontificij lauream est adeptus Arnaldus noster, dictus aliis Pontius. Apamiarum Præsul IV. successit in Episcopatu Dominico Grenier Dominicano, qui lituum Apamiensem gerebat anno M. CCC. XLI. vt patet ex antiquâ picturâ vitæ Diui Antonini in sacello maioris claustri PP. Dominicanorum. *Anno Domini M. CCC. XLI. hoc opus extitit die VII. Nouembris consummatum.*

Frater Dominicus Domini cultor benedictus,
Doctor mirificus, & Episcopus Appamiensis,
Sumptibus immensis opus hoc fabrefecit amicus,
Inde Deo gratus regnet sine fine beatus.

Porrò Episcopatus Apamiensis à Bonifacio VIII. (cuius cadauer adhuc integrum, detecto ab aliquot annis sepulchro, in templo Diui Petri Romæ repertum dicitur) institutus est in Monasterio S. Antonini Martyris ad Aurigeram fluuium, vbi Canonici Regulares degebant, idque anno M. CC. XCVI. Nangius & Bernardi Guidonis appendicis auctor accidisse memorant; huiusce Ecclesiæ Canonici hoc æuo sua emittunt vota, & sunt Religiosi Ordinis Augustiniani.

Canonici Apamien. Religiosi.

*Presbyter Cardinalis tituli S. Sixti à Clemente VI anno M. CCC. L. quartâ Cardinalium creatione.

Auenione iura Naturæ persoluit, & quidem morte repentinâ, anno M. CCC. LV.



IOANNES DE CARMAIN CARDINALIS S. GEORGII CLEMENTE VI. Anno Christi M.CCC.L.

APOSTOLICÆ Sedis Protonotarius Ioannes Deüsa filius Vice-comitis de Caramanno, pronepos Ioannis XXII. Vice-comitatum Caramanni vendidit Bertrandus de Lautrec anno M.CCC.XXI. Arnaldo Deüsæ cui Deüsæ filio, & Catharinæ de Grandis, Iacobi vero Deüsæ postea Summi Pontificis Ioannis XXII. fratri. Pontifex instituit Collegium Canonicorum in Ecclesia Collegiata de Carmain, ex Bernardo Guidone. Comites de Carmain.

Ad Cardinalatûs apicem tituli S. Georgij in Velabro peruenit Diaconus vocante Clemente VI. Pontifice, anno M.CCC.L. Bernard. Guido in Ioan. 22.

Interijt peste in vrbe Auenionensi, Calendis Augusti, anno M.CCC.LXI. Append. Annal. S. Victoris.

Scutum Comitum Caramanni argenteum, Leone cæruleo, cum limbo lineari octo libis miniatis, quadripertitum ex auro duabus fascijs miniatis impressum.



ANDROINVS AVBERT CARDINALIS MAGALONENSIS INNOCENTIO VI. Anno Christi M.CCC.LIII.

SVMMI Pontificis Innocentij VI. fratris filius patriâ Lemouicensis. Episcopus Magalonensis; Magalona Insula est Maris Mediterranei, in quâ olim fuit templum Canonicorum sancti Augustini, nunc Sim-

plicium, vt vocant. Inde Sedes Episcopalis ob prædonum incursus translata est Montem-pessulum vrbem Volcarum Aremoricorum anno M. D. XXXVI. Pauli III. Summi Pontificis auctoritate. Ioannes Chenu hunc Cardinalem reponit in nomenclaturâ Præsulum Eduensium; verùm tantummodò in Capitulum Eduense cooptatur. Eâdem fermè tempestate ex eodem Capitulo duo alij Cardinales nimirum Archidiaconus Eduensis vulgò Cardinalis Vercellensis, & Cardinalis de Cluniaco Archidiaconus Aualonensis, Godofredo Eduorum Antistite.

Primâ promotione solus Androinus ab Innocentio VI. patruo, anno à partu Virginis M. CCC. LIII. die decimâ quartâ Calend. Ianuarij, feriâ sextâ quatuor temporum Aduentûs, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis & Pauli (quem titulum priùs habuerat Pontifex) institutus, dein promotus est ad Episcopatum Ostiensem.

Auctor Xenodochij Auenione siti in pontis capite, cuius insignia lapidi insculpta visuntur supra fores collocata. Vrbanum V. Romanum Pontificem Maximum coronauit die sexto Nouembris, anno M. CCC. LXII. in eadem vrbe Auenionensi.

Mortem oppetijt nono Maij die, anno M. CCC. LXIII. Auenione, cadauer tumulatum apud Carthusianos Villæ-nouæ, vt refert Necrologium Carthusianorum eiusdem Villæ.



Anno Christi M. CCC. LVI.

GVILLELMVS FARINERIVS CARDINALIS SS. MARCELLINI ET PETRI INNOCENTIO VI.

Lucas Vvadding. in Annal. Minor. ann. 1354.

FRANCISCANVS professione Guillelmus Farinerius de Gourdom custodiæ Cadurcensis; anno M. CCC. XLIV. assumptus ad Doctoratûs gradum in Academiâ Tolosanâ, Iordano Curti eiusdem Ordinis Theologicæ Facultatis professore, postea Episcopo Triuentino in Regno Neapolitano, tandem Archiepiscopo Messanensi.

Sui Ordinis Seraphici Fratrum Minorum Generalis vigesimus, Veronæ electus, anno M. CCC. XLVIII. in præsentia M. Fortanerij Vasalli Capitulo Præfecti Generalis, postea Cardinalatu insigniti; præfuit annos nouem, imperauitque statuta D. Bonauenturæ eiusdem Ordinis Generalis ab omnibus adamussim obseruari. Generalatum obtinente Farinerio

tanta lues est grassata, tantæ calamitates ortæ, vt vix tertia Fratrum pars fuerit superstes; alij enim sanguinem euomebant, alij dolores inguinis patiebantur, alij sacro igne, & febre acutâ laborabant, alij demum phrenesi debacchabantur. Cum Fr. Gentilis Fulginas Paulutius Triucius nomine, & alij eiusdem propositi Clementem VI. supplice libello rogassent, vt quædam ipsis habitacula concederentur ad strictiorem D. Francisci regulam, & vt aiunt ad literam, & sine glossa obseruandam, quatuor fuêre attributa in Seraphici Patris Prouinciâ, nimirum Carceris locus, Mons-lucis, & duo alia; in quorum vnoquoque numerus duodenarius Fratrum posset habitare; at hunc rigorem temperauit & sustulit Innocentius VI. Ordinis Generali creato in Cardinalem; ei successor datus frater Ioannes de Buro Aquitanus. Pestis ingens.

Cardinalatu decoratus Presbyter tituli sanctorum Marcellini & Petri anno M.CCC.LVI. ab Innocentio VI. anno quinto Pontificatûs, decimo Calendas Ianuarij, Auenione.

Anno sequẽti proficiscitur Guillelmus in Hispanias Legatus ab Innocentio, pacemque inter eas gentes reuocaturus: magnâ eius contentione vltro citroq; commeando: constitutum tandem, vt induciæ anni, & trium mensiũ essent, dum de pacis conditionibus agerent lecti Proceres pro Arragonio Rege Cabrera, pro Castellano Hinojosa; interim oppida vtrinque capta penes Legatum quasi Sequestrum. Fluxensis Comes ex Gallia venit in auxilium Arragonij cum validâ manu, cuius æmuli Labretij Reguli sese Castellæ viribus adiunxêre. Qui prior initum fœdus violasset, anathematis ei ignominia, religioque obiecta; mensis Maij decimo octauo die induciæ pactæ sunt. Eo mense Alphonsus Lusitanus Rex Olysippone decessit annos natus septuaginta septem, corpus in ea vrbe ad aram templi maximi, vbi Beatrix coniux sepulta erat, terræ mandatum est.


Ab Arragoniis arces statim Legato Cardinali traditæ eò promptiùs, quò pauciores ceperant. Castellæ Rex cæteris stare volebat, vt Turiasone nouos deduceret incolas, adduci non potuit. Eius frustrationibus exceptionibusque Legatus Pontificius fatigatus Regem quidem è piorum exemit numero, Castellæ vniuersæ sacris interdixit præproperâ festinatione, vt visum est, quâ de causâ eum Pontifex ab Hispaniis reuocauit, & id Arragoniis fraudibus agebatur, vt Castellæ Regi quasi impio, & scelerato nouam inuidiam conflarent, gentis studia euerterent, in quo maius præsidium, quàm in vera virtute collocabant.

Mortalitatem exuit octauo Calendas Septembres anno M.CCC.LXI. sepultus in æde Minorum Auenionensium.

Scripsit in sacros & prophanos libros commentaria.

Sermones varios.

Libellum de mutuatitiâ negociatione, Ægidij Cariglij Cardinalis Albornotij rogatu, ex quo facilè possit intelligi, quot ex nundinarum pretiis nummi in singula centena permutationis nomine exigi, & quando possint.



Anno Christi M. CCC. LVI.

PETRVS DE CROSON ANTISSIODORENSIS PRÆSVL CARDINALIS SS. SYLVESTRI ET MARTINI INNOCENTIO VI.

NEMINI mirum videri debet, si tot tantique fuêre Cardinales Lemouicenses (inter quos Petrus de Crosso est annumerandus) cùm quatuor fuerint Summi Pontifices è Lemouicensi Prouinciâ desumpti nouissimi, Clemens VI. Innocentius VI. Vrbanus V. Gregorius XI. à quibus Christianus Orbis vndetriginta continuos annos sacra iura postulauit, ex Paulo Æmilio, in Carolo Sapiente. Eiusdem Gentis de Crosso extitit Petrus alius Crossus Clementis VII. Antipapæ Cardinalis, & Ioannes Lemouicensis Episcopus, & Cardinalis, de quibus infra. Syluanectensis Præsul. Antissiodorensis anno M. CCC. L. post Bernardum, qui iacet Ratiasti Lemouicum, vbi natus fuerat. Inter Archipræsules Rothomagenses Petrus à Ciaconio recensetur; cum tamen in catalogo illorum Archiantistitum solerti exarato diligentiâ à Dadræo Pœnitentiario Rothomagensi, Doctore etiam Theologo Facultatis Parisiensis non reperiatur.

Æmil in Carolo 5.

Adlectus in Ordinem Presbyterorum Cardinalium tituli sanctorum Syluestri & Martini in Montibus anno M. CCC. LVI. ab Innocentio VI. Appendix Chronici Bernardi Guidonis refert à Clemente VI. creatum in vltima promotione anno M. CCC. L. decimâ septimâ Decembris (quæ fuit quinta promotio in quatuor temporibus) tunc Episcopum Antissiodorensem.

Ereptus peste, nono Calendas Octobres, Auenione anno M. CCC. LXI. in Ecclesiam Cathedralem translatus.



PETRVS DE SELVE ANTISTES PAMPILONENSIS CARDINALIS SANCTÆ ANASTASIÆ INNOCENTIO VI. ANNO CHRISTI M. CCC. LVI.

E Sorore nepos Pontificis Innocentij VI. Petrus ortus è Monteruco, Lemouicensis. Eiusdem stirpis Georgius de Selue Episcopus Vaurensis filius Ioannis Seluæ Præsidis in Senatu Parisiensi,& auctoris tractatûs de Beneficiis, legatur à Francisco I. anno M. D. XXIX. ad Carolum V. Cæsarem. Francisc. Bosq. in annot. histor. Innoc. 6.

Præsul Pampilonensis seu Pompeiopolensis ciuitatis (quam à suo nomine Pompeius Pompeiopolim nuncupauit, victo in Hispaniâ Sertorio) quæ olim Tarraconensi in Arragoniâ Archipræsuli; postea Cæsaraugustano, vulgò *Saragoça*, per Ioannem XXIII. & annis posterioribus Burgensi Archiepiscopo per Gregorium XIII. facta est suffraganea. Garibayos in sua Hispan. li. 21. & seq. de Episc. Pampelon. Strabo. li. 3. & S. Hieronym.

Numero Cardinalium Presbyterorum adiunctus ab Innocentio VI. tituli sanctæ Anastasiæ anno M. CCC. LVI. secundâ Patrum lectione, decimo Calendas Ianuarij, Auenione anno Pontificatûs quinto. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius.

Domûs Villæ-nouæ Carthusianorum fundator fuit secundus, primus enim est censendus Innocentius VI. Patruus, vti patet ex epitaphio Innocentij apud Villam-nouam. Cum aliis quinque Cardinalibus remansit Auenione anno M. CCC. LXXV. Summo Pontifice Gregorio Romam abeunte.

Mortalitatis compede solutus est vltimâ die Maij, anno M. CCC. LXXXV. iacet in æde Carthusianorum Villæ-nouæ prope Auenionem cum hoc epitaphio.

Hic iacet R. in Christo P. D. Petrus Cardinalis Pampilonensis secundus fundator huius domûs Vallis Benedictionis, nepos Papæ Innocentij VI. qui fuit amator, ac defensor Pauperum, Orphanorum, ac Viduarum, necnon Religiosorum, præcipuè Carthusianorum, & obijt anno Domini M.CCC.LXXXV. *vltimâ Maij.*

Ioannem de Monteruco nepotem habuit, cuius obitûs anniuersarius dies septimo Augusti,& decimo Iulij celebratur apud eosdē Carthusianos.



Anno Christi M CCC. LVI.

ELIAS DE S. IRIER EPISCOPVS VTICENSIS CARDINALIS SANCTI STEPHANI INNOCENTIO VI.

DOMINVM Eliam de sainct Irier Diœcesis Lemouicensis, Ordinis Benedictini commemoramus Decretorum Doctorem.

Gregor. Turon. lib. 10. ca. 29.


In eo loco Attanum Cœnobium Diui Aredij, de quo Gregorius Turonensis, & Martyrologium Lemouicense. Augusti vigesimo primo, apud pagum Lemouicensem in Cœnobio Attano depositio sanctissimi Aredij Abbatis, qui in Palatio Theodeberti Regis, consanguineique sui nutritus, & à Nicetio Treuirorum Episcopo diuinis litteris eruditus, sacris Ordinibus receptis, Deo fauente, in præfato Palatio Prior effectus est: auditâ deinde Patris morte, vt in gestis eius legitur, pro matris consolatione Lemouices est regressus, ibique multis crescens virtutibus, in pace quieuit diuinâ gratiâ roboratus.

Abbatia S. Florentij.

Abbas sancti Florentij, aliàs Glannensis ad Ostium Theodæ in Ligerim Diœcesis Andegauensis, Ordinis Benedictini; regiminis ipsius tempore (quod fuit quatuor annorum) viuebant in hoc Cœnobio octoginta Monachi: successorem autem habuit Petrum de Podio, posteà Maioris-Monasterij Cœnobiarcham. Hoc porrò Monasterium in eo, quo nunc est, loco extructum anno M. XXVI. mense Augusto, quod Arnulphus Turonensis, Hubertus Andegauensis, Imbertus Pictauiensis, Galterus Nannetensis dedicarunt, præsente Gofrido Andegauensi Comite anno M. XLI.

Vticensis Episcopus, cuius Ecclesiæ Patronus sanctus Theodoretus Presbyter, & Martyr Antiochenus.

Cardinalis Presbyter sancti Stephani in Cœlio-monte ab Innocentio VI. anno M. CCC. LVI. posteà Episcopus Ostiensis, & Veliternus, ab Vrbano V. creatus.



GVILLELMVS DE GARDIA HIEROSOLYMITANVS PATRIARCHA CARDINALIS INNOCENTIO VI.

Anno Christi M. CCC. LX.

GVILLELMVM Stephani nepotem purpurâ insignitum anno M. CCC. LX. pietas & virtus edidit Hierosolymorum Patriarcham. Papyrius Massonus in Clemente VI. vocat Gardiam Guillotinum affinem Clementis, & Lemouicensem ex familiâ, quæ nunc quoque nobilis claraque habetur. A Ciaconio tardius fertur in numerum Cardinalium cooptatus, Vrbano scilicet Pontifice V I. nec profectò Romæ defunctus est, aut sepultus, sed Arelate, vt demonstrabo. A Draconeto de monte Draconis, Guillelmus pro supremo eiusdem municipij Domino honoratus est eâ lege, vt vrgente bello vel pace durante, vrbis claues Episcopo Arelatensi redderentur.

Ex Saxio in Pontif. Arelat.

Secundum sanè in dignitate annum agebat Guillelmus, cum Ioanna domesticis bellis pressa, & suorum passa rebellionem Neapoli versabatur, comes fitque Arelatensibus, vt in vrbe Ducem crearent, qui res ad bellum spectantes curaret: exinde illam immisit Guillelmus donationem Salinarum à Carolo IV. Stephano Patruo, & Ecclesiæ Arelatensi factâ, quam ratam habuit, & ipse rediens Auenione aliquandiu cum Vrbano V. Summo Pontifice, & Carolo IV. Cæsare moratus est.

Cæsar Arelatem venit Arelatensis Regni coronam petiturus, quam obtinuit in augusto Diui Trophimii templo, & imposuit Guillelmus noster, præsentibus Sabaudiæ, & Borbonij Ducibus, ac Prouinciæ Senescallo; quæ quidem licet anno M. CCC. LV. gesta referat Nostradamus, ex archiuiis Ecclesiæ constat, non Stephanum, sed Guillelmum illius coronationis authorem, ipseque etiam author libro de cæremoniis Ecclesiæ Romanæ nobiscum sentit. Legimus (inquit) & in aliis historiis, quosdam etiam Arelate coronam Imperatores suscepisse, de Regno Arelatensi, & alibi, alias pro aliis Regnis: nam & Carolus IV. Auenionem venit ad Vrbanum V. anno salutis M. CCC. LXI. iam pridem iussu Innocentij VI. Romæ Imperator coronatus, qui rebus, quarum gratiâ ad Pontificem venerat, absolutis, Arelatem profectus est, vbi per Episcopum huius vrbis Regni Arelatensis coronâ donatus est.

Carolus 4. coronatur Arelaten. Rex.

Conuicia in Guillelmum.

Cæterum in Guillelmum Præſulem inuehit Noſtradamus, non tàm ſuo, quàm alieno felle commotus, recitatque occultum cum Ludouico Ioannæ hoſte fœdus iciſſe, atque vt ſententiam ſuam probet, Alamanoni Satyram deſcripſit. Hic vbi Guillelmum impium, atheum, mortalium denique nequiſſimum dixit, conuicia in vnum congeſta in illum euomit, de proditione ne verbum quidem: tabulas tamen profert Noſtradamus, quibus Luqueto Girardino de Piſtorio perfidi Præſulis cauſa demandatur, conſtatque illo diplomate, vrbes, municipia, fundoſque mouentes Arelatenſis Eccleſiæ, poteſtati Regiæ Luquetum ſubieciſſe, poſtmodum de ſcelere cogniturum: ſed an hæc vera ſint, penes illos fides ſit. Chartæ etenim Guillelmum optimi Præſulis ſpecimen edidiſſe teſtantur; imo Ioannam, ante & poſt fictam proditionem, illum ſibi beneficiis deuinxiſſe, & quod præcipuum eſt, negant Arelatenſes ſe à Ludouico victos ſuccubuiſſe, nec Ioannam hac in Ludouici cauſâ expoſtulaturi obmutuiſſent.

Moriturus Guillelmus à Ioanne Francorum Rege aſſignationis centum ſolidorum apud Bellicadrum confirmationem obtinuit (de quibus in Bertrando Archipræſule) Regio hac in cauſâ ſcripto donatus. Sacellum ſibi, patruoque Stephano in tumulum conſtruxit, & tres (vt vulgo fertur) capellanias, ſeu oratoria, in quibus quotidiè ſacrificetur: primum Diuo Bartholomæo, alterum ſanctæ Margaretæ, tertium vndenis Virginum millibus dicauit, attributis apud municipium Granenſe redditibus quamplurimis, ſanxitq; vt Petrus de Gardia Tutellenſis, perpetuo iuris Patronatûs beneficio frueretur, ſubitoque Prouinciali Concilio, die Bartholomæo, Margaretæ, & vndecim Virginum millibus ſacro, ſeptingentorum annorum conceſſit indulgentiam Eccleſiam Beati Trophimi viſitantibus.

Annus obitûs Guillelmi eſſe debet M.CCC.LXXI. nam Petri de Croſſo Archipræſulis Arelatenſis geſta calculum hiſtoricum premunt.



ANNO CHRISTI M.CCC.LXI.

STEPHANVS AVBERT EPISCOPVS CARCASSONENSIS CARDINALIS S. MARIÆ IN AQVIRO INNOCENTIO VI.

Maſſon. in Innoc. 6.

PONTIFICIS Innocentij Pronepos Stephanus Aubert Diœceſis Lemouicenſis: nepotem Innocentij fuiſſe aſſerit Papirius Maſſonus. Eiuſ-

dem cognominis, & familiæ Androinus Aubert Cardinalis, cuius mentio in superioribus.

Præsul Ecclesiæ Carcassonensis, cuius templum D. Nazario sacrum ad fluuium Atacem sub Narbonensi Archipræsule; illius successor Guillelmus Loy Cardinalis anno M. CCC. LXXV. cuius meminit Arnaldus Wion. Duæ porrò sunt partes ciuitatis Carcassonæ, superior in qua Sedes Episcopalis, altera inferior, de qua Theodulphus in metris. Vvion li. lign. vitæ. Duæ partes Carcassonæ.

Inde reuisentes te Carcassona, Rhedásque
Mœnibus inferimus nos citò Narbo tuis.

Diaconus Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Aquiro creatus ab Innocentio VI. anno M. CCC. LXI. postea Presbyter sacratus tituli sancti Laurentij in Lucinâ ab Vrbano V. dum ageret in Italiâ vigesimo secundo die Septembris anno M. CCC. LXVIII. Montis-Falisci cum Guillelmo le Iuge Cardinale.

Viterbij ad Deum euocatus contendit tertio Calendas Octobres anno M. CCC. LXIX. in Cathedrali sepultus.



PETRVS ITERIVS PRÆSVL AQVENSIS CARDINALIS SANCTORVM QVATVOR CORONATORVM INNOCENTIO VI. ANNO CHRISTI M. CCC. LXI.

IN Aquitaniâ secundâ Legum professor egregius, & Doctor Petrus Iterius Petragoricensis; eiusdem nominis alter Episcopus Petragoricensis, cuius vitam & mores præclaros epitaphium continet.

Frater Petrus de sancto Iterio Episcopus Petragoricensis, summâ scientiâ & eloquentiâ præditus, magnus ac solemnis vir, vtique bonus ac deuotus: filius Domini de Insula propè Petragoras, venit ad hunc Conuentum Prædicatorum Lemouicensium primâ die Martij anno M.CC.LXVI. *& in habitu Episcopali mansit ibidem per annum, tandem magnâ cum difficultate precibus importunis cessionem sui Episcopatûs obtinuit à Domino Clemente VI. dignitate Episcopali in omnibus & per omnia reseruatâ, quam cessionem non*

potuerat obtinere à tribus Summis Pontificibus præfatis Clementi, scilicet Gregorio IX. Innocentio IV. & Alexandro IV. post paucos dies à dictâ cessione obtentâ, habitum Ordinis reuerenter accepit, & honorabiliter in eo Deo & Ordini militauit, annis octo, mensibus quatuor, cum dimidio: fecit multa & infinita bona Conuentui, tàm in ornamentis Ecclesiæ, quàm in libris & ædificijs, fecitque ædificare domum de Balaleu. Obijt autem pridie Idus Iulij, anno Domini M.CC.LXXV. *& est sepultus in Ecclesiâ huius Conuentûs in medio chori. Anima eius requiescat in pace.*

Ex Episcopo Religiosus.

Noster Petrus Aquensis Præsul sub Archiepiscopo Auscensi in Nouempopulaniâ successorem habuit Petrum Ammalium Lemouicensem Eremitam Augustinianum, Patriarcham Alexandrinum.

Presbyter Cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum anno M. CCC. LXI. die decimo quinto Calendas Octobres, ab Innocentio VI. demum Episcopus Albanensis.

Extremum efflauit spiritum decimo tertio Calendas Iunij anno M. CCC. LXVII. Auenione, Pontificatûs Vrbani V. quinto, illicque iacet in Prædicatorum æde, & sacello à se condito cum hoc epitaphio.

In præsenti capellâ iacet Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Petrus Iterij Episcopus Albanensis, Cardinalis Aquensis, Doctor Legum egregius, qui obijt sub die mensis Maij decimo nono, anno Domini M. CCC. LXVII. *post recessum Domini Vrbani V.*

Animaduerte lector occasione horum verborum, *post recessum Domini Vrbani V.* Vrbanum solum è Pôtificibus Auenione degentibus in Italiam, acceptis à Petrarchâ literis, & auditis tumultibus remeasse, vt communi voto Italiæ satisfaceret, Petrique inuiseret limina; sed posteà Auenionem rediit mense Septembri anno M. CCC. LXX. Classem ingressus in Prouinciam appulit, ad conciliandos Gallum, & Anglum Reges: in eâ cogitatione vndecimo Calendas Ianuarij eiusdem anni spiritum Deo reddidit.

Anno sequenti Henricus Rex Castellæ Classem mittit in oram Gallicam, cuius ope Franci ad Rupellam Anglos insigniter vincunt. Audiamus Paulum Æmilium. Classis Francorum Classi Hispanæ ab Henrico auxilio missæ coniuncta, expugnat quinque & triginta hostium naues ad Rupellam: quo in oppido trepidatum fuit, quòd inter Anglicum præsidium oppidanosque suspicio mutua, diffidentiaque esset. Rupellani deditionem fecère deploratâ omni spe, quòd Capitalis Buziorum, ita Principem suum Buzij (Vasconiæ ea Regio est) vocitant, nobilis bello Anglicarum partium Dux, subsidio cum magnâ manu veniens, ipse captus à Francis fuisset, cæteris vel fugâ dilapsis, vel cæde stratis.

Æmil. in Carolo 5.

[R]upella deditur.



GVILLELMVS BRAGOSE PRÆSVL VABRENSIS CARDINALIS SANCTI GEORGII INNOCENTIO VI.

ANNO CHRISTI M.CCC. LXI.

GVILLELMVM Gabalitanum Mimatensem Bragosium legimus Præsulem electum Vabrẽsem VI. numero & ordine Bertrandi de Piberac c am Prioris Diui Martini Lutetiæ successorem. Gabalum, vel Anderitum primaria est Prouinciæ ciuitas, illi subsunt Cebennæ, de quibus oeta Ausonius.

Interiusque premunt Aquitanica rura Cebennæ.

Plures annos docuit Ius Canonicum Tolosæ Doctor celebris; Maior Pœnitentiarius ab Innocentio VI. constitutus.

Sancti Georgij Cardinalis Diaconus, anno M.CCC.LXI. ab eodem Pontifice, postea Presbyter tituli S. Laurentij in Lucinâ ab Vrbano V. anno sequenti, causa Pœnitentiariæ mouit Vrbanum Pontificem, vt Guillelmo Cardinali titulum Presbyterij daret; Romanum enim Pœnitentiariæ officium Presbytero potius quàm Diacono conuenire Pontifex sagacissimè iudicauit.

Anno sequenti stupendum & horribile crudelitatis proditionisque specimen edidit Petrus Castellæ Rex cognomento Crudelis, vt pote qui totam ore barbariem euomebat, solumque inhumanitatis nomen eius opera sortiebantur: habuerat ille cum Mauris prælium, & ingentem à Granatæ Principe cladem acceperat, qui tamen infensi Regis animum (quamquàm barbarus) lenire satagens, cum eo fœdus inierat spreto victoriæ fructu, & Petrum Castellæ Regem ex Procerum consilio Hispali conuenerat. Verùm ementito lætitiæ vultu Castellanus, & aduentu barbari se simulans hilarem, ad cœnam eum inuitauit, cœnanti vincula, ô facinus! iniecta, & Tableta campus supplicio destinatus est, neque horruit Rex crudelissimus horrendâ Regis confœderati, supplicis, deditij, & inermis nece redundantem scelerum suorum mensuram maximâ omnium repugnantiâ cumulare.

Mariana l. 17. de reb. Hispan. c. 5.

Crudelitas Petri Castellæ Regis.

Romæ luteâ corporis domo egreditur Guillelmus, tertio Idus Nouembres, anno M.CCC.LXVII. sepultus in titulo sui Cardinalatûs.



Anno Christi M CCC. LXI.

HVGO A SANCTO MARTIALE CARDINALIS

SANCTÆ MARIÆ IN PORTICV INNOCENTIO VI.


NATVS in loco D. Thomæ de Capella à Planis in Aquitaniâ primâ Hugo à sancto Martiale: nepotem habuit Bertrandum de Malomonte Biterrensem Antistitem, & fratres Guidonem de sancto Martiale sequutum castra Domini Lertij Diœcesis Auenionensis, & Petrum de S. Martiale Archipræsulem Tolosanum antea Riuensem Præsulem, & Carcassonensem, cuius hæc sepulchralis inscriptio.

Anno Domini M. CCCC. I. *die primâ Decembris obijt Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Petrus de sancto Martiale Archiepiscopus Tolosanus, Legum egregius Doctor, cuius anima in pace requiescat cum ..... Dei in perpetuum. Amen. Pater noster, & Aue Maria dicant omnes deuotè. Amen.*

Doctor in Iure Pontificio & Cæsareo. Præpositus Duacensis. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in porticu Innocentio Pontifice electus in vltimâ Patrum creatione, anno M. CCC. LXI. Auctor vnius Sacelli in æde Cœlestinorum Auenionensium.

Gregorius XI. Romam petens anno M. CCC. LXXV. Hugonem Diaconorum Decanum reliquit Auenione.

Hugo vltimæ voluntatis Petri Tolosatum Archiepiscopi fratris executor M. CCC. XCVII. fuerat constitutus sed prædecessit, ille iacet in Diui Stephani Protomartyris ante Princeps altare iuxta tumulum Ioannis de Cardaillac Patriarchæ Alexandrini & Archipræsulis Tolosani. Hugonem mors abripuit pridie Calendas Aprilis, anno M. CCC. XCVIII. Auenione inobedientiâ Benedicti XIII. Corpus apud Cœlestinos ad pontem Sorgiæ Auenionensem sepulchro conditum.



ANDROINVS DE LA ROCHE ABBAS CLVNIACENSIS CARDINALIS SANCTI MARCELLI INNOCENTIO VI. Anno Christi MCCC. LXI.

IN Burgundiæ Comitatu viuendi fecit initiũ Androinus frater Comitis de la Roche Monachus Ordinis Benedictini, & Abbas S. Sequani Confessoris Diœcesis Lingonensis; postea Cœnobiarcha Cluniacensis XXXIV. anno M.CCC.LI.

Hugone Fabri Tutellensi eiurante Episcopatum, & Ordinem Carthusiensem ingresso (qui mortuus est anno M.CCC.LXVIII. in Vallis D. Mariæ Prioratu eiusdem Ordinis) Clemens VI. Pontifex contulit Androino, qui decennium præfuerat Cluniaco, Simonique de Bressa resignauit decretorum Doctori. Doctor Theologus fuit noster Androinus.

Cardinalem Presbyterum creauit absentem Innocentius VI. anno M.CCC. LXI. tituli sancti Marcelli, decimo quinto Calendas Octobres: Glabius in chronic. Seruor. l. 5. c. 2. in hoc titulo præfecturam Ordinis Seruorum D. Mariæ, quorum Protectione gaudebat, statuit Cardinalis, teste Archangelo Glabio: hanc Cardinalium creationem refert Ioannes Villanæus, in qua nullum Italum creatum asserit. Ioann. Villan. l. 10. c. 71.

Misit Legatum in Italiam idem Summus Pontifex, reuocato Ægidio Cardinale Albornotio, anno M.CCC.LVII. Forum Liuium in Æmilia, *Forli* vocant Itali, Legatus expugnauit; Ægidio discedente, & rerum prouinciam Androino deferente, omnia breui maximam patiuntur iacturam; cuius absentiâ, cum res tanto labore partæ (totum enim Ecclesiæ patrimonium pulsis Tyrannis erat recuperatum) faciem mutare cœpissent, repressi Tyranni rursus emergerent, Pontifex Ægidium denuò in Italiam mittere cogitur, quo aduentante omnia fuêre pacata, rediitque in Gallias Abbas Cluniacensis. Albornos ex Italiâ discedit.

Die Septembris duodecimâ, quâ Innocentius migrauit è vitâ, se recepit Curiam in Cardinalis Cluniacensis, nec locum in Consistorio, nec titulum habens: in Comitiis tamen Vrbani V. ex duorum veterum à Senatu vniuerso ad id electorum Cardinalium sententiâ, licuit illi ad nouum Pontificem eligendum ferre sententiam, licet ipsi os apertum, vt vulgò

dicitur nondum fuisset: vnde inferri potest solam ad Cardinalatum promotionem dare ius suffragij in Pontificis electione. Obseruandū porrò formam claudendi & referandi oris nouis Cardinalibus hanc esse. In primo Consistorio Summus Pontifex nouis inhibet Cardinalibus, ne quid, tum in Consistorio, tum in Consilijs loqui præsumant, quousque è Cardinalium sententiâ os eis aperiat. In secundo autem vel tertio Consistorio, omnibus Cardinalibus, & antiquis, & nouis consedentibus, tunc Pontifex nouos iubet exire, expectantque donec antiqui tulerint sententiam de ore aperiendo; si consentiant, aduocantur noui Cardinales, sedentque in loco suo: eos postea affatur Pontifex stantes, & charitate paternâ instruit, quo modo se gerere debeant in Consistorio, domi & publicè, & in ferendâ sententiâ seruandam esse modestiam & prudentiam, deinde exhortationem absoluit dicens. *Aperimus vobis os tam in collationibus, quàm in Concilijs, atque in electione Summi Pontificis, & in omnibus actibus tam in Consistorio quàm extra, qui ad Cardinales spectant, & quos soliti sunt exercere. In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen.*

Quid sit os aperire Cardd.

Angliam Pontificis iussu, & Gallici Regni nomine petijt, teste VValsingamo, ad annum M. CCC. LX. cuius verba accipe. Eodem tempore Cardinalis Adrianus (lege Androinum) Abbas Cluniacensis, tertio die in fine Aprilis venit Londinum tractaturus cum Rege Eduardo, & Consilio suo pro redemptione procurandâ Ioannis Franciæ Regis, qui captiuus fuerat decimo tertio Calendas Octobris, anno M. CCC. LVI. & obsidibus liberandis, & matrimonio contrahendo cum sanguine Regis Angliæ, & Caroli de Bloys. Pax inita, apd Britiniacum VIII. Maij, & confirmata Caleti XXIV. Octob. cum hisce conditionibus; primò Aquitaniæ Ducatus Anglo remanebit summo & hæreditario iure (quem tamen possedit tantum annis octo) insuper & Caletum, promissis tricies centenis aureorum millibus, quam pecuniarum summam mutuo dedit Franciæ Galeas Mediolani Vicecomes, cuius filius accepit in vxorem Ioannis filiam, & pro dote Comitatus Virtutum concessus est. Missi filij omnes Ioannis obsides præter Delphinum Carolum: Rex tandem liberatur ab ergastulo Anglicano, qui nunquam induci potuit, vt se Beneficiarium Angli profiteretur, imo exuit se Anglus iure, si quod in Regnum Franciæ illi extitisset: post quatuor annos carceris Britannici domum reuersus Ioannes Summos Pontifices Innocentium, & Vrbanum inuisit. Carolus IV. Cæsar Metis tentarat fœdus inter Francum & Anglum, quod non obtinuit.

VValsingam. in Eduardo. Androinus adit Londinū.

Pacis Britiniacen. conditiones.

Carcer. Regis Ioannis quatuor annorum

Androinus iterum missus ab Vrbano V. initio Pontificatûs Bononiam & Romãdiolam, Bernaboni & Galeacio Mediolani Vicecomitibus aliquas terras Ecclesiæ vsurpantibus, qui victi fuêre anno M.CCC.LXIII. duodecimo Calendas Iulij, primo à Bononiensi vrbe lapide, ad sancti Rofilli ædem: ciues ad lætitiam & victoriæ memoriam indicandam, in eam diem equorum cursum instituerunt, & pax concordiáque firmata hisce conditionibus. I. Bernabos Vicecomes titulo Vicarij Imperij ne amplius vtatur, II. diplomata, quæ pro eâ dignitate à Carolo acceperat, restituat, neque amplius quicquam Imperij vt Vicarius, administret, III. Bononiam Vrbem ne desideret, ne inuadat, ne tentet: & si quid iuris in possessionem

Rub. Hist. Rauen. l. 6. Pigna. l. 5. de rebus Atestin.

ilhu... ..tet se quocunque nomine habere, totum Romano Pontifici permittat, ... astra Purgi, Crepacorij, Castri Franchi, Plutrani, Sernaualllis, & omnia recens ab eo in agro Bononiensi fortalitia extructa Ecclesiæ Romanæ concedat, v. Neminem confœderatorum Ecclesiæ Principum & ciuitatum bello lacessat, ac inuasa singulis attribuat, vi. Guelpham apud se factionem ne opprimat, sed ex æquo omnibus suis subditis imperet, vii. Pontifex Vrbanus, ratione Castellorum recens extructorum, certam auri summam infra octo annos dependat, viii. anathemate illum & socios exsoluat, ix. Vrbibus & oppidis illius, & sociorum restitui sacra iubeat, x. qui non pactis steterit M.CC. nummum auri multetur.

Viterbij, quinto Calendas Nouembres, anno M.CCC.LXIX. Androinus pestiferâ lue interimitur, Necrologium Collegij sancti Martialis Auenionensis hæc habet. *Depositio Cardinalis Androini, quinto Calendas Nouembris, qui fuit Abbas Cluniacensis, & acquisiuit libratam, in qua ædificata est Ecclesia, cum Collegio.*

Corpus delatum Cluniacum, iacetque iuxta stelam lapideam Capellæ sancti Martialis.

Scripsit sermones diebus festis habitos, vt notat Eisengrein.



IOANNES DE BLANDIAC EPISCOPVS NEMAVSENSIS CARDINALIS SANCTI MARCI INNOCENTIO VI.

ANNO CHRISTI M.CCC.LXI.

I. V. laureâ Doctorali redimitus Ioannes, alijs Petrus Bransacus Vticensis Diœcesis, nepos Bertrandi Cardinalis Deucij Archiepiscopi Ebredunensis, antea Nemausi Præsulis.

Antistes Nemausensis sub Archipræsule Narbonensi; vrbis antiquissimæ Nemausi Volcarum insignia deprompta fuêre ex antiquo numismate Augusti, nimirum in scuto aureo palma prasina, cui alligatus Crocodilus catenis duabus cæruleis cum inscriptione. *Col. Nem.* hoc est Colonia Nemausus; hoc numisma apud me est, cui impressus Augusti vultus. Imp. Diui F. P. P. Numisma Augusti.

Executor testamenti Bertrandi de Deucio Cardinalis Auunculi. Nicolaus etiam C...poecius Romanus Honorij IV. abnepos ex matre, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis meritissimus Blandiacum executioni

Baldus Consil. 143. volum. 5.

sui testamenti præfecit cum tribus aliis Cardinalibus, vt testatur Baldus, cui vt & Bartolo Capoccius operam dederat.

Cardinalium Presbyterorum Ordini adiunctus tituli S. Marci ab Innocentio VI. anno M.CCC.LXI. Auenione, deinde Episcopus Sabinus à Gregorio XI. Impetratâ à Pontifice Innocentio facultate, ædem S. Desiderij parœcialem instaurauit, extructam angustius, dotatamque Bertrandi Cardinalis de Deücio pecunijs in Collegiatam erexit anno M.CCC.LIX.

Regit Auenionē discedente Gregorio.

Lutetiam missus ab Vrbano V. cum Ægidio Aiscelino Cardinale ad Academiam prisco splendori restituendam, anno M. C C C. LXVI. Auenione, Gregorio XI. in æternum discedente Romam, Ioannes de Blandiaco Cardinalis Episcopus Sabinus remansit regendæ vrbis ergò, anno M. CCC. LXXV.

Ad extremam vitæ mortalis metam peruenit octauo Idus Iulij, anno M.CCC.LXXIX. Auenione in Clementis VII. obedientiâ, cuius cadauer humatum in templo sancti Desiderij sub lapide ante aram principem sine pompâ & sine epitaphio, vt ipse testamento iusserat. In eiusdem templi Necrologio, die octauâ Iulij notatur Anniuersarium Domini Ioannis de Blandiaco Episcopi Sabinensis nepotis fundatoris eiusdem templi, cuius cadauer in proximo sepulchro fuit collocatum.

In symbolo gentilitio & stemmate stat ceruus dextro anteriori pede parum erecto, sicque Auenione visitur: vnde falsum protulit symbolum Ciaconius.



Anno Christi M.CCC. LXI.

ÆGIDIVS AISCELIN DE MONTAIGV EPISCOPVS MORINENSIS CARDINALIS S. MARTINI IN MONTIBVS INNOCENTIO VI.

DVÆ celebres fuêre in Gallia familiæ de Montaigu, vna de Listenois, ex alterâ noster Aiscelin qui ad Ægidio de Bellamerâ Episcopo Auenionensi distinguendus est patriâ Aruernus, licet à quibusdam vterque confundatur; ille enim non fuit insignitus Cardinalatu, vt patet ex epitaphio Auenionensi.

Noluit & potuit Romano Cardine fungi.

Auditor Rotæ Bellamera multa scripsit ad Ius Canonicum pertinentia; at Cardinalis S. Martini nulla posteritati reliquit opera. Præsul Morino-

rum fuit Ægidius,quem Quercetanus Franciæ Nomophylacem, fuiſſe existimat cum Froſſardo in Galliæ Annalibus,à quo nuncupatur Guillelmus de Montagu miſſus ad Angliæ Regem cum Abbate Cluniacenſi & Dominicanorum Generali pro pace obtinendâ. Quercet. in Innoc. 6. Froſſard. in Annal. Gall. to. 1. c. 211.

Cardinalis Presbyter Sanctorum Sylueſtri & Martini in montibus inauguratus ab Innocentio VI. anno M.CCC.LXI. decimo quinto Kalendas Octobris, Auenione, tertiâ Patrum promotione, poſtea Epiſcopus Tuſculanus Vmbriæ, Patrimonijque D. Petri Legatus ab Vrbano V.

Caſimirus Rex Poloniæ Adeleidē vxorem Reginam thoro eiecit, pellicis cuiuſdam cōſuetudine irretitus; in graues coniecta anguſtias Regina interpellauit Romanum Pontificem Vrbanum, qui cauſæ cognitionem Ægidio tituli S. Martini in montibus Presbytero Cardinali commiſit.


Lutetiam miſſus ad reformandam Pariſienſem Academiam anno M.CCC.LXVI. cuius Legati meminit poſt aliquot luſtra Guillelmus Cardinalis d'Eſtouteuille ipſe etiam Academiæ Cenſor, ſic porrò loquitur, cætera autem ſtatuta tam Apoſtolica, quam à Facultate facta, illaque nominatim, quę exquiſito ſtudio ad reformationem edita ſunt à Reuerendiſſimis bonę memoriæ Patribus Ioanne ſancti Marci, & Ægidio tituli S. Martini in montibus S.R.E. Cardinalibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, auctoritate Apoſtolicâ roboramus, dummodo noſtris non repugnent. Cromer. l. 12. de reb. Polon. Bulaeus Benedict. in Hiſt. vrbis Lutetiæ.

Executor teſtamenti anno M.CCC.LXXII. Domini Petri de Caballole Cardinalis, qui eſt ſepultus in Monaſterio Boni-paſſus curâ Domini Ægidij Aiſcelin de Monte-acuto Epiſcopi Cardinalis Tuſculani, & aliorum teſtamenti executorum.

Auenione remanſit, anno M.CCC.LXXV. cum alijs quinque collegis Cardinalibus Francis, Romam repetente Gregorio XI. menſe Septembri. Chronicon Foxenſe in Gregorio XI.

Obitûs dies Nonis Decembris, anno M.CCC.LXXVIII.

Scutum nigrum tribus Leonum capitibus aureis exaratum. Scutum Aiſcelinorum.



FORTANERIVS VASELLVS ARCHIEPISCOPVS RAVENNAS CARDINALIS INNOCENTIO VI.

Anno Christi M.CCC.LXI.

AVCTOR Appendicis Chronici Bernardi Guidonis ait Fortanerium genitum in Diœceſi Cadurcenſi; certè in Aquitaniâ Diui Franciſci Auctor. appendix in Innoc. 6.

Trithemius l. de Viris illustr. Pitsæus de script. Angliæ.

Regulam in Monasterio Gordoniensi amplexus est, proinde miror Trithemium, & Ioannem Pitsæum nullo fundamento nixos velle Fortanerium ex Anglia oriundum. Ioannes XXII. scripsit ad Cancellarium Parisiensem, anno M. CCC. XXXIII. vt Doctoratûs laureâ Fratrem Fortanerium Vasellum Aquitanum tunc in sacrâ Theologiâ Baccalaureum ornaret. Ordinis Minorum vndeuigesimus Generalis Minister, anno M. CCC. XLIII. Massiliæ electus, rexitque quinquennium & menses octo, F. Gerardo Othonis ad Patriarchatum Antiochenum, & administrationem Episcopatûs Catanensis electo successit in Generalatu. Admisit in Ordinem sanctæ Claræ vigesimo primo Ianuarij, anno sequenti, Sanciam Siciliæ, Maioricarum, & Hierusalem Reginam, quæ in Cœnobio sanctæ Crucis Neapolitano sanctissimè victitauit annum vnum & semi; vetuerat ipsa ne Sancia, aut Regina nuncuparetur, sed Clara de sancta Cruce voluit appellari. Clemens VI. concesserat ingrediendi Cœnobium licentiam hoc diplomate.

Sancia Regina fit Monialis.

Charissimæ in Christo Filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ illustri.

Præcelsæ tuæ magnitudinis merita diuersarum virtutum radijs præbentia claritatem Nos inducunt, vt te veluti Apostolicæ Sedis filiam prædilectam, in ijs, quæ deuotè postulas, fauorabiliter prosequamur. Cum itaque, sicut oblata Nobis pro parte tua petitio cōtinebat, Te in aliquod è Monasterijs Monialium Ordinis S. Claræ per te fundatis proponas ingredi & regularem habitum assumere in eodem, & Te in illo diuinitùs obsequijs perpetuò mancipare, & etiam infra annum post tuum ingressum huiusmodi etiam dictum Ordinem, & eiusdem Ordinis regulam profiteri, Nobis humiliter supplicasti, vt tibi super his Apostolicum dignaremur impertiri assensum. Nos itaque tuis pijs desiderijs volentes fauorabiliter annuere tuis in hac parte supplicationibus inclinati Tibi, vt etiam in Monasterio dicti Ordinis, quod ingressa fueris, possis etiam infra annum post ingressum huiusmodi dictum Ordinem & eius regulam profiteri expressè, quibuscunque constitutionibus Apostolicis & statutis & cōsuetudinibus Monasterij & Ordinis prædictarum contrarijs, iuramento, confirmatione Apostolicæ Sedis, vel quacumque firmitate aliâ roboratis, nequaquam obstantibus, deuotioni tuæ auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, indulgemus. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis &c. Datum Auenione, decimo quarto Calendas Octobris, anno secundo.

Rubeus l. 1. Histor. Rauennat.

Episcopus Massiliensis Claudio Roberto teste, & Cardinalium Nomenclatore. Doctor Theologus vir cum literatissimus tum eloquentissimus. Archipræsul Rauennas, de cuius promotione ita Hieronymus Rubeus. Nicolaum Rauennatem Archiepiscopum in Aulâ Pontificiâ commorantem, Clemens Pontifex per id tempus Patracensem Antistitem creauit, Rauennatique Ecclesiæ Archiepiscopum præfecit Fortanerium Vaselli, Franciscani Ordinis Generalem Ministrum, quem plerique Sertorium etiam vocant, & Vrsinæ gentis fuisse Matthæus Villanus author est. Domo Britannum, ex oppido Galcaso diuinarum litterarum peritissimum, earumque editis doctissimis libris clarissimum interpretem; hunc tamen aliqui Valuensem, & Aquitanum dicunt: statim autem scriptis ad popu-

lum ciuitatis, Diœcesisque Rauennatis nono Calendas Nouembres, Pontificatûs anno sexto Auenione, literis Pontifex hortatur, iubetque, vt ipsum designatum Archiepiscopum honestè excipiant, benignè complectatur, & illi, vt decet, obediant; in hoc Rubei testimonio quædam reperiuntur non consona veritati.

Tandem Patriarcha Gradensis, hic Patriarchatus eâ occasione est institutus; cum enim Elias Archiepiscopus Aquileiensis Gradum ciuitatem prædecessorum suorum exemplo incoleret, decretum à Pelagio Pontifice maximo elicuit, vt ipsius Ecclesiæ Sedes ab Aquileia Gradum transferretur, eáque Metropolis Ecclesiarum omnium Venetiæ & Istriæ haberetur, quò securiore loco à Longobardorum impetu statueretur, Episcopis in ædem Sanctæ Euphemiæ ad conuentum vocatis decretum Elias recitauit, itáque Aquileia Sedes Episcopi est Gradi reposita. Patriarchatus ab Aquileia Gradum trãslatus.

Rauennæ Archiepiscopus Clementis VI. auctoritate legatur ad Andream Dandulum Venetorum Ducem, inter Respublicas Venetam & Genuensem rationes iniuit concordiæ, postquam Genuenses pugnâ cum Venetis in Peloponeso ad Sapenum promontorium congressi Venetos ingenti clade superassent (ante paucos annos ipsimet à Venetis superati) Nicolaum Pisanum classis Ducem, ac quinq; hominum capta millia Genuam perducunt anno M. CCC. LIV. Clem 6 ep. 9. an. 1351.

Presbyter Cardinalis electus ab Innocentio VI. decimo quinto Calendas Octobres anno M. CCC. LXI. cuius gratiâ Auenionem proficiscens galerum accepturus in itinere Patauij eodem anno obiit, ante adeptum titulum, ibique ad D. Antonij de Padua sepultus.

Plura ingenij sui monimenta ad posteros transmisit. Officium de stigmatibus. In plerosque sacrorum bibliorum libros. Plures libros. S. Augustinum de ciuitate Dei est commentatus. Sermonum ad vtrumque statum librũ vnum. Lectionum Theologicarum librũ vnum. Quodlibeta disputata.



ANGELICVS PRÆSVL AVENIONENSIS CARDINALIS
SANCTI PETRI AD VINCVLA
VRBANO V.

Anno Christi M. CCC. LXVI.

VRBANI V. fratrem fuisse obseruat Chronicon illius æui in bibliothecâ Regiâ, non autem fratris filium (vt voluit Ciaconius) cognomen-

Auctor. 3. pend. Bernard. Guidon.

to Grimoaldum è Grisaco oppido in Diœcesi Mimatensi Patre Guillelmo milite,& matre Feliciâ Monferranâ.

Grimoaldorum familia nobilis est & prisca, ex quâ prodijt Iacobus de Grisaco Roboretus Comes; Cardinalis huius tesseræ gentilitiæ passim visuntur Auenione,& ædes vicinæ Apostolico Palatio, in quibus olim decubuit Vrbanus V. cùm piè in Christo obdormiuit.

Prior Dignensis,de quo dicebatur,*pares paucos habuisse, superiores nullos probitate & Religionis obseruantiâ.* Canonicus Regularis Diui Augustini, & Cœnobij sancti Rufi non longè ab vrbe Valentiâ Abbas. In eo Cœnobio celebrata Synodus Prouincialis anno M.CCC.XXXVII. Domum, quam Montis-pesluli habebat, dono dedit, vt in eâ sancti Rufi Cœnobitæ alerentur, studijsque vacarent; propterea prouentus annuos concessit, & bibliothecam amplam.

Petrus Grisius inst. Canonic. Regularium.

Auenionis Sedes diu Episcopo caruit Clemente VI. & Innocentio VI. Summis Pontificibus, Vrbanus statim sui Pontificatûs initio fratrem suum Angelicum Præsulem creauit Auenionensem, qui successorem habuit Petrum Grimoaldum nepotem.

Auenio vidua Episcopo longo tempore.

Sanctimonialibus è Cœnobio de Furnis Ordinis Benedictini Auenionem profugis ædes à se emptas dedit, quibus Sanctorum largitus reliquias & præclaram thecam argenteam, quâ Diuæ Luciæ Virginis & Martyris lipsana seruabantur: mutatâ facie vertit in Monasterium ædificato templo cum redditibus amplis; in præsenti est gymnasium Diui Nicolai de Annessiaco.

Sancti Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ Presbyter Cardinalis, posteà Albani Episcopus à fratre suo Vrbano constitutus anno M.CCC.LXVI. Pontificatûs quarto, die decimâ quartâ Calendas Octobres.

Marian. l. 17. de reb. Hisp. cap. 11.

Legatur in Hispaniam anno sequenti, & eo agente pax his legibus est facta cum Petro Castellæ Rege. Vt sublato nomine & munere Magistri Diui Bernardi, Behetriæ eâ retentâ appellatione Regi cederent, eas donandi, vendendi, alienandive potestas nulli esset; datum id Religioni, quoniam sacræ militiæ erant addictæ ne pretio venales essent. Vt tertiam decumarum, quæ Romanis Pontificibus obuenire solitæ erant è Sacerdotiis Castellæ, deinde esset Regibus belli sacri subsidium aduersus Mauros. Episcopos, militares magistros, Priorem hospitalarium instituendi, aliave maiora Sacerdotia donandi, nisi Regum accedente consensu, Pontificibus Romanis potestas sublata, quæ omnia fuêre transacta ad Regis vnius vecordiam sanandam.

Piceni, Vmbriæ, Hetruriæ, Campaniæ Maritimæ Legatus Vrbani, in temporalibus vices gerens Bononiæ sedem posuit. Bernabos Vicecomes pacem à Pontifice impetrat certis conditionibus, interueniente Angelico Albanensi Episcopo Legato. Carolus IV. Cæsar in Italiâ morans pacem curauit promulgari; in mandatis acceperat Angelicus, vt, si Ludouicus Rex Hungarus in Italiam maturaret, ipse & Petrus Cardinalis obuiam irent,& summâ gratulatione exciperent. Vitâ functo Vrbano, & in eius locum electo Gregorio XI. mors illius Angelico Cardinali fuit significata.

In Aptensi ciuitate erexit, dotauitque Monialium Ordinis Cisterciensis

Cœnobium.

Morte raptus est decimo sexto Calendas Maij, anno M. CCC. LXXXVII. Auenione.

Scripsit antiphonas & sacra responsoria.



GVILLELMVS SVDRE' DOMINICANVS, ANTISTES MASSILIENSIS CARDINALIS SS. IOANNIS ET PAVLI VRBANO V.

ANNO CHRISTI M. CCC. LXVI.

DIOECESIS Tutellensis, Ordinis Prædicatorum, Doctor Theologus, apud Tolosates Prouincialis, cuius meminit sanctus Antoninus; Lemouicensem fuisse narrat Andreas Quercetanus in Vrbano V. licet contrarium doceat auctor appendicis Bernardi Guidonis. Ex Lectore sacri Palatij, Episcopus Massiliensis successit Fortanerio Minoritæ Cardinali Rauennati.

S. Anton. tit. 23. cap. 10.

Presbyter Cardinalis sanctorum Ioannis & Pauli tituli Pammachij ab Vrbano V. die Septembris decimâ octauâ, feriâ sextâ quatuor temporum anno M. CCC. LXVI. Auenione, sequenti verò Episcopus Veliternus. Anno M. CCC. LXVIII. missus in Regnum Neapolitanum Legatus ad discordias, quæ inter Principem Tarentinum, & Ducem Atriæ ortæ erant, sedandas, controuersiasque dirimendas.

Append. Bernard. Guidonis in Vrb.

Mortem oppetiit Auenione, quarto Calendas Octobres anno M. CCC. LXXIII. sepultus apud Prædicatores ante aram principem, sepulchrali eius tumulo hæc tantum verba lapidi insculpta habentur.

Requiescat in pace.

Scripsit de mysteriis sanctæ Crucis.

Epistolas plures in causâ fidei ad diuersos.

Quædam pertinentia ad Logices subtilitatem.



Anno Christi M. CC. LXVII.

GVILLELMVS D'ARG-FVEILLE CARDINALIS SANCTI STEPHANI VRBANO V.

MEA sententiâ non confundendus hic Guillelmus de Agrifolio nepos cum altero Cardinale Patruo eiusdem nominis & cognominis, licet aliis aliter videatur: tamen abs re, vt patebit sole meridiano clarius huius Cardinalis epitaphium legenti, & alia quamplurima toto cœlo diuersa. Iuris Pontificij Doctorem, & Papæ à uotis & epistolis, optimæ famæ & honestæ conuersationis, formâ speciosum, & staturâ decorum refert Chronicon Regium in Vrbano V.

Auctor append. Bernardi Guid. in Vrbano.

Annum ætatis vigesimum octauum attigerat, cum præter omnium expectationem Presbyter Cardinalis ab Vrbano V. effectus tituli sancti Stephani in Cœlio monte anno M. CCC. LXVII. quarto Idus Maij, Massiliæ, isque solus hac promotione; posteà Episcopus Sabinus à Petro de Lunâ die vigesimâ eiusdem Maij. Massiliâ soluens Vrbanus Romam petit, motus Pontifex Guillelmi d Arg-fueille Senioris Cardinalis amicitiâ arctissimâ etiam à puero, creauit nepotem Cardinalem.

In Regnum Neapolitanum missus ab Vrbano anno M. CCC. LXVII. sedandi belli causâ inter Principem Tarentinum & Ducem Atriæ exorti.

Reuelationes S. Brigittæ examinatur.

Cardinalis de Turrecremata in epistolâ ad omnes Christi fideles notat Gregorium XI. prouinciam examinis reuelationum sanctæ Brigittæ è Regum Sueciæ sanguine genitæ, & Vultono Nericiæ Principi nuptæ, Guillelmo Cardinali de Agrifolio, & Cardinalibus Montis-Maioris & de Luna, necnon Petro de Selue Episcopo Pampilonensi Referendario suo, & Ioanni de Hispania Theologo demandasse: hæc mulier sanctissima Romæ multos annos egit à filiâ Principe Catharinâ anno Iubilæi M. CCC. L. quæsita, & visa, vt & à filio Carolo anno M. CCC. LXV. in eadem almâ Vrbe.

A Clemente VII. Antipontificatûs exordio in Germaniam legatur ad persuadendum Augusto Carolo IV. & Germaniæ Proceribus, & Imperij Electoribus recipiendū esse vti legitimum Pontificem Clementem Sedem Auenione habentem, & reprobandum Vrbanum huius nominis VI. quod frustra tentauit, Metis multo tempore moratus, passusque est repulsam à Germanis Vrbano benè affectis.

Auenione

Auenioue in M.S. asseruatur epistola Ducis Andium Ludouici Francorum Regis filij ad Imperatorem Carolum, quâ postulat, vt Reuerendissimus de Agrifolio vnus è Legatis à latere Clementis VII. destinandus benè excipiatur: litteræ etiam asseruantur Cardinalis de Agrifolio ad eundem Clementem Metis datæ, die vigesimâ septimâ Iulij, quibus eum admonet se Catalauno discessisse, vt Rauennatem Vrbani VI. legatum magnis itineribus Metas properantem anteuerteret.

Vitam perdidit in obedientiâ Benedicti XIII. Antipontificis Petri de Luna, Idibus Ianuariis ex Necrologio Collegij sancti Martialis Auenionensis anno M. CCCC. I. cadauer tumulatum in templo eiusdem Collegij in sacello S. Stephani nummis eius erecto & dotato, cui duo librarum millia testamento legauit; in tumulo nigri marmoris habetur hoc epitaphium.

Hic iacet Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Gullelmus de Agrifolio Decretorum Doctor, tituli sancti Stephani in Cælio monte sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, qui obijt die XIII. mensis Ianuarij anno à Natiuitate Domini M. CCCC. I. *anima eius in pace quiescat, Amen.*

Scripsit sermones in laudem B. Virginis.

Tamerlanem Scytham mortuum eo tẽpore referunt Asiæ domitorẽ, qui Baiazethe victo iam in Europam irruere cogitabat, & in Mauritaniam per Hispaniam traijcere, atque ita toto Orbe superato spoliis onustus in Scythiam remeasset: sed vani hominis cogitationẽ Indorum fortitudo non sine diuinâ prouidentiâ dissipauit; illi enim numeroso exercitu coacto Tamerlanæ bellum indixerunt, detento componendis Asiæ rebus, quo mortuo Asiæ Imperium breui relapsum est ad Othomanos. *Tamerlanes Asiæ domitor moritur. Perond. in vitâ Tamerl.*



PETRVS MONTIS-MAIORIS ABBAS CARDINALIS VRBANO V. *Anno Christi M. CCC. LXVIII.*

PETRVM de Banihato Lemouicensem prætermisit Ciaconius; meminit tamen illius auctor appendicis Bernardi Guidonis in Vrbano V. Virtus hunc Cardinalem adeò nobilitauit, vt etiam virum dignissimum ad honoris Cardinalitij fastigium extulerit.

Tota licet veteres exornent vndique ccra
Atria, Nobilitas sola est atque vnica virtus.

Montis-maioris Archimandrita propè Arelatem Ordinis Diui Benedicti fuit calculis Monachorum electus.

Purpuram Cardinalitiam ab Vrbano V. obtinuit vigesimo secundo Decembris, anno M. CCC. LXVIII. & in eâ lectione, quæ fuit sex Cardinalium, recensetur.



ANNO CHRISTI M. CCC. LXVIII.

IOANNES DE DORMANT EPISCOPVS BELLOVACENSIS CARDINALIS SS. QVATVOR CORONATORVM VRBANO V.

IN Belgicâ secundâ est Dormanum Suessionensis Diœcesis pagus ad Matronam fluuium situs, è quo Ioannes oriundus: illi frater Guillelmus de Dormano Franciæ Nomophylax, nepotes Milo Episcopus Andegauensis, deinde Baionensis, demum Bellouacensis, etiam Franciæ Cancellarius, Guillelmus de Dormano Præsul Meldensis, posteà Archiepiscopus Senonensis filius Guillelmi, vterque Legum Doctor, eodem vterque tumulo marmoreo tumulatus, cum iconibus æneis in gymnasij Bellouacensis Sacello: ille obijt decimo septimo Augusti anno M. CCC. LXXVII. hic secundo Octobris anno M. CCCC. V. nec audiendus Feronius libro de Cancellariis, qui Milonem Ioannis fratrem asseuerat, cùm nepos vocetur in sepulchrali inscriptione.

Episcopus Bellouaci Senator Parisien.

Præsul & Comes Bellouacensis LXVIII. in Ecclesiam Diuo Petro sacram pedem intulit solemni cæremoniâ decimo septimo Iulij anno M. CCC. LX. huius Ecclesiæ Episcopus Comes Par Franciæ, & eo nomine Senator Parisiensis Curiæ.

Adscriptus catalogo Eminentissimorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Presbyterorum Montis-falisci ab Vrbano V. anno M. CCC. LXVIII. mense Septembri, tituli Sanctorum quatuor Coronatorum. Brulius in historiâ Parisiensi notat creatum vigesimo Septembris. Guillelmus de Meloduno Archipræsul Senonensis eodem anno, sacra operatus pileum rubrum Rege præsente dedit Ioanni Cardinali in fine Missæ Sacrificij.

Anno M.CCC.LXX. die octauâ Maij, gymnasium celebre dictum Bellouacense, vel Dormanum Parisiis erexit dotauitque, super eâ re confectis illo die instrumentis publicis, post empta ante aliquot annos domicilia, tum à Collegij Laudunensis Magistris, tum à Nicolao Suessionensi Primario gymnasij Rodulphi Preslæi: in eo Bellouacensi Collegio exædificatum à Milone de Dormano Præsule Bellouaci Cardinalis nepote sacellum magnificum, cuius primum iecit lapidem Carolus V. in Diui Ioannis Euangelistæ honorem, à quo vicus denominatur proximus sancti Ioannis Bellouacensis, cùm ante vocitaretur Brunelli claustrum. Bursarum præsentatio spectat ad Cœnobiarcham Suessionensem sancti Ioannis à Vineis, collatio ad Senatum Parisiensem, seu ad Protopræsidem, & Senatorum Decanum. Gymnasium Bellouacense

Functus munere magni Galliæ Cancellarij post Petrum de la Forest Cardinalem, & Archiepiscopum Rothomagensem, vocatus in monimentis Senatus Parisiensis, referente Tillio Primarius consilij Regij minister, Ioanne Francorum Monarchâ anno M.CCC.LXIV. sigilla Regia restituit, Rex ipsius fratri Guillelmo dedit custodienda.

Tinxit sacrâ vndâ in fonte Baptismali Carolum VI. Gallorum Regem vndecimo Decembris, anno M.CCC.LXVIII. in æde Parœciali sancti Pauli, susceptore Carolo de Mommorency. Comitatus est Ioannem in hac cæremoniâ Carolus Alenconius Ordinis Prædicatorum factus Lugdunensis Archiepiscopus. Carolus 6. baptisatur à Ioanne.

M[...]usà Gregorio XI. in Angliam Legatus anno M.CCC.LXXI. causâ tractandæ pacis cum Simone de Langhan Cardinale Anglo (de quâ legatione Westmonasteriensis) in Angliâ Cœnobij Monachus (in quo & Simon fuerat Religiosus Ordinis Benedictini) fundator Ecclesiæ Bonipassus Carthusianorum Auenionensium, de legatione quidam ita canit.

Nuncius ex parte Papæ transmittitur istuc.

Sed vterque parum profecit; partiales enim nimium habebantur, cum vterque fuerit Cancellarius, ille Francorum, hic Anglorum: deinde quòd simultates inter Reges à pluribus annis radices egerant.

Duas Carthusianorum cellas dote sufficienti locupletauit ad admittendos in perpetuum vnum & alterum Religiosos in sui, & fratris memoriam.

Ex hac vitâ Lutetiæ migrauit, septimo die Nouembris anno M.CCC.LXXIII. Pontificatûs Gregorij XI. tertio, condiderat testamentum vigesimo nono Octobris, anno eodem in suo Bellouacensi Palatio Parisiis, multis in pios vsus erogatis, & legatis, ex quo arguendus error asserentium Auenione defunctum. Sepultus vnà cum fratre Guillelmo (qui & eodem anno, die Iulij vndecimâ decessit) ante aram principem Carthusianorum Parisiensium, inscripto hoc epitaphio.

Anno milleno ter C. ter I. septuageno
Solutus ex membris septenâ luce Nouembris,
Ioannes de Dormano primo prole Romano

Præsule susceptus, Pater hinc Beluacensis adeptus.
Sub Franco Rege cancellauit duce lege.
------------------- fouendo sub alis.
Intus confratrem, puerorum quem scito Patrem
Collegij claustri Brunelli, sit ciuis astri.



Anno Christi M.CCC. LXVIII.

STEPHANVS DE POISSY EPISCOPVS PARISIENSIS CARDINALIS SANCTI EVSEBII VRBANO V.

STEPHANO in quartâ Lugdunensi Prouinciâ nato assignatur hic locus, vir fuit in iure versatissimus.

Parisiensis Præsul nomine Stephanus IV. successor Ioanni de Meulant anno M.CCC.LXIII. Ecclesiam suam rexit decennium, virtutum paradigma se ouili præbens. Hoc Præsule sacræ Cœlestinorum ædes Parisiensium fuêre dedicatæ, decimo quinto Septembris anno M.CCC.LXX. in Deiparæ Annunciatæ honorem Guillelmo Senonensi Archipræsule sacra operante, & Carolo V. Rege huius domus fundatore instante. Primarius Regis Galliæ Caroli consiliorum minister.

Aggregatus Cardinalium Presbyterorum Collegio tituli sancti Eusebij anno M.CCC.LXVIII. apud Montem-Faliscum, mense Septembri à Pontifice Vrbano V. in partibus Italiæ agente.

S.Bern.li. 4. de consider. ad Eugen. Papam. In pauperes effusus, & de eorum Cardinalium numero, de quibus sanctus Bernardus. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere venerandos exhibeant, sed actu non fastu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes. Qui non de dote viduæ, & de patrimonio Crucifixi se, vel suos ditare festinent, gratis dantes, quod gratis acceperunt, gratis facientes iudicium iniuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis.

In isto miseriarum Oceano fluctuare destitit, decimo sexto Calendas Nouembris anno M.CCC.LXXIII. Auenione, corpus Parisios delatum, habetque hoc epitaphium in tumulo ante Princeps altare Cathedralis Ecclesiæ.

Stephanus hic Sedis Romanæ Collateralis,
Desertis terris spes sanctis iungitur alis.
M. C. ter, ac anno tribus aucto septuageno.
Octobris decimâ sextâ Domini quoque primâ,
Clauditur hoc lapide lux iuris Parisiorum,
Pastor voce, Fide dux Regis Consiliorum,
Fautor egenorum, damnans hereses reproborum.



PHILIPPVS CABASOLLE ANTISTES CABELLICENSIS CARDINALIS SS. MARCELLINI ET PETRI VRBANO V. — ANNO CHRISTI M.CCC. LXVIII.

E Nobili & potenti Cabassolæorum Auenionensium familiâ suos traxit natales Philippus Patre Isnardo egregio milite, qui velut auitâ parentũ hęreditate Gallię Regibus, & Andegauẽsibus Siculis militauit: Christianarum virtutum coronâ redimitus noster Philippus bonarum litterarum studia peramauit, Francisco Petrarchâ viro doctissimo familiarissimè vsus, illi ab eo dicatus liber de vita solitaria, & epistolæ familiares multæ transmissæ: noctes insomnes somni immemor ante purpuram inter libros summâ cum animi voluptate ruri suo ad pontem Sorgiæ cum eodem Petrarcha transigebat, & sermones pietate & doctrinâ conditos proferebat. (Magna necessitudo cum Petrarcha.) Audiamus ipsum Petrarcham. Sileo, inquit, quanta quamque honesta nobis esset ex alterno sermone delectatio, dum nil nisi de nostrâ salute, vel de literis, atque illustrium rerum memoriâ loqueremur, terrasque omnes, & omnia sæcula simul ante oculos haberemus, supra quàm credi posset, nostrâ sorte contenti, rerum labentium contemptores præcipuis laudibus efferentes, inter quos, Iacobum de Columna, qui ætate tum iuuenis, sed morum grauitate, & mortis vicinitate iam senex, cum ab omni ambitione remotissimus ad Episcopatum, Papâ iubente, inscius, ne dicam, inuitus peruenisset, atque inde ad Patriarchatum Aquileiensem summo Nobilium, ac totius populi concursu ac studio peteretur ab vrbe (Petrarcha l. 5. senil. epist. 4.)

Româ, vbi tunc erat, fratri scripsit, & fidis suis, inter alios mihi iurans, ascendisse altius, quàm vellet, neque amplius ascensurum: nec ita multò post tamen ad cœlestem dignitatem, Christo vocante, conscendit.

Cabellicensis Episcopus ad Druentiam fluuium, in ditione Pontificis Romani olim in Prouinciâ Viennensi, nunc sub Archiepiscopo Aueniónensi; Interfuit Synodo, anno M.CCC.XXXVII. Auenione habitæ. Patriarcha Hierosolymitanus, vnde perperàm legitur Patha apud Ciaconium, nisi voluerit abbreuiatione Patriarcham innuere; non enim Patha habetur in testamento, aut epitaphio, sed Patriarcha.

Ioanna Regina in Philippi Cabellicensis Præsulis gratiam dedit Rossolino de Cabasolle nepoti præfecturam & custodiam castri d'Vrgon illo æuo insignis. Petrarcha de Episcopatu Cabellicensi Philippum alloquens ita incipit. Eam quoque sortitus es patriam, quam licet Episcopatus tuus ciuitatis appellatione nobilitet, ea tamen præter vetustatem & nomen de ciuitate nihil habet, non luxum, non frequentiam, non tumultum, singula ad eam vitam, de qua loquor, aptissima, cuius ergo, si ritè computo, anni circiter quinquaginta ante Domini aduentum Iulio Cæsare Britanniam oppugnante, in autenticis scriptis inter antiquas iam tunc vrbes memoriam inuenio, & paulò post adest tibi, inquit, tuus Sorgia Rex fontium, ad cuius tibi murmur hæc scribo. Adest liberrimum gratissimumque perfugium Clausæ Vallis (sic enim vocant incolæ) sic vocari voluit natura, quando illam circundatis collibus abdidit, extra omne iter, omnemque concursum, viderique ipsi ab incolis permisit. Deinde addit quod sequitur: de Verano Patrono Cabellicensi scis quòd Veranus tuus, & Christi confessor eximius, qui sedem tuam nunc solito duriorem, nescio quotus ante te tenuit quærens locum pacis, hic demum subsistit, pulsoque hinc Dracone terribili, sanctam ac solitariam vitam his vixit in locis; ac paucis interpositis, hic equidem, inquit, habitauit ille, dum vixit priusquam ad statum curæ Pontificalis inuictum spectata virtus attolleret hic velut in terrâ hostili, sed à se perdomitâ & pacatâ, ac cultui hominum acquisitâ Christo, cuius auspicijs signoque vixerat, trophæum erexit titulo Virginis Genitricis insigne, templum exiguum, sed decorum & validum, hunc ipse montem peruium fecit, & hanc montanam, perduramque silicem perforauit, suis, vt aiunt, manibus opus feruoris atque otij ingentis; hac ripâ cellam habuit, Christo diues atque hortulo contentus, & flumine postremo procul hinc moriens, huc referri atque sepeliri voluit. Scripsit dialogum S. Veranus, & in eo introducitur eius frater Salonius, quo eruditè explicantur Salomonis parabolæ; sanctus Leo misit epistolam ad Veranum, & Salonium Episcopos Galliæ.

Idem l. 2. de vit. solitar. c. 2.

S. Veranus Cabellicen.

SS. Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis appellatur in tertiâ Cardinalium lectione ab Vrbano V. factâ anno M.CCC.LXVIII. die Septembris vigesimâ secundâ Montis-falisci, postea Episcopus Sabinus; sed quàm fuerit demisso animo & humilis Philippus noster in ipsâ rutilanti purpurâ testatur Petrarcha libro supra memorato; Non solum hoc panniculo non superbus, sed nec qualibet purpurâ aut coronâ, imo (& funditus te noui) factus humilior nullâ te re aliâ, quàm solis auctum curis sentis; & alibi

Lib. 13. ep. 11.

idem auctor. Huc te fors tua extulit, & summa illius S. Patris prouidentia, qui te prædecessoribus suis incognitum, & libentissimè latitantem Ecclesiæ consulens non tibi, nisi quòd magnus & pius labor inter tot præsertim impios, præmio non carebit. Idem eidem Cardinali poscenti misit versus pios in eâ rupe (*Saincte Baume* à Prouincialibus appellatur) conscriptos, quam Diua Magdalena clarissimum pœnitentiæ speculum triginta annos integros incoluit, diuinis vacans noctu diuque meditationibus, Angelorum societatem & beneficia experta. Horum versuum primus est. Eremus S. Mariæ Magdalenæ.

Dulcis amica Dei lachrymis inflectere nostris.

Mensæ accumbens Philippus seruum libros de vitâ solitariâ lectitantem auscultabat.

In Germaniam Legatus Innocentio VI proficiscitur ad decimas colligendas Ecclesiasticum subsidium pro reintegrando Petri patrimonio, & ditione Ecclesiæ in Italiâ, egregiam tunc temporis impendente operam Ægidio Cardinale Albornotio virtute bellicâ commemorando. Ab Vrbano V. Italiam inuisente Rector Auenionensis constituitur.

Gregorius XI. initio sui Pontificatûs, anno M. CCC. LXXI. in Vmbriam, Etruriam, Campaniam, aliaque loca Legatum mandauit, & suum in temporalibus Vicarium generalem voluit, cui profecturo sic scribit Petrarcha. Tuum ad has partes aduentum lætè audio, quem & tibi gloriosum, & Italiæ vtilem, & felicem spera, talis te innocentiæ & virtutis fama præuenit, & omnium iam animos occupauit,

Postremo defungitur die Perusij Vmbriæ Legatus, sexto Calendas Septembris, anno à partu Virginis M. CCC. LXXII. cadauer Auenionem delatum, mandatumque terræ in æde D. Mariæ Carthusianorum de Bono-passu ad Druentiam fluuium fundatâ à Simone de Langhan Cardinale Anglo Archipræsule Cantuariensi, & Regni Primate ac Cancellario.

Hic iacet Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Philippus de Cabassole Domini Isnardi militis filius, qui primò fuit Episcopus Cabellicensis, deinde Patriarcha Hierosolymitanus, pòst S.R.E. Cardinalis Presbyter tituli Sanctorum Marcellini & Petri, mox Episcopus Sabinensis, demum Legatus à Domino Gregorio Papâ XI. Auenione sedente in Italiam ad gubernandum Romanæ Ecclesiæ terras. Obyt Perusij sexto Calendas Septembres, anno M. CCC. LXXII. *eius corpus ad Monasterium Carthusiensium Boni-passus delatum, ibidem sepultum fuit, curâ Domini Ægidij de Syluâ, de Monte-acuto Episcopi Cardinalis Tusculani, & aliorum executorum testamenti eius.*



ARNALDVS BERNARD PATRIARCHA ALEXANDRINVS CARDINALIS VRBANO V.

Anno Christi M.CCC. LXVIII.

ORTVM è Monte-maiori Arnaldum Bernard legimus in Vrbani V. monimentis, quæ in bibliothecâ Vaticanâ asseruantur. Auxitanus Archipræsul vocatur à nonnullis, sed malè, nam eo æuo fuit Arnaldus Albretius, & Ioannes Rogerius. Patriarcha numeratur Alexandrinus.

In Presbyterum Cardinalem electus ab Vrbano V. in secundâ Cardinalium creatione, anno M. CCC. LXVIII. Pontificatûs sexto, mense Septembri, apud Montem Faliscum, dum Vrbanus Romam Auenione contenderet. S.R.E. Camerarius.

Professioni emissæ Fidei Orthodoxæ ab Imperatore Palæologo Romæ suscripsit, anno sequenti, quâ de re actum in Nicolao Cardinale Clementis VI.

Viterbij peste mortalia reliquit anno M.CCC.LXIX. sepultus apud Viterbienses Franciscanos.



BERNARDVS DV BOSQVET ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS CARDINALIS SS. XII. APOSTOLORVM VRBANO V.

Anno Christi M.CCC. LXVIII.

DE Bernardo Bosqueto Cardinale pauca literis mandata reperimus. Fuit Ruthenensis, cui Petrarcha epistolas versibus scripsit, laudans in eo studium Poëtices.

Audio quod studium sacros tibi nosse poetas
Cœperis alme parens: dulcis labor, ardua cura.
Gratulor, & laudo: quid enim solatia vitæ
Plura fatigatæ, quidue otia tanta dedisset!
Haud equidem me fallit amor: scio quanta sub antris
Aonijs inuenta quies.

Archiepiscopus Neapoleos, à qua Regnum appellationem sortitur, illius primarium Diui Ianuarij sanctuarium Episcopi Puteolani & Martyris; cuius magnâ cum Religione sacrum caput, & sanguis eiusdem in ampullâ crystallinâ conseruatur; sed ob siccitatem durus & concretus, quæ quidem ampulla cùm producitur in altari, & capiti Martyris, choro preces concinente, admouetur, sanguis ille (ô stupendum) liquescere, ac musti recentis in modum incipit ebullire, quemadmodum ab omnibus non sine magna admiratione quotannis spectatur. In templo S. Ioannis de Carbonaria est sepulchrum Roberti Regis Caroli I. fratris S. Ludouici pronepotis, cuius laudes omnes docti scripserunt Petrarcha & Boccatius maximè. In sancta Maria Noua Odetij Foxij Lautrecij Franci Ducis inuictissimi, qui Neapolim obsidione cinxerat, ossa reconduntur à Consaluo Ferdinando Cordubensi Hispano cum hac epigraphe *virtus etiam in hoste admirabilis.* Porrò Neapolis Italiæ est paradisus, vrbs spatium complectens maximum, posita inter amœnissimos colles à Septentrione & Oriente, & Maris sinum à Meridie & Occidente, è cuius portu Misseni Mineruæque promontoria, celebresque antiquitus insulæ Capreæ, Ischia & Prochyte sereno cœlo sunt conspicua. Miraculum perpetuum in sanguine S. Ianuarij.

Inter Purpuratos Patres relatus ab Vrbano V. Presbyter Cardinalis Basilicæ SS. XII. Apostolorum, anno M.CCC.LXVII. die vigesimâ secundâ Septembris Montis-falisci. Morte cadit Auenione, decimo tertio Calendas Maij, anno M.CCC.LXXI.



PETRVS D'ESTAIN EPISCOPVS S. FLORI CARDINALIS S. MARIÆ TRANS-TYBERIM VRBANO V. Anno Christi M.CCC. LXIX.

NOBILISSIMA & antiquissima in Aquitaniæ primæ prouinciâ Aruerniâ d'Estain familia, è quâ ortus Petrus, qui Monachismum

in Diui Benedicti Ordine est professus. Eiusdem generis Antonius d'Estain Præsul Engolismensis, qui secundum nonnullorum opinionem liliata insignia à Francisco I. obtinuit, frater Francisci Episcopi Ruthenensis non sine famâ sanctitatis demortui; sed illa concessio liliorum huic familiæ multò antiquior Francisco huius nominis Magno.

Vvion l. 2. lign. vit. Episcopus sancti Flori in Aruerniâ, quâ etiam in Sede quatuor ipsi præuij Præsules fuêre Monachi, cuius rei meminit, vt & Petri nostri VVion. Bituricensis Archiantistes LXXX. domum Ordinis Dominicani extruxit liberalitate & impensis Ioannis Biturigum & Aruernorum Ducis.

Cardinalis effectus est Presbyter tituli sanctæ Mariæ trans-Tyberim, quartâ & vltimâ Cardinalium creatione cum Petro de Corsinis Archiepiscopo Florentino, septimo Idus Iunij, anno M.CCC.LXVIII. Montis-falisci ab Vrbano V. antequam Auenionem rediret, postea Episcopus Ostiensis & Veliternus à Gregorio XI. & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius.

Vrbano ex Italiâ discedente mense Septembri, anno M.CCC.LXX. Italiæ præficitur Cardinalis d'Estain cum Angelico Cardinale Albano, quem morte Vrbani Gregorius XI. Legatum confirmauit, anno M.CCC.LXXI. In Pontificis obedientiam reducitur ciuitas Perusina, quam ingreditur noster Petrus solemni pompâ.

Amedeus Sabaudus. Petro Cardinali Legato cupienti vires & copias suas cum Amedeo Sabaudo Romanæ Ecclesiæ exercituum Præfecto generali aliquoties victore iungere, scripsit Gregorius, vt id sine periculo suo, Bononiensis Vrbis, & locorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ faceret, & ad belli consilia admitteret Danielem Carettum Rhodianorum in Lombardiâ Priorem.

Pignal. l. 5. de rebus Atest. Nicolao & Alberto Estensibus Ferrariam beneficiario iure possidendam concessit Pontificis mandato cum decem aureorum millium pensione quotannis persoluendâ; Bzouius refert ad annum Christi M.CCC.LXXII. Gregorij XI. annum secundum.

Commissus à Gregorio XI. Petrus Cardinalis Ostiensis & viginti Doctores pro censurâ errorum Raymundi Lullij è ciuitate Maioricarum oriundi, qui viuebat circa annum M.CC.XC. quos obtulerat eidem Pontifici Haymericus Ordinis Prædicatorum in Arragoniâ Inquisitor Hæreticæ prauitatis, vt patet ex diplomate eiusdem Gregorij misso ad Petrum Tarraconensem Archiepiscopum anno M.CCC.LXXVI. Auenione, die octauo Calend. Februarij.

Romæ mortuus, non Auenione (quod tamen Ciaconius asserit) septimo Calendas Decembris, anno M.CCC.LXXVII. & in suo S. Mariæ trans-Tyberim titulo humatus.

Parma cærulea tribus lilijs aureis 2. & 1. (quæ est Francica) fasciâ miniatâ impressa.

Miror in genealogicâ historiâ, quam apud se habent Sammarthani Fratres genealogicarum rerum peritissimi nullum huiusce nominis Cardinalem reperiri.



PETRVS LAGIER MINORITA CARDINALIS GLANDEVENSIS GREGORIO XI. Anno Christi M.CCC. LXXI.

LAGERIVS ortum duxit Figiaci præclarus Ordinis Minorum in Theologiâ Doctor sacrâ. Alter à Clemente VII. Antipapâ creatus Diaconus Cardinalis Petrus de Fitigniaco tituli sanctæ Mariæ in Aquiro, Patronus in Parlamento, & Ecclesiæ Parisiensis Canonicus apud Cœlestinos Auenionenses tumulatus, quæ volens libens animaduerti, ne aliqui ratione aut nominis, aut temporis in errorem incidant; in eádem enim vrbe Auenionensi deceßêre Cardinalis de Figiaco, & Anticardinalis de Fitigniaco.

Antistes Glandeuæ ad Varum fluuium in Alpibus maritimis sub Archipræsule Ebredunensi; cuius Ecclesiæ Cathedralis Patronus sanctus Iustus. Cardinalatum obtinuit tit. sanctæ Priscæ dante Gregorio XI. Auenione, anno M.CCC.LXXI. sexto Idus Iunij, postea Episcopus Ostiensis & Veliternus ab Vrbano VI. inauguratus.

Misit Legatum in Hispanias Gregorius Pontifex ad Regem Castellæ Ioannem huius nominis I. post aliquot annos mortuum casu equi. Interfuit electioni Vrbani VI. Romæ, anno M.CCC.LXXVIII. Anno Christi M.CCC.XC. primus Basilicæ lapis Auenione positus manu trinâ Ducum, Aurelianensis, Bituricensis, & Burgundi nomine Caroli VI. Regis post datam benedictionem à Petro nostro Cardinale. Ioannes Rex Castellæ casu equi moritur.

Obijt Auenione, anno M.CCC.XCVI. sexto Idus Nouembris apud Franciscanos sepultus.

Scripsit de schismate, & contra sui temporis hæreses, huius Cardinalis meminit S. Antoninus. S. Antonin. part. 3. tit. 94. c. 10.



Anno Christi M.CCC.LXXI.

BERTRANDVS DE CHANAC CARDINALIS HIEROSOLYMITANVS GREGORIO XI.

PATRIA Lemouicensis, genere nobilissimus è Gente de Chanac. Fratrem Monachum habuit Guillelmum Cardinalem Mimatensem, cuius mentio statim habenda, Guillelmum alterum Patruum Parisiensem Episcopum, Patriarcham Alexandrinum, qui obijt centenarius, tertio Maij anno M.CCC.XLVIII. Collegij sancti Michaelis Lutetiæ fundator, dicebatur *iuris arca*. Gentiles ei fuêre Fulco ex Archidiacono Episcopus Parisiorum pòst Patruum, alter Fulco Aurelianensis Antistes, Petrus de Chanaco Ecclesiæ Parisiensis Officialis, & Canonicus Lemouicensis, apud Carthusianos Parisienses, anno M.CCC.IX. tumulatus. Noster Bertrandus Ecclesiæ Agathensis Archidiaconus, & Cameræ Apostolicæ Clericus; Clemens VI. Pontifex literas dedit commendaitias Auenione vndecimo Calendas Septembres, anno M.CCC.L. Bertrando adultæ adhuc ætatis Romam profecturo ad Apostolorum limina, vt Diui Petri Canonici vultum sacrum, vulgò Veronicam, commonstrarent.

In Iure Pontificio Doctor & Cæsareo, Conuenarum Præsul, Biturigum Archiepiscopus duodecim annos; hoc Præsule Capitulum Ecclesiæ Bituricensis ab Ordinarij Iurisdictione curauit se eximi. Ecclesiæ Abrincensi datus Administrator, vitâ functo Fulcone Bardoul Rhedonensi. Tandem fuit Patriarcha Hierosolymitanus.

Domus Patriarchæ in suburbijs S. Marcelli.

Legauit quingentas libras Collegio S. Michaëlis Lutetiæ, & domum amplissimam in suburbio S. Marcelli sitam, quæ vocitatur domus Patriarchæ, in qua Hæretici conueniebant, anno M.D.LX. & anno sequenti flammis consumpta est vigesimâ septimâ Decembris ob tumultûm ab Hæreticis motû.

Gregorius XI. Cardinalatu donauit Bertrandum, anno M.CCC.LXXI. Auenione Idibus Ianuarijs in primâ Patrum Purpuratorum lectione, titulus ei datus S. Pudentianæ, postea effectus est Præsul Sabinensis. Idem Pontifex Bertrando Cardinali Apostolicæ Sedis Nuncio absenti Auenione, purpuratum pileum per Arnaldum Andreę Subdiaconum Ecclesiæ Burdegalensis misit, & epistolam, quæ M. S. habetur in bibliothecâ Vaticanâ.

Gregorius XI. &c. dilecto filio Bertrando sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Nuncio salutem, &c.

Licet de more Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum fuerit obseruatum: quòd ijs, qui ad Cardinalatûs apicem peruenêrunt, capellum rubeum propriis manibus tradiderunt, & absentes ad hoc fuêrunt excitati, Nosque prædecessores nostros fuerimus imitati. Considerantes, tamen, quòd tu (quem tuis exigentibus meritis, & vtilitate sanctæ Ecclesiæ Romanæ suadente, dudum ad eiusmodi dignitatem promouerimus) & nostro mandato in remotis partibus, pro arduis, & publicis negotiis immoraris, & propterea nolentes, quòd insignibus prædicti capelli donatione frustreris diutiùs: potiùs cupientes tuam in hoc, & in aliis honorare personam, vt per honorificationem nostram amplius ab aliis honoreris, tibi capellum Rubeum, per dilectum filium Arnaldum Andreæ Subdiaconum Ecclesiæ Burdegalensis, licentiatum in Legibus, Apostolicæ Sedis Nuncium, latorem præsentium destinamus, linquentes discretioni tuæ huiusmodi capello rubeo vtendi de cætero. Datum Auenione, secundo Calendas Februarias anno tertio. Antiquitùs Rubeus pileus absenti non dabatur.

Idem præstitit Eugenius IV. Thomæ Sergianensi Legato redeunti ex Synodo Basileensi quam infirmarat, misso pileo ad portam Flaminiam, ex Sigonio. sed Sixtus IV. præter morem Ioanni Arragonio Ferdinandi Regis filio Cardinali à se creato galerum Neapolim misit, licet Apostolicæ Sedis non Legato, & in præsenti mos inualuit, vt mittatur pileus ijs, qui in Curiâ Romanâ non degunt, sed non galerus. Sigonius lib. 4. de Episcop. Bonon.

Legatus Gregorij XI. qui de præsenti Legatione sic loquitur, dum purpuram transmisit in epistolâ citatâ: nostro mandato in remotis partibus pro arduis & publicis negotiis immoraris.

Tumulo conditus Auenione, apud Dominicanos, cum obijsset vigesimâ die Maij anno M. CCCC. IV.

Hic iacet Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Bertrandus de Chanaco Lemouicensis Diœcesis, genere nobilis, qui Doctor vtriusque Iuris, Archiepiscopus Bituricensis, postmodum Patriarcha Hierosolymitanus, & Administrator Ecclesiæ Abrincensis extitit, & deinde in sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli S. Pudentianæ Presbyterum Cardinalem assumptus, & demum Sabinensis Episcopus effectus obdormiuit in Domino, die vigesimâ Maij, anno Domini M. CCCC. IV.



Anno Christi M. CCC. LXXI.

GVILLELMVS DE CHANAC CARDINALIS MIMATENSIS GREGORIO XI.

FRATER Bertrandi superioris Cardinalis, Ordinis sancti Benedicti Monachus, sancti Martialis Lemouicensis, & in Andrio sancti Florentij Martyris ad Ostium Theodæ in Ligerim Diœcesis Andegauensis Cœnobiarcha fuit per annos quatuordecim, antea Bezuæ in Burgundiâ Abbas, Diœcesis Lingonensis; hoc Monasterium fuit ab Amalgario Præfecto Palatij Regalis conditum, cuius fundatoris meminit Aymonius. Eiusdem familiæ Galiena de Chanac data vxor Renoldo III. Domino de Pompadour anno M. CCC. LV.

Abbatia S. Florentij.

Aymonius lib. 4 cap. 40.

Iuris Pontificij Doctor Lutetiæ lectiones in scholis habuit, nepos Guillelmi Patriarchæ Alexandrini, Parisiensis Episcopi. Monasterium Salmuriense Diui Florentij Martyris muris, & propugnaculis sepiuit. Episcopus Mimatensis anno M. CCC. LXXI. deinde gradum fecit ad Sedem Carnotensem, Ioanne d'Angerant electo Præsule Bellouacensi. Cancellarij functus officio Ludouici Ducis Andium, Siciliæque Regis.

Cardinalem creauit Gregorius XI. tituli sancti Vitalis in Vestinâ, cum primò Cardinales legeret Auenione anno eodem, sexto Idus Iunias.

Collegio, quod à Chanaco Parisiis nomen habet, seu à sancto Michaele (in quod soli admittuntur Lemouicenses à Dominis de Pompadour) dedit testamento pedum Pastorale, sacram infulam, librosque magni pretij, etiam quingentas libras legauit; Non abs re erit, si hic attexamus huiusce gymnasij fundatoris epitaphium Guillelmi de Chagnac Episcopi Parisiensis à Ioanne XXII. creati anno M. CCC. XXXII. die Augusti decimâ octauâ, cuius meminimus in Bertrando Cardinale; habetur in D. Dionysij sacello Cœnobij Sanuictoriani, in suburbiis Parisiensibus.

Collegiũ S. Michaelis seu de Chagnac.

Hic situs est Dominus G. de Chanac Patriarcha
Alexandrinus, Iuris dum viueret arca.
Mores ornatos ad culmen nobilitatis
Adiungens gratos actus habuit pietatis,
Plebis, & Ecclesiæ prælatus Parisiensis.

Cultor iustitiæ, peruersorum fuit ensis
Hunc sibi non solùm, sed eum, qui post ibi sedet
Dictus Fulco, dedit Lemouicense solum.
O quam sollicitè, quam sanctè, peritè
Ius studuit, Cleri libertatesque tueri.
Multos promouit, quos sanctè viuere nouit.
Clam refouens inopes, distribuebat opes.
Corde Deum sitiens transiuit ad atria lucis.
Sanctæ luce crucis in Majo moriens
Anno milleno trecenteno quadrageno,
Octoque centenos annos peragens quasi.
Pro dilectoris animâ tui dulciter ora
Sancti Victoris conuentus qualibet horâ.

E viuis excessit Cardinalis Mimatensis, in ciuitate Auenionensi, tertio Calendas Ianuarias anno M. CCC. XCIV. apud Dominicanos tumulatus.

Gentis de Chanac scutum aureum, sex fasciis cæruleis, & Leone miniato impressum.



IOANNES CARDINALIS DE LA TOVR. GREGORIO XI.

ANNO CHRISTI M. CCC. LXXI.

COENOBIARCHA sancti Benedicti Floriacensis ad Ligerim; sane magni nominis fuêre huius familiæ viri in Aruerniâ, imo in Galliâ vniuersâ. Tres Prælati, vnus post alterum, dignissimi Præsules Claromontani, putà Robertus, Roberti Comitis Aruerni filius, Odonis Burgundiæ Ducis cognatus, qui bello sacro in Albigenses Hæreticos anno M. CC. XIX. nomen dedit, cuique Innocentius III. Pontifex scripsit capite X. *de sepulturis*, tandem Archipræsul Lugdunensis; Hugo à Turri Antistes Claromontanus anno M. CC. XXVII. comitatus Diuum Ludouicum Regem in Africam properantem. Denique Guido à Turri ab eodem sanctissimo Rege habitus in

Multi Præsules è familia Turriana. precio, Ordinemque Dominicanorum professus, extremū spiritum effudit, anno M. CC. LXXXV. Tres alij eiusdem Domus Antistites, Henricus Metensis lite sopitā à Ioanne XXII. anno M. ccc. XIX. Bernardus Lingonensis, anno M. CCC. LXXIIII. & Cœnobiarcha Tornesianus, demum Bertrandus Tullensis curauit Regalia ab Imperatore Carolo IV. Bohemo Ecclesiæ suæ confirmari, postea electus Podiensis ex terrestri corporis nido euolauit, anno M. CCC. LXXXI. apud Franciscanos sepultus; Bernardus à Turri vltimus Abbas S. Pauli & primus Episcopus, cuius meminimus in Raymundo Cardinale S. Pauli. Tres comperio eiusdem nominis Cardinales creatos Bertrandum Ordinis Minorum à Ioanne XXII. Bernardum à Clemente VI. de quibus actum pluribus: denique Ioannem hunc à Turri, quem in numerum Patrum Purpuratorum retulit Gregorius XI.

Regalia Ecclesiæ Tullensis.

Noster Ioannes Cardinalatu insignitus Auenione, anno M. CCC. LXXI. sexto Idus Iunij in lectione primâ tituli S. Laurentij in Lucina.

Lucis vsurâ priuatur decimo septimo Calendas Maij, Auenione, anno M. CCC. LXXIV.



IOANNES FABRI CARDINALIS TVTELENSIS GREGORIO XI.

ANNO CHRISTI M. CCC. LXXI.

FABRIORVM antiqua & nobilis prosapia satis superque Prouincialibus nota, præcipua gens vrbis Yerensis, ex quâ prodijt Hugo Fabrius, anno M. CC. LXXX. etiam Ptochotrophij in ciuitate Auenionensi fundator Guillelmus Fabri, anno M. CCC. IV. VII. Octobris. Raymundus Fabrius Ludouico II Regi Neapolitano carus & domesticus, vt præcipuis è ciuitate Yerensi Antonio & Moneto Fabrijs scribit, decimo quarto Ianuarij, anno M CCCC. XXXVII. Renatus Rex Neapolim properans. Ex eâdem familiâ ortus Ioannes Fabrius noster, qui Gregorio Pontifici consanguinitate proximus fuit.

Fabriorū familia.

Tertius Tutelæ in tractu Lemouicensi Præsul sub Bituricensi Metropolitâ, cum antea hæc Sedes D Martino Ordinis Benedictini esset sacra, quam Ioannes XXII. erexit in Episcopatum, illic primo constituto Antistite anno M. CCC. XVIII. Arnaldo ex Archimandritâ postremo.

Consequutus est Cardinalatum anno M. CCC. LXXI. sexto Idus Iunias, conferente Gregorio XI. effectus Cardinalis Presbyter tituli S. Marcelli,

quo

quo solum nouem menses, fato intercedente, potitus est.

Discessit è vita Auenione, pridiè Nonas Martias anno post Cardinalatum sequenti, Pontificatûs Gregorij secundo.



IOANNES DV CROS CARDINALIS LEMOVICENSIS GREGORIO XI.

Anno Christi M.CCC. LXXI.

FRATER Petri de Crosso Cardinalis Clementis VII. Antipapæ, & Biturigum Archiflaminis, natus in Lemouicensi Diœcesi, pago Calima-Forti, Gregorium Pontificem tertio gradu consanguinitatis attingens, professus est Ius Pontificium.

Præsul Lemouicensis anno M. CCC. XLIII, post Beatum Rogerium le Fort assumptum in Patriarcham Bituricensium; quadraginta annorum intercapedine Episcopatûs Lemouicum habenas Ioannes moderatus est.

Cardinalem creauit Gregorius XI. die sexto mensis Iunij post Pentecostem anno M. CCC. LXXI. Auenione; Demùm fuit Episcopus Prænestinus, & S. R. E. Maior Pœnitentiarius.

Legatus anno M. CCC. LXXIX. missus in Gallias à Clemente VII. ad persuadendum Regi Carolo Vrbanum Pontificem non esse recipiendum, vt legitimum, quod Regi persuasit, cuius tamen electioni dederat suffragium. Confirmat Lutetiæ statuta Collegij trium Episcoporum, vulgò Cameracensis, quinto Iulij anno M. CCC. LXXIX. nunc sedes est Professorum regiorum. Eò missus Fundis à Clemente VII. ad Carolum Regem Gallorum huius nominis V. contra Pontificem Vrbanum, qui à Gallo est reiectus. Cardinales Petrus Corsinus Florentinus, & Simon de Borsano Mediolanensis Auenione Gallos rogarunt, vt duobus propositis capitibus responderent, velut in mortis articulo animam efflaturi, & præsentes Christi tribunali. Primum est, an liberè Vrbanum VI. Pontificem Italum elegissent, num etiam fuissent electuri, si alibi quàm Romæ. Secundum, an ratam vellent habere Vrbani electionem, & actus, quibus subscripserunt. His duobus Galli Cardinales, Lemouicensis, Glandeuensis, de Britannia, Viuariensis, Maioris-Monasterij, & de Verruche responderunt interposito iuramento, se id præstitisse metu mortis, sibi à Romanis timentes, & omnes actus fuisse coactos, proinde irritos, quâ de re poposcerunt

Schisma contra Vrbanum.

Collegiũ trium Episc. nunc Francicũ.

Galli Cardd. linquunt Vrbanum

publicum instrumentum.

Auenione vitam finiit, vigesimo secundo die Nouembris anno M. CCC. LXXXIII. iacetque in principe Ecclesiâ cum hoc epitaphio.

Hic iacet Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Ioannes de Crosso de Calima-forti, Lemouicensis Diœcesis, deinde assumptus fuit in Ecclesia Romana Presbyterum Cardinalem, & subsequenter fuit electus Episcopus Prænestinensis, & Summus Pœnitentiarius, qui obijt vigesimo secundo die mensis Nouembris anno à Natiuitate Domini M. CCC. LXXXIII. *pro cuius anima salute Deum humiliter deprecamur, vt in pace cum Angelis requiescat. Amen.*



ANNO CHRISTI M. CCC. LXXI.

PETRVS FLANDRIN CARDINALIS VIVARIENSIS GREGORIO XI.

VIVARIENSIS patriâ, & Pontificij Iuris Doctor, & Decanus Baiocensis. Cardinalis Diaconus sancti Eustachij iuxta templum Agrippæ, primâ Patrum promotione, mense Iunio anno M. CCC. LXXI. Gregorij Pontificatûs exordio, Auenione.

Hæresis contra sacram hostiam.

Fratri Petro Bonagetæ Ordinis Minorum contra sacram hostiam errores aliquos in Arragoniâ disseminanti, datus est Petrus Cardinalis iudex, cuius hæc sententia in Bonagetam lata.

Miseratione diuinâ Petrus sancti Eustachij, & Guillelmus sancti Angeli Diaconi Cardinales, Reuerendis Patribus Tarraconensis, & Cæsar-Augustanæ Prouinciarum Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis, necnon Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus à Sede Apostolicâ in ipsis Prouincijs deputatis, salutem & synceram in Domino charitatem.

Relatione Religiosi Fratris Nicolai Haymerici Magistri in Theologiâ, & in dictis Prouinciis Hæreticæ prauitatis Inquisitoris, ad audientiam Domini nostri Papæ peruenit, quòd tam in vestris, quàm in Suffraganeorum Ecclesiis vestrorum, palam & publicè per certos Religiosos prædicati fuerint tres articuli subsequentes in effectu.

I. Quòd, si hostia consecrata cadat, seu proijciatur in cloacam, lutum, seu aliquem turpem locum, speciebus remanentibus, sub eis esse desinit corpus Christi, & redit panis substantia.

II. Quòd, si hostia consecrata à mure corrodatur, seu à bruto sumatur, remanentibus dictis speciebus, sub eis desinit esse corpus Christi, & redit substantia panis.

III. Quòd, si hostia consecrata à iusto, vel à peccatore sumatur, dum species dentibus teritur, Christus ad cœlum rapitur, & in ventrem hominis non traijcitur.

Supplicato igitur per ipsum Inquisitorem eidem Domino nostro Papæ super huiusmodi articulis, ex quorum prædicatione possent scandala suscitari, salubriter prouideri, idem D. noster Papa, Nobis ibidem præsentibus viuæ vocis oraculo expressè commisit, quatenus authoritate suâ Apostolicâ Vobis mandaremus, vt omnis moræ sublato dispendio, in dictis vestris Prouinciis, sub pœnâ excommunicationis inhibeatis, ne quis deinceps dictos articulos publicè præsumat prædicare. Nos igitur Petrus, & Guillelmus Cardinales prædicti huiusmodi mandatum Apostolicum cupientes exequi, vt tenemur, Vobis & vestrum cuilibet in virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus, & mandamus, ne abinde in antea dictos articulos, seu eorum alterum, sub ijsdem vel aliis verbis idem sonantibus in substantiâ seu effectu, in vestris Ecclesiis vel alibi, palam seu publicè prædicari à quoquam permittatis, & hoc sub pœnâ excommunicationis, quâ contrarium facientes, innodetis ipso facto. Notificantes Vobis nihilominus simili mandato per ipsum Dominum nostrum Papam nobis facto, quòd idem Dominus noster Papa fratri Ioanni de Latone Ordinis Fratrum Minorum, qui aliquos de dictis articulis in vestris Ecclesiis frequenter recitando prædicauerat, inhiberi fecit sub pœnâ excommunicationis, ne cæteros articulos publicè de cætero prædicare præsumat. In quorum omnium testimonium, sigilla nostra præsentibus imponenda duximus. Datum apud Villam-nouam Diœcesis Auenionensis, die octauâ mensis Augusti, anno Domini M. CCC. LXXI. Indictione nonâ, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Papæ diuinâ prouidentiâ Gregorij XI. primo.

Deliria Raymundi Lullij (quem Maioricenses Martyrem in Africâ referunt) contenta libris, vno *de inuocatione Dæmonum*, cuius exordium misericordia & veritas, & altero, qui incipit. Vtrum quilibet infidelis tàm diuinis, quàm Apostolicis Canonibus teneatur obedire, aliisque opusculis; fuêre examinata à pluribus Theologis coram Petro Flandrino Cardinale S. Eustachij, & Cardinale S. Angeli, & tandem damnata à Summo Pontifice Gregorio, quâ de re egimus in Petro d'Estain Cardinale Vrbani V. *Deliria Lullij damnata.*

Vrbanum VI. Pontificem cum aliis sexdecim Cardinalibus collegis elegit Romæ anno M. CCC. LXXVIII.

Adfuit, dum Fundis electus Robertus à Gebennâ in Clementem VII. Antipontificem anno M. CCC. LXXVIII. duodecimo Calendas Octobris.

E vitâ discessit decimo Calendas Februarias in vrbe Auenionensi anno M. CCC. LXXXI. ibidemque tumulatus.



Anno Christi M. CCC. LXXI.


IOANNES CARDINALIS DE VERRVCHE.

GREGORIO XI.

VIR Tutelensis laureâ Iuris Pontificij redimitus, in Ecclesiâ Rothomagensi Archidiaconus, Auditor sacri Palatij, Gregorij Summi Pontificis Referendarius fuit.

Cardinalem Diaconum sanctæ Mariæ in viâ latâ in primâ promotione Gregorius XI. inaugurauit die Iunij decimâ sextâ, anno M. CCC. LXXI. Deseruit Vrbanum VI. legitimum Pontificem cum aliis Cardinalibus Gallis, de quibus actum in Cardinale Lemouicensi.

Fatis concessit Auenione anno M. CCC. XC. Benedicto XIII. Antipontifice.



Anno Christi M. CCC. LXXI.

GVILLELMVS NOVVEAV CARDINALIS S. ANGELI

GREGORIO XI.

ENGOLISMENSIS patriâ, Iuris Cæsarei Doctor, Archidiaconus Carnotensis Ecclesiæ in quâ sex Archidiaconi recensentur, quibus subduntur Decani rurales quindecim. Diaconus Cardinalis sancti Angeli anno M. CCC. LXXI. sexto Idus Iunij, in primâ creatione fuit institutus.

Raymundi Lullij opiniones erroneæ.

Idem Raymundi Lullij propositiones impias, erroneas, & hæreticas examinauit cum Petro Cardinale sancti Eustachij, & pluribus Theologis iussu Summi Pontificis.

Gregorius pro Bononiâ regendâ, alijsque Ecclesiæ terris circumiacentibus destinauit Guillelmum in Picenum & Vmbriam, anno M.CCC.LXXIII. Post aliquod temporis spatium putà biennium ciues Bononienses malè excipiunt Vicarium Generalem Pontificium, imprimis carceri addixêrunt, deinde spoliatum cum ignominiâ abire coëgêrunt, sui iuris esse volentes erecto vexillo, in quo maiusculis literis scripta vox, *Libertas*, Florentinos suæ rebellionis fautores habuêrunt, multasque alias ciuitates. His ad notitiam Gregorij deductis indoluit, diris ipsos Florentinos deuouens totius mali labem & exordium, & datis ad eos literis scripsit hæc Pontifex. Vniuersitas, inquit, vestra falsis suggestionibus concitata contra Nos, & dilectum filium nostrum Guillelmum S. Angeli Diaconum Cardinalem in nonnullis terris Romanæ Ecclesiæ pro Nobis, & Ecclesiâ ipsâ in temporalibus Vicarium Generalem in querelas & verba contumeliosa prorumpit, Deum, cuius vices in terris gerimus, præfatamque Ecclesiam, cui licet immeriti præsidemus, ipsamque incorruptam veritatem lædere non verentes. (Bononienses Pontifici rebelles.)

E viuis excessit Auenione quarto Nonas Iulij, anno M. CCC. XC.



PETRVS LE IVGE CARDINALIS NARBONENSIS GREGORIO XI.

(Anno Christi M. CCC. LXXV.)

PETRVS le Iuge Ordinis Benedictini Monachus, patriâ Lemouicensis Summi Pontificis Gregorij consobrinus, cuius insignia tres mures pontici (de quibus illud fertur, *potius mori quàm fœdari*) aliis quinque. (Auctor append. Bernard. Guid. in Greg. II.)

Archipræsul Narbonensis, postea Rothomagensis anno M. CCC. LXXIV. electus est: successorem habuit Guillelmum de Lestrangijs Diœcesis Lemouicensis, qui bullam de portu nuncupatam obtinuit, M. CCC. LXXXVIII. quâ Archiepiscopus Rothomagi primo anno fruitur bonis beneficij vacantis. (Robertus in Rothomagen.) (Bulla de portu.)

Cardinalis Presbyter multæ ætatis à Gregorio XI. creatur in secundâ promotione anno M. CCC. LXXV. mense Decembri factâ, dum adhuc Summus Pontifex Auenione commoraretur. Comitatur Pontificem Italiam, Vrbem, & Orbem repetentem anno M. CCC. LXXVI. cuius meminit Petrus Alectensis in Itinerario suo maritimo. Naufragantur, inquit, omnia (Petr. Alect. in)

itiner. Greg. xI. personis reseruatis, ibique iocalia perduntur, Veneris feria XXI. Nouembris multis extitit amara; Virginis Cæciliæ vigiliâ in Christo obdormiuit clara gemma Cardinalis Narbonensis, senex Antistes humatur in Pisanâ Ecclesiâ Maris fractus laboribus, spiritum eius suscepit cœli gloria.

Vnde intelligimus hallucinari aliquos Historicos, qui Narbonæ tertiò Nonas Nouembris anno M.CCC.LXXIX. defunctum referunt, & iacere in Cathedrali.



ANNO CHRISTI M.CCC. LXXV.

IOANNES DE LA GRANGE CARDINALIS AMBIANENSIS SANCTI MARCELLI GREGORIO XI.

STEPHANI à Grangiâ Principis Senatûs in Parlamento Parisiensi frater Ioannes de la Grange Lugdunensis patriâ, Fiscani Diœcesis Rothomagensis, Ordinis Benedictini Archimandrita, etiam Abbas Sandionysianus post Robertum de Fontenay. Præses fuerat Curiæ Iuuaminum seu Auxiliorum Lutetiæ, anno M.CCC.LXX. Iuris Pontificij Doctor. Eius meminêre Paulus Æmilius, & Ioannes Iuuenalis Vrsinus, vt viri in politicis exercitatissimi.

Iuuen. Vrsin. in Carol. 5. ad an. 1380. Du Chesne in hist. geneal. Castil.

Carolus V. Galliæ Rex cognomento Sapiens Ioannem magnâ prosequutus beneuolentiâ, ipsum præficiens educandæ proli Regiæ, literis super eâ re datis Meloduni, mense Octobri, anno M.CCC.LXXIII. postmodum primarius rerum Gallicarum minister vsque ad Caroli obitum, quod odium ipsi peperit apud plebem eundem accusantem subsidiorum populo impositorum, & pecunias Regij ærarij & fisci in suos vsus impendisse. Non fuit ita gratus Carolo VI. filio Caroli, quo morte sublato necdû vnctus in Regem hæc prolocutus familiarem habens sermonem cum Saueusio, qui erat à thesauris. *Ecce iam*, inquit, *Saueusi ab hoc Sacerdote liberi erimus*: quibus auditis Ioannes Episcopatum reliquit, Belgium adiit, postea Auenionem. Addit deinde Robertus Gaguinus Ordinis S. Trinitatis Generalis minister antithesim inter ministros Regno præpositos Ecclesiasticos & sæculares, & quinam sint magis Reipublicæ proficui, suo iudicio rem definit.

Carolus 6. infensus Ioan. Cardinal. Gaguin. in Carol. 6.

Ambianensis Antistes anno M.CCC.LXXII. Ioanne de Cersemont Epis-

copo, & Franciæ Nomophylace mortuo. Auunculus Ioannis de Boissy Præsulis Ambianensis post Ioannem Rolandum, cui noster de la Grange resignarat Episcopatum Ambiano discedens.

Presbyterum Cardinalem sancti Marcelli creatum voluit Gregorius XI. Auenione anno M.CCC.LXXV. die quintâ Decembris, eadem promotione cum Guidone de Maltec Cardinale: demum Episcopus est factus Tusculi (vulgò Frescati) à Clemente VII. Antipontifice anno M.CCC.LXXIX. Auenione sedem habente, ad quem se conuerterat, relicto Vrbano VI. Tusculum Frescati.

Comitatus est Gregorium maritimo itinere Romam petentem, ibique naufragium passus est: vnde Petrus Alectensis Augustinianus, Episcopus Senogalliæ in suo itinerario sic loquitur. Mare præceptis ac nutibus tui Principis in nullo obtemperas, Nobilem Ambianensem Cardinalem sine causâ cur sic infestas, oritur tempestas horribilis, anchora frangitur, & galeæ latus aperitur.

Vt Summus Pontifex Gregorius Romam peruenit anno M.CCC.LXXVI. Auenione relictâ cum Florentinis seu Etruscis bellum habuit anno sequenti satis periculosum; proinde illuc misit Legatum Ioannem ad res amicè componendas. Luca ciuitas est designata pro fœdere faciundo, in quam contendit Viterbio paucis abhinc diebus Ecclesiæ conciliato: Verum auditâ anni M.CCC.LXXVIII. exordio Pontificis morte res infecta permansit.

Alij aliter referunt. Ad finem anni M.CCC.LXXVII. Bernabone suadente, & Vrbinate Episcopo Sedis Apostolicæ Nuncio inuitante ad pacem ineundam Serasanæ Conuentui indicto, misit eò Pontifex Ioannem Cardinalem Ambianensem, vnà cum Archiepiscopo Narbonensi: adfuerunt nomine Caroli Regis Galliarum quatuor Viri insignes, quatuor à Florentinis. Præsens non fuit Vrbani VI. Comitijs, sed, vt Romam ex Etruriâ peruenit, creatum Pontificem adorauit, statim malè exceptus ab Vrbano & auaritiæ accusatus ad Clementem VII. defecit cum quibusdam Cardinalibus in miserando illo per multos annos schismate. Tandem Ioanni XXIII. legitimo Pontifici ante obitum præstitit obedientiam, & in Gallias redit. Aretin. & Poggius de reb. Florent. Alphonf. Monach. lib. de schism. Thom. Valsingam. in Richard. 2.

Moritur Ambiani vigesimo quarto Aprilis anno M.CCCC.II. iacetque in Ecclesiâ Cathedrali Deiparæ sacrâ cum epitaphio, non vero Auenione, vt vult Ciaconius apud S. Martialem.

Hic iacet Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Dominus Ioannes de Grangiâ Abbas Fiscanensis, deinde Episcopus Ambianensis, postremò verò Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Tusculanus, qui obijt anno Domini M.CCCC.II. *die vigesimâ quartâ mensis Aprilis.*

Orate Deum pro eo, vt requiescat in pace in paradiso.


Multa posteritati reliquit sui ingenij monimenta; eius meminit sanctus Antoninus. S. Anton. parte 3.

Icon ipsius & scutum visuntur in fenestrâ vitreâ Ecclesiæ S. Dionysij à

Parma di la Grãge.

carcere sitæ in Insulâ vrbis Parisiensis: indumentum habet nigrum, vt pote Religiosus Benedictinus cum purpurato galero.

Scutum de la Grarige miniatum, tribus merulis argenteis, primo Britanniæ laterculo impressum.



Anno Christi M. CCC. LXXV.

IOANNES DE LA BVSSIERE CARDINALIS CISTERCIENSIS GREGORIO XI.

APVD Aruernos nobilibus editus natalibus, adolescens in Claræuallense Andrium se recepit, vt erudiretur rerũ Cœlestium meditatione, ad Parisiense Bernarditarum Collegiũ admissus humaniores apprimè didicit literas, deinde in Philosophiâ mirè exercitatus, sacræ Theologiæ ita sedulã nauauit operam, vt in adolescentiæ flore Doctoratûs laureâ fuerit insignitus Lutetiæ, & albo Doctorum inscriptus. Virtus itaque & pietas hominis in immensum excrescens omnibus tandem domi forisque enituit. Primùm namque XXXII. est Claræuallensis Cœnobiarcha, anno M.CCC. LIX. præfuitque annos quatuor, postea XXXVI. sui Ordinis Abbas effectus Generalis, tandem S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Laurentij in Luciná à Gregorio XI. creatus anno M. CCC. LXXV.

Christiano Orbi Auenione eripitur anno post Cardinalatum sequenti; corpus ad Claramuallem delatum inter S. Bernardum, & sanctos Martyres Eutropium Zozimum & Bonosam, sepulturam accepit, hac breui marmoreâ inscriptione ornatam: ita liber sepulchrorum Claræuallis.

Hic iacet Dominus Joannes de Buxerijs XXXII. Abbas Claraeuallis, qui postea factus est Abbas Cistercij, ac demum effectus Cardinalis S. R. E. Obyt M.CCC. LXXVI.

Eius ad viuum Cistercij in aulâ magnâ depicta visitur imago inter cæteros eiusdem Cœnobij Abbates, post Ioannem de Barro, vbi & ij versus leguntur.

Nominis eiusdem capit alter postea Sedem,
Officium meruit sumptus de Cardine fungi.



GVIDO DE MALSEC CARDINALIS PICTAVIENSIS GREGORIO XI.

ANNO CHRISTI M.CCC. LXXV.

NOBILISSIMOS habuit natales Guido, nomen & Dominium in Tutelensi Diœcesi obtinens de Malsec aliàs de Malafiette, etiam Castri Lucij Dominus, nepos ex sorore Summi Pontificis Gregorij XI. & Nicolai Rogerij Rothomagensis Archiflaminis abnepos, Decretorum Doctor, Referendatius Pontificius.

Post Haimericum Hugonis Lodeuensis primùm Antistes LXVIII. postea Pictauiensis Præsul, anno M.CCC.LXIX. Haimerico de montibus vitâ functo; illo sedente ad vrbem Pictauiensem infelici successu pugnatum à Francis in Anglos, Ioanne Galliæ Rege ab hostibus capto, decimo nono Septembris, anno M.CCC.LXV. vulgò *la iournée de Maupertuys.*

Gregorius XI. Auenione, adhuc agens promouit ad Cardinalitiam dignitatem Guidonem anno M.CCC.LXXV. in secundâ Cardinalium lectione, mense Decembri tituli S. Crucis in Hierusalem: postea Episcopus Cardinalis Prænestinus est creatus, transegit in Cardinalatu annos triginta octo.

Guidoni Custodiæ titulum in Basilicâ Cracouiensi ab obitu Nicolai Grothi confirmauit literis datis, decimo septimo Calend. Iul. anno M.CCC.LXXVI.

Mortuo Auunculo Summo Pontifice, & Sede Petri Romam Auenione ab eodem Gregorio translatâ, post electionis calculos Romę Vrbano VI. Pontifici aduenit, & vt legitimè electo præstitit reuerentiã, deinde dedit nomen Clementi VII. Roberto Gebennensi Pseudopontifici, à quo in Insulam Angliam missus ad Richardum Anglorum Regem in obedientiam ipsius Clementis alliciendum; Tornaci & Cameraci multos dies remansit impeditus à Clementis hostibus, verùm detrectauit consentire Richardus, Cardinalem à se amandans Vrbano VI. legitimo Pontifici fidem habens, & ab eius stans partibus. Benedictum XIII. siue Petrum de Luna & Gregorium XII. vnâ pro Pontificatu contendentes volens libens reliquit; Pisas se conferens illic interfuit Synodo Pisanæ, & Alexandri V. anno M.CCCC.IX. dedit calculum electioni, die Iunij vigesimâ septimâ.

Ioanne XXIII. in Galliam senex redijt, breuique mortuus est Lutetiæ, octauo Idus Martij, anno M.CCCC.XI. iacet in æde Prædicatorum hoc epitaphio donatus.

In Aquitaniâ parte Galliæ nobilissima familia Maleficcorum vetustate ac singulari virtute præclara à Malesicco nomen habet. Eâ in Gente viri Clarissimi, vnde orta sunt Aquitaniæ quondam lumina, Viri rerum gestarum magnitudine florentes, alij Equites Aurati, sancti Pontifices, alij Præfecti. Ex ea generis claritate prodijt Guido à Malesicco dicti loci, & Castri Lucij Dominus in doctrinarum virtutumque genere prope absolutus, cuius acta permulta Annalibus conscripta his breuibus non capiuntur angustijs. Is vir summâ prudentiâ amplissimisque meritis creatus fuerat Lodeuensis Pontifex, deinde Pictauiensis, postmodum & cooptatus T. Pranestini Cardinalis, in quâ dignitate cum octauo & trigesimo floruisset anno, tandem Legatus apud Regem Gallorum nomine Pontificis Maximi sui Auunculi Lutetiæ honesto mortis genere quieuit, octauo Idus Martij, anno autem M.CCCC.XI. *cuius corpus hac cellâ & hoc saxo sepultum est magno cum omnium luctu ac desiderio, donec propinquorum sententiâ ad maiorum sepulchra transferatur.*

Diues opum Guido, formæ, bonitatis, & artis
Ditior, hocque magis diues honoris erat.
Plura darent superi, nisi fatum plura negaret.
Quo maiora darent, euolat ad Superos.



ANNO CHRISTI M. CCC. LXXV.

PETRVS DE BERNIE PRÆSVL VIVARIENSIS
CARDINALIS SANCTI LAVRENTII
GREGORIO XI.


CADVRCENSIS è Sortenaco in vtroque Iure & Pontificio & Cæsareo Doctor, causarum Palatij Apostolici Auditor.
Cardinalatum consequutus est dante Gregorio XI. Auenione, tituli

S.Laurentij in Luciná, anno M.CCC.LXXV. mense Decembri. Interfuit Comitijs Clementis VII. Antipapæ electi Fundis in Regno Neapolitano.

Præsul Viuariensis sub Archipræsule Viennensi, Ecclesia Primaria est sancto Vincentio sacra; quò translata est Episcoporum Albensium Sedes, vulgò Aubenas, post deletam à Vandalis ipsam Albam Augustam. Petro Cardinali creato successit in Episcopatu Bernardus de Agri-folio, anno M.CCC.LXXVII.

Pontifex commisit curam Petro Cardinali examinandorum criminum à Florentinis in Ecclesiam commissorum, ob quæ fuêre sacris interdicti, sic loquitur Gregorius in diplomate dato Auenione XII. Cal. Maij, anno Pontificatûs sexto. Dilectus filius noster Petrus tituli sancti Laurentij in Luciná Presbyter Cardinalis, cui ad cautelam & maiorem certitudinem præmissorum, oraculo viuæ vocis commisimus, vt se de eis informaret, quæ per informationem huiusmodi reperiret, Nobis postmodum relaturus, eâdem informatione per ipsum diligenter & debitè receptâ Nobis in Consistorio retulisset, ea esse notoria & etiam manifesta.

Decessit Auenione anno M.CCC.LXXXIV. in Clementis VII. Pseudopontificis obedientiâ.



GIRARDVS DV PVY CARDINALIS MAIORIS-MONASTERII GREGORIO XI.

ANNO CHRISTI M. CCC. LXXV.

AB Arnaldo VVione, & Guillelmo du Catel Senatore integerrimo & literatissimo Senatûs Tolosani nuncupatur Gerardus de Loy, Cluniacensis Monachus, frater Petri de Podio Abbatis S. Florentij ad Ligerim iuxta Salmurium, & postea Maioris-Monasterij Cœnobiarchæ, qui obijt anno M.CCC.LXIII. sepultus in Capellâ S. Florentij: quod aliqui non satis animaduertentes vocant Cardinalem nostrum Petrum Girardi, sed malè; nam Petrus Girardus fuit Lodeuensis Præsul LI. patriâ Delphinas in oppido sancti Symphoriani natus inter Lugdunum & Viennam. Podiensis etiam Episcopus LXVI. noster autem Gerardus patriâ Lemo-

Vvion. l. ligni vitæ. Catel l. 5. hist. Languedoc.

uicensis ; ex eodem loco Guillelmus de Podio Episcopus Lemouicensis, qui diem extremum obijt non consecratus longo & graui laborans morbo. Gallardus de Podio Cardinalis anno M. C CC. L X X V. Episcopus Santonensis affinis Gregorio XI. & frater Ebbonis de Podio Episcopi Carnotensis. Apud Bituriges est alia familia du Puy nuncupata, ex quá prodijt Magdalena du Puy filia Ludouici du Puy Domini du Coudray-Monin neptis Renati Cardinalis de Pria Episcopi Baiocarum. Ex eádem ortus Ioannes du Puy Abbas Burgidolensis.

Du Chesnel. 3. geneal. des Chasteigners.

Archimandrita Girardus Maioris-Monasterij Turonensis post fratrem anno M. C C C. LXIII. Episcopus S. Flori ex Abbate, postea Antistes Carcassonensis, anno M. C C C. L X X V.

Demandata prouincia Girardo, & Guillelmo de Agri-folio, & Petro de Lunâ Cardinalibus examinis Reuelationum D. Brigittæ viduæ, quâ de re pluribus in Guillelmo Cardinale d'Arg fueille.

Turrecrem. ep. ad omnes Christi Fidel.

Ostro Cardinalatio est ornatus à Gregorio X I. Auenione, anno M. C C C. L X X V. mense Decembri tituli sancti Clementis Presbyter cum tribus præcedentibus Cardinalibus in secundâ Patrū lectione. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ maior Pœnitentiarius. Vultum Sanctum (vulgò Veronicam vócant.) iubet commonstrari Gregorius X I. literis datis Auenione, anno M. C C C. L X X. Sedis Apostolicæ in Italiâ Thesaurario Cardinali Maioris-Monasterij datur ab eodem administratio ciuitatis Perusinæ, & Patrimonij [illegible]iui Petri, mortuo Philippo de Cabassole Cardinale Legato. Initio anni M. C C C. L X X V I. rebelli Perusio ciuitate, Girardum à paucis diebus Cardinalem creatum, Florentinis rebellioni fauentibus, habent ignominiosè Perusini.

Fundis interfuit, dum Clemens VII. Antipapa electus est, anno M. C C C. L X X V I I I. datâ arce & mole Adriani Romæ Petro præfecto, qui Vrbano VI. obedire renuit, stans à partibus Gallorum Cardinalium ; eamque ob causam Cardinalem Maioris-Monasterij acerrimè Pontifex increpauit. Et Anagniæ aderat cum Archipræsul Arelatensis Papæ Vrbani Camerarius eò se contulit, in cuius potestate & custodiâ erant omnia sacra Pontificum ornamenta tiaræ, cruces, vestes, aliaque similia; nullâ abeundi veniâ à Pontifice petitâ Anagniam omnia detulit, quâ re commotus Vrbanus mandauit Cardinalibus Agri folio, Pictauiensi & Viuariensi, vt Episcopum reducerent captiuum, quod facere detrectauerunt.

[M]oles A[d]riani cō[n]tra Vrbanum 6.

Auenione occubuit, decimo sexto Calendas Martij, anno M. C C C. L X X X I X. sibi contradixit Ciaconius duobus diebus, cum vno in loco vult decimo tertio Februarij mortuum; alio, decimo sexto Calendas Martij.





HVGO DE MONTRELAIX CARDINALIS A BRITANNIA GREGORIO XI. Anno Christi M. CCC. LXXV.

HVGONIS de Montrelaix (nonnullis de Monte-longo vt authores Itali referunt) mentionem facimus Patre Reginaldo Domino de Montrelaix du Gueauuoier, & Senefchaliere, matre Mariâ d'Ancenis, cui tres filij fuêre Epifcopi Ioannes primo Venetenfis, deinde Nannetenfis (cuius fit mentio in capellæ Collegij Nauarræi dedicatione factâ anno M. CCC. LXXIII.) Bonahas in eodem Epifcopatu fucceffor, & nofter Hugo.

Canonicus & Cantor Ecclefiæ Nannetenfis, tandem Archidiaconus Lameæ, & Epifcopus eiufdem ciuitatis (fi credimus Hiftoriæ Genealogicæ Dominorũ de Montrelaix) fucceffit Oliuario Salaadino, qui eft habitus fuo tempore *flos Præfulum fuauiter olens*. Cum Summus Pontifex contuliffet Epifcopatum Nannetenfem Roberto Pennel, transfertur Hugo in Trecorenfem. Epifcopus fuit fancti Brioci in Armoricis anno M. CCC. LX. Interfuit Fœderi de Guerrande anno M. CCC. LXVI. vt procuratorio munere fungens Ioannæ à Britanniâ viduæ Caroli Blefenfis contra Ioannem Britanniæ Ducem, cognomento *Magnanimum*; cui non fuit acceptus.

Eiurauit hæreditatem paternam contentus reditu Ecclefiaftico.

Presbyter Cardinalis fanctorum quatuor Coronatorum anno M. CCC. LXXV. pofteà Præneftinus.

Carolus Rex Galliarum cuftodiæ addixit Iolandam Flandrenfem Barri Comitiffam, quâ de re fcripfit Pontifex ad Cardinalẽ fanctorum IV. Coronatorum, qui iuffus eft intercedere; Hugo & hi Cardinales Franci Ioannes du Cros, Guillelmus d'Arg-fueille, Petrus Lagerius dictus Glandeuenfis, Robertus Gebennenfis, Guido de Malfec, Ioannes de la Grange dictus Ambianenfis, Petrus Bernie dictus Viuarienfis, Gerardus du Puy, Petrus Flandrin, Guillelmus Noueau, Ioannes de Verruche cũ quatuor Italis, & Petro de Luna Hifpano elegêrunt, aut adorarunt Pontificem Italum Vrbanum VI. Romæ anno M. CCC. LXXVIII. fed ftatim cecinêre palinodiam, fe conferentes Fundos in Regno Neapolitano, & Robertum Gebennenfem Clementem VII. falutârunt. Iolanda Barri Comitiffa incarceratur. Electio Vrbani 6.

Mortem oppetiit Auenione anno M. CCCC. Pontificatûs Benedicti XIII. Antipapæ fexto.

DE SCHISMATE
TRIGINTA NOVEM ANNORVM.

IVRE meritóque cum Æneâ Syluio postea Summo Pontifice Pio II. comparare Ecclesiam pilæ possumus in hoc Schismate omnium longissimo; lusus, inquit, iam Ecclesia est, qualem de pila fieri videmus, dum huc & illuc impellitur lusorum ictibus percussa, sed aspicit illam ex alto Deus; sanè octo lustrorum intercapedine hæc agitata pila post Gregorij XI. Lemouicensis obitum ad Martini V. tempora in Synodo Constantiæ habitâ creati, agitata inquam, modò à Regularibus, modò à secularibus, modò à Principibus viris, modò ab infimæ plebis hominibus, modò à Catholicis, modò a Schismaticis. Exordium sumpsit Schisma à Roberto Gebennensi dicto Clemente VII. Antipontifice anno M.CCC.LXXVIII. quem tamen Franci venerabantur vt Pontificem, etiam Scoti, vti notauimus in fine libri secundi, sedemque tenuit sexdecim annos integros Auenione contra Vrbanum VI. qui obijt M.CCC.LXXXIX. Post Clementem oritur monstrum Schismatis horrendum, ingens, Petrus de Luna natione Hispanus, nuncupatus Benedictus XIII. anno M.CCC.XCIV. qui se annos Petri vidisse gloriabatur, cum sex lustra in suo Schismate permanserit; tamen in Concilio Constantiensi anno M.CCCC.XVII. fuit depositus & anathematis fulmine percussus.



Anno Christi M.CCC.LXXVIII.

ROBERTVS GEBENNENSIS
CLEMENS VII.

A Gebennensium Comitum stemmate oriundus Robertus, parentibus Amedeo III. & Mathilde de Bolonia filiâ Comitis cùm Boloniæ tùm

Aruerniæ, & Mariæ Flandricæ. Diuersas nationum Gallicæ, Italicæ, Germanicæ, Latinæ linguas calluit, tantillum pede vno claudicans, negotiis Ecclesiasticis parum aut nihil vacans, in suos & nobiles profusus. Quatuor fratres habuit sine prole mortuos, fratrum postremus natu fuit noster Robertus. Vno pede claudus.

Primùm Protonotarius Apostolicus, deinde Morinensis anno M. CCC. LXV. post Ægidium de Monte-acuto Cardinalem Episcopus, postea Præsul Cameracensis, cui successit Gerardus Dainuille Collegij sui nominis Lutetiani fundator. Hic Cameraci Episcopatus ducentis annis elapsis puta M. D. LXII. in Archiepiscopatum erectus, Maximiliano à Bergis primo Archipræsule creato. Sedes Cameracen. erigitur in Archiepisc.

Honore Cardinalitio Robertum Gregorius XI. in primâ Patrum promotione cohonestauit in vrbe Auenionensi sexto Idus Iunias, anno M. CCC. LXXI. tituli sanctorum XII. Apostolorum.

Legatum à latere misit in Italiam Gregorius cum militum copijs, ad compescendos rebelles anno M. CCC. LXXVI. & fœdus ineundum cum Mediolani Vicecomitibus.

Fundis in Regno Neapolitano creatus Antipontifex à duodecim Gallis & tribus Italis, duodecimo Calendas Octobres anno M. CCC. LXXVIII. quorum ecce nomina. Petrus Corsinus Archiepiscopus Florentinus, Cardinalis Portuensis, Ioannes du Cros Cardinalis Lemouicensis, Guillelmus de Agrifolio Cardinalis sancti Stephani, Petrus Lagerius Minorita Cardinalis Glandeuensis, Hugo de Montrelaix Cardinalis à Britanniâ, Guido de Malsec Pictauiensis Episcopus Cardinalis sanctæ Crucis in Hierusalem, Petrus de Bernia Præsul Viuariensis, & Cardinalis sancti Laurentij, Simon de Borsano Mediolanensis Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Ioannis & Pauli, Girardus du Puy Cardinalis Maioris Monasterij, Ioannes de la Grange Episcopus Ambianensis Cardinalis sancti Marcelli, Iacobus Vrsinus Diaconus Cardinalis sancti Georgij ad velum aureum, Petrus Flandrin Cardinalis sancti Eustachij, Guillelmus Noueau Cardinalis sancti Angeli, Ioannes Cardinalis de Verruche, Petrus de Luna Cæsar-Augustanus, Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin, qui omnes vim in electione Vrbani VI. Pontificis antea Barrensis Archiepiscopi causabant, maximè freti auctoritate Ioannæ Reginæ Neapolitanæ, cuius copiis militaribus & triremibus Auenionem ducitur. Clementi mordicùs adhæsit Gallia, & Scotia, Hispania maximè fuit anceps & dubia. Duo Lutetiæ habita fuêre Concilia anno M. CCC. LXXIX. Gallicanæ Ecclesiæ ob hanc Clementis electionem, vnum tertio Idus Septembres, alterum decimo sexto Calendas Decembris. Annos sexdecim sedit in Schismate post homines natos miserando: aliqui volunt Vrbanum Schismati ansam præbuisse, dum concionem habuit sumpto exordio, *Ego sum Pastor bonus*, pacem inter Etruscos & Ecclesiam componere volens, & vitiâ nonnullorum Cardinalium reprehendens; non Vrbanum, sed malè Turbanum, quòd Ecclesiam turbaturus esset, nuncupauit Otho Dux Tarentinus & alij veneno Schismatis infecti; ab illius tamen partibus stabant Itali, Germani, Angli, Hungari, Poloni, Sueui, & Dani, etiam alij; Verùm vitia temporum

tollere conabatur Vrbanus, nec Purpuratis, inquit Æmilius, parcebat. Occasione huius Schismatis natum bellum inter Burgundiæ Ducem & Leodienses, multis hominum millibus cæsis.

Iacobus de Vis natione Gallus, Patriarcha Constantinopolis à Clemente ad Ioannam Neapolitanam mittitur, sed à Carolo III. Dyrrachio Neapolis Monarchâ carceri mancipatur in Arce Nouâ, vnà cum Leonardo Cardinale, tandem liber Auenionem repetit narraturus Clementi infœlicissimæ Legationis exitum.

Defunctus est Auenione Robertus decimo sexto Calendas Septembres anno M.CCC.XCIV. iacetque in æde Cœlestinorum cum sequenti epitaphio.

Hic requiescit Dominus Clemens Papa VII. primus huius Cænobij fundator ex Patre Amedeo Comite Gebennensi, matre verò Mathildâ de Boloniâ genitus, qui fuit Protonotarius, Morinensis & Cameracensis Episcopus, deinde Cardinalis, demùm ad Papatum inuitus assumptus, & Curiâ tunc incolumi relictâ. Dominum Petrum Cardinalem de Luxemburgo miraculis coruscantem in hoc cœmeterio sepultum ad Cardinalatum assumpsit, & in fine anni XVII. sui Pontificatûs migrauit ad Christum die decimâ sextâ Septembris anno M. CCC.XCIV. *cuius anima requiescat in pace.*

Scutum Comitum Gebennensium nouem tessellis ex auro & cyaneo interpunctum.

Clementi defuncto successit Petrus de Luna Hispanus electus Auenione in Benedictum XIII. anno M.CCC.XCIV.

LITERÆ CAROLI VI. REGIS AD CARDINALES Romæ agentes super abdicatione Greg. XII. & Benedicti XIII.

CAROLVS *Dei gratiâ Francorum Rex, egregiarum circumspectionum viris, & amicis nostris carissimis pro Cardinalibus se in Româ gerentibus salutem, & miserandæ lachrimantique matri omnium Ecclesiæ condolere.* Cognoscitis abundè, si non fallimur, dilecti & fideles amici charissimi, quàm in grauibus doloribus, & anxietatibus ob duorum nefandam ambitionem, qui diu de Papatu contenderunt, sacrosancta Ecclesia in dies magis affligitur, magis laceratur & concutitur. Videntes nunc miserabilem & horrendam, atque ex alto nisi Deus piis oculis perspexerit, subuersionem, inde gemebundi & anxij visceribus tenus commouemur; eius desolationi piè condolentes, & eò magis, quò ad consolationem eius procurandam ex debito obligamur, ad quam rem peragendam quantos labores, quantas sollicitudines in Conciliis celebrandis, in Legationibus per Christianum Orbem transmittendis nostrâ ab ineunte adolescentiâ, Deo & Vobis vt testibus, adhibuimus satis, & sæpè potuistis attendere: vt igitur vetera Vobis notissima omittamus, & nouissima capiamus, post multos variosque

labores.

labores circa viam mutuæ cessionis tentatos, post obitum illius, qui apud Vos Innocentius dicebatur, Angelum Corrarium, quem nunc Gregorium appellatis, in vestrum Papam sub votis & iuramentis, de renunciando, & cedendo Papatu elegistis: quo electo, ab eodem literas accepimus continentes, quòd Petro de Lunâ, cui tunc Papæ obediuimus, mortuo vel cedente, erat pro vnitate Christianorum paratus iuri suo peruerso renunciare, & dictum Petrum de Luna, vt similiter ageret, per similes litteras hortatus est, cui super hoc suas bullas misit.

Tunc profectò magno, & ineffabili gaudio exultauimus, quando ambos de Papatu contendentes in eandem sententiam, in viam cessionis conuenire, & totum Mundum inde gaudere, & in nostrâ prosecutione esse vnanimem videbamus. Et vt à Nobis consolarentur, solemnissimos nostros & Ecclesiæ Regni nostri Ambasiatores in magno & notabili numero de nostrâ intentione & voluntate ad plenum edoctos, primò ad dictum Petrum de Lunâ, deinde ad dictum Angelum transmisimus.

Et quamquam apud eosdem contendentes per magna tempora vnionem nostro nomine prosequentes permanserint, nihil tamen, quod Deo gratum, quodque Mundo vtile esset, reportârunt ab eisdem, sed annum & plusquàm annum in Legationibus vnionis ad alterum destinandis, in locis difficultandis, in coloribus, quibus pro suâ parte ad sui excusationem quærendis consumpserunt, nec in Orbe toto locum inuenire valuerunt, vbi sua vota, suaque iuramenta adimplerent, vbi lugenti & desolatæ Ecclesiæ pacem darent.

Quis autem eorum malitiam, fraudem, & iniquitatem clarè non videat? Quis eosdem perturbatores pacis & impeditores vnionis non accipiat? Quis talibus de cætero obediret? Violauerunt Fidem, fregerunt votum, promissum non tenuerunt, & sponsam Christi ante pedes eorum videntes prostratam, eidem manus releuatrices, quas faciliter exhibere poterant, denegarunt. O magnum & scelestum facinus! O nefanda temeritas! O talibus viris ad pacem Ecclesiæ dandam inter mortales obligatis indigna macula, nunquam eorum delenda de frontibus! qui, dum opportunitatem assequendæ pacis perceperunt, quasi pauidi, &, vt existimamus, suorum scelerum conscij, se mutuò in præsentiâ suorum Collegiorum videre ausi non sunt, verentes forsitan, ne voluntas Altissimi, quæ mentes hominum scrutatur, & cuius maiestati manifesta sunt omnia, eorum fraudes, & collusiones, & errores longis incognitos temporibus in eorum pertinaciâ clarescere faceret.

Hæc & alia maiora satis Vos scire arbitramur, & quantum zelum ad pacem Ecclesiæ habuerint, qualiterve processerint, inde elicere potuistis; etenim ambo ita obstinati sunt, & durâ sententiâ obfirmati, vt Ecclesiæ pacem dare recusent. Vos, quibus spes obtinendæ pacis ob defectum & vitium eorumdem relicta est, rogitamus, & cum instantiâ per Deum verum & immortalem, per eius aspersionem san-

guinis, per, si qua est Vobis, Fidei & Christianæ Religionis integritatem, & ad matrem Ecclesiam misericordiam, & pietatem requirimus & hortamur, vt dimisso dicto Angelo, & Petro de Lunâ, Vos in vnum locum conferatis, & conuentionem cum nostris Cardinalibus procuretis; nam si locum in vnum conueniatis, non dubitamus, quin in ipsorum contendentium contumaciâ & absentiâ, attentâ rei necessitate, quæ in quantum subest, legibus & decretis Ecclesiæ prouisum sit, nec decretorum tantùm & legum, imò miserandum necessitatis oculum habeatis. Quoniam cunctis casibus futuris, & maximè tanto casui inopinato, insperatoque non valuerunt decreta, si opus esset, prouidere.

Nec existiment aliqui quòd propter longas dilationes, & diras fatigationes resilire, ac à nostro proposito desistere debeamus; quâ in re perficiendâ eò feruentiores efficimur, quò magis res eadem longas in moras & dilationes protrahitur. Si verò huiusmodi nostræ rogationi pariter & requisitioni acquieueritis, nostrum auxilium, consilium, nostras opes, nostrum Regnum, nostra denique omnia Vobis non denegabimus: imo Vos omnes & Vos singulos omni honore, & gratiâ & fauore, & Ecclesiam sacro-sanctam obsequio, adiutorio & honore amplectemur. De cæteris verò, quæ circa hæc gerenda ad casum vestræ conuentionis & nostram voluntatem, atque effectionem continent, dilectos & fideles Consiliarios, & Ambasiatores nostros Patriarcham Alexandrinum, & alios collegas suos, nunc apud Vos gratiâ prosequendæ pacis Ecclesiæ existentes instrui ad plenum volumus, quorum dictis fidem velitis indubiam adhibere, & requestis per eos Vobis pro parte nostrâ faciendis totis conatibus attendere. Datum Parisiis, anno Domini M.CCCC.VIII. die XXII. Maij.

Erat Simon de Cramaud postea Cardinalis.

LITERÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS PRO ABDICATIONE BENEDICTI XIII. PETRI DE LVNA AD Cardinales Romæ degentes.

REVERENDISSIMIS *Patribus se pro cætu Cardinalium Romæ gerentibus, Salutem.* Cum iam propè esset, Reuerendissimi Domini, vt ex miserrimâ calamitate Ecclesia mater emergeret, ab ipsis de Papatu contendentibus orta sunt vel difficultatis vel impossibilitatis obstacula, & in homines aut veros aut fictos mox irrupit fœda defectio: vnde tam graues rumores excitati sunt, vt iam nil veri, vel sancti, nullus Dei metus, nullum iusiurandum, nulla Religio inesse contendentibus de Papatu prædicaretur. Conclusiones etiam inter se mutuò habitæ clamant; quòd siue pro tanto scelere sit satis compertum, siue adhuc aliqui hæsitent, nullus tamen apud Nos in dubium reuocat, quin ambo contendentes peruersâ & ambitiosâ mente diuisionem hanc pestiferam hactenus produxerunt. Idcirco ad Vos hoc modo tota causa redit, vt conuenientibus Collegiis, relictisque contendentibus, vnum

Summum Pontificem toti Mundo cum optatâ pace donetis: super quo sacro Collegio Cardinalium partis nostræ modo sequenti scripsimus. Quod fuit optandum maximum, Reuerendissimi Patres, & quod vnum ad Schisma pestiferum & Ecclesiæ desertionem sedandam maximè pertinebat, id non humano consilio, sed propè diuinitùs datum & oblatum nuper fideli populo videbatur, tum propter vota Angeli Corrarij, iuramenta, promissaque, tum quòd ea Nobis vrgentibus Petrus de Luna recusare posse non videretur. Itaque iam dies pacis, & lætitiæ dicebatur affulsisse: audiebamus labores vestros & diligentias, & pacem animis amplecti, iam apparebant: sed dilationibus, verbis, & disceptationibus suis duo de Papatu contendentes, vt non ab ambitioso potentatu discederent. Huc vsque diuisionem sanctæ matris Ecclesiæ, & ignominiosam desolationem produxerunt, vt dubium esse non arbitrentur, Petri Cathedram propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter ipsius principandi rationem diuinitùs ordinatam. Neque adducere volumus in disceptationem, quàm districtâ ratione pro qualitate temporis sic contendentes, ad pacem dandam viâ renunciationis obligati videantur: sed potiùs, quo modo diuini iudicij seueritatem poterunt effugere, qui neque naturalis, neque humani, neque diuini Iuris rationi obtemperarunt, sed pro votis propriis, iuramentis, & palliationibus toti requirenti mundo & poscenti Ecclesiæ satisfacere noluerunt. Eos itaque de vnitate militantis Ecclesiæ malè sentire iudicabit posteritas. Hic Reuerendissimi Patres superfluum putaremus referre, quoties requisitæ fuerunt dilationes, refutationes, & illusiones, quibus iam Orbem fatigauerunt, quòd Vos ipsi ea cognouistis. Nullus in Europâ locus aptus, nullaque dies anni conueniens ipsis visa est ad pacem Ecclesiæ dandam. O vehementem pertinaciam! ô Fidem, ne dicam, debilitatam, sed tandiu deperditam? Membra se dicunt Ecclesiæ, vel capita, quam hostili gladio persequuntur. Absit, vt hostes Ecclesiæ dicantur pars Ecclesiæ, inimicus Christi dicatur Vicarius Christi. Credimus neminem tam improbum, tam perditum, tamque eorum similem inueniri posse, qui post hoc eos defendendos arbitraretur, nisi forsitan is fuerit, quem eadem infausti Schismatis, & post homines natos miserandi cogitatio in damnatam Hæresim demerserit. Idcirco Reuerendissimi Patres, Ecclesia tota clamitans suis querelis, & vocibus in cœlum emissis Vos hortari videtur, esse vestrarum institutionum memores, nunc magno & constanti animo viam sumere ad amborum Collegiorum conuentionem: Vos rogat etiam viros illos dimittere, qui nedum ipsam dimiserunt, sed plagam sibi super plagam apposuerunt. Alterius Collegij Domini persuasi sunt conuenire Vobiscum: nolite recusare sanctæ Matri, quia salus vestra clauditur; hunc extremum laborem exhibere non seuerè, non acerbè petit Ecclesia, quod petere posset; nam videte, quibus dicit Ecclesia. Vos enim pacem ademistis, pacem reddite: in diuisionibus me laceraſtis, & crescit in dies singulos dolor meus; reducite vnitatem & consolationem, & eritis alumni: si filij vultis appellari, præbete subsidium alumnorum, & filiorum obsequium, nec sceleratissimos hostes

sectamini, quoniam qui eos secuti sunt, aduersarij mei sunt effecti. Amara est hæc precatio, sed certè pro morbo & veritate non incongrua: multò tamen mitiùs Reuerendissimas Paternitates obsecrat & obtestatur pia mater: supplex enim pandit morbum, panditque vulnera sua: rogat tam tetram, tamque horribilem, ac tam sibi infestam pestem derelinqui & expelli, atque eius fautores protinùs euerti: obtestatur Vos per aspersionem sanguinis IESV CHRISTI sui misereri & indilatè succurrere. Nos verò in easdem preces mittentes vota nostra, qui nihil intentatum relinquere debemus, quod causæ Dei suffragari credimus, vestras Reuerendissimas Paternitates hortamur, & hortando supplicamus, vt relicto Petro de Luna, cum Dominis alterius Collegij conueniatis, pacem & vnum Summum Pontificem fideli populo daturi, & contendentium indignitatem, duritiem & pertinaciam declaraturi, fortè nunc opem, qui spem dedistis; & pensetis, quanti pondus negotij super Vos descendit. Nam spes omnis pacis abundè in Vobis posita est: agite igitur, vt à Vobis primum decus exeat: non expectetis donec alterius Collegij Domini gloriosissimis meritis Vos præueniant: non enim est obscurum, quoniam in tantâ re Vos prædicet & sequatur vniuersus Orbis, nec ex hoc deerunt nobis auxilia, dum tamen adsit animi curæ diligentia. In hoc etiam pollicemur graues & assiduos labores nostros, in quos Legatos nostros pro vobis audire dignemini. Denique media ex mediis inueniemus, quibus pernicies Schismaticorum poterit coërceri, & per Vos composita pace vel præstò priscum laborem resumere posset Ecclesia. Beatæ pacis author dirigat Reuerendissimas Paternitates vestras. Cum igitur vestris laboribus pax Ecclesiæ plurimùm prouecta sit, vltimò causa proœmij Vos hortamur obtestantes per Fidem Christianam, vt relictis contendentibus, qui huic rei super animi corporisque vires adesse deberent, cum Dominis Cardinalibus nostræ partis celeriter conueniatis ad vnum Summum Pontificem populo concorditer eligendum: super quo Legatos nostros etiam pro Nobis audire dignemini, quæ asseuerauerint, aut pollicitauerint, in dubium non reuocantes. Altissimus Paternitates Vestras dirigere dignetur in viam pacis. Scriptæ Parisiis in Congregatione generali apud sanctum Maturinum super hoc specialiter congregatâ, die XXIX, mensis Maij, anno Domini M. CCCC. VIII.

Vester Rector & Vniuersitas studij Parisiensis.

Conclusiones Vniuersitatis studij Parisiensis contra Antipapam Benedictum XIII. cum quibusdam requestis annexis.

PRIMA conclusio: Petrum de Luna non tantum fore Schismaticum, pertinacemque habendum, verum etiam Hæreticum, perturbatorem pacis, & sanctæ vnionis Ecclesiæ.

Secunda conclusio: Petrus de Luna non est nominandus Benedictus, nec Papa, nec Cardinalis, nec nomine cuiuscunque dignitatis, nec illi obediendum est tanquam Pastori, sub pœnis fautorum Schismatis.

Tertia conclusio: facta, dicta, collationes, prouisiones, siuè processus à tempore datæ litteræ ad modum Bullæ confectæ, insuper pœnæ quæcumque spirituales, vel temporales explicatè, vel implicatè in dicta littera contentæ, nullæ sunt.

Quarta: dicto Petro, aut suis litteris, aut mandatis, nullus potest obedire: imò tenetur illi non obedire sub pœnâ fautorum Schismatis.

Quinta conclusio: dicta littera est de facto iniqua, seditiosa, & dolosa, fraudulenta, turbatiua pacis, & offensiua Regiæ Maiestatis.

Sexta conclusio: contra fautores & receptores dicti Petri, & suorum, suarumque litterarum procedendum est sicut & contra dictum Petrum.

Sequuntur Requestæ.

Prima requesta: quòd laceretur & frangatur dicta litera ad modum Bullæ confecta, tanquam iniuriosa, seditiosa, fraudulentá, ac Regiæ Maiestatis offensiua, cum protestatione ad maiora procedendi fidem tangentia, ad explicandum prædictam, coram quibus oportebit, loco & tempore.

Secunda: fiat reformatio circa istam litteram, capiantur & detineantur omnes suggestores, fautores, receptores pro puniendo, corrigendo secundum canones, de quorum numero plures sunt in isto Regno, quos Vniuersitas nominabit loco & tempore.

Tertia requesta: Quòd à Rege præcipiatur Vniuersitati filiæ suæ, vt veritatem prædicet in isto facto per totum Regnum.

Quarta requesta: reuocetur Episcopus sancti Flori à Legatione & detineatur: insuper detineatur Magister P. de Cancellâ, Saxius Lupi, & Decanus sancti Germani Antissiodorensis, & puniantur iuxta demerita.

Appositum sigillum Vniuersitatis.

LITERÆ STVDII PARISIENSIS SVPER ABDICATIONE Papatûs factâ à Ioanne XXIII. 1415. ex sessione 6. Concilij Constantiensis, cui præfuit Ioannes de Embroniaco Cardinalis Viuariensis, Episcopus Ostiensis.

REVERENDISSIMIS *in Christo Patribus, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus, & alijs Dominis Italicam nationem in sanctâ & vniuersali Synodo Constantiensi repræsentantibus.* Feliciter Ecclesiæ successisse Dei, Reuerendissimi Patres & Domini, nuper existimauimus, cum & Deo volente & Vobis pro debito vocationis vestræ coagentibus, Dominus noster Summus Pontifex viam nouit cessionis atque iurauit: hinc in tantâ animorum alacritate Deo gratias egimus, ac tantâ deuotione in sacrum Constantiense Concilium fuimus permoti, vt hoc diuinum Concilium arbitraremur. Vnde magis miramur, quòd Dominus noster ab eo modo tali discesserit, præsertim cum ex eo fuerit cum summa laude Ecclesiæ Dei fructum amplissimum allaturus, nec venit in mentem Nobis, istum discessum posse præstare vnionis incrementum. Equidem Reuerendissimi Patres ex multis Papatum, vel ambientibus, vel occupantibus bona verba sæpe audimus, sed postea conatus eorum percepimus pollicitis obuiantes: non quod

istud de sanctissimo Domino nostro cogitet nostra filialis deuotio, sed quia inniti debemus, ne minima quidem macula Schismatis ab aduersarijs possit impingi. Cognoscitis quantum sit periculum in tractatu pacis Ecclesiasticæ Papam à Concilio generali discedere: quantum nefas ab eo diffidere. Propterea egregiam nationem velimus oratam in Domino, vt in Concilio Constantiensi persistat, Domino nostro ad Concilium generale redire persuadeat, vota & iuramenta Domini nostri amplectentes, pacem Ecclesiasticam, nulla subterfugiendo discrimina prosequatur. Eandem nationem vestram præstantissimam summa tueatur æternitas. Scriptum in Congregatione nostrâ generali, apud S. Bernardum super hoc specialiter celebratâ, secundâ die mensis Aprilis.

Beneuoli vestri Rector & Vniuersitas studij Parisiensis.

Decretum Concilij Constantiensis in sessione XXXI. super duobus Episcopis Baionensi Ecclesiæ eodem tempore datis à Ioanne XXIII. & Benedicto XIII. Antipontifice.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus &c. attendens ad reformationem & redintegrationem vniuersalis & omnium Ecclesiarum etiam Cathedralium, quæ Schismate præsenti durante habebant, vel habent Episcopos diuersarum prouinciarum & obedientiarum, per quos ipsæ Cathedrales Ecclesiæ mõstruosæ in capite & in membris videbantur, & videntur gubernari, statuit & ordinat, quòd Ecclesia Baionensis, quæ etiam duos simul per plures annos habuit Episcopos, & inter alios bonæ memoriæ Petrum, qui fuit de obedientia Balthasaris, tunc Ioannis Papæ XXIII. in sua obedientia nuncupati, nouiter defunctum, & superstitem venerabilem fratrem Guillelmum hic præsentem, qui fuit creatus per Petrum de Luna, Benedictum XIII. in eius obedientia nuncupatum, deinceps per Guillelmum Episcopum regatur, ac verus Episcopus ipsius Ecclesiæ, nec non Episcopatûs Baionensis vnicus censeatur, & illi clerus & populus ciuitatis & Diœcesis Baionensis in omnibus consuetis, licitis & honestis, vt eorum Episcopo vero & Pastori obediant, & ipse eos vice versâ benignè pertractet, prout ad eius Pontificale officium pertinet de consuetudine, vel de iure. Inhibentesq; nihilominus venerabili Capitulo ipsius Ecclesiæ, ne ad electionem alicuius loco ipsius defuncti Episcopi vllatenus procedant, sed in illa supersedeant, prout etiam iuxta quædam Capitula dudum per Oratores nostros ex vna, & quosdam alios tunc de prædicta obedientia præfati Petri existentis in Regno Arragoniæ fuit definitum & conclusum, quæ quidem Capitula per Nos solemniter approbata fuerunt. Quodque etiam Venerabilis frater Archiepiscopus Auxitanus, cui prædicta Ecclesia Metropolitano iure subest, ad alicuius confirmationem electionis forsitan factæ, vel fiendæ, ad prouisionem alicuius in Episcopum Ecclesiæ prædictæ non procedat. Et quia etiam prædictus Petrus, & Clemens VII. etiam in eadem obedientia nominatus, eius prædecessor, quatuor alijs de quatuor Canonicatibus & præbendis eiusdem Ecclesiæ, licet in dicta Ecclesia pro parte obedientiæ dicti Balthasaris numerus Canonicorum ab antiquo institutus completus fuisset prout

Confirmatur Guillelmus Episcopus.

de præſenti, prouidit, quibus quidem Domino Guillelmo Epiſcopo & Canonicis quatuor aſſignauit, quod bona immobilia, necnon iura, fructus, redditus, prouentus, & emolumenta ad capitularem menſam dictæ Eccleſiæ pertinentia in Caſtellæ & Nauarræ Regnis exiſtentia,& illa etiam ad ius & proprietatem ipſius menſæ reducimus, ita quòd ipſi quatuor Canonici deinceps poſſint apud eandem Eccleſiam perſonaliter reſidere, ac horis conſuetis & diuinis Officiis intereſſe, ac ſtallum in choro & locum habere, in capitulo cum ipſis aliis Canonicis dictis reſidere, ac in omnibus fructibus, redditibus, &c. prædictæ menſæ, vt veri Canonici ipſius Eccleſiæ participare, dicto Canonicorum numero non obſtante, quòdque nullus in locum alicuius decedentis, & aliter canonicatus & præbendas ſuas ipſius Eccleſiæ quomodolibet, præterquam per ſpontaneum ceſſum dimittentium ipſius Eccleſiæ Canonici Apoſtolicâ, vel ordinariâ authoritate admittantur, quouſque ad dictum numerum ſit deuentum: ac decreuit dicta ſancta Synodus irritum & inane, ſi ſecus ſuper his actum fuerit, aut fieret in futurum.

Ad res Petri de Luna conſiderandas attentiùs deſcendamus. Egregius Gallicarum copiarum Dux Buſicault Venayſino Comitatu potitus, VI. Idus Septembris die feſto Natalis Deiparæ Petrum Lunam obſidione cinxit Auenione, populo ad arma concitato, ſed Arragoniis Petrum defendentibus, & Schiſmaticis, à quibus duæ turres fuêre in ſuam defenſionem ædificatæ in Palatio Auenionenſi pro ſymbolo habentes: *Qui qu'en parle, Qui qu'en grogne*; quarum turrium vna hoc lemmate, *Qui qu'en parle* donabatur; altera *Qui qu'en grogne* dicebatur. *Armis impetitur Benedictus.*

Ioannes Gerſon Doctor celeberrimus Collegij Nauarræi,nomine ſcholæ Pariſienſis Legatus, Eccleſiæ Pariſienſis & eiuſdem Academiæ Cancellarius, die nonâ Nouembris Maſſiliæ anno M.CCCC.III. propoſito pro concione hoc themate: *Benedicte benedic hæreditati tuæ*, præſentem hominem duræ ceruicis fruſtra compulit; nam erat è numero Schiſmaticorum, quos natiuis depingit coloribus ſanctus Cyprianus Præſul Carthaginenſis, Valeriano & Galieno Martyr. An eſſe, inquit, ſibi cum Chriſto videtur, qui aduerſus Sacerdotes Chriſti facit, qui ſe à Cleri eius, vel plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat, hoſtis altaris, aduerſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro Fide perfidus, pro Religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, impius filius, frater inimicus. Contemptis Epiſcopis, & Dei ſacerdotibus derelictis, conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere. Nec ad Caim munera reſpexit Deus, neque enim pacatum Deum habere poterat, qui cum fratre pacem per zeli diſcordiam non habebat. Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? Quæ ſacrificia ſe celebrare credunt æmuli ſacerdotum? An ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis Chriſti fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt. Ad Regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit.

Sermo coram Petro de Luna inter opera Gerſonis.

Cyprian. l. de ſimplic. Prælator. ſeu vnitate Eccleſ.

Literæ Franc. Soroconei Archiep. Narbon.

Post aliquot annos cogitur ille Benedictus, aut potius maledictus Galliam deserere; super cuius recessu scripsit Franciscus Soroconeus Dioecesis Gebennensis, Archipræsul Narbonensis, antea Tolosanus ad aliquos Patres Concilij Constantiensis.

DE FVGA PETRI DE LVNA AB VRBE PERPINIANO IN HISPANIAM AD PANISCHOLÆ OPPIDI IN REGNO Valentiæ munitissimi partes.

Hi sunt Ioan. de Embron. Petrus de Alliaco. Guillel. Philaster.

REVERENDISSIMIS *in Christo Patribus, & Dominis meis præcipuis Dominis Dei gratiâ Ioanni Ostiensi Vice-cancellario, Petro Cameracensi, Guillelmo sancti Marci, Antonio de Challant, & Amedeo Salutiarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.* Reuerendissimi Patres & Domini præcipui præmissâ recommendatione, nouissimè per vnum seruitorem Domini Archiepiscopi Tolosani scripsi Paternitatibus vestris Reuerendissimis recessum Domini Petri de Luna, de Perpiniano apud Locum liberum, vbi continuè remanserant quatuor galeæ suæ, post cuius recessum venerũt die immediatè sequenti, quæ fuit decima quinta, huius Dominus Rex Arragonum ad eum misit viros solemnes ad requirendum eundem, & protestandum vt in cedula hic inclusa, provt & fecerunt antequam galeas ascenderent, quibus per ipsum de Luna auditis in effectu eisdem respondit, vt sequitur. Domini Vos benè veneritis, audiui quæ vos dixistis. Ego vado ad sanctum Matthæum, ad quem locum Curiam meam transtuli, ibi deliberabo cum meis fratribus Dominis Cardinalibus, & aliis, & deinde respondebo Domino Regi, qui vos misit, & sic ab eo recesserunt. Eâdem autem die circa Solis occasum intrauit galeam, & in portu mansit totâ illâ nocte, Sabbathi autem manè velis tensis nauigauit, & dicitur quòd vadit Paniscolam, cum eo vadunt quatuor sui Cardinales. Quintus autem scilicet Dominus P. Ranati vocatus Tolosanus in Perpiniano remansit senio & infirmitatibus confractus, cum tamen secuturus quamprimum equitare poterit. Multi Prælati & alij in Perpiniano tunc existentes secuti sunt, aliqui per mare cum eo, alij verò per terram. Et quia Dominus Rex Arragonum dixit, quòd volebat procedere ad substractionem obedientiæ eidem Petro de Luna fiendam, Domini Ambasiatores sacri Concilij redierunt apud Perpinianum ad prosequendum dictam materiam: Instat etiam præfatus Rex Arragonum, quòd Dominus Imperator illuc redeat, qui hoc facere deliberauit, dummodo per ipsum Regem assecuretur, quod infra certum terminum non longum substractionem faciet, & postea parti nostræ adhærebit. Nec alia occurrunt mihi nota. Paternitates Vestras Reuerendas conseruet Altissimus. Scriptum Narbonæ vigesimo primo Nouembris, anno M.CCCC. XV.

Legẽdum Petr. Ranarius Tolosan.

Vester frater Archiepiscopus Narbonensis & S.R.E. Camerarius.

Greg. 12. sufficitur Alexander 5.

In Synodo aut Congregatione Pisanâ è Sede Pontificiâ deturbatus fuerat anno M. CCCC. IX. Gregorius XII. Venetus Angelus Corrarius, & in eius locum suffectus Alexander V. è Cretâ in Græciâ oriundus Petrus

Philargius

Philargius Minorita, qui puer oſtiatim victum aliquando mendicauit vnius anni Pontifex. Porro certâ cautione fuerat electus Gregorius Summus Pontifex Romæ in Vaticano M.CCCC.VI. tempore Synodi Piſanæ in Foro Iulij contra Piſanos illo anno M.CCCC.IX. Concilium congregarat; tandem Conſtantiæ Patribus ſpontaneam offert Summi Pontificatûs eiurationem anno M.CCCC.XV. conſtituto ſuo Procuratore Carolo Malateſtâ ad Schiſma è medio tollendum; illic thronus eſt erectus, & Sedes Pontificia, in quâ ſedens Carolus Procurator ſolemni ritu deponitur, & Gregorius XII. eſt creatus à Synodo Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus. Hactenus de Clemente, Petro de Luna, & aliis: nunc ad Cardinales Clementis conuertamus orationem. Greg. eiurat Conſtantiæ Pontificatum.



IACOBVS DE VIS CARDINALIS SANCTÆ PRISCÆ CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

Anno Christi M.CCC.LXXVIII.

PRIMVS occurrit Hidruntinus Archipræſul, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, Presbyter tituli ſanctæ Priſcæ in primâ promotione anno M.CCC.LXXVIII. Legatus Neapolim à Clemente VII. ad Reginam Ioannam miſſus eſt, dum Regnum armis Carolus III. de Dyrrachio peteret, & ab illâ Regnique Proceribus ſummo honore exceptus. Verùm paulò poſt incarceratur à Carolo III. Rege cum Leonardo Geofonenſi Cardinale antea Ordinis Minorum Generali electo Toloſæ anno M.CCC.LXXIII. in arce Noua, & vt nunc appellant Caſtello Nouo extructo à fratre Diui Ludouici IX. Francorum Regis *Carolo Primo*, vt vrbi & portui aduerſus maritimos hoſtium inſultus eſſet præſidio; Alphonſus I. Gallis expulſis ampliauit Neapoli, quo tempore Ioannam in deditionem accepit: vnde pridiè Calend. Septemb. M.CCC.LXXXII. Neapoli in Eccleſiâ ſanctæ Claræ, præſentibus Rege Carolo, & Gentili de Sangro Cardinale Legato Vrbani VI. & omni nobilitate Vrbanum Papam legitimum vterque profeſſi fuêrunt, eiurato Clemente VII. combuſtis igne inſignibus Cardinalitiis, & inde ab eodem Legato Beneuentum, deinde in Aprutium, tum Auerſam cum aliquot aliis Prælatis captis adducti ſunt, tandem dimiſſi ab eodem Legato, Auenionem reuerſi in ſuum Collegium, & Cardinalitiam dignitatem fuêre reſtituti. Incarceratur Neapoli. Arx noua.

Notatu eſt dignum Franciſcanos poſt creationem Leonardi Generalis in Cardinalem duos alios inſtituiſſe Generales, vnum qui obediret Vrbano Pontifici, alterum qui ſequeretur partes Clementis VII. Duo Generales Ordinis Minorum ſimul creati.

Obiit Auenione in Clementis VII. obedientiâ anno M.CCC.LXXXVII. Scutū cæruleū Leone aureo inſiliēte coronâ, faculis & linguâ miniatis expreſſum.



Anno Christ M.ccc. lxxviii.

PETRVS DE SORCENATS CARDINALIS S. MARIÆ TRANS-TYBERIM CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

Onuphr. in epit. Cardd.

CLAVDIVS Robertus Petrum Soracenicum de Sorcenats Cardinalem anno M. CCC. LXXVIII. ex Onuphrio appellat in Archipræsulibus Ebredunensibus. Sorinicium villa in agro Tolosano sic appellata à fluuiolo, qui eam abluit, vti docemur ex antiquo lapide in fundamentis reperto Cœnobij Soricinij à Sectariis destructi, Ordinis Benedictini, Diœcesis Lauaurensis.

Soricini laudes cantemus Musæ callentes, omnibus anteit eius ager, nisi flatu venti rigidi Australis lædantur fructus amœni: ibi magnus Abbas præsidet Religiosis: Cemeni montes vallant eius mœnia, fruges ibi, formosæ Nimphæ niue candidiores: nomen dat vrbi Soror amnis agros irrigans: ibi plantatur alba vitis, nigrâ relictâ, vrbs antiqua gaudet Rege Pipino fundata, manet in æuum vrbs lanifica fœlix.

Archipræsul Ebredunensis creatus est, in quâ Sede prædecessorem habuit Bertrandum de Deücio Cardinalem. Ex Archipræsule Ebredunensi in Presbyterorum Cardinalium numerum relatus est, tituli sanctæ Mariæ trans-Tyberim tituli Calixti; tandem Sabinus Episcopus creatus est.

Auenione viuendi finem fecit in Clementis VII. obedientiâ XVII. Cal. Sept. anno M. CCC. XC. & ibidem sepultus.



Anno Christi M.CCC. LXXVIII.

NICOLAVS DE S. SATVRNINO DOMINICANVS CARDINALIS S. SIXTI CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

DE sancto Saturnino Claromontanus ex Aruerniâ Regni Francici Prouinciâ Ordini Prædicatorum, vel (vt vulgo vocant) Iacobitarum no-

men dedit, & in illo Religionem professus est. Itaque Prouincialis Franciæ munere functus, in Generalem Prædicatorum Ordinis Magistrum selectus est.

Hic porrò Theologus eximius, sacri etiam Palatij Lector habitus. Inde Presbyter Cardinalis tituli sancti Xysti renunciatus, primâ Patrum creatione, cui malè Ciaconius gentilitium Petri de Fitigniaco Pseudocardinalis insigne attribuit.

Migrauit Auenione, x. Cal. Februar. anno M. CCC. LXXXII. in Clementis obedientiâ, & eius cadauer ibidem apud Prædicatores terræ mandatû fuit.



PETRVS DE BARERIA CARDINALIS SS. MARCELLINI ET PETRI CLEMENTE VII. GEBENNENSI. Anno Christi M. CCC. LXXVIII.

PETRVS de Bareria in Aquitaniâ nobilissimâ Galliæ Prouinciâ natus dicitur, Diœcesis Ruthenensis.

Eduensis Præsul LXXI. designatus anno M. CCC. LXXVII. post Godefridum Dauidis aliàs *Pautey* successorem Reginaldi Malbernardi, hoc Præsule Ioannes de Nouo-castro Canonicus, postea ab eodem Clemente VII. Cardinalis creatus: additio ad Ciaconium malè Petrum nostrum successorem Reginaldi asseruit, cum reuerâ Godefrido successor fuerit datus, nisi mediatus successor intelligatur, nec etiam benè à Roserio in stemmate Lotharingiæ Virdunensis Episcopus appellatur; in Eduensi Episcopatu successorem habuit Petrus Guillelmum de Vienne, qui interfuit Concilio Cõstantiensi, & tralationi Diui Ludouici Regis anno M. CCC. XCII. Ex ea gente duo fuêre Frãciæ Thalasiarchæ Ioannes à Viennâ Dominus de Coucy occisus anno M. CCC. XCVI. iuxta Nicopolim ab Amurathe Lamorabaquino filio Hugonis Lusignani & Mariæ Borboniæ; alter Thalasiarcha Petrus de Vienne filius Ioannis; scutum Viennæum muricatum Aquilâ aureâ expressum. Roser. li. stemmatũ Lothar. Stirps de Vienne.

Primâ autem Patrum creatione anno M. CCC. LXXVIII. à Clemente VII. Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Marcellini & Petri designatus est.

Bareriæ gentis scutum rubeum argenteo Leone exaratum.

Excessit è viuis Auenione in obedientia Clementis Idibus Iunij, anno M. CCC. LXXXIII. & ibidem in Ecclesiâ Cathedrali sepultus.



Anno Christ M.ccc. lxxxii

THOMAS DE CLAVSSE CARDINALIS S. SABINÆ Clemente vii. Gebennensi.

THOMAS de Clausse Monachismum professus & Abbas electus. Cardinalis Presbyter tituli sanctæ Sabinæ à Clemente VII. vnicus tertiâ patrum promotione creatus.

Eiusdem nominis Ioannes Clausse in Concilio Tridentino, & nominatur anno M.D.LXVII. Episcopus Sanicienfis vulgò *Senes* in Prouinciâ. Nicolaus Clausse de Marchaumont præfuit Ecclesiæ Catalaunensi ad Matronam anno I. & V. mensibus, sepultus in Cathedralis Ecclesiæ medio choro M.D.LXXIII. duodecimo die Septembris. Cosmas Clausse Nicolai frater in Concilio Rhemensi anno M.D.LXXXIII. & sacro Ludouici XIII. M.DC.X. Obiit M.DC.XXIV. duodecimo Calendas Apriles, ætatis septuagesimo sexto, Episcopatûs quadragesimo nono in templi parte imâ sepultus. Henricus Clausse Cosmæ nepos, ex Coadiutore & Episcopo Aurensi.

Auenione vitam cum morte commutauit Thomas decimo quinto Calendas Iulij anno M.CCC.XC.



Anno Christi M.ccc. lxxxiii.

PETRVS DV CROS ARCHIEPISCOPVS ARELATENSIS CARDINALIS Clemente vii. Gebennensi.

Saxius in Pontif. Arelat.

PROH! qualem, quantumque virum patriâ Monfortensem in Lemouicensi Diœcesi. Vecti enim Vrbanus V. & Cardinales Romam anno M.CCC.LXVII. iterum ardente inter Anglos & Francos bello, Franciam repetendam censuit Vrbanus, vt pacem inter eos Reges faceret, quâ in cogitatione defixus obiit Auenione M.CCC.LXX. Vrbano Gregorius XI. successit, qui exemplo decessoris se Romam contulit, vt ibi deinceps Episcopus

ageret, Sedemque Pontificiam ex Galliis in Italiam transferret, occubuitque anno M. CCC. LXXVIII. eius successor nominatus est Bartholomæus Barrensium Archiepiscopus (cui Vrbani VI. nomen datum) Romanis ciuibus iure & iniuriâ Cardinales ad Pontificis electionem adigentibus. Hic infeliciter adeò Pontificatum orsus est, vt authore Petro Arelatensi Præsule, damnatis prioribus Comitiis, alium Cardinales Pontificem designarint, nomine Clementis VII.; vnde inter Gallos, & Italos tantis deinde certatum odiis, conflatum est Schisma, vt nulla ætas tam durum, tamque atrox tulerit.

Petrus author electionis Clementis 7.

Camerarius Vrbani Petrus de Crosso primus ab eo secessit. Ante omnia igitur (ait Ciaconius) Cardinalium Concilio Archiepiscopus Arelatensis Camerarius Papæ, in cuius potestate erant omnia sacra Pontificum ornamenta vt thiaræ, cruces, vestes, & nullâ abeundi veniâ à Pontifice petita, Anagniam omnia secum afferens accessit. Anno Christi M. CCC. LXXVIII. proximè die Dominico Calendis Nouembribus ante fores Ecclesiæ maioris Fundanæ coronatus Clemens VII. in Franciam venit, & Cardinalitiam purpuram Petro concessit (si tamen eam prius non dederit Fundis in Campaniâ, quàm venisset in Galliam) vt auctor est Ciaconius tituli SS. Nerei & Achillei vigesimâ tertiâ Decembris anno M. CCC. LXXXIII.

Vrbanus Ioannam priuat regno.

Vrbanus, quòd Ioanna Clementis & Cardinalium consilia confirmasset, illam oderat, in eiusque perniciem incumbens Hungaros in Italiam euocat, Ioannam Regno priuat, eiusque Regnum tumultibus, bellis & cladibus implet. Ioanna quarto iam connubio nobilis, Iacobo enim Rege decedente, & Arragonij reiectis nuptiis, Othonem Brunsuicensem duxerat, Hungarumque impetum fugiens in Comitatum Prouinciæ mari se contulit, & Clemente authore, cuius multum intererat ne Ioanna euerteretur, Ludouicum Andium Ducem, & Ioannis Francorum Regis filium in spem Regni adoptat: conscribitur igitur exercitus, & Sacerdotum decimæ Ludouico conceduntur in belli sumptus. Interea variis casibus Ioanna Regnum repetit, renouatisque adoptionis litteris, premitur à Carolo Durazzio, & Vrbano. Harum literarum meminit Zurita his verbis. Neapoli (inquit) in Oui arce Ioanna Regina Ludouicum Andegauensem Ducem filium sibi adoptat, ditionumque cis fretum Siciliense futurum Regem instituit, Prouinciæ, Forcalquerij & Pedemontis ditionum hæredem scribit. Calabriæ Ducatum vti legitimo successori attribuit. Ludouicus tanto dono Reginæ addictus, & fœdere obstrictus Sacramento adactus, obtestatur se pro Regno & Reginæ incolumitate & Othone Brunsuicensi Duce Principe Tarentino, aduersus Franciscum Andriæ Ducem acerrimum Reginæ hostem, tanquam pro communi salute arma capturum, & Reginæ iniurias vlturum, persecuturumque. Clemens Auenione XI. Calendas Augusti iussa ea rata atque firma futura sancit: ignorasse videtur Zurita Ioannam in Prouinciam venisse, quicquid sit Hungaro in Regnum intranti, vt victori deditionem fecere vrbes præcipuæ, & Neapolim receptus, Ioannam in arcem Nouam inclusam obsedit. Otho Vrbem obsessoremque vxoris obsidet, eruptionemque Carolo faciente, fortiter pugnans Otho equo saucio captus est, & Ioanna deploratis rebus deditionem fecit, in quam Ludouicus Hungarus

Otho Brunsuicensis quartus maritus Ioannæ.

Zurita de rebus Arragon.

feueriorem fententiam dixit: fed (ait Zurita) eo ipfo tempore fcilicet anno M. CCC. LXXXII. Ioanna in Caroli Dyrrachini Ducis, qui Neapolitanum Regnum inuaferat, poteftatem venit, & Ludouici Pannoniæ Regis iuffu ftrangulatur, à Carolo id iuffum tradit Vignerius; Carolus (inquit) de Duracchio Siciliæ Rex à Papa Vrbano creatus, Ioannam Apuliæ Reginam ftrangulari curauit.

Ioanna Regina ftrangulatur.

Sacellum S. Martialis Arelate.

Porro Petrus Archiepifcopus in patriæ gratiam facellum Arelate pofuit Lemouicenfium Apoftolo Martiali, dotauitque, vt fingulis in eo diebus facro-fanctum Miffæ facrificium celebraretur, æternæ quietis exorandæ causâ Clementi VI. fuifque parentibus: præterea Auenione celeberrimi Collegij & Xenodochij (nomine Diui Martialis) fundamenta iecit, muneribus auxit, & reditibus locupletauit, piufque in fanctos Diui Trophimi cineres argenteâ imagine inclufit affabre elaboratâ, & hoc infcriptâ elogio. *Hoc opus B. Trophimi Chrifti difcipuli factum eft, regnante Dominâ Ioannâ Reginâ Siciliæ, & Prouinciæ Comitiffâ, & Domino Petro de Croffo Archiepifcopo, & Principe Arelatenfi anno Domini* M. CCC. LXXXI. Nec vnquam fancti Martialis fui oblitus Subcanonicos Canonicis adlegit, Diui Martialis titulo infignitos, & ad certum numerum reduxit, in illorum fauorem condito teftamento, nec Arelate, quamuis maufolæum paraffet, fepultus eft; fed Auenione in fuo Diui Martialis templo. Sancti Papuli fub Archipræfule Tolofate Epifcopus, mortuo anno M. CCC. LXXV. Bernardo à Caftro-nouo Præfule è gente Vrbani V.

Celebrauit Biturigibus Mariæ de Berry, & Ludouici de Chaftillon fponfalia anno M. CCC. LXXXV. epigraphe fepulchralis illum indicat fuiffe Bituricenfem Archiepifcopum, fed quo anno præcisè Arelate federit incompertum eft; vixiffe tamen ad annum M. CCC. LXXXIII. ex fcriptis Ecclefiæ Arelatenfis conftat, & ex Ciaconio M. CCC. LXXXVIII.

Hic iacet bonæ memoriæ Reuerendiffimus in Chrifto Pater Dominus Petrus de Croffo oriundus de Calimaforti Lemouicenfis Diœcefis, Decretorum Doctor, qui primò fuit Monachus fancti Martialis Lemouicenfis Ordinis fancti Benedicti, & inde præpofitus de Roffaco dictorum Ordinis & Diœcefis, poftmodum Cellelarius Ecclefiæ Tutelenfis, & poft Prior de Volta Ordinis Cluniacenfis fancti Flori Diœcefis, & deinde Abbas Monafterij Trenorchienfis Cabilon. Dioc. & poft Epifcopus S. Pauli, poftmodum Archiepifcopus Bituricenfis, & exiftente Archiepifcopo fuit factus Camerarius Domini noftri Papæ per fanctæ memoriæ Dominum Gregorium Papam XI. & deinde Archiepifcopus Arelatenfis, & de Ecclefia Arelatenfi & Camerariatu prædictis fuit affumptus in tituli fanctorum Nerei & Achillei Presbyterum Cardinalem, qui fanitate fungens hic fuam elegit fepulturam: Orate Deum pro eo.



FAIDITVS D'ARG-FVEILLE CARDINALIS SS. SYLVESTRI ET MARTINI IN MONTIBVS CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

Anno Christi M.CCC.LXXXV.

LEMOVICENSIS etiam Faiditus de Agrifolio. Eiusdem familiæ Bernardus Episcopus Viuariensis, & duo Cardinales Guillelmi, quorum memoriam superius egimus. Episcopus Auenionensis successorem habuit secundum aliquos Angelicum Vrbani V. fratrem, Monachum sancti Ruffi. Lib.3.

Presbyter Cardinalis sanctorum Syluestri & Martini in Montibus tituli Equitij à Clemente VII. creatus est, quartâ Patrum promotione anno M. CCC. LXXXV. Calend. Ianuarij. Expunges autem mendum librarij negligentiâ in Ciaconio admissum & impressum, quo quarta illa creatio in annum M. CCC. LXXXIX. reijcitur, cum constet illam hunc annum præcessisse annis aliquot; nempe Petrus de Crosso mortuus anno M. CCC. LXXXVIII. dicitur, & Haymericus de Manaco anno M. CCC. LXXXV.

Excessit è vitâ Auenione Faiditus sexto Nonas Octobres, anno M. CCC. XCI. sepultus in Ecclesiâ Cathedrali.



IOANNES CARDINALIS DE NEVF-CHASTEL CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

Anno Christi M. CCC. LXXXV.

NOVVM castrum ad lacum sui nominis in Sequanis, quod *Neubourg* vulgò appellatur, ex militum Thebæorum stirpe; Burgundus itaque Ioannes de Nouo-castro Theobaldi ex Ioannâ Chaloniâ filius, Clementis VII. consobrinus, quem Dominicanum Theologum, Lectoremq; sacri Palatij facit Ciaconius, pessimè Hispanũ nonnulli fecêre. Ex eâ familiâ Carolus de Neuf-Chastel ex Episcopo Baiocensi Archipræsul Bisuntinus LXXXI.

Antonius de Neuf-chaſtel Antiſtes Tullenſis, filius Theobaldi Burgundiæ Polemarchi ex Anna *de Chaſteau-vilain*, ſepultus Lutetiæ in Prioratu ſanctæ Crucis *de la Bretonerie*.

Ex Canonico Eduenſi Præſul Niuernenſis LXXXIII. anno M. CCC. LVIII. & poſtcà Tullenſis LXIII.

Cardinalitiis ornatus infulis tituli Sanctorum quatuor Coronatorum à Clemente VII. quartâ creatione Pſeudocardinalium anno M. CCC. LXXXV. poſtea Oſtienſis, & Veliternus Epiſcopus.

Vitâ functus narratur Auenione, quarto Nonas Octobris, anno M. CCC. XCVIII. tumulatus autem in Eccleſiâ Monaſterij Carthuſiani Villæ-nouæ propè Auenionem, in quâ legitur hoc eiuſdem epitaphium.

Hic iacet Reuerendiſſimus in Chriſto Pater bonæ memoriæ Dominus Ioannes miſeratione diuinâ Epiſcopus Oſtienſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Nouo-Caſtro nuncupatus, qui obijt Auenione anno Domini M. CCC. XCVIII. *quartâ Octobris.*

Huic Deitas parce, quæ ſummâ viuis in arce.
Colluſtrans cœlos, ſis ſibi dulce melos,
Et ſecuramen, ſonet omnis ſpiritus, Amen.

Scutum Dominorum de Neuf-Chaſtel muricatum faſciâ argenteâ exaratum.



Anno Christi M. CCC. LXXXV.

IACOBVS DE MONTENAY CARDINALIS SS. MARCELLINI ET PETRI CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

ARCHIDIACONVS maior Eccleſiæ Rhemenſis; magna fuit olim auctoritas & Iuriſdictio penes eos, qui Archidiaconatûs maioris dignitate ornabantur, ſed lapſu temporis Archipræſules Rhemenſes imminutam reddidêre. Antipapæ Clementis Cubicularius.

Presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Marcellini & Petri, vbi olim Quietis ædes; Alij tribuunt Iacobo titulum ſancti Clementis in Cœlio monte à Regularibus Diui Ambroſij Mediolanenſis habitatum, & ibi illius venerandum corpus colitur ex Cherſoneſo Ponti Romam tranſlatum; illic requieſcit Vincentius Laureus Cardinalis ampliſſimus.

Obiit Auenione, Calendis Maij, anno M. CCC. XCI.



PETRVS AISCELIN DE MONT-AIGV EPISCOPVS LAVDVNENSIS PRESBYTER CARDINALIS S. MARCI CLEMENTE VII. GEBENNENSI. ANNO CHRISTI M.CCC. LXXXV.

FRATER fuit Ægidij Aiscelin Episcopi Morinensis, Ioannis Galliæ Regis Cancellarij, inuictæ fidei viri. Ex veteri Martyrologio Narbonensis Ecclesiæ, alterum Ægidium Aiscelinum notauimus.

Nono Calendas Iunij, anno Domini M.CCC.XVIII. *in vigiliâ S. Ioannis Baptistæ, obitus Ægidij Aiscelini, quondam Archiepiscopi Narbonensis, qui in Ecclesiâ Narbonensi instituit missam B. Mariæ, & duas prabendas Sacerdotales, & fundauit duas capellas in Ecclesia noua Narbonensi, & instituit quatuor anniuersaria, & in eorum quolibet debet dare communitas cæteris Clericis istius Ecclesiæ duos denarios Turonenses. Item instituit in Ecclesiâ sancti Pauli Narbonæ vnam capellaniam, & duo anniuersaria. Item in Ecclesia Collegiata de Capitestagno instituit perpetuam missam B. Mariæ conuentualem, sicut in Ecclesiâ Narbonensi, & duo anniuersaria, quibus prædictis omnibus institutis, fuit per Papam Clementem V. translatus in Archiepiscopum Rothomagensem.*

Noster Petrus Monachus Benedictinus, & S. Martini de Campis Parisiis Prior, vt narrat Belforestius. Laudunensis Episcopus LXII. creatus anno M. CCC. LXX. post Robertum le Coq, qui proditionis accusatus, quòd staret à partibus Angliæ & Nauarræ Regum, in Arragoniam fugit, vbi Calaguritano Episcopatu donatus fuit: illo porrò tempore Collegium de Monte-acuto sui nominis Parisiis instaurauit. Belfor. li. 1. Cosmogr. Collegiũ de Montaigu.

Presbyter Cardinalis tituli sancti Marci, quartâ illâ creatione à Clemente VII. creatus est. Inde anno M. CCC. LXXXVI. Episcopatu se abdicat, eique successit Ioannes de Roussiaco Simonis Comitis ex Mariâ de Coucy filius.

Rhemis moritur cum suspicione veneni. Cadauer autem terræ mandatum fuit in sancti Martini Parisiis, vbi Prior fuerat.

Hic iacet in tumulo Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Petrus de Monte-acuto S. R. E. Presbyter Cardinalis Laudunensis nuncupatus, huius Ecclesiæ Administrator, Consiliariusque

Domini nostri Francorum Regis excellens & magnificus, qui Rhemis in seruitio dicti Domini nostri Regis diem suum clausit extremum sub anno Incarnationis Domini M. CCC. LXXXVIII. *mensis Nouembris die octauâ, pro cuius animæ salute velitis Deum orare.*

Rectè autem ibidem dicitur extremum diem clausisse ad annum Incarnati Verbi M. CCC. LXXXVIII. quâ die notatur etiam in Necrologio Parisiensi eiusdem obitus, licet Onuphrius & Ciaconius ad quartum Idus Augusti, & annum M. CCC. LXXXIX. eum reijciant.



HAYMERICVS DE MAGNAC EPISCOPVS PARISIENSIS CARDINALIS SANCTI EVSEBII CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

Anno Christi M. CCC. LXXXV.

MAGNACVS Lemouicensis ex Decano creatus est Episcopus Parisiensis xc. Vnde nominatur tum in dedicatione Capellæ Collegij Nauarrici anno M. CCC. LXXIII. die Dominicâ XVI. Octob. tum etiam in translatione brachij S. Opportunæ, quæ contigit anno M. CCC. LXXIV. Præterea rescripsit ad eum Gregorius XI. Auenione III. Calend. Sept. anno M. CCC. LXXVII. pro Collegio Magistri Geruasij Christiani. Inde confirmat statuta Collegij Cameracensis Parisiis XXVII. Iulij, anno M. CCC. LXXX.

Dedicatio Capellæ Collegij Nauarræi.

In Cardinalem Presbyterum tituli S. Eusebij assumitur à Clemente VII. quartâ Pseudocardinalium creatione, anno M. CCC. LXXXV. Diem extremum clausit Auenione anno M. CCC. LXXXV. die duodecimo Calendas Aprilis, & sepultus est in Ecclesia Parisiensi cum hoc epitaphio.

Hic iacet in Christo Pater Reuerendissimus Dominus Haymericus de Magnaco natione Lemouicensis in villâ sancti Iuniani ex nobilibus parentibus creatus, vtriusque Iuris professor: quondam Regum Ioannis & Caroli V. Consiliarius, & Magister Requestarum Hospitij, primò fuit Decanus Ecclesiæ Parisiensis nominatus, deinde ad Pontificalem assumptus est dignitatem: tandem factus fuit tituli S. Eusebij S. R. E. Presbyter Cardinalis. Obijt autem Auenione XX. die Martij, anno M. CCC. LXXXV. *cuius corpus integrum intra Parisios asportatum sub hac tumba requiescit, anima cuius requiescat in pace: Amen.*



PETRVS DE FITIGNIACO DIACONVS CARDINALIS CLEMENTE VII. GEBENNENSI. ANNO CHRISTI M. CCC. LXXXV.

I. V. Doctor, & Aduocatus Curiæ ſupremæ Pariſienſis, & Canonicus Lutetiæ in Eccleſiâ Cathedrali, & Protonotarius Apoſtolicus.

In Cardinalem Diaconum ſanctæ Mariæ in Aquiro electus, quartâ Pſeudocardinalium creatione, à Clemente VII.

In viuis eſſe deſiit Auenione, Nonis Nouembris, anno Domini M. CCC. XCII. apud Cæleſtinos cadauer eius terræ mandatum fuit; viſitur hoc eius epitaphium ibidem.

Hic requieſcit bonæ memoriæ Dominus Petrus de Fitigniaco genere nobilis, vtriuſque Iuris Doctor, qui Aduocatus Parlamenti, & Canonicus Pariſienſis exiſtens, & pugil Eccleſiæ, inde immeritus per Dominum Clementem Papam VII. aſſumptus fuit in B. Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, qui obijt anno Domini M.CCC.XCII. *die quartâ Nouembris, anima cuius requieſcat in pace.*



AMELINVS DE LAVTREC CARDINALIS TITVLI S. EVSEBII, CLEMENTE VII. GEBENNENSI. ANNO CHRISTI M. CCC. LXXXVI.

DVCIT Amelinus originem ex notiſſimâ Vicecomitum Lautrecenſium familiâ. Vetuſtiſſimus ille Vicecomitatus apud auctores, cùm Sicardum Vice-comitem Lautrecenſem conſtet præſentem adfuiſſe Synodo Albienſi in Hæreticos Albigenſes anno M. C. LXXXVI. habitæ, cui Synod. Albienſis. De Podio Laurent. cap. 3.

Regina Constantia cum Trinquauello Biterrensi Vice-comite, & Sicardo Lautrecensi (vt vocat Rogerius Houedenus) interfuit. Episcopus Conuenarum anno M. CCC. LXXXIII. ex Roberto in catalogo dictæ Sedis post Bertrandum de Chanaco: successit autem Amelino in eodem Episcopatu Petrus Comes de Fuxo Ordinis Minorum, Cardinalis M. CCCC. IV. postea Lescariensis.

Houed. post. part. Annal. Anglic.

Ex Referendario Clementis VII. Presbyter ab ipso Pseudocardinalis tituli sancti Eusebij procreatus est.

Extremum diem clausit Aueniorie VII. Idus Iunij anno M. CCC. XCIX.



Anno Christi M. CCC. LXXXVI.

IOANNES DE MINOLIIS CARDINALIS
Clemente VII. Gebennensi.

NARRANT ad Vice-comites d'Estain Ioannis de Minoliis ortum esse referendum.

Ex Episcopo Gebennensi Presbyter Cardinalis sancti Vitalis tituli Vestinæ creatus à Clemente VII. quintâ promotione.

Auenione animam exhalauit; cadauer Claro-montem delatum apud Aruernos, & in æde Franciscanorum humo conditum fuit.



Anno Christi M. CCC. LXXXVI.

IOANNES ROLLAND CARDINALIS
Clemente VII. Gebennensi.

EX Antistite Ambianensi creatus est Presbyter Cardinalis à Clemente VII. quintâ creatione, quarto Idus Iulij, anno M. CCC. LXXXVI. Quo etiam anno Ambiani celebrantur nuptiæ XVII. Iulij inter Carolum VI. & Isabellam Bauaricam.

Mortales artus deseruit in Benedicti XIII. obedientiâ Auenione, Sep-

tembris die XVII. anni M. CCC. LXXXVIII. in Cathedrali Ecclesiâ sepultus, vbi in epitaphio vocatur virtutis thalamus, & pauperum, quos hæredes reliquit largifluus adiutor: in quo tamen epitaphio Cardinalatûs instituitur mentio nulla.



BEATVS PETRVS DE LVXEMBVRGO CARDINALIS SANCTI GEORGII CLEMENTE VII. GEBENNENSI. Anno Christi M. CCC. LXXXVI.

QVis Petrum de Luxemburgo ex Collegio Clementis VII. Pseudopontificis Cardinalem in Beatorum numerum relatum non mirabitur? Itane verò ex Schismate illo omnium longissimo, & ex Pontificis Schismatici Collegio vir pietate & sanctitate spectatissimus prodire potuit? verum mirari desine prorsus, illudque paulò attentiùs meditare, potentem esse Deum etiam ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, & certo certius habe tibi persuasum etiam illo tempore, quo quasi procellis iactabatur vniuersus Orbis Christianus, ex deterioris partis hominibus aliquem existere potuisse, qui non vulgatæ sanctitatis radiis refulgeret, nempe Epiphanium ex antiquioribus Annalium Ecclesiasticorum monumentis Chrysostomo infensum Virum sanctissimum, Viro sanctissimo, & pœnè aduersarium accepimus; at ille singulari floruit laude sanctitatis. Mirabilis vtique Deus in Sanctis suis Deus Israël, qui dedit virtutem & fortitudinem Petro Luxemburgico Thaumaturgo, dedit sanctitatem, lucernamque illum posuit, vt omnibus, qui in domo Dei dissentiebant, refulgeret: vnde Clemens VII. Medicæus verus Pontifex diploma dedit Beatificationis anno M. D. XXVII. B. Petri Luxemburgi (in quo tamen non eum appellat Cardinalem, sed Reuerendum in Christo Patrem) die nono Aprilis, Francisco de Claromonte Cardinale Legato Auenionensi intercedente. Verum qui vir fuerit, imo qui adolescens, & cuius sanctitatis ex diuersis monimentis exponamus. Diploma beatificationis.

Natus legitur XX. Iulij, anno M. CCC. LXIX. Linæi in Diœcesi Tullensi. Ex nobilissima Guidonis Luxemburgi I. Comitis Linæi, & de Roussiaco prosapiâ, cuius mater Mathildis de Chastillon Comitissa sancti Pauli, Domina de Fiennes, quæ clarissimum in Artesiâ Comitatum Sampaulinum, aliosque quam-plurimos fundos in dotem attulit. Fratrem hic habuit natu maiorem Valeranum à Luxemburgo sancti Pauli, & Linæi Comitem summum in Franciâ militiæ Præfectum, vulgò stabuli Comitem. Andream à Luxemburgo Cameracensem Episcopum. Tantus porrò in Petrum Ma- Sammarthani FF. li. 30. hist. Geneal. Fran. cap. 7.

childis fuit amor, vt proprio lacte non aduentitio & emptitio (vt assolent fœminæ nobiles) infantem Petrum nutrierit. Vix excesserat quintum annum aut sextum, cum castitatis florem Deo promisit. Anno ætatis vndecimo, cum nihil præter annulum haberet, eum detractum vendi iussit, ne pauper stipem petens indignatus abiret.

Canonicus Parisien. In Canonicorum Parisiensium Collegium cooptatus est, & Archidiaconatus Driensis munere inde statim in Ecclesiâ Carnotensi egregiè functus, sed in his quasi minoribus longo tempore tam singularis & celebris virtus non subsistit, ad maiora semper & ardua tendit virtus, & quasi viuida abimis ad summa quæq; attollitur. Vnde Metensis Episcopatûs infulis paulò post Petrus decoratur. Solemni pompâ, sed mirabili Metensem ingreditur ciuitatem, Christum profectò diceres, aut Christi potius discipulum, qui Magistri humilitatem vt miratus sic imitatus, expeditus non in equo, sed in asinæ pullo, nudis pedibus, Luxemburgico fratre natu maiore comite, hanc vrbem petierit, in quâ non ità diu stetit, quin Diœcesanas cum Suffraganeo Ecclesias adierit, imminutam restituerit disciplinam, cultumq; diuinum, cui ille semper affixus fuit, adauxerit; ita mortificando corpori deditus vt flagris singulis diebus corpus cæderet, cilicium, quo induebatur, esset asperrimũ, humilitatis Magistrum Christum Dominũ profundâ animi demissione sequeretur: vnde iusserat, si extra fines Auenionenses decessisset, Parisios corpus deferri, & in cœnotaphio pauperum sanctorum Innocentium tumulari: si verò Auenione obitus obtigisset, in cœmeterio sancti Michaelis sub dio cum pauperum cadaueribus humo conderetur, in præsenti est Cœnobium Patrum Cœlestinorum.

Miracula 964. Spiritum Deo reddidit annum agens duodeuigesimum, die v. Iulij Auenione, anno M. CCC. LXXXVII. intra sui obitûs biennium nongenta & sexaginta quatuor miracula leguntur contigisse. Quot annis dies v. Iulij eius sanctissimæ memoriæ consecratur: nobile sacellum Auenione in eius honorē, est aliud Parisiis apud Cœlestinos. Philippus Burgundiæ Dux Basileensibus Patribus scripsit anno M. CCCC. XXXVI. vt eis placeret ipsum albo sanctorum inscribere.



ANNO CHRISTI M. CCC. LXXXIX.

IOANNES DE TALARV CARDINALIS ARCHIEPISCOPVS LVGDVNENSIS CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

NOBILISSIMA his etiam temporibus superstes existit familia vulgò de Talaru in Lugdunensi territorio nuncupata, ex qua prodierunt viri clarissimi Ioannes frater Matthæi de Talaru, qui iure vxoris

ſuæ Beatricis de Marcilly factus eſt Dominus de Chalmazel, & Amedeus centeſimus primus Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Hugo Archidiaconus Lugdunenſis, qui deſignatus & electus legitur M.CCCC. XCVIII. Archiepiſcopus,ſed non conſecratus. Ex Archiepiſcopo Lugdunenſi XCIX.Ioannes Presbyter Cardinalis creatur ad petitionem Chriſtianiſſimi Francorum Regis Caroli VI. cum ipſe Auenione degeret, anno M. CCC. LXXXIX. In Annalibus Victorinis vir vt doctus, ſic probus appellatur; anno M. CCC. LXXVI. die tertiâ Martij Lugduni Prouinciale Cõcilium habuerat, vt ſuæ Sedis atque Primatûs exordio ſuum in reformandis Eccleſiaſticorum animis Lugdunenſi populo zelum oſtenderet, ſuamque dignitatem & officium felicius auſpicaretur.

In viuis eſſe deſiit à Benedicti XIII. partibus ſtans, VIII. Calendas Octobris, anno M. CCC. XCII. & in ſacello ſancti Petri in Cathedrali Eccleſiâ Lugdunenſi ſepultus reperitur. In Archiuis Eccleſiæ Lugdunenſis, in magno Obituum libro habetur. Anniuerſarium R. D. Ioannis de Talaru Cardinalis & Archiepiſcopi ad opus eiuſdem Eccleſiæ, & Capellæ ſancti Petri ibi fundatæ, in quâ fuit ſepultus. Fundauit ibi qualibet die vnam miſſam ſuper bonis patrimonialibus Bellicaſtri, & de Vallibus, pariterque in feſto ſancti Annemundi; fundauit alium ſocium Sacriſtæ ſancti Stephani, ad iuuandum, miniſtrando luminaria & neceſſaria altari; hactenus ille liber.

Scutum de Talaru bipartitum, miniatum & cyaneum, tæniâ muricatâ expreſſum.



IOANNES FLANDRIN CARDINALIS SS. IOANNIS ET PAVLI CLEMENTE VII. GEBENNENSI.

ANNO CHRISTI M.CCC. XC.

ARCHIEPISCOPVS Auxitanus, Cardinalis Presbyter ſanctorum Ioannis & Pauli tituli Pammachij à Clemente VII. vndecimâ Pſeudocardinalium creatione, anno M. CCC. XC. Pontificatûs anno XII. menſe Octobri apud Bellocadium Arelatenſis Diœceſis, quâ creauit duos Cardinales Ioannem Flandrin, & Petrum Gerardi de Podio, qui Benedictum XIII. deſeruit. Sabinus Epiſcopus à Benedicto XIII. effectus, qui, licet à Collegio ſuo deſerto & damnato firmiter adhærens ante Concilij Conſtantienſis ſententiam, in eiuſdem obedientiâ, lucis vſurâ priuatus eſt.



Anno Christi M. CCC. XCI.

GVILLELMVS DE VERGY CARDINALIS S. CÆCILIÆ
Clemente VII. Gebennensi.

Sammarthani FF. li. 30. hist. Geneal. cap. 6.

Chron. Burgund. an. 914.

SENESCHALLI Burgundiæ Ioannis de Vergy Domini de Fouuenes, & de Champlit, & Ægidiæ de Vienne è filiâ Guillelmi de Vienne Domini à sancto Gregorio & à Sancta-Cruce, filius Guillelmus noster; antiquissima est familia, è quâ Manasses ille Comes Burgundiæ (cuius meminit Vignerius) fundator Monasterij Vergiacensis, cui à sancto Vincentio nomen. Ex ea gente prodiit Antonius de Vergy Comes de Dampmartin.

Bisuntinus Archipræsul Philippum Burgundiæ Ducem excommunicationis vinculis obstrinxit, eo quòd intra iura vetera ciuitatis Bisuntinæ monetam Axonæ cuderet, quâ de causâ Giaci commorantem obsedit Philippus, sed de suorum consilio, furori Philippi Ducis cedens, Auenionem, relicto Archiepiscopatu, se recepit. Clemens VII. Cardinalitiis Guillelmum ornauit infulis, vnicum, duodecimâ creatione Cardinalium, XVI. Calendas Maij Auenione, anno M. CCC. XCI. cui bonâ fide adhæsisse dicitur.

Excessit è vita anno M. CCCC. VII. eodemque anno in suâ Metropolitanâ in sacello Diui Nicolai sepultus dicitur.

Scutum de Vergy coccineum rosis tribus aureis, quinque foliis perforatis impressum, & limbo argenteo (quem non expressit pictor) fractum.



Anno Christi M. CCCC. IX.

IOANNES CARDINALIS D'ARMAGNAC
Benedicto XIII.

EIVSDEM nominis & cognominis Ioannes d'Armagnac Præsul Castrensis, frater Iacobi Comitis Castrensis, custos Conclauis in creatione Innocentij VIII. anno M. D. IX. filius Bernardi d'Armagnac Comitis

de Perdiac

de Perdiac Vice-comitis de Carlat, & de Murat, & Leonoræ Borboniæ filiæ Iacobi Borbonij Regis Siculi, & Comitis Marchiæ.

Archiepiſcopus Rothomagenſis à Ciaconio dicitur, ſed malè; nam in catalogis Archiepiſcoporum Rothomagenſium apud Robertum, & apud Ioannem Dadræum in chronologicâ Hiſtoriâ huiuſce Sedis Archiepiſcoporum nomen eius non reperitur; reperitur tamen in nomenclaturâ Antiſtitum Caſtrenſium, cui ſucceſſit Raymundus Mayroſius Cardinalis Martini V.

Presbyter Cardinalis à Benedicto XIII. quintâ promotione, anno M. CCCC. IX. Antipontificatûs decimo quinto, in quatuor temporibus Septembris, Peniſcholæ in Regno Valentiæ. Hanc autem quintam promotionem fecit Benedictus augendi Schiſmatis causâ, vbi accepit depoſitionem ſuam in Concilio Piſano, concluſam & ſtatutam: creauit autem Cardinales illo tempore tredecim, ex quibus Ioannes Cardinalis d'Armagnac, qui & Benedictum deſeruit nunquam.



PETRVS RAVARIVS CARDINALIS TOLOSANVS BENEDICTO XIII.

ANNO CHRISTI M. CCCC. XVII.

SITA eſt vrbs & ciuitas Pontij-Thomeriarum (à ſcindendis marmoribus, quorum ibi magna copia eſt, ſic nuncupata dicitur) ad fluuium Iaurum in Narbonenſi Prouinciâ, Abbatia olim à Pontio Comite Toloſano condita & dotata, clariſſimorum virorum doctrinâ & ſanctitate commendata, & à Ioanne XXII. in Epiſcopalem Sedem erecta ſub Archipræſule Narbonenſi, vt libro primo notauimus. Vrbs Thomeriarũ.

In huius Eccleſiæ Præſulum album relatus Petrus, à Ciaconio Rauarius vocitatus. Cum Benedictus XIII. Petrum de ſancto Martiale Cardinalem, Toloſanum Archiepiſcopum vitâ functum accepiſſet, & in eius locum ſuffectum Vitalem de Caſtro Maurono Toloſatem, electione à Canonicis, & Capitulo Toloſanæ Eccleſiæ peractâ, & à Patriarchâ ſeu Primate Aquitaniæ Bituricenſi Archiepiſcopo confirmatâ: Petrum ſancti Pontij Thomeriarum tunc temporis Antiſtitem ad Toloſanum Archiepiſcopatum promouit, miſit Commiſſarios, qui ſuo nomine Petrum in poſſeſſionem Archiepiſcopatûs illius introducerent, adiunctâ diris eos, qui contradicerent, deuouendi poteſtate: vnde non parua tempeſtas, quæ Prouinciam Toloſanam concuteret, exorta eſt, duobus de Archiepiſcopatu contendentibus; ſed Carolus Chriſtianiſſimus Francorum Rex datis lite-

ris in carthophylacio Diui Stephani asseruatis, bona Archiepiscopatûs curanda, Castella & cætera præsidia tuenda suscepit. Nihilominus creditores eiusmodi Vitali id legis imponunt, Archiepiscopatu se abdicet, Petrum in possessorem & administratorem tranquillum relinquat, quod nisi statim perficiat, excommunicationis fulmen intentant: vnde Vitalis ad Alexandrum V. Pisis degentem se recepit, à quo iterum diplomate Archiepiscopus Tholosanus creatur, obliteratis (provt res exigebat) & in nihilum redactis Benedicti diris, & minis tum in Vitalem, tum in Capitulum & Tholosanæ Prouinciæ vrbes iniectis: habetur diploma Alexandri, in quo vocat Petrum de Luna *filium iniquitatis*; illius est exordium.

Duo nominati Archiepiscopi Tholosani.

Alexander seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Iustis & honestis supplicum votis libenter annuimus, &c. Datum Pisis decimo quarto Calendas Septembris, Pontificatûs nostri anno primo.

Ciaconius Petrum vult designatum à Benedicto XIII. Cardinalem Perpiniani anno M.CCCC. IX. quatuor Septembris temporibus, sed tardiùs.

Obiit Petrus Rauarius tempore Constantiensis Concilij.

ANNOTATIO.

Non omnes à Gebennensi Clemente recensuimus creatos Cardinales Gallos: sed duntaxat eos, qui in eius aut Benedicti obedientiâ permansêre, & vitam finiêre; nam alios vt Petrum de Tureyo, Bertrandum de Chanac, Ioannem de Embroniaco, Petrum du Puy in catalogo legitimorum Cardinalium post Sedem Auenionensem reponemus, cùm ad partes verorum Pontificum postea se contulerint, vt etiam fecêre nonnulli, quos purpurâ donarat Petrus de Luna, Benedictus XIII. hique numerantur. Petrus Blani, Ludouicus de Bar, Antonius de Chalant, Petrus de Foix.



LIBER QVARTVS
CARDINALES SEDEM
AVENIONENSEM SVBSEQVENTES.



RAINVLPHVS CARDINALIS DE MONTERVCO VRBANO VII.

Anno Christi M. CCC. LXXVIII.

PROVINCIÆ Lemouicensis Rainulphus de Selue è genere Pontificis Innocentij VI. etiam Lemouicensis, & nepos illius Petri de Selue de Montyrac Cardinalis sanctæ Anastasiæ, & S.R.E. Cancellarij, de quo actum libro præcedente. Episcopus Cistaricensis ad Druentiam fluuium sub Archiflamine Aquensi.

Honore Cardinalitio absens decoratur Presbyter sanctæ Pudentianæ, tituli Pastoris ab Vrbano VI. Neapolitano, anno M. CCC. LXXVIII. qui fuit eius creationis annus, in quâ interuenêre septemdecim Cardinales, quorum tredecim erant Galli, quatuor Itali, teste Platina. Vrbanus ante suam ad Pontificatum promotionem erat necessitudine coniunctus Rainulpho, fueratque in Petri de Monteruco Cardinalis contubernio. Monachos constituit Rainulphus apud sanctam Pudentianam in Viminali, vbi lapis cruentæ hostiæ ostenditur confirmati eo miraculo Sacerdotis de Transsubstantiatione malè dubitantis. Hic titulus erat Pastoris, & est antiquior omnibus Ecclesiis Romæ. Cancellarius Sedis Apostolicæ in Petri de Monteruco absentiâ quinquennium. (Platina in Vrbano 6) (Miraculũ de Transsubst.)


Chronicon Pisanum nostri meminit Cardinalis. Anno, inquit, Domini M. CCC. LXXIX. Cardinalis quidam Gallus nouus Pisas venit, vt ad Vrbanum VI. iret terrestri itinere Romam; nam maritimo à factione Clementis VII. prohibebatur; & sanè Clementem Auenione sedentem hic Cardinalis terra marique fugiebat.

Vitæ coronidem imposuit in vrbe Româ anno M. CCC. LXXXII. decimo octauo Calendas Septembris, iacet in foribus sanctæ Pudentianæ cum hoc epitaphio marmori insculpto.

Hic iacet R. P. R. Dominus Raynulphus
Tituli S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis, natione Lemouicensis.
De genere D. Innocentij Papæ VI.
Qui in hoc titulo suo Monachos constituit
Anno M.CCC.LXXXII. *die xv. mensis Augusti.*

Scutum bipartitum ad perpendiculum: I. laterculus muricatus in summo duabus stellis aureis, cantherio aureo, sex montibus 1. 2. 3. argenteis. II. laterculus coccineus ramo aureo impressus.

Escu de Montetuc. *Portoit my-party, au* I. *de gueules, en chef deux estoilles d'or, au cheuron d'or, à six montagnes d'argent* 1. 2. 3. *Au* II. *de gueules au rameau d'or.*



PHILIPPVS CARDINALIS ALENCONIVS
VRBANO VI.

Anno Christi M. CCC. LXXXVIII.

REGII sanguinis Philippus Caroli Ducis d'Alençon, & Mariæ de Lacerda Hispanæ filius, in Baptismatis fonte à Philippo Valesio Rege patruo susceptus; fratrem habuit Carolum Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopum Lugdunensem, qui renitens est electus anno M. CCC. LXVII. baptizauitque Diuione Ioannem postea Burgundiæ Ducem. (Sammart. FF. in hist. geneal. Fran.)

Primùm Episcopus Bellouacensis post Guillelmum Bertrandum, deinde Auxitanus Præsul; tandem Rothomagensis Archiepiscopus antecessorem habuit Petrum Cardinalem de la Forest Franciæ Cancellarium. (Rob. in Gal. Christian.)

Cardinalitiâ cum ornauit purpurâ Vrbanus VI. Presbyterum S. Mariæ trans Tyberim tituli Calixti, primâ Cardinalium promotione, quarto Calendas Octobres, anno M. CCC. LXXVIII. postea creatus est Episcopus Sabinus, demum Ostiensis.

Vices gessit Vrbani Pontificis in D. Petri patrimonio, ita vt milites legere posset stipendio Ecclesiæ, imò ipsius Romanæ Ecclesiæ oppida pignori tradere, eâ tempestate, quâ Vrbanus Carolum III. Dyrrachij Ducem è Pannonijs oris euocat in Regnum Neapoleos repetendum à Ioannâ Reginâ seniore, quem pecunia adiuuit, commeatu, & militum copiis; Romæ Senatorem creat, & Regem Neapolitanum coronat. Huius belli causam dedêre Cardinales, qui post tertium ab electione Vrbani mensem, cum ani-

maduerterent Pontificem nec Purpuratis parcere, Fundos digrediuntur, Ioannæ Reginæ freti auctoritate, vim in electione Vrbani causantes, mense Septembri Robertum Cardinalem Gebennensem eligunt in Antipapam nomine Clementis VII. qui anno M. CCC. LXXIX. Auenionem cum Ioannâ Reginâ Neapolitanâ se recepit. Dyrrachius armis toto Regno potitur anno M. CCC. LXXXI. & anno sequenti Ioannam reuersam suasione Ludouici Hungari Regis eodem mortis genere afficit, quo illa Andream Regem maritum affecerat. Hic finis Ioannæ post quatuor acceptos maritos, sic suum clausit Regnum sub Carolo III. iacetque Neapoli propè sepulchrum Caroli parentis, cuius epitaphium expunctum fuit ex marmore, ne in perpetuum dedecus sceleris permaneret, vel quia amici aut successores tolli curarunt, quod tamen hic aliunde reponitur. Epitaphium Ioannæ Neapol.

Inclyta Parthenopes iacet hic Regina Ioanna
Prima, prius fœlix, mox miseranda nimis.
Quam Carolo genitam multauit Carolus alter,
Quâ morte illa virum sustulit ante suum.
M. CCC. LXXXII. *xxII. Maij, indictione v.*

Marcado Germano vitâ functo, creatus est Philippus ab Vrbano Patriarcha Aquileiensis olim Istriæ, Venetiæ, & Dalmatiæ Metropolis: in qua Synodus est celebrata anno CCC. LXXXI. nunc Vtini Sedem habet hic Patriarcha. Electioni factæ sese opposuêre Vtinenses, Carni & Fori-iulij Principes viri, nolentes hoc Sacerdotium Cardinalibus mancipari. Philippus quærit vi & armis Ludouici Franciæ Regis consanguinei, & Francisci Carreæ Domini Paduæ, quærit, inquam, quod vltrò non datur ab Vtinensibus, quos sacris interdixit; quod cum Pontifex non probaret, Philippum in proposito persistentem, & nimis tenacem Vicariatu priuat, & omni potestate concessâ, etiam ipso pileo Cardinalitio; bellum hoc durauit sexennio. Alia profertur causa, quòd deseruerit Vrbanum legitimum Pontificem Clementis VII. Antipapæ partes tutatus. At mortuo Vrbano Bonifacius IX. postliminio restituit Philippum Cardinalem. Cœnobia sancti Georgij Veronæ, & sancti Georgij Ferrariæ illi à Pontifice commendata. Iacob. Cauacius l.4.histor. S.Iustinç.

Moritur Romæ Philippus decimo octauo Calendas Septembres, anno M. CCC. XCVII. in Ecclesia sanctæ Mariæ trans Tyberim tumulatus sepulchro marmoreo cum effigie & epitaphio.

Francorum genitus regiâ de stirpe Philippus
Alenconiades, Ostiæ titulatus ab vrbe.
Ecclesiæ Cardo, tantâ virtute reluxit,
Vt sua supplicibus cumulentur marmora votis.
Anno milleno cum C. quater abde sed I ter
Occubuit, quâ luce Dei pia Virgoque mater.

Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus historiæ parte tertiâ meminit Philippi d'Alençon. Antonin. p.3.tit.22. cap.11.

Scutum Francicum illius æui ante Carolum VI. cæruleum, liliis aureis in-

certo numero exaratum, margine miniato, nummis bysantiis argenteis impresso, octo vt aliis videtur, fractum.

Escu d'Alençon.

Portoit d'azur à fleurs de lys d'or sans nombre, qui estoit de France auant Charle V I. à la bordure de gueules chargée de besans d'argent, huict selon aucuns.



Anno Christi M.CCCC.V.

IOANNES ÆGIDIVS CARDINALIS LEODIENSIS
Innocentio VII.

EN Neustriâ in Galliis Ægidius, Iuris vtriusque Doctor, Præpositus Ecclesiæ Leodiensi ab Vrbano V I. à cuius partibus semper stetit, vigente Roberti Gebennensis Schismate Clementis VII. qui Auenione sexdecim annos integros sedit. Sacri Palatij Apostolici causarum cognitor, seu Rotæ Auditor noster Ioannes.

Creatur absens Cardinalis Diaconus sanctorum Cosmæ & Damiani ab Innocentio VII. primâ Cardinalium ordinatione, pridie Idus Iunias, anno M.CCCC.V.

Ad Diœceses Coloniensem, Treuirensem, & Rhemensem Legatus mandatur ab Vrbano V I. Romam repetens Conclaui & electioni Gregorij XII. Veneti Doctoris Theologi è familiâ Patritiâ Corrariâ interfuit anno M.CCCC.VI. die trigesimo Nouembris.

Nescio quâ actus mente, aut quo spiritu ductus, vnitatisne & vnionis Ecclesiæ necnon, & extinguendi Schismatis causâ, quod ab annis triginta erat incensum, scit Deus, Gregorium Lucæ agentem deseruit Ægidius, Pisasque se recepit, qui quidem Gregorius, octauo post electionem anno, in Concilio Constantiensi Pontificatu se abdicauit per Procuratorem Malatestam. Eius Cardinalis exemplo idem alij fecere Cardinales, cum quilibet ipsorum Pontificum Gregorij & Benedicti ante electionem se obstrinxisset promisso eiuraturum Pontificatum si eligeretur, Benedicto seu Petro de Luna Sauonę recusante promissis satisfacere, & in patriam se recipiente nimirum Hispaniam; etiam venit Gregorius XII. quare tam vni parti fauentes Cardinales, quàm alteri, petunt Pisanam Ciuitatem, & illic vterque est Nonis Iunij depositus, & alius absens suffectus viginti trium Cardinalium suffragiis, suffectus inquam Cardinalis tituli sanctorum XII. Apostolorũ Archipræsul Mediolanensis Petrus Philargius patriâ Creten-

Promissio de Pôtificatu abdicãdo.

ſis, Ordinis Diui Franciſci vir pietate & doctrinâ illuſtris.

——humani ditiſsimus æui

Erat enim prope nonagenarius Polonis maximè gratus, Venetis & Florentinis, qui nomen Alexandri V. ſumpſit, in pauperes munificentiſſimus, nihil ſibi reſeruans, de ſeipſo per iocum dicere conſueuerat *ſe diuitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.* Fuit itaque initium congregandi Concilij anno M. CCCC. IX. Piſis in Tuſciâ, ipſo præcipuo auctore Ioanne Ægidio Cardinale Leodienſi; cùm tamen vnitatem & vnionem profiteri videatur his literis ad amicum Præſulem datis, quas hic deſcribere operæ pretium exiſtimaui. Lepidè dictum.


Venerabilis amice cariſsime ſcripta vidimus per latorem præſentium oblata, quibus per ſingula reſpondere non permittit temporis anguſtia, & etiam lator ipſe cauſam latius referre poterit: vnum non intendimus omittere, quod ab obedientiâ & iuſtitiâ hactenus obſeruatis nunquam recedere certum eſt, iuramentis & obligationibus efficaciſſimis eſt firmatum, & ſic apparet mendaciſſimè illa, quæ ſcribitis, fuiſſe diuulgata. Vnum ſolum eſt ſtudium vſque ad mortem incluſiuè votis proſequendum, promiſſis & iuramentis, atque per Mundum vniuerſum tam publicè diuulgatum & vnioni Eccleſiæ velle inſiſtere, & ſic authoritatum rationumve multiplicata congeries locum habebat, ſuoſque intellectus, locis & temporibus coarctatos, ita tum eſt vera & ſana doctrina, quæ in nullo eiſdem aduerſaturi, quod Deo magis obediendum eſt, habetur. Si enim Papa illa mandaret, vel ad ea cogere vellet, quæ animas in præcipitium ducunt, & animæ perditionem includunt, ſibi non fore obediendum iure diuino & humano notiſſimum eſt ſecundum Doctores ſanctum Auguſtinum, Ambroſium, Bedam, & alios, imò non obediendo, & propter hoc, eius ſeueritates ſuſtinendo & cenſuras meretur homo. Iſta pro nunc ſufficiant, tacemus de modis hactenus obſeruatis, in faciendo & non faciendo, & lapſu temporis tanti, in quo quid & quantum actum ſit in cauſâ Dei, & ſub quibus coloribus, & quantum fundatis, ex quibus quanta affectio fuit tollendi Schiſmatis, & ſi illa ad fautoriam magis pertineant, non intendimus nos dilatare; poſtea tamen de hoc videri poterit plenius, & quid Mundus, quoad hoc reputet, aut teneat, vnuſquiſque poterit perpendere. Vnum eſt quòd nihil aliud agitur, quàm Mundo & Chriſtianitati languentibus, & conſcientiæ atque famæ prouidere cum omni ſinceritate & charitate, prout cunctis hoc fiet manifeſtum. Aliud præmiſſis non obſtantibus cum feſtinantiâ duximus adiungendum, quòd quicunque ſunt illi, quibus talentum à Domino, quali & quantum cuique creditum eſt, maximè, qui ſtatu Eccleſiaſtico gloriantur, ſuntque illuminati ſcientiâ, & ſe vnionis zelatores eſſe profitentur, ſe ad currum deberent adiungere, & etiam cooperatores exiſtere, illi maximè, quibus innoteſcit, quanta fuerint hactenus adhibita molimina non ad vnionem veniendi iuxta promiſſa & iurata, ſed potius impediendi, & ea pro poſſe reprobandi; ſcripta Piſis, alterâ die Aſcenſionis, anno M. CCCC. IX. Theodor. à Niem lib. de Schiſm.

Ioannes auctor Synodi Piſanæ, quæ nec manifeſtè legitur approbata, nec manifeſtè reprobata, duos annos antequam Piſis inchoaretur, obijt

mense Iulio, anno M. CCCC. VII. Corpus Leodium translatum, & in Ecclesiâ maiore sepultum, saluus datus est conductus ab Alexandro V. amicis Cardinalis Leodiensis, vt cadauer Pisis transferrent, quò ipsi vellent.

Parma coccinea tribus Aquilarum capitibus argenteis 2. & 1. exarata.

Portoit de gueules à trois testes d'Aigles d'argent, 2. & 1.



ANNO CHRISTI M. CCCC. IX.

LVDOVICVS CARDINALIS DVX BARRI
ALEXANDRO V.

DE Regum & Barri Ducum prosapiâ Ludouicus parente Roberto primo Barri Duce, matre Mariâ Ioannis Galliarum Regis filiâ (cuius matrimonio Barri Comitatus erigitur in Ducatum anno M. CCC. LX.) Auunculus Franciæ Regis Caroli V. sororis filij, cognatus Sigismundi Imperatoris. Illi quartogenito fuêre quinque fratres, in quorum numero duo Eduardus Barri Dux, & Henricus cecidêre in prælio Azineurtiano, Anglo victore anno M. CCCC. XV. mense Octobri; quâ anni tempestate, vitâ functo Eduardo absque prole masculâ, Barri Ducatus, Ponti Marchionatus, & Cazelij dominium obtigerunt Ludouico nostro; eiusdem soror è quatuor natu primogenita Yolanda vxor Ioannis Arragonum Monarchæ litem mouit Ludouico Cardinali Presbytero fratri post Eduardi tertij, & alterius fratris necem prætendens Ducatum Barrensem, aliaque dominia: hinc datum est Senatusconsultum vltimâ Septembris die in Ludouici gratiam. Tertia soror nupta fuit Arnulpho Montium Duci mortuis fratribus absque mare. Maritus eius bellum habuit cum Ludouico ob Barri Ducatum, quem ad filium suum Robertum pertinere iure hæreditario materno prætendebat: Arnulphus vincitur, & Nanceium captiuus ducitur, duos annos carcere detentus, tandem liber prætenso iuri cessit; Barri itaque Ducatum & Mussi-ponti Marchionatum, anno M. CCCC. XIX. decimo tertio Augusti, instrumento donationis scripto Sammielli eâ conditione, vt insignia Barrensia deferrētur cōtulit Renato Andegauensi paruo nepoti non ita opulento, Comiti Guysiæ, & Domino de Chally & Longeumeau, quem matrimonio coniunxit cum Isabella Lotharena Caroli Ducis filia anno sequenti. Vt hæc obtinuit Lotharingiæ Ducatum morte parentis, licet haberet duas sorores natu maiores, quæ iuri cesserunt ob matrimonium so-

Barrum erigitur in Ducatum.

Edoardus Barri Dux occiditur.

Datur Barri Ducatus Renato Andegau.

roris

roris cum Renato, ita hic Barri Ducatum accepit à Ludouico Cardinale maiore auunculo, qui hunc nepotem chariſſimum filium, & hæredem vniuerſorum adoptauit, à quâ tempeſtate hi duo Ducatus fuêre vniti, & multæ quærelæ ſopitæ: nam Lothareni ſequebantur Ducis Burgundi partes, Barrenſes verò Ducem Aurelianenſem, proindeque à Francia ſtabant.

Imprimis Antiſtes fuit Lingonenſis, in eo Præſulatu ſucceſſit Bertrando à Turri, anno M. CCC. XCIII. interfuit Synodo ad Tumbam prope Monaſteriolū, cum Henrico de Sauoiſy Archiepiſcopo Senonenſi pro fœdere firmando inter Burgundum & Aurelianenſem. Codicem ſacrarum paginarum tenebat, in quas iurauit Philippus Bonus Burgundiæ Dux in Eccleſia Carnotenſi corā Carolo VI. die Mercurij VI. Feb. anno M. CCCC. VIII. deinde Catalaunenſis, poſtea Præſul Virdunenſis anno M. CCCC. XVIII. permutationis ergò cum Ioanne de Sarrebruche; eiuſdem gentis & nominis fuit Hugo Barrenſis ante annos quadraginta in eadem Sede Epiſcopus, qui vitam cum morte commutauit Hieroſolymis peregrinus terræ ſanctæ, & montis Sinaï à terreſtri ad cœleſtem profectus Hieruſalem. Eiuſdem familiæ Reginaldus Barrenſis Præſul Metenſis. Ludouicus poſt Simonem de Cramaudo Cardinalem Antiſtes fit Pictauienſis, anno M. CCCC. XXIII. agens in Franciæ Curia, quâ promotione Canonici Virdunenſes vacare Epiſcopatū Virdunenſem prætenderunt, & prouentus ſibiipſis competere. *Petit tuetur cædē Aurelianen.*

Iis interfuit Comitiis Conſiſtorianis in Palatio S. Pauli habitis, in quibus Ioannes Petit Doctor Theologus homo venalis, aſſentationique ſeruiens, qui defuncti Aurelianenſis manes inſectatus parricidium defendit Ludouici Ducis Aurelianenſis mulâ incedentis Lutetiæ mediâ nocte, à Ioanne Duce Burgundo per decem & octo ſicarios, die vigeſimâ tertiâ Nouēbris, iure non iniuriâ perpetratū contēdens, malè in præſentiâ Rectoris & Doctorū Pariſienſiū, die octauâ Martij, anno M. CCCC. VII. diſputauit. Hinc ſumpta occaſio faciendi decreti in Concilio Conſtantienſi de non occidendo priuatâ auctoritate Tyranno. Benedictum XIII. Antipapā deſeruit, à quo fuerat antea creatus Diaconus Cardinalis S. Agathæ, anno M. CCC. XCVII. duodecimo Cal. Ianu. Auenione. Alexander V. dedit Ludouico titulū Presbyteri Baſilicæ duodecim SS. Apoſtolorū poſt annos vndecim, quod hanc vſque diem non fuerat obſeruatū in Eccleſia, vt tituli commutarentur. Synodo Piſanæ adſuit, dum electus ipſe Alexander V. cum aliis nouem Cardinalibus Galliæ, quos illuc legârat Rex Franciæ Carolus VI. *Monſtrelet. in hiſt. Franc. tom. 1. ca. 39. in Carolo 6.* *Commutatio titulorū quādo cœpta.*

Proficiſcentem Piſas Petrus de Alliaco, poſtea Cardinalis, Ioannes Gerſon Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarius, duo celeberrimi Facultatis Theologicæ Doctores ſunt comitati, cum Guidone de Roya Archipræſule Rhemenſi, qui caſu miſerando Voutræ in finibus Ligurum interficitur telo, ob contentionem ſui fabri ferrarij cum altero Voutrenſi, qui fuerat occiſus; ipſe Guido Collegij Rhemenſis Lutetiæ erecti fundator, anno M. CCC. XCIX. cuius mortem vltus eſt Genuenſis ciuitatis Præfectus nomine Bouciquault Franciæ poſtea Polemarchus obuiam factus Cardinali Duci Barrenſi. *Occiditur Archiepiſc. Rhemenſis.*

Anno M. CCCC. IX. menſe Ianuario noſter Ludouicus (quem Theodoricus à Niem vocat Landolphum Barrenſem) miſſus Franco-furtum à Cardinalibus in Piſana Synodo congregatis ad conuentum de rebus Eccleſiæ, *Niem li. 3. de Schiſmat. cap. 3*

cui interfuêre Præsules Moguntinus & Coloniensis, multi Episcopi & Cœnobiarchæ, Rex Rupertus, Henricus Dux Brunsuicensis, Hermannus Landgrauius Hassiæ, Fridericus Marchio Miluensis, & Fridericus Burgrauius Nuremburgensis, Oratores Angliæ & Galliæ Regum. Causa huiusce conuentus fuit vnio in Ecclesia quærenda, &, vt nomine Germaniæ mitterentur Prælati Pisas, Franco-furtum venit Antonius nepos Gregorij XII. Veneti pro Patruo Pontifice conseruando contra Benedictum XIII. Petrum de Luna. Vterque est depositus Pisis tertiâ Maij, & electus Alexander V. Minorita, Doctor Parisiensis cuius electione auditâ octaua Iulij Parisienses per plateas & compita personabant, *Viuat Alexander noster Pontifex.*

Præsens fuit in Comitiis Ioannis XXIII. Neapolitani, qui Ludouico Andegauensi Siciliæ Rege procurante factus est Pontifex Bononiæ sexdecim Cardinalium suffragiis, anno M. CCCC. X. sexto Calendas Iunias, qui creauit Ludouicum Episcopum Portuensem ad ostium Tyberis dextrum.

In Synodo Constantiensi elegit cum aliis Martinum V. Odonem Columnam anno M. CCCC. XVII. tertio Idus Nouembris, præsentibus duodetriginta Cardinalibus, trecentis quadraginta sex Episcopis; quingentis sexaginta quatuor Abbatibus & Doctoribus; notatum Ludouicus reliquit in chartis priuatis numeratas exteras personas Constantiis inter Paschæ & Pentecostes festa sexaginta millia, & quingentas.

In eâ Synodo Oecumenicâ tria sunt resecta Schismatis capita, & Ioannes Hus, Hieronymusque de Praga flammis deuoti fuêre. In eadem Ludouicus Andegauensis III. Rex Neapolitanus declaratur à Martino V. filius Yolandæ neptis Ludouici Cardinalis Barrensis: prima declarationis causa fuit ius hæreditarium, secunda propter adoptionem à Ioanna II. Neapolitana sorore, & hærede Ladislai priuante Alphonsum Arragonensem ob eius ingrati animi labem. Moritur sine prole mascula in Calabria, anno M. CCCC. XXXIII. & sequenti decedit Ioanna, prius postremis tabulis constituto hærede, & filio adoptiuo Renato Andegauensi fratre germano Caroli.

Antonin. par. 5. hist. & Nauclerus.

Collegiũ Marchianum.

Ludouico Cardinale Barrensi Duce erectum Collegium Marchianum Lutetiæ anno M. CCCC. XXIII. antea Constantinopolitanum nuncupatum à Ioanne Patriarcha Constantinopolitano Episcopo Parisiensi confirmatum, fundator opulentissimus Ioannes à Marcha Rotæ auditor, Gregorio X. patriâ Barrensis, eius frater Guillelmus Decretorũ Licentiatus, & in Curia Ecclesiastica Parisiis Patronus; admittuntur in Bursarios soli Barrenses.

Deiparam colebat.

Peculiari cultu colebat Virginem matrem; in Ecclesia Cathedrali Virdunensi Deiparæ multas erogauit pecunias pro fundatione.

Moritur Varanij vrbis sui Episcopatûs mense Iunio in vigilia sancti Ioannis Baptistæ, anno M. CCCC. XXX. in qua Cœnobium Franciscanorum erexit. Delatum corpus in D. Mariæ Virdunensis, tumulatum in Oratorio sanctæ Elizabethæ cum hoc epitaphio.

Hic situs est fulgens Ludouicus laude perenni,
Quem Barri genuit gens generosa Ducum.
Filia Regis erat genitrix, de culmine summo
Francorum, & cuncta nobilitatis apex
Hunc decus & mores, quondam celebrare solebant

Dum Portuensi cardine dignus erat.
Egregius pariter præsentis Pastor ouilis;
Ac Virdunensis Pontificalis honos.
Ambiguis certa præponens, tuta timendis,
Spreuit opes Orbis Religione fruens.
At quia non moritur virtus, quid Parca tulisti?
Clara per æternos stat sibi fama dies.
Mille quater centum ter denos iunxerat annos
Delius, & Iunij tempora mensis erant.
Nunc matris precibus, æternæ dona quietis
Illi pro meritis det Deus omnipotens.

Vltimæ voluntatis executricem constituerat sororem Bonnam Barrensem viduam Ludouici Valeriani Luxemburgi Comitis à S. Paulo, & Lignæi Franciæ stabuli Comitis; quod onus detrectauit magnis districta negotiis.

Edidit Ecclesiæ Lingonensis statuta Synodalia anno M.CCCC.IV.

Scutum Ludouici bipartitum, 1. cæruleum, liliis aureis incerto numero expressum, & margine muricato: 2. cæruleum, cruciculis aureis brachiatis, & in imo spiculatis incerto numero sparsum, item barbatulis aureis duobus tergis obuersis, dentibus, & oculis argenteis impressum.

Portoit my-party au 1. d'azur semé de fleurs de lys d'or, à la bordure de gueules, au 2. d'azur, semé de croix recroisetées d'or au pied long; à deux barbeaux addossez de mesme, dentez & allumez d'argent. Escu d'Anjou & de Bar.



IOANNES DE EMBRONIACO PRÆSES CONCILII CONSTANTIENSIS CARDINALIS. VIVARIENSIS ALEXANDRO V.

Anno Christi M.CCCC.IX.

IOANNES Alermet de Embroniaco, quem Ciaconius dicit de Broniaco, vulgò Brognier prope Anicium natus est in Sabaudia, gentilitium illius stemma remansit in familiâ *d'Alouzier*, cum hoc symbolo (*Christe crucem cruentasti*) eum ex obscuris gentibus originem traxisse referunt, illustrissimum tamen suopte ingenio, & artibus euasisse. Literas optimè calluit, & Pontificibus familiaris. Viuario primum in ripâ Rhodani datus est Episco-

pus; postmodum purpuram, non Schisma & rebellionem accepit à Benedicto XIII. inde creatus Episcopus Ostiensis & Veliternus, omnes in sui admirationem propter ingenij, & gestorum magnitudinem traxit: morienti tandem Artaudo suffectus est Arelate anno M. CCCC. X. vt patet ex inita Episcopatus possessione in chartis publicis.

Quas Artaudus non potuerat propter vitæ breuitatem, insani hominis Petri de Luna, & ætatis illius ruinas resarcire; enimverò direpta fuerant, dissipatáque Ecclesiæ Arelatensis bona, & supremâ opus erat authoritate, imò sacro anathemate, vt omnia in integrum redirent, à Ioanne igitur XXIII. aliis IV. imo etiam II. cuius Vice-cancellarius erat Ioannes noster, literas obtinuit, ad vniuersos Episcopos, Duces, Marchiones, Comites, cæterosque Laïcos, quibus intentatur sacrum fulmen, nisi Episcopo Arelatensis vrbis castra, municipia & fundos, quæ iuris illius esse constat, restituant. Litem deinde mouit in Ludouicum II. Neapolitanum Regem, Prouinciæ Comitem, Arelatesque Dominum propter Salinas municipij trium Mariarum, quam Iolanta in vtilitatem Ioannis composuit.

Salinæ trium Mariarum.

Inter rerum politicarum vicissitudines Ioannes Arelatensium Antistes vitam ducens, exortam inter Dominicanos & Ecclesiæ suæ Canonicos quæstionem compressit. Vetus est priuilegium antiquissimæ Galliarum Ecclesiæ, quæ IESV CHRISTI Fidem prima in Galliis accepit, & à cuius fonte in reliquas Galliarum Prouincias effluxit, vt quæ Christi Domini crucem suscepit, & gloriosè portauit, sub eiusdem Metropolitanæ Ecclesiæ vnico vexillo in processionibus cum solemnibus, tum funebribus pompis militare omnes grato animo subierint, quæcunque Parœciales Ecclesiæ & Collegiatæ postmodum successu temporis erectæ sunt: imò & Religiosorum Ordines, quamuis exempti crucem demittere non dedignati sunt, cum constet etiam de die, & anno ex transactione publicè sumptâ inter summi Collegij Canonicos, & Reuerendos Diui Dominici sectatores; eademque in matrem deuotione, cæteri Ordines moti antiqui, & recentiores grato animo, cunctisque probantibus honorificum priuilegium, laudabilem, & inueteratam sanctæ Ecclesiæ, & vrbis consuetudinem sequuti sunt, quæ etiam hodiè perdurat: rei gestæ anno M. CCCC. XIII. verba refero, quæ hoc priuilegium continent, cætera in sanctiori Arelatensi tabulario leguntur.

Lis inter Canonicos, & Dominicanos pro cruce.

Primò quòd Fratres Prædicatores tam in processionibus generalibus, quam in aliis, quando Domini Canonici de Ecclesia Cathedrali intererunt, nullam crucem eleuatam, neque apparentem portabunt; sed sub cruce Ecclesiæ prædictæ Cathedralis accedent iidem Prædicatores, ad quam processionem specialem vel generalem venient sine difficultate, dum & quando mandabitur pro eis, vt fuit & est moris. Item, quod si aliquod funus sepeliri debeat in Ordine dictorum Prædicatorum, & Domini Canonici cum cæteris de Ecclesia Cathedrali intersint processionando, præfati Prædicatores tam processionando per villam, quam processionando & officiando in dicta Ecclesia, & Conuentu prædictorum Prædicatorum nullam crucem portabunt, sed prælibati Prædicatores vbique accedent sub cruce dictæ Ecclesiæ Cathedralis. Item, quando dicti Prædicatores acce-

dent ad dictam Ecclesiam Cathedralem pro associando processionem generalem dictæ Ecclesiæ Cathedralis, processionando cruce deposità intrent Ecclesiam dictæ Ecclesiæ, & illam crucem depositam ponant in aliqua Capella decenter, quousque ipsa processio generalis sit terminata & finita. Hæc vero omnia sacri Dominicanorum Ordinis Præfectus rata & firma esse censuit.

His pro dignitate peractis, Ioannes olim Antistes Geneuensis in extremo Allobrogũ oppido & Heluetiorum finibus proximo (quod nunc Hæresum cloaca) collegium amplissimum ædificauit, visiturque etiamnum in eius collegij templo illius stemma purpureà duplici insignitum cruce: ædem etiam Diuo Michaeli sacram in amplissimo Patrum Cœlestinorum Cœnobio construxit Aueniõne; atque vt pauperibus, qui litterarum amore flagrabant, opem ferret, magnificum eadem in vrbe collegium (quod vulgò magnum appellatur) à fundamentis erexit, licet (ò tempus etiam optimi consilij, & institutionis edax) in diuitum vsus abiuerit, amplissimasque porticus, & apta colendis in eo musis cubicula composuit. His ædem studiosæ iuuentutis patrono Beato Nicolao sacram addidit, in qua, quot diebus Sacerdotes quatuor sacra operentur, sanxit: prætereain collegij alumnis, quaternos eligi ex Episcopatu Arelatensi, duos ex Ebredunensi, & quaternos denos ex Sabaudiæ Ducatu, qui literis omnes operam nauent: redditibus suppeditauit, qui sena millia librarum excedunt. Supellectilem quoque in templo pretiosam; librorum in Bibliotheca plusquam septingenta volumina posuit. Liberalissimi Mœcenatis memor Saxius Ecclesiæ Arelatensis Canonicus, nunquam benè illi precari destitit, quippe qui in ea pietàtis & palladis domo senos annos egerit adolescens; & ne quid de summi viri laudibus excidat, Abbas Monasterij Montis-Maioris electus est, vt ex Monasterij Necrologio apparet. Fundator Collegij.

Primùm fuit Anticardinalis sanctæ Anastasiæ Clementis VII. contra Vrbanum VI. anno M.CCC.LXXXV. Auenione. Elegit Pisis Alexandrum V. Pontificem, & Constantiæ Diaconum Cardinalem Columnam electum in Pontificem Martinum V. inaugurauit Presbyterum, & Episcopum postridie electionis in Concilio Constantiensi, anno M.CCCC.XVII.

Quos vero labores tulerit pro Ecclesia Catholica, & quo Schisma odio fuerit prosequutus, non aliunde petam, quàm ex Ciaconio, cuius verba referre placet. Ioannes de Broniaco Gallus vtriusque Iuris Doctor, Episcopus Viuariensis, Anti-cardinalis Presbyter tituli sanctæ Anastasiæ, S.R.E. Cancellarius, postea Episcopus Ostiensis & Veliternus, magni animi & consilij Vir, ac vnitatis Catholicæ studiosus, qui Gregorij XII. ac Benedicti XIII. tergiuersationem in vnitate Ecclesiæ faciendâ animaduertens, præcipuus author fuit, vt Cardinales Gallici Benedicto XIII. deserto Pisas ad generale Concilium accederent, in quo omnium suffragiis Alexander V. creatus est: interfuit Comitiis Ioannis XXIII. & Constantiæ in generali Concilio eius depositioni, in quo cum esset vtriusque partis vetustissimus & Decanus magnæ illi Synodo præsedit, & Martinum V. cum aliis creauit, cui gratissimus fuit, à sextâ sessione ad quadragesimam primam semper præsidis officio functus. Osor Schismatis. Præses Concilij Constantiensis.

Sed cum æquo pede mors pauperum tabernas, diuitumque turres pulſet, obiit Romæ anno M. CCCC. XXVI. menſe Februario, ibidemque eius oſſarium.

Scutum aureum duplici cruce miniatâ, & margine etiam muricato exaratum.

Escu de Brognier. *Il portoit d'or à double croix de gueules, à la bordure de meſme.*



Anno Christi M CCCC. IX.

PETRVS CARDINALIS DE THVREYO
Alexandro V.

IN Diœceſi Narbonenſi natus, qui Maleacenſis Epiſcopatûs infulis fuit inſignitus, anno M. CCC. LXXXV. Clemens VII. Gebennenſis Petrum ad Cardinalatûs apicem erexit, cum aliis ſex Cardinalibus die duodecimâ Iulij, anno M. CCC. LXXXV. tituli ſanctæ Suſannæ Presbyterum. Poſtea Legatus ab eodem Clemente VII. in Regnum Neapolitanum mittitur, cùm illud in eius obedientiâ permanſiſſet.

Vnus ex decem Cardinalibus Gallicis, qui Benedicto XIII. deſerto Piſis Alexandrum V. elegerunt, vt videre eſt ex eius ſubſcriptione, quam ipſe appoſuit pro electione veri Pontificis, & reformatione Eccleſiæ, tàm in capite, quàm in membris anno M. CCCC. IX. die decimâ Iunij, in ſeſſione decimâ ſextâ Synodi Piſanæ.

Guido Malſec. Ego Guido Epiſcopus Præneſtinus, præmiſſa ſicut ſupraſcripta ſunt promitto Pictauienſis.

Ego Henricus Epiſcopus Tuſculanus, præmiſſa ſicut ſupraſcripta ſunt promitto Neapolitanus.

Ego Nicolaus Epiſcopus Albanus, præmiſſa ſicut ſupraſcripta ſunt promitto Albanus.

Ego Antonius Epiſcopus Præneſtinus, præmiſſa ſicut ſupraſcripta ſunt promitto Aquileienſis.

Ioan. de Embromac. Ego Ioannes Epiſcopus Oſtienſis, præmiſſa ſicut ſupraſcripta ſunt promitto Viuarienſis.

Petrus Girard. Ego Petrus Epiſcopus Tuſculanus, præmiſſa ſicut præſcripta ſunt promitto de Podio.

Ego Petrus Cardinalis de Thureyo Presbyter ſicut ſupraſcripta ſunt promitto de Thureyo.

Ego Angelus tituli sanctæ Potentianæ Presbyter Cardinalis Laudensis, omnia suprascripta approbo,& promitto Lauden.

Ego Petrus sanctę Praxedis Presbyter Cardinalis Hispaniæ suprascripta approbo,& promitto Hispanus.

Ego Conradus tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis suprascripta approbo,& promitto Militensis.

Ego F. Cardinalis Burdegalensis promitto vt supra Domini mei promiserunt Burdegalensis.

Franciscus Hugocionius Vrbinas dictus Burdegalensis.

Ego Iordanus tituli sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis suprascripta approbo,& promitto de Vrsinis.

Ego Petrus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis suprascripta approbo,& promitto Mediolanensis.

Ego Raynaldus sancti Viti in macello supradicta approbo, & promitto de Brancacijs.

Ego Landulphus tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis Barensis prædicta approbo,& confirmo Barensis.

Ego Odo sancti Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis de Columnâ prædicta approbo,& confirmo de Columna.

Ego Petrus tituli sancti Angeli Senior S.R.E. Diaconus Cardinalis præmissa promitto sancti Angeli Senior.

Petrus Blani.

Ego Petrus sancti Angeli Iunior S.R.E. Diaconus Cardinalis præmissa promitto sancti Angeli Iunior.

Ego A. de Chalant Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis præmissa promitto de Chalant.

Restarunt ad subscribendum Dominus Amedeus de Salutiis, qui postea subscripsit. Venerunt postea Dominus Ludouicus Cardinalis de Barro, & Dominus Antonius Cardinalis Tudertinus, & Dominus Balthasar sancti Eustachij Cardinalis Legatus Bononiensis.

Ludouicum Andegauensem, Pratum ad Alexandrum V. accedentem comitatus est. Pistorij Legatus extitit; tandem in Gallias abiit cum Francisco Archiepiscopo Narbonensi S.R.E. Camerario, primo Auenionis Legato, post Romanæ Curiæ recessum facto.

Obiit in Legatione Gallicâ, mense Septembri, anno M. CCCC. XII. sub Ioanne XXIII. cuius Comitiis non interfuit.

Parma miniata decussu aureo exarata.

Portoit de gueules au sautoir d'or.



Anno Christi M. CCCC. IX.

BERTRANDVS CARDINALIS DE CHAGNAC
Alexandro V.

BERTRANDVS de Chagnaco patriâ Lemouicensis fuit Guillelmi & Bertrandi de Chagnaco Cardinalium à Gregorio XI. creatorum nepos, qui confunditur à Ciaconio cum Patruo Bertrando de Chagnac Archiepiscopo Bituricensi Cardinale. Alter eorundem patruus Fulco ex Archidiacono Antistes Parisiensis, probante Clemente VI. literis Auenione datis anno M. CCC. XLII. die quinto Calend. Decemb. Alius verò est à Fulcone de Chagnac Aurelianensi Episcopo LXXIV.

Ciacon. in Clem. 7. Ostro fuerat donatus à Clemente VII. Gebennensi Auenione. Ab Alexandro V. in Pisanâ Synodo electo confirmatus, & missus Legatus Genuam. Interfuit celeberrimo Constantiensi Concilio, & Comitiis Martini V. anno M. CCCC. XVII.

Moritur Florentiæ quarto Calendas Iulij, anno M. CCCC. XIX. ibidemque terræ mandatus.

Escu de Chanac. Scutum aureum sex fasciis cæruleis Leone muricato exaratum.
Portoit d'or à six fasces d'azur, & vn Lyon de gueules.



Anno Christi M. CCCC. IX.

PETRVS GIRARD DE PODIO CARDINALIS EPISCOPVS TVSCVLANVS
Alexandro V.

FILIVS Girardi ortus è villa Podiensi secundum nonnullorum opinionem, alij faciunt Delphinatem. Ex Canonico Æduensi & Pœnitentiario maiori

rio maiori Clemente VII. Antipapâ Præſul Lodeuenſis anno M.CCC.LXXX. in qua Cathedrâ quatuor annis tantum ſedit, vt illuſtriſſimus & literis Hebraicis ad miraculum inſtructus Ioannes Pauſæus eiuſdem Sedis Antiſtes annotauit; eius gentis fuit Hugo Gerardus Cadurcenſis Epiſcopus, anno M.CCC.XV. de quo vide Berengarium Fradelle Cardinalem. Podienſis LXVI. Epiſcopus extitit anno M.CCC. LXXXIV.

Interfuit Synodo Lauaurenſi, vt Epiſcopus Lodeuæ anno M.CCC.LXVIII. illi præfuit Gaufredus Archipræſul Toloſanus; eidem præſens Robertus Foxius Lauauri Antiſtes filius Gaſtonis X. Comitis Fluſſatium, & Ioannæ Arteſiæ. Cardinalis tituli ſancti Clementis, & Epiſcopus Tuſculanus à Clemente VII. creatur anno M.CCC.XC. Synodus Lauaurenſis.

Benedictum XIII. Piſis deſeruit, & ibidem elegit Alexandrum V. & Ioannem XXIII. creauit Bononiæ, decimo ſexto Calendas Iunij anno M.CCCC.X. qui antea nuncupabatur Baltaſar Coſſa patriâ Neapolitanus, cum Romam primùm accederet adoleſcens interrogatus ab amicis, quò iret, *ad Pontificatum* dixit; initio Synodi Oecumenicæ Conſtantienſis adfuit vt verus Pontifex ſed mutato conſilio, abiectiſque Pontificiis inſignibus, intempeſtâ nocte, ad Auſtriæ Ducem confugit Conſtantiâ, relictâ magnâ toti Concilio moleſtiâ: fugit autem poſt ſecundam ſeſſionem, in quartâ dixit Archiepiſcopus Rhemenſis Ioannem non vi, non metu, non culpâ adactum Conſtantiâ diſceſſiſſe, ſed valetudinis causâ. Sextâ ſeſſione ſtatutum eſt, vt Legati Ioannem adirent, peterentque ab eo, vti Procuratores ad cedendum Pontificatu conſtitueret. Plat. in Ioan. 23. Lepidè dictum.

Exceſſit Auenione Girardus anno M.CCCC.XV. ſepultus in Cathedrali.
Scutum cæruleum cantherio aureo expreſſum.
Portoit d'azur à vn cheuron d'or.



PETRVS BLANI CARDINALIS SANCTI ANGELI ALEXANDRO V. Anno Christi M.CCCC.IX.

VTROQVE parente nobilis è proſapiâ Vrbani V. Pontificis Gabalitani, ipſe Gabalitanus Diœceſis Mimatenſis; dicitur in epitaphio è ſtirpe Leui Doctor in iure canonico.

Oſtro primùm ornatus à Benedicto XIII. quem deſeruit vtpote Schiſ-

maticum. Interfuit Synodo Pisanæ anno M. CCCC. IX. & creauit cum aliis collegis Alexandrum V. Minoritam.

Sub anni finem terrena deseruit Auenione, anno M. CCCC. IX. & sepultus in æde sancti Angeli, Monasterij Ordinis Benedictini prope Auenionem.

Hic iacet Reuerendißimus in Christo Pater Dominus Petrus Blani, natione Gabalitanus, ex vtroque parente de militari genere procreatus, ac de propinquo genere fœlicis recordationis Domini Vrbani Papæ V. Decretorum Doctor egregius, sancti Angeli Diaconus Cardinalis, qui obyt anno Domini M.CCCC.IX. *die duodecimâ Decembris.*

Aliud.

Hac tegitur petrâ Petrus cognomine Blani
Gaballitanus, sis sibi Christe pius.
Liuida, quam redimit leo candidus, area signat
In clypeo proauis, quòd fuit iste cluens.
Virtutum meritis hunc induit infula bina,
Canonis ista sacri, cardinis illa fuit.
Præbuit huic titulum sacer Angelus, ordine fulcit,
Quem tenet alma Leui stirps benè promerita.
Officiumque suum bene gessit, dum fuit illi
Ceu petra firma fides, iustitiaque libra
Huic pretium, fauor, & odium timor, & fuit hostis:
Mens intenta tamen tota placere Deo.
Templa gemunt, inopes plorant, viduæque puellæ,
Quòd patronus abest, publica resque simul.
Sed contendentum Petri retinere curile
Ambitio turpis obstitit inde sibi.
Huius nempe rei testis Synodus generalis
Est sacra, quæ Pisis concelebrata fuit.
Heu mors sæua virum metit hunc! dum crastina sanctæ
Paßio Luciæ commemoranda foret.
Mille quatercentis annis ter iungito ternos
Christi, dic iterum, sis tibi Christe pius. Amen.

Scutum miniatum leone insiliente argenteo expressum.

Portoit de gueules au Lyon rampant d'argent.



ANTONIVS DE CHALANT DIACONVS CARDINALIS ALEXANDRO V. Anno Christi M. CCCC. IX.

APVD Sabaudos lucem primam intuitus Antonius ex nobilissima de Chalant familia prodiit; è numero nouem fratrum tres fuêre Episcopi Guillelmus Lausanensis, Iacobus Sedunensis, & Franciscus Gebennensis. Eiusdem nominis & familiæ Petrus de Chalant Archiepiscopus Lugdunensis, qui veneno Lugduni sublatus est anno M. CCC. XXXIII. huius prosapiæ stirpem facit Seuertius Godefredum de Chalant Vice-comitem Augustensem vulgò *d'Oste*, Dynastam de Chalant, qui Beatricem filiam Comitis Gebennensis in vxorem habuit. In Archiepisc. Lugdun.

Præsul Lausanensis sub Metropolita Bisuntino; Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in viâ latâ effectus à Benedicto XIII. Petro de Luna anno M. CCCC. IV. Aueniõne, eo postea relicto, Alexandri V. Cretensis Comitia, qui non annum integrum sedit, suffragio suo iuuit anno M. CCCC. IX. in Pisano Concilio, cui subscripsit vltimus, in cuius etiam sessione XX. sedentibus in Concilio Pontifice in cathedrâ altè positâ ante maius altare, & ab opposito illius versus Occidentem in vltimâ parte Concilij tribus Patriarchis Alexandrino scilicet, Antiocheno, & Hierosolymitano in tribus altis & magnis cathedris, lectum fuit decretum electionis Pontificis: quo lecto Cardinalis de Chalant rogauit Concilium, vt oraret pro statu Papæ & S. R. E. deinde Pontifex habuit sermonem themate sic incipiente. *Erit vnum ouile & vnus Pastor.* Quo peracto Cardinalis sancti Eustachij dictus Bononiensis ascendit pulpitum; & nomine Papæ Alexandri V. aliqua promulgauit, quæ ordinauerat dictus Dominus noster Papa; inter quæ tertio loco habetur istud in fauorem Cardinalis de Chalant his verbis. *Idem impedimentum appositum in beneficiis Cardinalis de Chalanco sub prætextu, quòd diu steterat cum Petro de Lunâ, sub prætextu autem suarum excusationum, aliàs per Cardinales admissarum relaxauit.* Ioan. c. 16.

Balthasar Cossa Neapolitanus (postea Ioannes XXIII.) in Concilio Pisano præcipuus auctor electionis Alexandri V. post eius obitum electus Bononiæ anno M. CCCC. X. Ludouico Andegauensi contendente.

Presbyter Cardinalis ab eodem Ioanne creatus est tituli sanctæ Cæciliæ.

Antonium porro mirificè commendant negotia quam-plurima ab illo pertractata, & grauissima illa, quæ obiuit munera: inter quæ Legati præcipuum, quo functus anno M. CCCC. XIII. apud Sigismundum Regem Romanorum, apud quem iussu Ioannis XXIII. Pontificis grauiter conquestus est de iniuriis & execrandis facinoribus Ladislai Siciliæ Regis. Cumque pro concione loqueretur, Sigismundo, quid Ladislaus egisset, exposuit in tertiâ parte concionis his verbis.

Oratio Antonij coram Imperatore.

Religiosissime, inquit, *Principum*, postquam perniciosissimum Schisma sex lustris continuis grauissimè afflixit Ecclesiam Dei, Spiritûs sancti instinctu, qui dispersa congregat, & restaurat vniuersa, septimo lustro in celeberrimo & sacratissimo Concilio Pisano: duo contendentes canonicè deiecti sunt, & vnico, vero, & indubitato Vicario Christi electo, vnitas diu desiderata Ecclesiæ restituta est, Roma, Patrimonium Beati Petri & tota ferè temporalitas Ecclesiæ de manibus potentissimorum hostium vi erepta: Palatium Auenionense, & alia loca munitissima, quæ Apostaticus Petrus de Luna in arcem erexerat, post longam obsidionem deditione peruenerunt ad manus Ecclesiæ; Ladislaus Rex ad obsidionem Vrbis properans, in campis patentibus per gentes Ecclesiæ victus, terga vertere coactus est. Ha, quàm variis modis impugnat perfidus hostis Ecclesiam Dei? Postquam enim sensit se apertè nihil proficere posse, ad dolos & astutias serpentinas se conuertens, pecuniis & muneribus gentes Ecclesiæ corrumpere, & ad se transfugere procurauit, & ad Vrbis mœnia castrametatus, locutus est in dolo verba pacifica. En pacis nomen quam sanctum est? Pax à versutissimo hoste oblata, animos audientium pellexit, maluitque sanctissimus Dominus noster, licet illi hostis versutia satis admodum esset explorata, quodlibet periculum subire, quàm pacem oblatam refutare. Sic inita pax atque firmata, sicque Rex Ladislaus abiurato Apostatico Angelo Corrario, sanctissimo Domino nostro plenariam obedientiam præstitit, & fidelitatis homagium pro Regno Siciliæ. Vide, quod aptè dixit vnus ex Legislatoribus, quòd satisdatio, seu promissio, propositum hominis maleuoli non immutat. Post aliquantum etiam temporis opportunitatem nactus, forti manu terrâ marique coactâ, Dominum nostrum in Vrbe circumuenit, & noctе mœnia Vrbis suffodiens mane facto vrbem ipsam hostiliter ingressus, Dominum nostrum & Reuerendissimos Dominos Cardinales intercepisset, nisi fugæ præsidio de manibus persequentium hostium fuissent liberati. Heu quot mala vidit illa dies? Aliqui ex Cardinalibus captiuati; plures Presbyteri & Clerici trucidati, multi vulneribus affecti. Curiales omnes expoliati bonis suis, Basilicæ Apostolorum prophanatæ, equi in illis passim stabulati, Ecclesiæ Vrbis crucibus, calicibus, sacroque ornatu reliquo nudatæ, quodque horreo referens, perditissimi homines in tabernis publicè sacris calicibus poculorum vice abusi sunt. Quò non erumpat effrenata cupiditas? Mulieres honestæ, virginesque Deo dicatæ passim raptæ; probati ciues atque optimi relegati, & eorum bona proscripta. Quis illius diei clades enumeret? nunquam, si cui vacet annales euoluere, ab vllo hominum genere tanta impietas præsumpta est. Semper etiam apud gentiles sacra venerationi præcipuè habita. Solus Balthasar in

Mala Schismatis.

prophano conuiuio sacris vasis abusus, ipsâ vltione diuinâ noctu interemptus, vitæ pariter & sceleris finem accepit: verùm hæc satis pro tempore dicta sint. Itaque post irruptionem vrbis, maximâ patrimonij parte à profano Rege occupatâ, rebusque vndique perturbatis, Sanctissimus Dominus noster ad Ciuitatem Florentiæ se contulit, & à ciuibus Florentinis reuerenter exceptus, humanissimeque pertractatus est, illudque florentissimum dominium multâ charitate atque deuotione Ecclesiæ vinctum, solitâ magnanimitate deliberauit Ecclesiæ sacrosanctæ totis assistere viribus, illamque ab hostis impetu toto posse defensare. Daniel. cap. 5.

Interfuit electioni Martini V. anno M. CCCC. XVII. in Concilio Constantiensi, nominaturque inter illos, qui iurauerunt Capitulorum approbationem; hæc habentur in eiusdem Concilij sessione quadragesimâ quartâ. Reuerendissimus Pater Dominus Antonius S.R.E. Presbyter Cardinalis, de Calancho vulgariter nuncupatus decretum siue statutum de loco futuri Concilij proximè celebrandi in hæc verba legit.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cupientes ac volentes Decreto huius generalis Concilij satisfacere, inter alia disponenti, quòd omnimodò generalia Concilia celebrentur in loco, quem Summus Pontifex per mensem ante finem huius Concilij, approbante & consentiente Concilio, deputare & designare teneatur, pro loco dicti proximè futuri Concilij celebrandi supradicti, eodem consentiente & approbante Concilio, ciuitatem Papiensem tenore præsentium deputamus, & etiam assignamus, statuentes & etiam decernentes, quòd Prælati & etiam alij, qui ad generalia Concilia debent conuocari, tempore prædicto, ciuitatem ipsam Papiensem accedere teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ deputationis, & etiam assignationis, statuti, decreti, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ, decimo tertio Calendas Maij, Pontificatûs nostri anno primo. Quo decreto lecto Dominus Episcopus Ostiensis, Cardinalis Viuariensis, nomine totius Synodi respondit, *placet.* Papia designatur pro Concilio.

A Ioanne XXIII. Legatus in Angliam, deinde cum Francisco Zabarella Cardinale ad Imperatorem Sigismundum pro Concilij loco statuendo missus, Pontificis partes prodidit, cùm Constantiam, quæ in Imperatoris erat potestate, delegisset, ad quam Ioannes profectus est & depositus.

Obiit Lausanæ tertio Nonas Septembres post electionem Martini V. anno M. CCCC. XVII. in Cathedrali sepultus.

Scutum argenteum capite scutario miniato, tæniâ nigrâ exaratum. Escu de Chalant.

D'Argent au chef de gueules, bandé de sable.

Hactenus de Cardinalibus Alexandri V. Minoritæ vnius anni Pontificis à Patribus Pisanis electi, qui nullos creauit Cardinales, sed à Pontificibus non legitimis creatos confirmauit.



Anno Christi M.cccc. xi.

PETRVS DE ALLIACO MAGNVS FRANCIÆ ELEEMOSYNARIVS CARDINALIS CAMERACENSIS IOANNE XXIII.

COMPENDII ad Oesiam fluuium Prouinciæ Picardiæ natus patre Colardo in Parœciâ sancti Iacobi Deo renatus; icones parentum conspiciuntur in vitreis fenestris eiusdem Ecclesiæ; non itaque fuit è familia d'Ailly nobilitate commendatissimâ Vice-dominorum Ambiani, & Baronum de Piqueny, quorum vnica hæres nupta Domino de Cadenet Franciæ Polemarcho, Duci de Chaunes.

Cancellarius Academiæ Parisiensis, & eiusdem Doctor, ac magnus Regiæ domûs Nauarræ Magister, anno M. ccc. LXXXVI. à thesauris sanctæ Capellæ Lutetianæ, magnus Franciæ Eleemosynarius Caroli VI. in Eleemosynariâ maiore successor Ioannes d'Aussy Doctor Theologus, Antistes Lingonensis, quondam Collegij Choletæi Bursarius, qui catalogum Hospitalium & Leprosariarum edidit. Ioannem Gersonem auditorem habuit Petrus eiusdem etiam domûs Doctorem, Vniuersitatis Parisiensis Cancellarium, virum pientissimum & eruditissimum, libertate dicendi intrepidum in Prælatos non secundum gregis formam viuentes. (Author catalogi leprof. & Hospital.)

Primùm Antistes Aniciensis, seu Podiensis (oppidum est Vellaunorum) sub Archiepiscopo Bituricensi inauguratus, dum Iterius de Montrueil Ducis Biturigum, & Caroli VI. Cancellarius ab Aniciensi Episcopatu ad Pictauiensem, anno M. ccc. XCIII. commigrauit: deinde Petrus Præsul Vaurensis ad Agotum fluuium vulgò *Agn*, in agro Lauracensi glasti & croci feracissimo. Tandem Cameracensis Episcopus post Andream Luxemburgensem (qui est vitâ functus anno M. ccc. XCVI.) B. Petri Cardinalis de Luxemburgo Episcopi Metensis fratrem.

Ad Pisanam Synodum missus cum Ioanne Gersone Doctore celeberrimo in comitatu Ludouici Cardinalis Ducis Barrensis; qua de re, superius in Ludouico Cardinale. Ioannes XXIII. Petrum promouit ad Cardinalatum primâ promotione habitâ, anno M. cccc. XI. die octaua Idus Iunij Presbyterum tituli sancti Chrysogoni.

Adfuit electioni Martini V. anno M. cccc. XVII. in Concilio Constantiensi,

cum viginti septem Cardinalibus, præterea sunt admissi ad ius suffragij triginta viri selecti ex quinque præcipuis Europæ nationibus Italica, Gallica, Germanica, Hispanica, Anglicana, ad pacem Ecclesiæ Catholicæ conciliandam; nationis Gallicanæ sex fuêre nimirum Guillelmus Archiepiscopus Bituricensis, Iacobus Archiepiscopus Turonensis, Ioannes Episcopus Gebennensis, Robertus Abbas Cluniacensis, Gualterus Graffi Prior Rhodius, Lambertus de Stipite Prior Bercheneyus: sic finis impositus Schismati admodum longæuo, pacis & vnitatis causâ Pontificatum relinquente Gregorio XII. illic creato sacri Collegij Decano, Picenique perpetuo Legato, ratis habitis omnibus ab eo gestis, & Cardinalibus, quos crearat, confirmatis. Memoratur de Alliaco in v. xi. & xiv. sessionibus Concilij, & xv. & xvi. Triginta admittuntur ad ius suffragij in Conc. Const.

Statuta duarum & triginta viduarum Ordinis sancti Augustini à Stephano Audry Secretario Diui Ludouici, & Ioannâ eius vxore dotatarum curauit edi, à quo Audriettæ nuncupatæ, Cardinalis Legatus in Gallia Alemannus anno M. CCCC. XIV. Ioanne XXIII. ea firmauit, in præsenti sedem fixere in suburbiis Diui Honorati, appellanturque Moniales Assumptionis Deiparæ; Franciscus Cardinalis de la Rochefoucault magnus Franciæ Eleemosynarius, anno M. DC. XXII. die quinta Calendas Decembris, institutum & viuendi rationem, approbante Gregorio XV. Summo Pontifice, mutauit; sub cura magni Franciæ Eleemosynarij viuunt. Audriettæ Moniales. Diploma Greg. 15.

Collegij Nauarræi amplissimam aulam, & bibliothecam Regiam erexit, ædes Baccalaureis Theologis dedit habitandas, pro quarum foribus stat Deipara Virgo.

Terram deserit cœlum petiturus sexto Idus Augusti, anno M. CCCC. XXV. vt habetur in Necrologio Parisiensi, sepultus in Ecclesia sua Cameracensi nunc Metropolitana cum hoc epitaphio.

Hic iacet Reuerendus Pater Dominus Petrus de Alliaco Theologiæ Doctor, quondam Episcopus Cameracensis. Orate pro eo.

Mors rapuit Petrum, petram subijt putre corpus;
Sed petram Christum spiritus ipse petit.
Quisquis ades precibus fer opem, semperque memento,
Quod præter mores omnia morte cadunt.
Nam, quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent,
Aspicis, hæc aderant nunc mihi, nunc abeunt.

Aliud monimentũ in grati animi significationem posuit Collegium Nauarræum, vtpote benefactori munificentissimo cum effigie depicta in naui capellæ Nauarræ, supra minoris ianuæ fores, nõ decentẽ locũ meritis.

Memoria est Reuerendissimi in Christo Patris Domini de Alliaco, tituli quondam sancti Chrysogoni Cardinalis Presbyteri, Cameracensis Episcopi, huius pridem domûs Præceptoris seu Magistri ac Benefactoris amplissimi, cuius legata & gesta in literis su-

per his confectis, atque tabellis suppositis continentur.

Petrus de Alliaco, quondam dictus Aquila Franciæ, atque aberrantium à veritate malleus indefessus.

Scripsit vir literatissimus

In quatuor libros sententiarum libros quatuor.

Quæstiones in Hexameron.

De laude sanctæ Scripturæ.

In principium Euangelij S. Marci.

De stabilitate Ecclesiæ.

Speculum Considerationis, libros tres.

De spirituali scala.

In Psalterium.

Meditationes in Psalmos septuagesimum & quadragesimum secundum.

De legibus & sectis.

De Concilio generali.

De Interdicto.

De permutatione beneficiorum.

In septem Psalmos Pœnitentiales.

In Cantica Canticorum.

De Oratione Dominica, & super eadem anagogicè libros duos.

Super Aue Maria.

Super Magnificat.

In Canticum Zachariæ.

In Canticum Simeonis.

De electione Papæ.

De exercitio spirituali.

De duodecim honoribus S. Ioseph

De anima & accidentibus eius.

Super libros Meteororum.

Concordiam Theologiæ cum Astronomia & Historia.

De Sacramentis Ecclesiæ.

De potestate Ecclesiastica.

De emendatione Ecclesiæ.

Sermones varios.

De duodecim parallelis ad quæ Ptolomæi parallela reuocat.

Epistolasque plures.

Vitam S. Petri Cœlestini in qua Pontificatûs abdicationem ab eo factam laudibus in cœlum extollit.

In Momos & detractores apud Surium.

Sixt. Senens. li. 5 biblioth. an. 15. Bellarm. li. de script. Ecclesiast.

Animaduersione dignum est reprehendi Petrum de Alliaco Cardinalem, quod sensisse videatur Christi Saluatoris Natiuitatem prænosci potuisse genethliacis obseruationibus, cuius rei confirmandæ gratiâ in medium profert stellæ φανόμενον, quæ Magis ipsis apparuit.

Scutum quadripartitum I. & IV. quadrans falsò cæruleus tæniâ muricatâ, sex pentafoliis argenteis tribus in summo, tribus in imo malè à Cœlatore positis. II. & III. aureus tribus Leonibus cæruleis expressus.

Portoit escartelé au I. & IV. en fausseté à la bande de gueules, accompagné de six quinte-fueilles d'argent, mal aßises par le Graueur. 3. en chef, & 3. en pointe: au II. & III. d'or à trois Lyons d'azur.



GVILLELMVS PHILASTERIVS DECANVS ECCLESIÆ RHEMENSIS CARDINALIS SANCTI MARCI IOANNE XXIII.

ANNO CHRISTI M. CCCC. XI.

CENOMANICVS ager sagacium hominum ferax Guillelmum Philasterium in auras anno M. CCC. XLIV. produxit, qui summo à naturâ dotatus ingenio Rhemorum Decanus eligitur in Ecclesiâ Metropolitanâ, antea in sancti Symphoriani Collegiata; Iuris Pontificij & Cæsarei Doctor insignis. Illa Decanatûs Cathedralis Ecclesiæ dignitate præclare functi postremis temporibus Hubertus Morus etiam insignis Ecclesiastes, qui multa typis mandauit; Petrus Frizon Abbas Vallis-regiæ Patruus meus, cuius opera spiritalia extant ab benè beateq; viuendum; Guillelmus Parent Doctor Parisiensis à sex lustris verbo Dei disseminando assiduè vacans. Decani Rhemenses.

Philasterio Decano Rhemis præclara in Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicorum vsum instructa est Bibliotheca, cui maximam codicum copiam est largitus: adhuc in ea visitur rara & ingens totius mundi charta (mappam vocant) miro artificio elaborata & descripta in equi marini pelle cum Philasterij insignibus. Extrui mandauit scholas Theologiæ Rhemenses. Exornauit sacram Diui Rigoberti Rhemorum Archipræsulis capsam.

In Mathematicis versatissimus, necnon linguæ Græcæ peritissimus nonnullos Platonis libros è Græco idiomate conuertit, præclarum Ptolomæi codicem, quem anno M. CCCC. XVII. dum ageret in Concilio Constantiensi, ad eam Bibliothecam misit, & Pomponij Melæ Cosmographiam, aliaque nonnulla. Archiepiscopus Aquarum Sextiarum in Prouinciâ. Sodalitati Cardinalium adscriptus à Ioanne XXIII. effectus Diaconus sanctæ Mariæ, deinde Presbyter tituli sancti Marci, reparatæ salutis, anno M. CCCC. XI: Archipresbyter Diui Ioannis Lateranensis. Ecclesiam sancti Chrysogoni Martyris administrauit.

Martini V. electioni, aliis tribus Pontificibus foras amandatis, duobus legitimis vltro cedentibus, Gregorio XII. & Ioanne XXIII. (qui anno M. CCCC. XVII. obierunt: ille Riceneti, hic Florentiæ) in bonum pacis, & alio illegitimo Petro illo Lunatico (qui cedere noluit) in Constantiensi Conci- Eodem anno moriuntur Greg. 12. & Ioan. 13

lio Cardinalis sancti Marci interfuit ipso initio magni nominis, & boni odoris Præsul. In sessione decima anno M. CCCC. XV. datus Commissarius cum Iordano de Vrsinis Cardinale, datus inquam Ioanni Pontifici, qui clam Constantiâ discessit, aderant etiam aliarum nationum Commissarij non Cardinales, pro Gallicana Stephanus Episcopus Dolensis, Abbas sancti Rufi, ac Guillelmus Malignet. Sessione trigesima quarta, anno M. CCCC. XVII. præclaram habuit concionem apud Patres Concilij sumpto illo D. Petri
1. Petr. 4. loco pro themate, *Tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei*, contra Petrum de Luna.

Ab eodem Martino in Gallias à latere Legatus cum eodem Iordane Cardinale Vrsino pro vnione in Catholicâ Ecclesiâ Romanâ conseruandâ post Synodum Constantiensem muneris sibi demandati partes cumulatè adimpleuit; ad Vrbem reuersus apud D. Chrysogonum Palatium à fundamentis erexit, quod incendio periit. Nepotem habuit Guillelmum Philastre Abbatem S. Theodorici Rhemensis ex Monacho S. Petri Catalaunensis Præsulem Virdunensem, anno M. CCCC. XXXVII. & Tullensem, & S. Bertini Atre-
Philippus Bonus. batensis Cœnobiarcham, qui postremò curâ Philippi Burgundiæ Ducis cognomento Boni (cui primus erat à consiliis) promotus ad Tornacensem Ecclesiam, vt suæ Abbatiæ Bertinianæ esset vicinior. Donatus Cancellariatu velleris aurei, de quo librum in lucem emisit Gallico idiomate, cuius epi-
Institutio Equitum velleris aurei. graphe *la Toison d'or*. Horum militum Torquatorum Ordinem instituit Philippus Dux decimo Ianuarij, anno M. CCCC. XXX. stylo nouo M. CCCC. XXIX. stylo veteri ipso die nuptiarum cum tertiâ vxore Elizabethâ Ioannis Lusitaniæ Regis filiâ post duarum sterilium coniugum mortem; ab imo scuti ad summa latera circumductus torques totus aureus, igniariis silicibus, & scintillis emicantibus constans, Phryxæo dependente Chrysomallo. Celeberrimam obiit ille nepos Legationem anno M. CCCC. LXIII. nomine Philippi Burgundi ad Summum Pontificem Pium II. pro voto de expeditione contra Turcas dispensando, quod Insulis Philippus emiserat in illo solem-
Comes Tullensis primus. ni Fasiani conuiuio. Hic Episcopus Tullensis primus Comitis nomine donatur à Friderico III. Augusto.

Romæ noster Cardinalis octogenarius animam exhalauit octauo Idus
Garimbertus l. 3. Cardd. cap. 3. Nouembres anno M. CCCC. XXVIII. Garimbertus Episcopus, ait, nonaginta annos vitam duxisse, & in aula Romana non exiguâ veneratione dignum, sepultus est apud sancti Chrysogoni cum epitaphio sequenti.

Sepulchrum Guillelmi tituli sancti Marci, Presbyteri Cardinalis Cœnomanēsis Diœcesis, ministri Ecclesiæ S. Chrysogoni, olim Decani Rhemensis, I. V. Doctoris. Habeat Deus, quam creauit animã, habet natura quod suum est, expectans Resurrectionem & vtriusq; vitam æternam; oportet enim corruptibile hoc induere corruptionem, & mortale hoc induere mortalitatem. Obijt anno Domini M. CCCC. XXVIII. *mense Nouembri, die vero sexta, ætatis suæ octogesimo.*

Aliqua scripsit, vt notauimus supra.

Pomponium Melam notis illustrauit & præfationem adiecit.

Aliquos Platonis libros latinè reddidit.

Scutum miniatum capite Cerui aureo, margine denticulato item aureo expressum.

De gueules à la teste de Cerf d'or, & bordure dentelée de mesme.



ÆGIDIVS DES CHAMPS CARDINALIS IOANNE XXIII. — Anno Christi M. CCCC. XI.


THEOLOGVS Parisiensis Ægidius, Carolo VI. Francorum Regi à Confessionibus.

Magnum Nauarræi Collegij Parisiis fundati à Ioanna Nauarræa Comitissa Campaniæ, Philippi Pulchri Regis vxore, moderatorem, & Principem Franciæ Eleemosynarium volunt extitisse nonnulli; sed quo auctore, ipsi videant; certè Petrus de Alliaco, qui creatus est Cardinalis eadem lectione cum Ægidio, fuit magnus Franciæ Eleemosynarius, & antea Summus Collegij Nauarræi Magister, quem quatuor præcessêre Alanus Gonticr omnium primus, anno M. CCC. X. postea Antistes Maclouiensis & Corisopitensis, Ioannes le Beau Pictauiensis, Nicolaus Oresimus, Caroli V. Regis Præceptor, & Episcopus Lexouiensis, cuius opuscula in Bibliothecâ Patrum reperiuntur: denique Nicolaus Feron Canonicus Parisiensis Ecclesiæ. — Primi & summi Magistri Collegij Nauarræi.

Castrorum Constantium in Normania Episcopus Ægidius, cui successit Ioannes de Merle, Henrici Franciæ Cancellarij occisi à plebe filius. Cardinalitiâ ornatur dignitate cum Petro Alliaco Episcopo Cameracensi, & Guillelmo Philasterio Decano Rhemensi à Ioanne XXIII. primâ creatione, anno M. CCCC. XI. die octauo Idus Iunij Presbyter absque titulo, quia absens Romæ creatus, nec vnquam fuit Romam ingressus. — Cancellarius occisus.

Parma muricata tribus fasciis argenteis, & tribus Aquilis coronatis aureis 2. & 1. exarata.

De gueules à trois fasces d'argent, & trois Aigles couronnées d'or 2. & 1.



Anno Christi M. CCCC. XIII.

SIMON DE CRAMAVD CARDINALIS PICTAVIENSIS IOANNE XXIII.

CRAMAVDVM vicus est Diœcesis Lemouicensis, in quo ortus Simon, cuius frater Petrus de Cramaud generosissimus Eques in prælio Pictauiensi, qui curauit fratrem Simonem mitti Legatum Auenionem ad Pontificem; obtinuitque à Rege Carolo VI. officium Magistri libellorum supplicum pro eodem.

Pictauiensis Ecclesiæ Præsul electus anno M. CCC. LXXXVIII. ex Ioannis Biterrensis Pictonum Comitis Cancellario. In hac Ecclesiâ D. Petro sacrâ instituit magistrum, & sex chori pueros, & anniuersarium solemni ritu peragendum cuiuslibet mensis die postremâ, in cuius rei finem dono dedit terram de Nousilley. Huiusce Præsulis tempestate corpus Diuæ Radegundis Reginæ, quod sanctus Gregorius Turonensis sepulturæ mandauerat, repertum fuit intactum & integrum octingentos fermè post annos; nam migrauerat ex hac vitâ ad cœlestem anno Domini D. XC. Regni duodecimo Childeberti Francorum Regis. Antea Agennensis Antistes in Archiepiscopatu Burdegalensi, & Biterrensis ad Orobum fluuium sub Narbonensi Metropolitâ, Administrator Carcassonensis anno M. CCCC. II. ad fluuium Atacem sub eodem Narbonensi, demum Auenionensis, & Rhemensis Archipræsul.

(Corpus S. Radegundis integrum)

Patriarcha Alexandrinus post Dioscorum etiam prædecessorem in Episcopatu Carcassonensi, missum à Facultate Theologicâ Parisiensi Perpinianum (vbi agebat Carolus VI.) vt finis aliquis daretur Schismati Petri de Luna. Purpuram accepit à Ioanne XXIII. secundâ promotione isque solus, anno M. CCCC. XIII. die decimo septimo Calendas Maij Cardinalis Episcopus Prænestinus. Quos Ioannes Papa creauit, habendi sunt legitimi; ipse enim aliquâ morâ iusto possedit titulo Pontificatum: vnde etiam factum, vt post ipsius abdicationem sedes paulò eminentior, quàm cæteris Cardinalibus ei attribueretur iuxta Summum Pontificem.

(Hieron. Zurita in reb. Arragon.)

(Ioannes 23. verus Pontifex.)

Dedit calculum suum electioni Martini V. qui erat Cardinalis solum Diaconus. Postridie electionis Pontifex caracterem Presbyterij accepit, die sequenti inauguratus Episcopus, primumque Missæ sacrificium Deo ob-

tulit, cui interfuêre centum quadraginta mitram ferentes, in Synodo Oecumenica Constantiensi ad Rhenum fluuium, anno M. CCCC. XVII. vnà cum Guillelmo Philasterio Cardinale, aliisque Galliæ Cardinalibus.

Concionem elegantem habuit Cardinalis Prænestinus dictus Pictauiensis vigesimo septimo Aprilis die Dominico coram totâ Synodo, themate sumpto ex ijs Scripturæ verbis. *Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis*, vndecim conclusiones eruens in tres contendentes de Primatu Petri denegantes pacem Ecclesiæ, conclusit substituẽdum esse quartum. Hæc Synodus parens fuit vnitatis, & vnionis Ecclesiæ Catholicæ deleto Schismate quadraginta annorum, ad quam Ioannes XXIII. Papa aduocatur, & à Papatu amouetur, noctuque mutato habitu aufugit Constantiâ; en depositionis probata ab eo schedula. Enger. Monstrel. in Carolo 6.

Ego Ioannes Papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani profiteor, spondeo, promitto, iuro, voueo Deo & Ecclesiæ, & huic sacro Concilio sponte & liberè dare pacem Christianæ Ecclesiæ per viam meæ simplicis à Papatu cessionis, & eam facere, & adimplere cum effectu iuxta deliberationem præsentis Concilij, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus Corrarius Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati Papatum, quem prætendunt, per se vel per Procuratores suos legitimos simpliciter cedant, & in quocunque casu cessionis vel decessûs aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari vnio Ecclesiæ Dei extirpationem præsentis Schismatis. Promissio pro abdicando Pontificatu.

Tandem venit idem Ioannes Florentiam anno M. CCCC. XIX. & Martinum V. legitimum Pontificem lachrymabundus, humi genibus flexis, & ad ipsius pedes prouolutus Christi in terris Vicarium est veneratus. Ioannes ad genua Martini 5.

Ex hac vitâ discessit Simon anno M. CCCC. XXIX. Pictauij sepultus in Cathedrali, cuius primò Episcopus, deinde Administrator cum hoc epitaphio & effigie alabastrinâ.

Simon S. R. E. & sancti Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis, & Episcopus Pictauiensis iacet in hoc sepulchro, cuius imago de alabastro est super tumulum marmoreum posita, & statua Cardinalis in proximo pilari prædicto sepulchro contiguo erecta, qui, dum fuit Romæ promotus ad Cardinalatum, erat Archiepiscopus Rhemensis, & pro sustentatione sui status fuit etiam sibi datus Episcopatus Pictauiensis; cuius etiam ante permultos annos fuerat Episcopus, & fundauit in istâ Ecclesiâ vnam præbendam cum grosso quadraginta librarum pro nutrimento vnius magistri, & sex puerorum in musica instruendorum ad faciendum diuinum seruitium.

Reliqua desunt obliterata.

Scutum de Cramaud cæruleum, tæniâ aureâ, margine miniato interclusо, nummis byzantiis vndecim aureis expressum.

D'azur à la bande d'or, & l'orle de gueules à onze besans d'or.



Anno Christi M.CCCC.XVII.

PETRVS SENIOR CARDINALIS DE FOIX
MARTINO V.

FF.Sammarthani li.30. hist. geneal. Franc.c.I

ARCHAMBALDI de Grefly Præfecti vulgò *Capital* de Buch in prælio Monteleriano interempti (filij natu-Minoris Petri Domini de Grefly) & Isabellæ Comitiſſæ Fluſſatum, Vice-comitiſſæ Bearni, ſororis & hæredis Matthæi Comitis Foxenſis filius. In Petri gentilitiam imaginem binas videlicet vaccas luſit quidam vates Minorita.

Quod cernis Comitem geminos geſtare iuuencos,
Acquiri edocuit Regna labore poli.

Diui Franciſci profeſſus Ordinem in Conuentu Morlaſenſi, quondam erecto à Gaſtone Moncada, anno M. CC. LXV. Theologus, Montis-maioris Abbas prope Arelatem.

Conuenarum Epiſcopus inauguratus, & ſemel ac iterum Leſcarenſis Præſul, imprimis anno M. CCCC. V. & iterum anno M. CCCC. XXXIII. duobus intermediis Epiſcopis, puta Arnaldo de Salies, & Arnaldo d'Abadie; etiam Lombarienſis. Tandem Archipræſul Arelatenſis, celebrauitque Concilium Prouinciale Auenione, cui præfuit, his ſubſcribentibus. Petrus miſeratione diuinâ Albanenſis Epiſcopus S.R.E. Cardinalis, Auenionenſis vulgariter nuncupatus, à latere Sedis Apoſtolicæ Legatus, Robertus Aquenſis Archiepiſcopus, Petrus Aptenſis, Georgius Senecenſis, Gaucherius Vapincenſis, Nicolaus Maſſilienſis, Petrus Dignenſis, Petrus Glantauenſis, Palamedes Cauallicenſis, Pontius Vaicionenſis, Ioannes Regienſis, Stephanus Tricaſſinenſis, Michael Carpentoractenſis, Ioannes Auraciſenſis anno M. CCCC. LVII. Notat vir doctiſſimus Græcè & Latinè Petrus Saxius in municipio trium Mariarum ad Mare in agrorum Camariæ Inſulæ finibus Renati Regis precibus, & Nicolai V. auctoritate Diuarum Mariarum reliquias, quæ in ſubterraneo iacebant, alto leuaſſe loco. Anno M. CCCC. XLVIII. ſuæ ſedis primo tranſegit cum plebejs Arelatenſibus, qui pecudum deducebant greges in Craui campos iniuſſu Epiſcopi, vt ex quouis grege iure cenſûs ouem vnam perſoluerent; hanc ſanctionem Renatus Siciliæ Rex, & Prouinciæ Comes ratam habuit: Regi verò Epiſcopus red-

Synodus Auenionen.

M. ciarũ reliquiæ.

didit Fereriarum sancti Mitrij Castriueteris municipia; Palatium Episcopale ædificiis ornauit, Ecclesiam Arelatensem sacello auxit, castrum Salonis illustrauit, &, vt quolibet die Missæ sacrificium in matrice Ecclesiâ celebraretur, attributis redditibus instituit.

Suæ sedis tempore vndecim millium Florenorum summa ex thesauro vrbis publico in Neapolitani belli sumptus Renato concessa, edixitque Renatus codicillum decumarum minimè erga Arelatenses validarum.

Martinus V. confirmauit Cardinalitium honorem Petro, anno M. CCCC. XVII. tituli sancti Stephani in monte aureo; postea est inauguratus Episcopus Albanus, quem Benedictus XIII. maledictus Antipontifex Petrus ille de Luna Cardinalem Diaconum crearat sancti Angeli, anno M. CCCC. V. à cuius partibus defecit, & Pisas se contulit cum aliis Cardinalibus collegis, qui in Concilio Pisano Nonis Iunij, anno M. CCCC. IX. declarauêre priuatum Benedictum, & Gregorium XII. qui spontaneè in Synodo Oecumenicâ Constantiensi per Carolum Malatestam Procuratorias litteras habentem, Pontificio throno erecto, in quo sedebat, se abdicauit, vt aliàs notauimus, & Schismatis radices penitus euulsit ab Ecclesiæ horto conclusо, Martino V. Pontifice radiante, vt altero Sole in toto mundi Horizonte.

Legatur in Hispaniam ab eodem Pontifice ad Alphonsum Regem anno M. CCCC. XXVI. pro vnitate conciliandâ in Regnis Arragonensi & Nauarræo, quam diuiserat Petrus ille de Luna, aliquando Iuris doctrinam professus publico auditore in Academiâ Monte-pessulanâ. Decreta porro fuit hæc Legatio die octauâ Ianuarij, anno M. CCCC. XXV. Romæ, in Ecclesia XII. Apostolorum. Alia fuit Legationis causa nempe vt Arragonensis liberaret fratrem Henricum ergastulo detentum; dum Auenionem peruenit, Nuncios præmisit ad Regem, inter cæteros Rogerium Episcopum Adurensem. Iulianus de Loba Anticardinalis abdicat se Cardinalatu, hanc abdicationem acceptat Petrus Cardinalis de Fuxo, & eum à censuris absoluit.

Zurita li. 13. de rebus Arragon.

Pseudocardinalis abdicat se Cardinalatu.

In nomine Domini. Amen. Anno M. CCCC. XXIX. Indictione septimâ, die verò decimo sexto mensis Augusti, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Martini diuina prouidentia Papæ V. anno duodecimo apud sanctum Matthæum Dertusensis Diœcesis, in domo magistri Montesiæ, in Camera paramenti coram Reuerendissimo in Christo Patre & Domino, D. Petro miseratione diuina tituli sancti Stephani in Cœlio monte S. R. E. Presbytero Cardinali, inclytæ domus de Fuxo meque Notario & testibus infrascriptis præsentibus, constitutus personaliter honorabilis & circumspectus vir Dominus Iulianus de Loba Presbyter inter illos olim Penischolæ cum Domino Ægidio Sancij Munionis in vniuersali Ecclesia Episcopo olim in dicto loco Penischolæ Clemente VIII. à suis nominato Cardinalis Episcopus Ostiensis nuncupatus, eidem Domino Cardinali Legato nomine prædicti Domini nostri Papæ recipienti veram obedientiam, & fidelitatem iuramento præstitit, & nihilominus capello Cardinalatûs, dignitati, & honori, & omni iuri sibi in eisdem, seu ad illa quomodolibet competenti, in manibus præfati Domini Cardinalis Legati suâ sponte, & merâ voluntate non coactus, nec conuictus, nec vi, nec

dolo, seu alias inductus expressè renunciauit, quam quidem renunciationem & resignationem dignitatis Episcopatûs, tituli, Cardinalatûs Ostiensis & honoris prædictus Dominus Cardinalis Legatus Apostolicæ Sedis auctoritate admisit, eundemque Dominum Iulianum ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ recepit; absoluit ab omnibus sententiis, pœnis, & mulctis aduersus Penischolenses, & eorum quemlibet per Sedem Apostolicam, & sanctissimum Dominum nostrum Martinum Papam V. fulminatis, latis & promulgatis restituit, & reintegrauit, & habilitauit ad omnes & singulos honores Ecclesiasticos, & Dignitates imposterum assequendas. De quibus omnibus & singulis præfatus D. Cardinalis Legatus petiit sibi fieri vnum, vel plura, publicum seu publica, instrumentum siue instrumenta, ad perpetuam rei memoriam per me Notarium publicum infrascriptum. Acta fuerunt hæc sub anno, indictione, die, mense, & loco, ac Pontificatu supradictis, præsentibus in Christo Reuerendis Patribus Dominis Rogerio Adurensi, Ioanne Bethleemitano Episcopis, & Venerando in Christo Patre Ioanne Abbate Monasterij sancti Seueri, celeberrimi Ordinis sancti Benedicti, Adurensis Diœcesis, egregiisque Viris Bernardo de Rosergio Cancellario Ecclesiæ Tolosanæ, & Rodulpho Rollandi Canonico Aquensi, & sacri Palatij causarum Auditore V. I. D. & quampluribus aliis testibus fide dignis, ad hoc vocatis specialiter & rogatis. Et me Petro Arnaldo de Vice-comitatu Ecclesiæ sancti Seuerini extra muros Burdegalenses Decretorum Doctore, Apostolicâ & Imperiali auctoritate Notario, quia præmissis omnibus & singulis, dum sic, vt præmittitur, agerentur & fierent, vnà cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi & audiui, & ideo præsens publicum per alium fideliter conscriptum instrumentum, exinde retinui, & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meo solitis & consuetis signaui rogatus, & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Clemens Pseudo-pontifex detinet Anti cardinalem in carcere

Ioannes Caresius Diœcesis Ruthenensis Anticardinalis sancti Stephani in Cœlio monte, cum Dominico de Bona Fide Carthusiano semel iterumque excommunicato à Martino V. voluit procedere contra Clementem VIII. ad nouam alterius tertij Pontificis electionem, quem tamen elegerat in Antipapam, mortuo Benedicto XIII. Ipse Clemens eam ob rem detinuit triennali carcere Dominicum in obscuro ergastulo Penischolæ, à quo egressus confugit ad Petrum Foxium, libereque cessit Cardinalatûs titulo & honori, anno M. CCCC. XXIX. rem promouenti Arragonum Regi in dictâ villa sancti Matthæi in gratiam Martini V. Penischola militibus Hospitalariis adempta in Regno Valentiæ sita aduenit. Clementem illum VIII. Schismaticum eo compulit Foxius anno quinto suæ Legationis, vt sponte Antipapa se ipsum è Sede Pontificiâ deturbarit, pœnitentes Legatus absoluit, die festo sanctæ Annæ, contumaces carceri mancipauit, qui tandem, rebus ex animi sententiâ gestis, rediit ad Vrbem octauo Idus Ianuarij, anno sequenti.

Mariana lib. 20. de reb. Hisp. pan. c. 16

Auenionensis Legatus creatur, & Comitatûs Venaysini anno M. CCCC. XXXIV. ab Eugenio IV. Summo Pontifice in locum Alphonsi Carriglij Cardinalis sancti Eustachij vitâ functi: in eâ Legatione triginta duos annos

permansit,nimirum Nicolao V. Calixto III.Pio II. & Paulo II.eximiâ cum laude, *bonus Legatus* vulgò appellabatur, cuius successor Borbonius Cardinalis Sixti IV.

Apud Petrum,dum Legati personã gereret in Hispania, purpuram etiam dimisit Dominicus de Bona-fide, olim Prior Carthusiæ de monte Alaigre, & Ægidius Sanxius ipsius Clementis VIII. Munotij Hispani nepos, Episcopus Balearis postea est creatus; exemplo ipsius Antipapæ è gradu eiecti ad saniorem mentem redierunt in villa sancti Matthæi tribus leucis à Penischola anno Pontificatûs Martini V. veri Pontificis duodecimo,ipsius Clementis VIII. Pseudopontificis septimo. Iulianus de Loba ab eodem Petro Legato absoluitur dimissâ purpurâ, & eundem gremio sanctæ matris Ecclesiæ admittit, vnde confectum est instrumentum ab eodem Actuario decimâ sextâ mensis Augusti,anno M.CCCC.XXIX.Franciscus etiam Rouira Decretorum Doctor Pseudocardinalis idem exemplum & vestigia est sequutus: denique Eximinus Dahe Anticardinalatûs honorem reliquit in omnibus Legato Apostolico obediens, & vt habetur in instrumento die XXIII. Augusti,eodem anno, non coactus, non conuictus neque vi, dolo,vel metu quomodolibet inductus Domino Cardinali Legato nomine Martini V. veram obedientiam & fidelitatis sacramentum præstitit. Pseudocardinales coram Legato purpurâ exuunt.

Post quinquaginta sex annos in Cardinalatu emensos, anno primo Pontificatûs Pauli II.immortalitate plurima Petri merita fuêre à Deo compensata Auenione Idibus Decembris,anno M.CCCC.LXIV. iacetque apud Franciscanorum sui Ordinis Ecclesiam (cuius anteriorem partem substruxit) positâ hac epigraphe sepulchrali.

Sub hoc humili iacet loco Fr. Petrus de Fuxo creatus Cardinalis, anno ætatis suæ vigesimo secundo, qui in Concilio Constantiensi cum Cardinalibus, & in Hispaniâ Legatus Schisma deleuit, & duos Hispaniæ Reges confœderauit. Tiaram Beati Syluestri Lateranensi Ecclesiæ restituit, Auenionem & diuersas Prouincias, vt Pater patriæ annis triginta duobus rexit, Iacobi & Salome Marias alta locauit. Tandem anno M.CCCC.LXIV. *mense Decembri animam cælo reddidit, quam sancta suscepit de terra Lucia. Pauli Pontificis Maximi anno primo.*

Lemma illius sarcophago inscriptum, *Seruire Deo, regnare est.*

Scutum quadripartitum in I. & IV.quadrante aureo palus tripartitus miniatus,in II.& III.aureo vaccæ duæ gradientes coccineæ,cornubus,collari & cymbalo cæruleis. Scutum Foxium& Bearneû.

Portoit escartelé au 1. *&* 4. *d'or au pal de gueules de trois pieces: au* 2. *&* 3. *d'or à deux vaches passantes de gueules, accornées, accollées & clarinées d'azur.*



Anno Christi M.CCCC. XXVI.

BEATVS LVDOVICVS ALEMANDVS CARDINALIS ARELATENSIS MARTINO V.

Ex Saxio in Pontif. Arelat.

NATALIS Ludouico Alemando locus fuit Arbencium municipium apud Burgesios propè Cœnobium sancti Claudij Vesuntiorum Archiepiscopi. Petrus illi Pater ex illustri gente, quæ Arbencio imperitabat; mater verò soror Francisci de Conzi, quæ præter Ludouicum, Hugonium peperit Arbencij Dominum, qui vxorem duxit ex gente Baronum de Grãson, & Sanctæ-Crucis: est & alia gens Alemandorum nobilis in Galliâ, Allobrogum, quos hodiè Delphinates appellant, vtrique familiæ stirpem eandem inesse censet, qui Cadurcenses Episcopos vulgauit. Alteram gentem Alemandorum apud Salutienses Subalpinos (Plinius illos inter Alpium populos latini iuris collocat, Ptolemeus verò inter Insubres, nunc Salutij sunt) inesse fama est in oppido sancti Michaelis ad vallem macram, vbi vicus & turris, quæ ab Alemandis nomen habet: amplissimam familiam eas partes insedisse constat, Othonibus in Italiâ latè dominantibus; at licet diuersis in Prouinciis, diuersæ Alemandorum supersint familiæ; vna tamen Burgesiorum Arelatensibus dedit Ludouicum. Duo Antonij Alemandi Cadurcenses Episcopi, primus anno M. CCCC. LXV. secundus verò M. CCCC. LXXVII.

Cæterum Ludouicus primùm Ecclesiæ Lugdunensis Canonicus & Comes; inde Antistes Magalonensis Francisco de Conzi Auenionensiũ Legato intercedente. Abbas Tornusianus post Ludouicũ de Palude Cardinalẽ.

Cardinalatûs dignitas tit. S. Cæciliæ ei delata à Martino V. in secunda lectione, die nono Calendas Iulij, anno M.CCCC. XXVI. in Italiam vocatus, Boniam Legatus obtinuit, inde Basileam ad Synodum (indixerat Martinus V. anno sui Pontificatûs vltimo) sese contulit; at inchoatâ Synodo successorem habuit Pontifex mortuus Eugenium IV. qui Episcopos ab Heluetiis in Italiam, spe ductus Græcorum Ecclesiæ Romanæ conciliandorũ, euocauit; & tantopere irritati sunt eorũ animi, vt Amedeum ex Duce Sabaudiæ solitudinis colonum (Felici illi nomen fuit V.) in Pontificem elegerint, Ludouico nostro authore, si Ciaconio fides dãda sit: veritus (ea scilicet quæ in Cõcilio Basileensi decernere studebant Prælati) Papa Eugenius IV. Concilium

Cõcilium Basileense.

Basileense (quod postea fuit reprobatū) Legato Apostolicæ Sedis reuocato, ob eiusmodi causam dissoluere visus est, idque Ferrariam transtulit Vrbē ad Padum, quòd diceret Græcos cum Ecclesiâ Romanâ in Fidei articulis, in quibus illi aberrabant, conuenturos ad eundem locum sibi deligendū, quæ omnia eò tendebant, vt Concilium Basileense dissolueretur; quo cognito Prælati Concilij Basileensis, quorum Signifer, & Dux erat Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatensis, qui ab Eugenio IV. cum quo graues inimicitias habuit, ad eos confugerat, nullâ ratione adduci vnquam potuerūt, vt Eugenio obtemperarent, quamobrem non solum Basileâ non discesserunt; sed ipsum cum Cardinalibus omnibus ad Concilium Basileense ausi sunt citare. Graues verò, quas memorat inimicitias inter Eugenium, & Ludouicum intercessisse non ex alio fonte fluxerunt, quàm ex Concilij Basileensis sententiâ, quâ plura sunt statuta satis properanter de Conciliis Oecumenicis, nec alio felle commotum Ludouicum Ciaconius confirmat; dum enim electores Felicis recenset, ait, Ludouicus Alemandus Gallus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ, Arelatensis vulgò dictus, qui non trium-virali lectione, sed iure, quod in electione Romani Pontificis Cardinales habent, Conclaue ingressus est, vel certè quòd vir Ecclesiasticæ disciplinæ tenacissimus ferre non poterat, vt sibi ipsi videbatur solui eas leges, in quibus condendis Constantiensis Synodus aliquando incubuisset. Hęc retuli ne quis Ludouico parum æquus esse videretur. Concil. Lateran. vlt. sess. 11.

Dum verò vtrinque animis sententiisque certabatur, Eugenius, qui Ludouicum nostrum purpurâ priuauerat, defunctus est: eo mortuo Thomas patriâ Sergianus Pontifex eligitur, vir vtiq; sanctus anno eius sæculi XLVII. Nicolaum nomen edidit: Federici igitur Austriæ Ducis, qui Alberto Imperatori successerat, Franci Regis, ac Burgundiæ Ducis permotus Felix authoritate, & Ludouici nostri consilio, sacrosancta insignia ac nomen Pontificium deposuit, eique Legatio apud Allobroges demandata est; at antequam Synodus solueretur ex Ecclesiæ thesauro indulgentias Ecclesiæ suæ Arelatensi obtinuit Ludouicus, quem non inuitus in gratiam, pace Ecclesiæ partâ, suscepit Nicolaus, pristinæque dignitati restituit; notat enim Ciaconius, Ludouicus Alemandus (verba Ciaconij sunt) Archiepiscopus Arelatensis priuatus ab Eugenio IV. restitutus à Nicolao V. Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ: exinde in inferiorem Germaniam Legationis munere fungens missus est, & in itinere detentis equis, mulis onerariis, & commeatu priuatus est. Alemādus priuatur Cardinalatu. Restituitur.

Nec facilè est explicare, quos pro conciliandâ Ecclesiæ pace, & abrogando Schismate labores tulerit, quibus discordiis sopitis, & extinctis Arelatem redierit, effusâ in sacras ædes liberalitate commendatissimus; nam suis sumptibus & impensis mediam Ecclesiæ matricis partem, & eam, in qua Sancta Sanctorum ad Orientem erant, quod antiquitatem redolerent, solo prostrauit, vt diruta amplioribus spatiis nouâ excellentiorique formâ excitarentur. Constructa autem est Ecclesia & efformata peramplis fornicibus erectis, intermediis aliis minoribus, & ædificatis hinc inde nouem cubiculis, quæ capellas dicimus, & in absīde seu superiori curuaturâ principis fornicis, sub quâ positum est primatium altare, pastophorium, tha-

lamum ſcilicet, & cubiculum interius (vt explicat Hieronymus) conſtituit, in quo arcam argento affabrè elaboratam, quam Gasbertus dedicarat, magno cultu & reuerentiâ incluſit, cineribus Sanctorum & præcipuè Trophimi nobilem, quot annis diei peruigilio, quæ Diuó Trophimo ſacra eſt, exhibendam; ſpectante enim populo, ſacri illi cineres ex ſupremâ ædiculâ in theatrum ad altaris gradus excitatum funibus dimittuntur, præbentque in ipſo deſcenſu non tam gratum, quàm pium, venerandum, perpetuáque memoriâ celebrandum ſpectaculum: vſus autem inualuit, propagante conſuetudinem pietate plebeiâ, vt populus arcam circumeat certis numeratiſque greſſibus, vt deuotionem animumque, tum in Deum, tum in Sanctos teſtetur, de quo cultu loquitur Dauid. *Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis, cantabo, & pſalmum dicam Domino.* Sunt & alia, quæ tanti viri munificentiam & liberalitatem teſtentur: ornauit enim Caſtrum Saloniæ vrbis variis ædificiis, & Epiſcopium, quod Arelate eſt, aulis, cubiculis, diuerſiſque contigulationibus illuſtrauit; ſed, quod ſummum eſt, vitam duxit Angelicam, gratiáque miraculorum excelluit, atque omni ex parte Beatus, Salone ad Crauum obiit die decimâ ſeptimâ Septembris ſexagenarius, anno M. CCCC. L. Arelatemque tranſlatus eſt, vt patet ex ſacro & ſolemni in eius laudem carmine.

Reliquiæ S. Trophimi.

Pſalm. 26.

Hic (Ludouicus ſcilicet) laborans in extremis,
Sacramentum Vnctionis,
Sibi dari complacuit
Minorum ac in Ordinis
Conuentu noſtri Salonis,
Felix eius finis fuit.
Citò corpus, vt decuit,
Tranſlatum in Arelatem
A Clero plebeque fuit
Suſceptum honorificè.

Celebrandis verò exequiis tota fere Prouincia Arelatem aduolauit; numerantur enim viginti tres Vrbes, quæ per Sacerdotes, Religioſos, & plebem proceſſioni ſeu exequiarum celebritati adfuêre: eius oſſa veneranda in dextro altaris cornu recondita fuêre, hac ſepulchrali inſcriptione.

Celebratur exequiæ à 23. vrbibus.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuêre, ruunt.

Vnde ſicut Deo placuit anno M. CCCC. L. *luce vero ſextâ menſis Septembris decimâ bonæ memoriæ Reuerendus in Chriſto Pater & Dominus Ludouicus ſacro S. R. E. titulo ſanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Arelatenſis vulgariter nuncupatus ſacræ huius Baſilicæ Adminiſtrator benè meritus & Princeps, vitæ laudabilis & conuerſationis honeſtæ ad maius vocatus tribunal deuotè*

viam est vniuersæ carnis & Catholicè ingressus. Orate pro eo, vt eius anima requiescat in pace.

Aliter tamen rem contigisse asserit, qui Amedeum Pacificum prælo mandauit. Quæ verò, inquit, ea miracula? declarat eius epitaphium Altæcumbæ in Sabaudiâ apud Cistercienses Gallicâ linguâ exaratum: amabat siquidem vir sanctus locum illum velut orationi (cuius erat studiosissimus) oportunissimum, habetque vetus traditio ibidem ex corporis ergastulo euolasse (quod Ecclesiæ Arelatensis diptica decimo septimo Septembris anni M.CCCC.L. contigisse habent) quamquam sacræ eius exuuiæ magnâ ex parte Arelatem deinceps translatæ sunt, ciuibus Pastorem suum ne mortuum quidem abesse ferentibus. De illo etiam referre placet, quæ licet mendis asperſa Ciaconius recitat his verbis. Domnus Ludouicus Alamanus Gallus Canonicus Regularis, V. I. D. ex Episcopo Maclouiensi Archiepiscopus Arelatensis, Vice-camerarius, & Prolegatus Bononiæ, Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ, & Bononiæ Legatus cum Eugenio IV. Papâ graues simultates egit, à quo ad Concilium Basileense fugiens, acerrimum se illi hostem præbuit; factus Dux Basileensis multitudinis Eugenio IV. infensæ, cuius potissimum causâ Felix V. Antipapa contra Eugenium creatus in Concilio Basileensi, fax & scandalum S.R.E. & Schismatis author ob id ab Eugenio IV. priuatus, ægrè ab eius successore Nicolao V. restitutus est. Mortuus est in Sabaudiâ, ibique in ciuitate Lausanensi sepultus. Legatus sub Felice V. Antipapâ ad Fridericum Imperatorem in Conuentu Franco-fordiensi, cum Panormitano, Ioanne Segobiensi Cardinalibus obedientiæ Felicis V.

Verum quicquid dicat Ciaconius, tantâ eius tumulus miraculorum gloriâ enituit, vt quos illic pietas euocabat, reuocata plerosque desereret infirmitas; cæcis enim videndi, claudis ambulandi, surdis audiendi, mutis loquendi, & (quod omnem perfecti miraculi dubitationem tollit) mortuis nonnumquam facultatem viuendi restitutam accepimus, extatque apud Arelatenses miraculorum ab eo editorum liber, quem Actuarij tres publicâ subscriptione roborarunt. *Miracula B. Alemandi.*

Illum laudant authores permulti: Æneas Syluius, qui postmodum Pontifex Pij II. nomen obtinuit, sic de Ludouico nostro scribit. In Arelate ad sepulchrum Ludouici Cardinalis sanctæ Cæciliæ eius vrbis Episcopi, quem Basileæ in concessu Patrum vidimus præsidentem, magna miraculorum opinio orta est, & inualidorum frequens vndique concursus spe sanitatis factus. Pium ferè descripsit Philippus Bergomensis. Ludouicus (inquit) Arelatensis Vir doctissimus atque eloquentissimus, qui Basileensi Synodo ex consensu omnium Patrum præfuit, his temporibus cum multa edidisset opuscula (quæ odio, vt existimo, Schismatis perierunt) & quidem docta, non sine magnâ sanctitatis opinione decessit, & ob eam rem ad eius sepulchrum magna miraculorum opinio orta est, & infirmorum magnus concursus. Vernerus illorum temporum æqualis; Ludouicus, inquit, Alemandi Episcopus Arelatensis, vir sanctæ vitæ ac miræ patientiæ, singularisque columna Concilij Basileensis, cui diu præsedit, multis coruscat *Præses Concil. Basileen.*

In Fel. 5. Lib 3. hi- stor. Sab. cap. 32. In Amed. 8. Histor. Prouen. part. 6.

miraculis; totidem fere verbis Philippus de Lignamine. Hinc factum est, vt Paradinus illum scientiæ incomparabilem, & miraculis editis celeberrimum vocet. Lambertus Vandemburgius, & Nostradamus his consentiunt, & miraculis inclaruisse commemorant: *Admirandæ*, inquit ille, *fuit sanctitatis, eruditionis, & post mortem miraculis celebris.*

Famâ verò nominis percrebescente, vulgatisque toto Orbe miraculis Clemens VII. verus Pontifex quod omni exceptione maius est, Ludouicum in Beatis recensuit, eiusque cineres à precabundo populo coli permisit diplomate sequenti.

Diploma beatifica- tionis BB. Alemandi & Petri Luxem- burgi.

Clemens Papa VII. dilectis filiis Præposito, & Canonicis Metropolitanæ Arelatensis Ecclesiæ, ac Priori, & Fratribus domûs Fratrum Cœlestinorum Regularis obseruantiæ ciuitatis nostræ Aueniomensis.

DILECTI filij Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cùm sicut accepimus iam diu magnis Christi fidelium, & potissimum nostræ ciuitatis Aueniomensis votis erga R. Patrem de Luxemburgo, & Arelatensis erga Ludouicum Alemandum S. R. E. Cardinalem, & Ecclesiæ Arelatensis Archiepiscopum, quorum corpora, Ludouici in Arelatensi, & Petri in nostro Monasterio respectiuè requiescunt, deuotionis affectus ita immineat, & populi multitudo, non solum ciuitatum prædictarum, sed aliarum partium diuersarum concurrat, vt in eorum procellis, & huius caduci sæculi turbinibus tanquam speciales protectores, fautores, intercessores, adiutores ad Dominum inuocētur; nec mirum si Dominus noster IESVS CHRISTVS, cuius pro posse, vt fide dignorum habet assertio, imitatores extiterint, in dies ipsorum precibus eos inuocantes, miraculis, ac dolorum & angustiarum subleuationibus adiuuet, opemque ferat, & auxilium: quandoquidem Petrus teneris sub annis, & Ludouicus ipse, vt accepimus, vitam cœlibem, castamque & immaculatam exegerint, & Petrus in septemdecim, & Ludouicus in sexaginta suarum ætatum annis (vt in eorum vitæ annalibus traditur) suo Creatori suas purissimas reddiderint animas, calcatis huius mundanæ vitæ (quamuis illustri essent ortī prosapiâ) illecebris. Proinde claræ memoriæ Rex Siciliæ, & Hierusalem tunc in illis partibus degens cum multitudine Christi fidelium, miraculorum huiusmodi stupore, vestráque Regulari obseruantiâ, & vitæ exemplaris meritis motus, Ecclesias, domum, & Conuentum vestrum instaurauit, & non paruâ impensâ construi fecit: Vosque præterea ob singulares eorundem Petri & Ludouici virtutes, quæ innumeræ leguntur, nec non ieiunia, orationes, vigilias, & quamplures Deo gratas & acceptas operationes, quas tunc viuentes gratiâ sibi assistente diuinâ operabantur; ita vt Cœlitum numero piè existimentur relati, cupiatis eorum corpora, quæ vt præmittitur, in eisdem Ecclesiis vestris, & locis satis humidis & subterraneis iacent, ad alia, intra tamen Ecclesias vestras, commodiora loca transferre, ipsosque Petrum de Luxemburgo, & Ludouicum Alemandum, quorum imagines à piis vbique fidelibus, à longissimis iam annis citra depingi consueuerunt pro Beatis coli & venerari posse. Nobis propterea Venerabilis Fratris nostri Francisci Episcopi Tusculani S. R. E. Cardinalis de Claromonte illarum partium nostrarum de latere Legati, qui ad eosdem Petrum, & Ludo-

uicum non paruum gerit affectum, à vestro nomine humiliter extitit supplicatum, vt huiusmodi vestris tum piis, & honestis desideriis annuere pro nostri Pastoratûs officio de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui fideles quoslibet, & partim sub suaui Religionis iugo Domino famulantes ad deuotionem & venerationem illorum, qui Beati habentur, quantum cum Deo possumus, libenter excitamus, vt illorum imitatores existere valeant. Vestris in hac parte desideriis piis, vt pote ex magno deuotionis feruore prodeuntibus annuentes Vobis, quod eorundem Petri & Ludouici corpora, & ossa ex subterraneis locis in alia commodiora loca earundem Ecclesiarum vestrarum transferre, & ibidem venerabiliter collocare, & tam Vos quàm alij vtriusque sexus fideles pro vestrâ, & eorum spirituali consolatione, in vestris Ecclesiis & sacellis pro beatis venerari, sine incursu alicuius demeriti vel idololatriæ, siue conscientiæ scrupulo possitis, & valeatis, ac ipsi possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium de Apostolicæ potestatis plenitudine concedimus pariter & indulgemus. Non intendimus propterea eosdem Petrum & Ludouicum in catalogo SS. esse relatos, donec seruatis debitis solemnitatibus in Sanctorum canonizatione seruari solitis, ad illorum canonizationem deuentum fuerit. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die nonâ Aprilis, anno M. D. XXVII. Pontificatûs nostri quarto.

Beati declarati non Sancti.

Illi sacellum Arelate, & Altæcumbæ extructum est, inuocato eius patrocinio, vt Confessoris Pontificis in Breuiario Arelatensi peruetusto his verbis. Quâ die obiit gloriosæ memoriæ B. Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatensis, fiat Officiũ semiduplex cum primis & secundis Vesperis, & omnia dicantur de communi Confessoris Pontificis; Numini in Missâ litatum est in hæc verba.

Sacerdos & Pontifex & virtutum opifex, Cardinalis gloriose, Pastor bone in populo, in patriâ Prouinciæ, qui placuisti Deo viuens religiosè, intercede pro nobis ad Dominum.

Ora pro nobis sancte Ludouice Cardinalis,
Vt per te eruamur ab vniuersis malis.


Oremus.

DEus, qui meritis & intercessionibus Beati Ludouici Alemandi Confessoris tui, atque vrbis Arelatensis Episcopi, & sanctæ Cæciliæ Presbyteri Cardinalis dignaris mortuos suscitare, cæcos illuminare, claudis gressum, surdis auditum restituere: concede propitius, vt omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum nostrum, &c.

Multa edidit opuscula, vt refert auctor supplementi Chronicorum.

Scutum Beati Alemandi Cardinalis cæruleum Leone insiliente argenteo linguâ & faculis muricatis expressum.

D'azur au Lyon rampant d'argent, langué & lampassé de gueules.



Anno Christi M. CCCC. XXVI.

IOANNES DE LA ROCHETAILLE' CARDINALIS ROTHOMAGENSIS MARTINO V.

RVPESSCISSA viculus duobus circiter milliaribus à Lugduno distans natale solum Ioannis Rupisscissæ, à quo nomen est mutuatus. Symphoniacus puer in Ecclesiâ Lugdunensi. Iuris vtriusque Doctor, Curiæ Rothomagensis Ecclesiasticæ Iudex (quem Officialem vocant) literarum Apostolicarum Corrector. Geneuensis Præsul post Ioannem Cardinalem de Embroniaco. Synodo Constantiensi sessione quadragesimâ primâ, anno M. CCCC. XVII. adest Episcopus sancti Pauli, datque suum Martino V. eligendo suffragium:in illâ creatur Patriarcha Aquileiensis,durat hæc Synodus ab anno M. CCCC. XIV. ad XVIII. Calendis Maij soluta.

Synodus Constantien. durat ferè quatuor annos.

Episcopatûs Parisiensis perpetuus Administrator, sicque denominatur in statutis Collegij Marchiani à Guillelmo de la Marche Canonico Tullensi Fundatore, die decimâ nonâ Maij, anno M. CCCC. XXIII. sacroque oleo vnxit templum sancti Petri, vulgò *des Assis*, Lutetiæ Ecclesiæ Parrochialis, anno M. CCCC. XXIV. die quartâ Martij.

Purpuræ honorem accepit à Martino V. secundâ promotione, nono Calendas Iulij Presbyter tituli sancti Laurentij in Lucina eodem anno, quo S. R. E. Cancellarius Bononiæ est constitutus nimirum, M. CCCC. XXVI.

A Parisiensi ad Rothomagensem Cathedram promouetur ab eodem Pontifice, post Ludouicum Ioannis, d'Arcourt & Catharinæ de Bourbon filium, duobus annis ante Cardinalatum.

Bisuntinus Archiantistes Theobaldo, anno M. CCCC. XXIX. Romæ vitâ functo, vocaturque ad conuentum Caroli VII. Galliarum Regis, vt acceptetur vrbs Geneuensis in patrocinium & tutelam Franciæ eodem anno. Eo in Cathedrâ Bisuntinâ sedente, anno M. CCCC. XXXV. Iacobus Borbonius Neapolis, & Siciliæ Rex Vesontione factus est Franciscanus ex Oliuario de la Marche, sepultusque est in Ecclesiâ Clarissarum in sacello, quod vulgò vocant, *la Chapelle du Roy Iacques*, cum hoc epitaphio.

Oliuar. de la Marche moniment. ca. 1

Cy gist Iacques de Bourbon, tres-haut Prince & excellent; de Hongrie, Ierusalem & Sicile Roy tres-puissant; Comte de la Mar-

che,

che, de Castre, & Seigneur d'autres Pays, qui pour l'amour de Dieu laissa freres, parens & amis, & par deuotion entra en l'Ordre de sainct François, lequel trespassa le XXIII. iour de l'an M. CCCC. XXXVIII. *priez pour son ame deuotement.* Iacobus Borbonius Rex Hũgariæ Monachus.

Biennio ante mortem, anno M. CCCC. XXXV. die decimo tertio Septembris conuenit Ioannes cum Bisuntino Capitulo super celebratione quatuor anniuersariorum suorum. Bononiæ moritur Legati partes sustinens die nonâ Calendas Apriles, Dominicâ in Palmis, anno M. CCCC. XXXVII. Corpus delatum in Cathedralem Ecclesiam Lugdunensem, ibique iacet sub humili chori saxo, vt testatur liber anniuersariorum sancti Stephani.

Scutum Ioannis coccineum tœniâ aureâ tribus Delphinis cæruleis instructâ expressum.

Degueules à la bande d'or chargee de trois Daulphins d'azur.



RAYMVNDVS MAYROSIVS CARDINALIS CASTRENSIS MARTINO V. Anno Christi M. CCCC. XXVI.

AVVLLANVM Diœcesis Ruthenensis patria eximij Decretorum Doctoris Mayrosij, qui primùm Tricastinus fuit Antistes (vrbs sancti Pauli nominatur) sub Archipræsule Arelatensi, Senatûs Gratianopolitani: postea Castrensis Præsul ad fluuium Acutum, aliis Agotum sub Archiflamine Bituricensi. Castrensis præcipua Ecclesia Diuo Benedicto sacra, autea Monasterium, de quo Aymonius Monachus, anno DCCC. LV. diuinâ reuelatione corpus beati Vincentij à Valencia Hispaniæ ciuitate per quendam Monachum Andualdum nomine deportatum est apud Monasterium sancti Benedicti, quod Castrum vocatur, in pago Albigensi conditum. Tandem Episcopus Vasatensis. Aymon. lib. 5. hist. Corpus S. Vincentij.

A Martino V. Summo Pontifice donatus purpurâ, anno M. CCCC. XXVI. die nonâ Calendas Iulij, in secundâ Cardinalium creatione Presbyter tituli sanctæ Praxedis. Vitam finiit Romæ die vigesimâ secundâ Octobris, anno M. CCCC. XXVII. sepultus in suo S. Praxedis titulo cum epitaphio sequenti.

Ego Raymundus Mayrosi tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Castrensis vulgariter nuncupatus: hæc requies mea

vsque in finem sæculi. Hic habitabo quoniam elegi eam. Orate pro me fratres. Anno Domini M. CCCC. XXVII. *die* xxII. *mensis Octobris obijt.*

Scutum coccineum castro argenteo ad aquas cæruleas sito expressum.
Portoit de gueules à vn chasteau d'argent basty sur les eaux d'azur.



ANNO CHRISTI M. CCCC. XXX.

GVILLELMVS DE MONT-FORT CARDINALIS DE DINAN MARTINO V.

RODVLPHI Raguenel Dynastę de Mont-fort, & de la Roche-Bernard, & Elizabethæ de Loheac filius natu minor inter Britones Armoricos nobilissimæ familiæ. Protonotarius Apostolicus. Episcopus Macloviensis post Robertum de la Motte, qui Maclouij Synodum anno M. CCCC. II. celebrauit.

Bertrand Argentræus l. 11. hist. Brit. cap. 26.

Obsidio S. Michaelis in Neustria.

Angli obsidione cinxerant Montem Sammichaelanum in Neustriâ Britanniæ Armoricæ vicinum, anno M. CCCC. XXIV. eam ob rem Dux Britonum Ioannes eò misit copias militum terrâ marique; eis præficiebantur Guillelmus noster Cardinalis, Domini de Combour & de Beau-fort Britannicus Thalassiarcha, nobilesque Primarij de Montauban, & Coetquen, aliique plurimi Sammaclouio egressi, qui eo redegerunt Anglos, vt partim cæsi, partim fugæ dati reliquerint obsidionem, quod fuit Regi Carolo VII. gratissimum & Ioanni Duci Britannico.

Consequutus Cardinalatum conferente Martino V. in vltimâ promotione, anno M. CCCC. XXX. die quintâ Idus Nouembres; verum non publicatus, sed postea ab Eugenio IV. die vigesimâ septimâ Septembris, anno M. CCCC. XXXII. est effectus Presbyter tituli sanctæ Anastasiæ: sub finem vitæ Martini Romam se contulit, moritur Summus Pontifex, die vigesimâ mensis Februarij, anno M. CCCC. XXXI. Eugenio IV. ad Summum Pontificatum assumpto, quod in votis habebat Guillelmus, adipiscitur, & eo adepto paucos menses fruitur. Româ rediens vitæ finem imposuit Senis in Hetruriâ vigesimo septimo Septembris, anno M. CCCC. XXXII. ibique tumulatus in Minoritarum templo. Eodem anno fatis concessit Anna Britanniæ Ducissa, quæ iacet in Ecclesiâ Vannetensi.

Idem lib. eod c. 41.

Scutum muricatum quatuor fusariis plagulis argenteis, hermionicis, sex

bysantiis argenteis item hermionicis, tribus in summo, & in imo totidem exaratum.

Portoit de gueules à quatre fusees d'argent, semees d'hermines, à six besants d'argent aussi semez d'hermines, trois en chef, & trois en pointe.



LVDOVICVS CARDINALIS DE LVXEMBOVRG. EVGENIO IV. | ANNO CHRISTI M. CCCC. XXXIX.

GENITORES Ludouici Ioannes Luxemburgius Dominus de Beaureuoir, & Maria Anguiana in secundis nuptiis, filia & hæres Ludouici Comitis Anguiani, Conuersani & Briennæ Fratres duo Petrus Comes & Dominus eorumdem municipiorum, & Ioannes de Beaureuoir magnus copiarum Dux. B. Petri de Luxemburgo nepos Ludouicus: ex hac illustrissimâ familiâ Luxemburgicâ duo alij Cardinales, Petrus Luxemburgius Cardinalis Clementis VII. Antipapæ, Philippus Luxemburgicus Cardinalis Alexandro VI. plurimi cùm Archiepiscopi, tum Episcopi, tres Stabult Franciæ Comites, quorum Galterus Dux Athenarum, Briennæ Comes interfectus anno M. CCC. LVI. in prælio Pictauiensi, Ioanne Rege captiuo ab Anglis. Henricus Luxemburgius, Vencessaus, Sigismundus Imperatores, & alij. Ioannes de Luxemburgo Bohemiæ Monarcha.

Nicol. Vigner. in Chron. & Sammarthani FF. in hist. geneal. lib. 30. c. 7

Cameræ rationum reddendarum Lutetiæ Præses, anno M. CCCC. XX.

Primò Morinensis Episcopatûs gessit lituum, deinde Rothomagensis creatus Archipræsul, anno M. CCCC. XXXVI. In Morinensi Diœcesi cœmeterium benedixit, in quo fuerunt tumulati, qui occubuêre celebri illo prælio Azincurtij Castri, die vigesimâ quintâ Octobris, feriâ sextâ, anno M. CCCC. XV. hac pugnâ è Gallis ceciderunt decem millia, inter quos multi Proceres, è quorum numero Duces Brabantiæ, Barrj, Alenconij, Niuerni, totidemque ferè capti, è quibus Aurelianensis & Borbonius viri Principes, Henrico V. Anglorum Rege pedite non dispari cum aliis Marte & periculo pugnante; hoc prælium nuncupatum, *La iournee des Esperons*. Occasio est accepta ab Anglis motuum Gallicanorum propter Aurelianensis & Burgundi Ducum simultates & discordias inueteratas.

Insignis victoria Anglorũ.

Cardinalem effecit Eugenius IV. anno M. CCCC. XXXIX. die decimâ quintâ Ianuarij, Florentiæ in Synodo Oecumenicâ publicoque Consistorio,

dum tertiò Purpuratos Patres legeret, tituli sanctorum quatuor Coronatorum: deinde tituli sanctorum Petri & Marcellini. Tandem est inauguratus Episcopus Tusculanus.

Henricus Anglus Lutetiæ coronatur.

Henrici V. Angliæ Regis Franciam occupantis Cancellarius, & filio eius Henrico coronando à Cardinale Vincestriensi in æde Metropolitanâ Parisiis adfuit, anno M.CCCC.XXXII.

E viuis in Angliâ sublatus, anno M.CCCC.XLIII. die quartâ Octobris, iacetque in Eliensi Ecclesiâ, cuius Episcopatu fuerat donatus.

Scutum Ludouici argenteum, Leone muricato, coronâ, linguâ, faculis aureis, decussatâ caudâ expressum.

Escu de Luxembourg.

Portoit d'argent, au Lion de gueules, couronné, lampaßé, armé d'or, à la queuë passee en sautoir.



Anno Christi M.CCCC.XXXIX.

IOANNES LE IEVNE CARDINALIS MORINENSIS
EVGENIO IV.

IOANNEM Picardum Prouinciâ, vrbe Ambianensem in hoc theatrum Cardinalitium introducimus, qui à Ioanne le Ieune Ambianensi Balliuo progenitus est. Frater Guillelmi Domini de Contay Oratoris ad Eugenium IV. nomine Philippi Burgundionum Ducis.

Imprimis Antistes Matisconensis, Antecessore è viuis sublato Ioanne Maceti: deinde Ambianensis post Ioannem d'Harcour ad Sedem Tornacensem ab Eugenio Pontifice promotum, Patriarcham Antiochenum. Ioanne Iuuęni moribus sene Ambiani sedente Philippus de Saueuse Clarissas, vt vocant, dotauit, & Cœnobium à fundamentis erexit.

Demum Morinensis anno M.CCCC.XXXVII. postquam Ludouicus Cardinalis de Luxemburgo Episcopatum eiurauit, ad Rothomagensem gradum faciens.

Ioanni d'Auantage cessit Episcopatum Ambianensem principi Medico Ducis Burgundiæ Philippi Ambianum oppigneratum tenentis ab anno M.CCCC.XXXV.

Inter Purpuratos Patres annumeratus ab Eugenio IV. in Synodo Florentinâ Presbyter tituli sancti Laurentij in Lucina, die decimâ quintâ Calendas Ianuarias, anno M.CCCC.XXXIX. in tertiâ creatione: malè à Gazeto

dicitur Cardinalis sanctæ Praxedis. Omnium sui æui Cardinalium ditissimus, & parum abfuit, mortuo Eugenio, quin fuerit assumptus in Christiani Orbis Rectorem vniuersum. Monstrelet.3.vol. Chron. an.1463.

Legatus Ducis Burgundiæ, & Flandriæ Comitis ad Oecumenicum Concilium Florentinum eodem anno.

E vitâ Romæ sublatus die nonâ Decembris, anno M. CCCC. LI. annos natus quadraginta, in suo sancti Laurentij titulo sepultus, additâ hac in eius memoriam inscriptione.

Hic iacet corpus R. Patris Domini D. Ioannis tituli sancti Laurentij in Lucina S. R. E. Cardinalis Presbyteri, Morinensis nuncupati, qui obijt anno M. CCCC. LI. *die nonâ mensis Decembris. Miserere mei Deus, quia in te sperauit anima mea.*

Parma quadripertita, in I. & IV. quadrante muricato clathrata argenti pagina, liliis aureis sparsa. In II. coccineo Leo aureus, linguâ, faculis argenteis: in III. argenteo tres fasciæ cærulez, quarum prima ternis aureis conchulis, secunda duabus, tertia verò vnâ item aureâ est impressa.

Portoit escartelé; au 1. & 4. de gueules freté d'argent, semé de fleurs de lys d'or: au 3. de gueules au Lyon d'or, langué & lampassé d'argent: au 2. d'argent à trois fasces d'azur, la premiere chargée de trois coquilles d'or, la seconde de deux, la troisiesme d'vne de mesme.



GVILLELMVS D'ESTOVTEVILLE CARDINALIS ROTHOMAGENSIS EVGENIO IV. Anno Christi M.CCCC. XXXIX.

FILIVS Ioannis à Totauilla, & Margaretæ Harcurianæ quintogenitæ filiæ Ioannis Comitis Harcuriani, & Catharinæ Borboniæ è sanguine Regio. Monachus & Prior Diui Martini Parisiensis Ordinis sancti Benedicti. Amplissimus est, & opulentissimus Prioratus, de quo ita legitur in maiore porticu. Anno M. LX.

Henricus posuit primus, primusque Philippus
Auxit, sexte probas quas Lodoice domos.

Duo alij Guillelmi d'Estouteuille, alter Antissiodorensis anno M. CCC.

LXXX. deinde Ebroicensis ex Præside Iuuaminum seu vectigalium; alter Lexouiensis, anno M. CCC. LXXXII. qui Lexouiense Collegium Lutetiæ instituit; Thomas d'Estouteuille Bellouacensis Præsul, anno M. CCC. XCI.

Cardin. Papiens. l. 1. Comment.

De eius prosapiâ sic Cardinalis Papiensis. Guillelmus Episcopus Ostiensis consanguinitate Reges attingens Francorum, doctrinâ Pontificij Iuris, & Principum clientelis, vnâ quoque ad Gallos suos legatione insignis; laudatur etiam à Garimberto Episcopo in suo Cardinalium tractatu.

Garimbertus li. 1. cap. 5.

Antistes Morinensis, deinde Andegauensis, postea Biterrensis: Episcopus etiam Lodeui. Tandem Rothomagi Archiepiscopus, anno M. CCCC. LII. Apostolicæ Sedis Camerarius, mortuo Latino Vrsino, à Sixto IV. effectus.

Rubro donatus galero à Papâ Eugenio IV. decimo quinto Calendas Ianuarias in Florentinâ Ciuitate, dum illic Synodus Oecumenica celebraretur, anno M. CCCC. XXXIX. cum Patres tertiò sunt electi. Presbyter sanctorum Syluestri & Martini in Montibus, postea Nicolaus V. Episcopum Portuensem creauit: Ostiensis & Veliternus est effectus à Pio huius nominis II. ferè quadraginta annos in Cardinalatûs dignitate transegit, sacri Collegij Decanus.

Româ discedentem anno Iubilæi M. CCCC. L. comitatur Ludouicus de Haraucourt Episcopus Virdunensis.

Legatus in Gallias anno eodem Nicolai Pontificis iussu mittitur Carolo VII. Franciæ Regi ad fœdus stabiliendum inter Francum & Anglum, sed inani conatu: Apostolicâ & Regiâ auctoritate Academiam Parisiensem suscepit reformandam, anno M. CCCC. LII. Calendis Iunij. Legati vsus potestate indulgentias eo confert anno Ecclesiæ Diuæ Mariæ Boloniensis non longè à Lutetiâ. Statutorum ab eo reformatorum in M. S. titulus. Sequuntur articuli reformationis almæ Matris nostræ, & Vniuersitatis facultatem Theologiæ concernentes nuper editæ à Reuerendissimo in Christo Patre Domino Guillelmo miseratione diuinâ, tituli sancti Martini in montibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinale d'Estouteuilla vulgariter nuncupato in Regno Franciæ, singulisque Galliarum Prouinciis Apostolicæ Sedis Legato, *sic porrò incipiunt.* Quàm graues moribus & vitâ integros illos esse deceat, qui hanc diuinam sapientiam omnium doctrinarum Dominam, Reginamque virtutum Theologiam profitentur, ipsius sapientiæ præcipuus & peculiaris fructus manifestat.

Academia Parisien. reformatur.

Papien. epist. 48.

Cardinalis Papiensis narrat Guillelmum Cardinalem Rothomagensem, Episcopum Ostiensem, ex Galliis ad Callixtum recens ad Summum Pontificatum elatum redeuntem à Carolo VII. Rege rogatum, vt cum cæteris, quos ad exhibendam Callixto obedientiam mittebat, Legatus proficisci vellet, id facere noluisse: dignitatem tueri Cardinalitiam is maluit, quàm Regis gratiæ inseruire; respondit nec debere, nec solitum esse Cardinalem, nisi pro solo Summo Pontifice, legationis munus suscipere: Rex modestissimus id ægrè non tulit.

Pium II. qui nunquam Tiberina viderat ostia, Cardinalis Ostiensis Episcopus ad ea conspicienda inuitauit, & conduxit.

Romæ à fundamentis erexit ædes Patrum Augustinianorum magnificas Diuo Augustino sacras primo lapide locato Calendis Nouembribus, anno

M. CCCC. LXXIX. In eâ Ecclesiâ sacrum D. Monicæ sancti Augustini matris corpus asseruatur, quam multis dotauit ad cultum diuinum peragendum prouentibus. Ianuæ Maioris frontispicio inscriptum, *Georgius d'Estouteuille Cardinalis Rothomagensis à fundamentis erexit.* Enituit etiam eiusdem erga sanctæ Mariæ Maioris liberalitas, cui vasa cùm argentea tum aurea contulit, multisque eam prouentibus annuis dotauit. S. Monicæ corpus vbi.

Romæ terram reliquit cœlum petiturus octogenario maior, decimo sexto Calendas Februarij, anno M. CCCC. LXXXIII. tumulatus in sancti Augustini Ecclesiâ à se fabricatâ. Cum funus efferretur, lis exorta & contentio inter Canonicos sanctæ Mariæ Maioris, & Fratres Augustinianos, quorum essent annuli, quibus digiti radiabant, & vestes aureæ, quibus tectum corpus insigniter emicabat, ita vt annulis, & aliis detractis parum abfuerit, quin nudus Cardinalis ignominiosè relinqueretur.

Inter Cardinales, qui longam traxêre vitam, numeratur, & licet ad centesimum minimè peruenerit annum, vt Dominicus Ram Cardinalis Archiepiscopus Tarraconensis, qui Cõcilio Basileensi inuicto animo sese opposuit pro Eugenio IV. tamen noster Cardinalis vixit per annorum fermè quadraginta cursum Cardinalitio pileo redimitus.

Guillelmus argento & minio, octo segmentorum, fasciatam parmam, & in eâ furuum leonem, auro torquatum, & aureâ in humero cruce notatum, tulit.

Portoit burelé d'argent & de gueules de huict pieces, au lyon de sable, accollé d'or à vne croix de mesme en l'espaule.



REGINALDVS DE CHARTRES CARDINALIS RHEMENSIS EVGENIO IV. Anno Christi M. CCCC. XXXIX.

HECTORIS de Chartres filius, quem Cousinot nuncupat Hectorem sumpto parentis nomine. Decanus Bellouacensis; Cubicularius & Referendarius Apostolicus, ad Bellouacensem Cathedram electione factâ petitus possessionem non est adeptus. Administrator Aurelianensis Ecclesiæ, anno M. CCCC. XLI. Cousinot hist. Fr.sc.

Archiantistes Rhemensis Regem Carolum huius nominis VII. Rhemis inunxit septimo Iulij, anno M. CCCC. IX. illuc Regem deducente Ioannâ Dar-

ciâ heroïnâ vulgò puellâ Aurelianensi appellatâ Galliarum vindice viginti circiter annos natâ, quæ Anglos Aureliis diuino freta auxilio vicit solutâ obsidione militibus à Carolo acceptis; ipsa enim armis induta per medios hostes ingressa Talbotium Ducem cepit, multas vrbes Anglis eripuit; verum in hostium eruptione factâ Compendio vrbe per Burgundum obsessâ, in eorundem Anglorum manus incidens capitur, Rothomagique postea flammis deuouetur mense Maio, anno M. CCCC. XXXI. Petro Cauchon Doctore Theologo Præsule Bellouacensi (quem Ioannes Iuuenalis Vrsinus notat in Diœcesi Rhemensi natum patre vitium cultore) partium Burgundicarum & Anglicanarum acerrimo contra Carolum defensore & protectore, hanc puellam præstigiis & veneficiis vacantem declarante. At iniquo iudicio damnatam absoluit, anno M. CCCC. LV. Summus Pontifex Callixtus III. cognitâ causâ, super quam ab eo fuerant Iudices delecti, idem Cardinalis Vrsinus Archiepiscopus Rhemensis, Guillelmus Chartier Præsul Parisiensis, Richardus Oliuarius. Antistes Constantiensis, postea Cardinalis eiusdem Callixti.

Comburitur puella Aurelianensis.

Diploma Pontificium pro eâ.

Hoc Archipræsule Rhemensis Archidiaconus Amedeus Cardinalis Salutij multa contulit dona argentea in vsum Ecclesiæ Metropolitanæ, atque etiam Dalmaticam albam Margaritis ornatam. Eodem Vice-dominus Petrus ille Cauchon in Episcopum Bellouacensem electus.

In Concilio Florentino decimo quinto Calendas Ianuarias anni M. CCCC. XXXIX. ascitus in numerum Patrum Purpuratorum, vnà cum Isidoro Thessalonicensi Constantinopolitano Ruthenorum Metropolita, & Legato Sedis Apostolicæ apud Constantinum Palæologum, dum capta à Turcis Constantinopolis decimo quarto Calendas Iunij, anno M. CCCC. LIII. die Martis, vbi occisus Constantinus.

Constantinopolis capitur.

Isidorus sub finem vitæ morbo graui totam suam est oblitus doctrinam doctissimus, etiam proprium nomen: ascitus est Reginaldus Cardinalis etiam cum Bessarione Trapezuntio Archiepiscopo Nicæno; duo fuerunt Monachi sancti Basilij primi è Græcorum grege professi articulũ de Spiritu sancto à Patre filioque, vt ab vno principio procedente. Reginaldo Presbytero datus titulus sancti Stephani in Cœlio monte.

Isidor. Thessal. Græcus Cardinal. proprij nominis obliuiscitur.

Summus Galliæ Cancellarius, anno M. CCCC. XXX. eâ tempestate Senatus Parisiensis Pictauij morabatur.

Vt Franciæ Nomophylax fœderi Atrebatensi inito cum Philippo Burgundo, operâ Summi Pontificis Eugenij Reginaldus de Chartres adfuit. Hæc pax ruinam peperit extremam Anglis à Burgundo desertis, cum ad eam non potuerint adduci iniquas conditiones deposcentes. Anglis expulsis in Senatu restituendo Lutetiæ præsens fuit, anno M. CCCC. XXXVI. Calendis Decembribus, quam possederunt annos aliquot, in eaque ciuitate Henricum VI. Regem suum puerum annos natum duodecim ab Angliâ euocatum coronari curarant, anno M. CCCC. XXXII. à Cardinale Vincestriensi, iam rebus ipsorum in Gallia ad exitum, & finem properantibus.

Fœdus Atrebaten. ruina Anglorum.

Ad superos euocatus Idibus Aprilis, anno M. CCCC. LVI. Turonibus, ibique apud Minoritas tumulatus. Gentilitia insignia, rubeæ fasciæ duæ in areâ argenteâ. *D'argent à deux fasces de gueules.*

ANNOTATIO.

Eugenij IV. Veneti veri & Summi Pontificis Cardinales descripsimus, nunc superest vt habitâ ratione temporis & Chronologiæ Schisma ortum contra eundem Eugenium referamus, & Felicem V. ac Cardinales è Gallia ortos ab eodem purpurâ donatos contemplemur.



AMEDEVS VII. SABAVDIÆ DVX
FELIX V.

SABAVDIA in Alpibus sita est, quæ Galliam ab Italiâ disterminant, & à Mari Ligustico vsque ad Heluetios protenditur. Arelatensis Prouincia (aliquando Regnum) partem Sabaudiæ contingit, alteram Delphinatûs, & Rhodanus magnam percurrit partem. Olim Comitatus, nunc verò Ducatus Concilij Constãtiensis tempore à Sigismundo Imperatore Camberij institutus; inibi terrarum illustrissimos sortitus est natales Amedeus pridie Nonas Septembres, anno M.CCC.LXXXIV. cuius parens Amedeus VI. Sabaudiæ Comes, mater Bona Ioannis Biturigum Ducis filia, Auus Amedeus Viridis nuncupatus, Annunciatæ Virginis Ordinis institutor, vt patet ex Rescripto Amedei, die primâ Maij, anno M.CCCC.IX. Castilione Dombarum dato, quo istum Ordinem Virgineum (dum de Mauriciano cogitaret) in pristinum splendorem restituit.

Anno Christi M.CCCC.XXXIX.

Quando Sabaudia Ducatus.

Quis institutor Ordinis Annunciatæ.

Fuit ille porrò à teneris vnguiculis optimis moribus instructus, prudentissimis institutoribus obsequentissimus, iustitiæ amantissimus, pietatis olim totâ vitâ cultor eximius, vt pote qui ad plurimam prouectus ætatem

Missæ quotidiè sacrificiis interesset: eâ floruit animi magnitudine, vt apud Sigismundum Imperatorem forensi certamine Gebennensem euicerit Comitatum, moxque deinde familiam suam honoribus amplificans, Ducales susceperit infulas; quo etiam tempore duxit ex domo Burgundicâ vxorem Philippi Ducis non sororem (vt vult Æneas Syluius) sed amitam nempe sororem Ioannis, & Philippi Audacis filiam, vxorem, inquam, vnicam Virginem & nobilem, formâ & prudentiâ admirabilem, ex quâ suscepit ille Ludouicum primogenitum, Pedemontanum Principem à se creatum, cui coniugem ex Cypro copulauit omnibus Regibus affinitate iunctus, & Philippum Comitem Gebennensem, necnon Mariam Duci Mediolanensi, & Margaretam Regi Siciliæ nuptas, & cum illâ in summâ vitæ integritate, pace, domi, forisq; partâ, Orbis penè totius Christiani arbiter sanctè vixit, Imperatori Sigismundo carissimus, Gallis, Venetis, Thuscis, Insubribus, imò & Eugenio Summo Pontifici illâ tempestate amicissimus. Eâ porrò vitâ functâ, solitariam vitam amplexus Ducale fastigium reliquit, omnẽ sęculi pompam procul eiecit, subditorumque Ludouico primogenito regimine commisso, ad eremum Ripalliæ nomine insignem ad lacum Lemanum sitam secessit, cui comites sese præbuêre senes sex grandæui ætate pares vltra sexagesimum annum prouecti, coniugibus orbati, gloriâ militari illustres desertum nemorosumque locum septem illi, extructo ibi nobilissimo Palatio incoluerunt, & nouum militare institutum Amedeo authore, Diui Mauricij Sabaudiæ Patroni nomine clarissimum professi fuêre, cuius leges repeti possunt ex testamento ipsiusmet Amedei.

Eremus Ripalliæ.

Ordo Equitum D. Mauricij.

Dum hæc ordiretur Amedeus, coortæ sunt graues tum in Italiâ, tum in Ecclesiâ tempestates; nam, tentantibus in Eugenium multa Basileensibus, Ferrariæ Concilium, ipse, Basileensi dissoluto, indixit, cùm vt eorum consilia dissiparet, tum etiam vt Græcos vnionem cum Latinis exoptantes ipse suscipere posset. Diem Pontifici dicunt Basileenses, decretis velut in contumacem pœnis, si intercederet: iterum Eugenius Ferrariense Concilium suadet, spretis Basileensium minis; sed cum paulò post Ferrariæ sæuiret pestis, Florentiam Eugenius maximè omnium ex vsu suo esse duxit, literis datis Florentiæ anno M. CCCC. XXXVIII. sexto Calendas Februarij, Pontificatùs anno octauo. Exasperati Basileenses in Eugenium ferunt suspensionis sententiam: cùm interim eodem authore Græci Latinis conciliarentur. Inde post varias cunctationes anno sequẽti die vigesimâ quintâ Iunij Pontificatu lapsum Basileenses (inter quos vnus Cardinalis Alemandus, alij Episcopi, Abbates & Ecclesiarum Parœciarũ Curiones) decreto suo declararunt Eugeniũ, atque deinceps ad electionem noui Pontificis processerũt.

Basileenses in Eugenium acres.

Poscebant Franci Ioannem Ludouici Aureliæ Ducis ex Valentinâ Insubri natu maiorem filium, Comitem Engolismensem & Petragoriorum; poscebant alij Amedeum in Ripalliæ solitudine, in nemoribus & montibus vmbrosis degentem, qui ex omnium penè votis, omnibus ritibus & solemnitatibus in electionibus subiri solitis, iuxta Decreti Concilij Basileensis trigesimæ septimæ sessionis dispositionem à Cardinale Arelatensi in maiori Ecclesia Basileensi solemniter electus Pontifex renunciatus est die decimâ quintâ Calendas Decembris, anno à Natiuitate Domini M. CCCC. XXXIX. &

per Legatos accersitus Basileam, Felicis V. assumpto nomine, Pontificalibus ornamentis omnibus indutus est, quem in illâ dignitate constitutum aliquo tempore coluerunt viri pij, vt Petrus Luxemburgius coluerat Robertum Gebennensem in suâ obedientiâ Clementem VII. Vincentius Ferrerius singulari virtute vir aliquos annos Petrum de Lunâ, Benedictũ XIII. & virgo felicissima Coletta Ordinis sanctæ Claræ in fœda collapsi instauratrix, quo auspice ea, quibus D. Claræ Regulam profitetur, vota emisit. Sic & Ludouicus Alemandus tituli sanctæ Cæciliæ Cardinalis Arelatensis nuncupatus vir pius, & post mortem miraculis clarus Amedeum à se declaratum Pontificem coluit, resipuit postea Nicolaum V. adiens: sanè Hippolytus Presbyter Nouati Schismate aliquantulum deceptus Christi gratia ad vnitatem rediit, & pro eâ Martyrium consummauit. Æneas Syluius cum Basileensibus contra Eugenium sensit initio, ad verum Pontificem reuersus Schisma defleuit, & demum in D. Petri cathedrâ collocatus.

Aliquos Pseudo-pontifices viri alioquin pij aliquo tempore venerati.

Martyr. Rom. 30. Ian.

Auditâ promotione Felicis Iulianus Cardinalis sancti Angeli, ciuis Romanus, qui in Basileensi Concilio præfuerat, in Consistorio cum allato illo nuncio de nouo Pontifice trepidare omnes animaduerteret. Tria, inquit, sunt Beatissime Pontifex, nisi fallor, quæ tibi Felicem aduersarium metuendum reddunt, coniunctio, quæ illi cum Regibus est; sapientia quâ præditus existimatur, & ingens pecuniarum vis, quam illi per tot annos pacificè regnanti succreuisse putant. Hæc times? ij sunt hostes, quos vereris? cum his tibi bellum futurum est. Fratres mei, qui ante me locuti sunt, multa de his rebus dixère, easque supra modum extulerunt, atque insuperabilem aduersarium his eminentem dotibus existimauerunt. At si me audias, metum tibi omnem adimam, facilè ista contemnes, hinc tibi victoria dabitur, vnde times exitium, neque consanguinitas eius, neque affinitas nociturna est tibi. Irridebunt Reges, non adorabunt hominem, qui è sæculari Principatu ad Ecclesiasticum euolauerit, virũ sanguinum, qui sæpe in bellis fuerit obuersatus, indignum Sacerdotio iudicabunt. Vxorem, dicent, in sæculo duxit, & filios procreauit, & nunc in altari sacratissimam Christi hostiam audet offerre? inuidebunt & maledicent homini, nemo amabit. Inter sæculi Principes rara charitas est. Nec tanta propinquitas vsquam reperitur, quæ tollat inuidiam. Laborantibus consanguineis Amedeus nunquam auxilio fuit? Burgundos in bello reliquit, & Francos, qualem se præbuit amicum, tales eos inueniet, gaudebunt venisse tempus, quo vices reddant, deseretur, ne dubita: nemo illi non emptus adhærebit. Amedeum sapientem putauimus, qui multis annis feliciter regnasset, non suâ credo prudentiâ, sed alienâ miseriâ fœlix fuit: decertantes inter se hinc Itali, inde Galli quietam Sabaudiam reddiderunt, nos quod erat temporis attribuimus homini, fecit sapientiæ suæ periculum Amedeus, neque se paruo inuoluit negotio: in re omnium maximâ peccauit. Ruent sua consilia, Felicem vocant, sed sæpe rebus aduersa sunt nomina. De pecunia minus dubito, nunquam enim tanta est quantam prædicant, neque exponunt, qui cumulant. Nihil quod tã nobis prosit, quàm pecuniosum aduersarium existimari, cuncti ab eo aurũ petent, neque impetrãtes inimici abibunt. Hæc mihi de nouo electo sententia est, qui aliter sentiunt (meo quidẽ iudicio) nihil sentiunt; hactenus Iulianus.

Oratio ad Eugeniũ contra Felicem.

Nonnulli Heluetios duntaxat & Sabaudos ab Felice stetisse pronuntiauerunt, & (si Sabellico credimus) initio fauère nouo Pontifici Carolus Galliæ, & Alphonsus Arragoniæ Reges, Philippus Vice-comes, & Fridericus Imperator. Christophorus Hartmanus adiungit Albertum Austriæ Ducem, Cæsaris fratrem, Albertum & Stephanum Duces Bauariæ, Magnum Magistrum Borussiæ, Elizabetham Alberti Cæsaris viduam cum suis Bohemiæ & Hungariæ Regnis, Sabaudiam, Insubriæ magnam partem, Heluetiam, Ducem Burgundiæ, & nonnullos alios; potissima tamen pars eorum Principum Felicem breuì deseruerunt.

Enn. lib. 3

In annal Erem. B. Virg. ann. 1440.

Multos ex diuersis Prouinciis Cardinales creauit, ex consanguineis tamen nullos: præcipui ab illo purpurâ donati recensentur, Alexander Ducis Moscouiæ filius, Tridentinorum Antistes, Ioannes Frisingiorum, Bauarici, Ioannes Nannetensium Regij apud Britannos sanguinis; aliique Galli, de quibus statim verba faciemus.

Æn. Sylu ep. 10. & 183.

Eugenio autem anno M.CCCC.XLVII. vitâ functo Romæ in eius locum suffectus est Nicolaus bonarum artium instaurator, literarum Pater, mitissimi vir ingenij: vnde cùm Eugenij obitu aliquorum odia quodammodò expirassent, Amedeus Pontificatu aliquos annos gesto, sanctum illud otium reuoluit, & in vnâ sanctissimi secessûs cogitatione paulò post conquieuit. Re igitur diu deliberatâ cum liberis, cum Francorum Regibus, & Siciliæ, Angliæ, Treuirensi Antistite, atque Oratoribus Præsulis Coloniensis & Ducis Saxoniæ, multumque agitatâ, Amedeus Pontificatu se abdicat, Bolomerio frustra dissuadente, & summi quique honores à Nicolao V. illi decernuntur, Bolomerius, qui vnus fuerat ex consultoribus acceptandi Pontificatus, in iudicium raptus, tanquam falsæ cuiusdam sententiæ fuisset auctor, ad necem damnatus est, & ingenti lapide ad collum suspenso est præcipitatus in lacum Lemanum.

Laudes Nicolai V Pontifici.

Masson. in Amedeo 7.

Reprobata Synodus Basileensis & Lausanensis (Basileâ enim Lausanam fuit translata sub finem) diplomate ad Amedeum dato septimâ die Calendas Maij, anno M.CCCC.XLIX. multa congerit in laudem Amedei. Te, scilicet Amedeum, Sabinensem Episcopum, S. R. E. Cardinalem, Sedis Apostolicæ in terris & iurisdictionibus dilectorum Ecclesiæ filiorum, nobilium virorum Ducis Sabaudiæ & Principis Pedemontium ac Montis-ferrati, & Salutiarum Marchionum, in Comitatu ac territorio Astensi, necnon in Prouinciâ Lugdunensi citra Sagonam, atque Augustensi, Lausanensi, Basileensi, Argentinensi, Constantiensi, Curiensi, & Sedunensi Ciuitatibus & Diœcesibus Legatum Vicariumque perpetuum facit, creat & nominat, Tibique in sanctâ Dei Ecclesiâ primum post Romanum Pontificem locum pro tempore constituit, consignat & decernit, qui quidem tibi ad suam præsentiam accedenti assurget duntaxat oris osculum exhibendo. Atque vt altissimi in terris honoris, quem solâ dilectione vniuersalis pacis contempsisti, multa manifestaque in tuâ personâ signa remaneant; Tibi vt habitum & insignia Papalia, demptis delatione corporis Christi, annulo piscatoris, cruce in pedibus, ac vmbraculo, deferre, & insigniis ac potestate Legati vti, quoties Te extra terminos tuæ Legationis egredi contigerit, valeas, necnon vt in Curiâ Romanâ, vel generali Concilio personaliter com-

parere minimè tenearis, concedit & indulget per præsentes.

Illud verè possumus affirmare Amedeum suâ demissione cuncta deinceps Schismata extinxisse, siquidem ab eo tempore nulla in Ecclesiâ extitère. Iterum igitur Amedeus se sibi reddit, & sanctissimo deinceps otio indulget, totoque reliquo vitæ tempore pietatis exercet opera. Tanta fuit Romæ sublato Schismate lætitia, vt multi equis incedentes nocte accensis facibus per Vrbem personarent: *Viuat Nicolaus, Viuat Nicolaus.* Platina in Nic. V.

Vixit Amedeus principio anni Iubilæi (quinquagesimi scilicet post annum M. CCCC.) Idibus Ianuarij pro fluxo & expiraturo constans & perenne celebraturus in Cœlis iubilæum, quo de Bergomensis hæc habet. Deficiens demum in senectute bonâ post obitum etiam miraculis multis clarus effulsit.

Insigne Ducum Sabaudiæ, crux argentea in scuto coccineo. Escu de Sauoye.

De gueules à vne croix d'argent.



FRANCISCVS CARDINALIS S. MARCELLI
FELICE V. AMEDEO.

Anno Christi M. CCCC. XL.

MONASTICAM vitam iuxta Regulam sancti Benedicti professus.

In Gebennensem Episcopum assumitur, anno M. CCCC. XXXII. in quo Episcopatu successit Ioanni *Breuiscope*, seu Breuiscoxæ, quondam Episcopo Parisiensi. Olim Officialis Romanæ Curiæ munere perfunctus, vir fuit parui eloquij, sed magnæ prorsus intelligentiæ, & cuius iudicium in omni re ardua præponendum asseritur. Ex electoribus Felicis V. vnus in Basileensi Concilio (quod fuit reprobatum in Concilio Florentino, & in vndecima sessione vltimæ Synodi Lateranensis Oecumenicæ,) cum Ioanne Tarentasiensi, Bernardo Aquensi Antistite, Raymundo Abbate Conchensi, Nicolao Tibout Normanno, Ioanne de Valle Britone, Thoma de Corcellis Theologis, & Guillelmo Hugonis Archidiacono Metensi Iurisconsulto, nulli prædictorum prudentiâ vel scientiâ inferiori; omnibus istis ex natione Gallicâ cum Cardinale Arelatensi ad electionem noui Pontificis tunc temporis selectis. Vnde dignoscitur Franciscum cum aliis Felicem creasse Pontificem, & à Felice postea creatum fuisse Cardinalem; ex omnibus enim Felicis electoribus nullus præter Cardinalem Arelatensem Cardinalitiâ dignitate fulgebat, vt patet ex actis Concilij Basileensis: secundâ vero Pseudocardinalium creatione à Felice V. anno M. CCCC. XL. quarto Idus Octobris, Basileæ Cardinalis Presbyter tituli sancti Marcelli creatus. Reprobatur Synodus Basileen.

Scutum aureum tribus Aquilis 2. & 1. nigris exaratum.
D'or à trois Aigles de sable 2. & 1.



Anno Christi M. CCCC. XL.

BERNARDVS CARDINALIS SANCTORVM NEREI ET ACHILLEI FELICE V. AMEDEO.

INSTITVTVM Diui Benedicti amplexus & professus est Bernardus. Exornatur sacris Episcopatûs Aquensis infulis, in Concilio Basileensi Felicis V. elector designatus anno M. CCCC. XXXIX. vnus ex ijs, qui ad id ex Gallicâ natione assumebantur. Nempe quatuor fuêre in Concilio Basileensi præcipuę nationes Italica, Gallica, Germanica, Hispanica, ex quibus singulis selecti, qui creando nouo Pontifici suffragia darent; ex Gallicâ de Ecclesia Dei optime meritâ ex Archipontificali dignitate Ioannes Tarentasiensis, ex Pontificali cum Francisco Gebennensi, Bernardus Aquensis Iurisconsultus admodum oculatus subtilisque, sed, quia podagrâ laborabat, adesse noluit, in cuius locum suffectus est Ludouicus Massiliensis vir ab omni simulatione alienus.

In Amedeo Pacifico.

Nihilominus tamen in Collegium Cardinalium cooptatur à Felice V. Basileæ IV. Idus Octobris, anno M. CCCC. XL. Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei.

Parmam Diui Benedicti exaratam Leone descripsimus latino idiomate libro secundo in Cardinale Drogone Laudunensi.

De gueules au Lyon d'argent.



Anno Christi M. CCCC. XL.

DIONYSIVS DV MOVLIN CARDINALIS FELICE V. AMEDEO.

IVRIS vtriusque Doctoratum consecutus est Dionysius du Moulin Meldis oriundus, & Ecclesiæ Viennensis Canonicus & Succentor extitit:

quin etiam in Ecclesiis Carnotensi, Rhemensi, Turonensi, Albiensi & Ebredunensi Canonicatu potitus est: deinde factus Regis Caroli VII. Consiliarius, & in ædibus Caroli Delphini Viennensis, & in Franciâ Regentis libellorum supplicum Magister. Tandem ad Archiepiscopalem Tolosæ Cathedram Diui Stephani Capituli electione, die Aprilis vigesimâ primâ, anno Domini M. CCCC. XXI. factâ, promotus est, Henrico Bituricensi Archiepiscopo electionem confirmante, cuius potestatis supra Tolosanos Archiepiscopos in electione confirmandos pro se suisque posteris actum retinere voluit Henricus, anno M. CCCC. XXII. duodecimo Nouembris, cuius hic tenor.

Ius Archiep. Bitur. pro confirmãdo Tolosano.

In nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat euidenter, & sit notum, quod anno Domini M. CCCC. XXII. more Gallicano, indictione primâ, mensis Nouembris die duodecimâ, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri Martini diuinâ prouidentiâ Papæ V. anno sexto, in mei Notarij publici, testiumque infrascriptorum ad hoc vocatorum, specialiter & rogatorum præsentiâ, propter hoc constitutus venerabilis & discretus Vir Dominus Dionysius de Molendino in vtroque Iure Licentiatus, Domini nostri Regis Consiliarius, & electus in Archiepiscopum Ecclesiæ Tolosanæ, motu proprio, & ex certâ scientiâ dixit, & protestatus est, quod licet postquam ad suam notitiam deuentum est certa edicta promulgata extitisse in ciuitate Tolosanâ ex parte Reuerendissimi in Christo Patris, ac Domini Domini Bituricensis Archiepiscopi, Aquitaniæque Primatis protestatus fuerit idem Dominus electus, quod ea, si ita erant, facta fuerant sine eius scitu, scientiâ & voluntate, imò ex mero officio ipsius Domini Archiepiscopi Aquitaniæ Primatis ad continuandam possessionem suæ Primatiæ, quam se habere dicit in Ecclesiâ Tolosanâ, quòdque illis edictis pro nunc ipse Dominus electus non intendebat se iuuare. Non tamen propter hoc idem Dominus electus renunciabat, quin illis edictis, & aliis quibuscunque iuribus, vsibus & consuetudinibus, vel aliàs sibi competentibus, vel competituris de iure, vsu, consuetudine, ordinationibus prædictis, aut alias possit vti, & se iuuare, tempore, & loco opportunis, prædictis non obstantibus. De quibus omnibus & singulis supradictis præfatus Dominus electus petiit à me Notario subscripto sibi fieri publicum instrumentum vnum, vel plura: acta fuerunt hæc Biterris sub anno, indictione, die, mense, & Pontificatu prædictis, præsentibus ad hoc venerabilibus & discretis Viris, Magistro Ioanne Maioris in artibus Magistro, & Thoma de Bolaubere Clerico Rhemensi & Morinensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Dionysius Sedi Tolosanæ præsidens ad Cathedram Parisiensem euehitur, anno M. CCCC. XXXIX. & à Papa Eugenio confirmatus, bullis super eâ re datis, die quartâ Idus Iunias, quæ etiamnum in Archiuis D. Stephani Protomartyris asseruãtur. Etiam Antiocheni Patriarchatûs honore decoratur, & tandem Cardinalis cum aliis collegis ab Amedeo Felice V. est creatus, anno M. CCCC. XL. tertiâ creatione.

Obiit Lutetiæ, decimâ quintâ Septembris, anno M. CCCC. XLVII. sepultus est in Cathedrali Parisiensi sub æneâ tumbâ in choro, à latere maioris aræ ad cornu epistolæ, cum hoc epitaphio.

Hic iacet recolendæ memoriæ Dominus Dionysius de Molendino dum decessit Patriarcha Antiochenus, Episcopus Parisiensis, & per antea Archiepiscopus Tholosanus, de Foro Meldensi oriundus, Regis Caroli VII. Consiliarius famosissimus, vir magni consilij atque prudentissimus, probitatis eximiæ, & linguâ disertissimus, qui plures fecit fundationes hic, Tolosæ ac Meldis, & obijt Parisiis die Veneris decimâ quintâ Septembris, anno Domini M. CCCC. XLVII. *anima cuius requiescat in pace. Amen.*

Inter alias fundationes quolibet Sabbatho celebratur Missa à pueris Symphoniacis in sacello sancti Dionysij, vbi icon Cardinalis du Moulin conspicitur, & præterea psalmus De profundis pro eius requie recitatur, dum celebrioribus festis litatur in arâ principe Ecclesiæ Parisiensis.

Imagines 5. Cardd. in E. Parisien.

Animaduerte Lector non modò huius Cardinalis imaginem in Ecclesia Parisiensi haberi, sed alias etiam quatuor Cardinalium; nam pro sacelli sancti Stephani foribus visitur imago Stephani de Poissy Cardinalis fundatoris; in capella sancti Michaelis icon Michaelis du Bec: in choro ante maius altare à dextris Haimerici de Magnaco, à sinistris Petri de la Forest purpurâ donatorum.

Parma Dionysij quadripartita: in I. & IV. laterculo cæruleo tria lilia aurea, duo in summo, vnum infimo, pedum item aureum: in II. & III. argenteo crux anchorata ex minio, aureâ in medio conchulâ instructa.

Portoit escartelé au 1. *&* 4. *d'azur à trois fleurs de lys d'or, deux en chef & vne en pointe, à la crosse de mesme: au* 2. *&* 3. *d'argent à la croix ancrée de gueules chargée au milieu d'vne coquille d'or.*



ANNO CHRISTI M. CCCC XL.

AMEDEVS DE THALARV CARDINALIS
FELICE V. AMEDEO.

CLARISSIMOS sortitus est natales Amedeus in territorio Lugdunensi ex familiâ de Thalaru antiquâ suâ nobilitate spectatissimâ, quâ de alibi, nepos Ioannis de Thalaru à Pseudopontifice Clemente VII. anno M. CCCC. LXXVIII. creati Pseudocardinalis; vir nobilissimus, religiosissimus & eruditissimus.

Archidiaconus Lugdunensis à Clero selectus ad Oecumenicum Constantiense Concilium proficiscitur: sed cum ibi sederet, anno M. CCCC. XV. allatæ sunt illi literæ, quibus de sua electione à Capitulo facta certior redditur, in locum demortui Philippi Archiepiscopi Lugdunensis; quæ (si Paradino credimus) à tribus nationibus approbata est. Vnde Lugdunum reuersus ab euocatis & aduenientibus in vrbem die XIII. Ianuarij Suffraganeis illius Prouinciæ Carolo Lingonensi, Ioanne Matisconensi, Hugone Cabilonensi, relatione à Doctoribus factâ de electi examine, in ipsa Lugdunensi Cathedrali valde solemni ritu, eiusdem mensis decimâ sextâ die, anno M. CCCC. XVI. consecratus est, cui Martinus V. Primatiæ priuilegia innouauit Calendis Augusti, anno M. CCCC. XVII. vt patet ex bulla pro eodem Primatu decima, quæ in Chartophylacio Ecclesiæ Lugdunensis asseruatur.

Inde plura edidit pietatis argumenta, patent eius acta contra blasphemos. Iudæi anno M. CCC. XI. è Lugdunensi ciuitate expulsi fuerant, sedente illic Philippo de Sabaudia, hoc exemplo inductus Amedeus eorumdem Synagogæ disiectionem ex Treuoltiana vrbe Diœcesanâ, anno M. CCCC. XXIX. molitus est, cuius sui voti compos prudenter postea effectus est. Nec omittendum puto veteres Archiepiscopos Lugdunenses ob innumeram infidelis illius gentis multitudinem in Lugdunensi Prouincia grassantem, in foro conscientiæ grande Diœcesanorum fidelium peccatum reseruasse eorum, qui cum Iudæâ, carnali copula miscerentur ex prætextu initi illicitique matrimonij, aut ex fornicationis turpitudine. Lugduno Iudæi expelluntur. Copula cum Iudæa reseruatur.

Eodem sedente celeberrimi & singulari vitæ sanctitate & doctrinâ spectatissimi Magistri Ioannis *Gerson* cadauer terræ mandatum est in Ecclesiâ Parœciali Diuo Laurentio sacrâ, cuius anniuersarium in Ecclesia D. Pauli singulis annis celebrari solitum est, & in cuius tumulo sequens Acroama insculptum visitur. Gerson Lugduni sepultus.

Vixeris hic & nunc, velut hic & nunc moriturus.

Ad Cardinalatum promouetur à Felice V. Basileæ, tertiâ Pseudocardinalium creatione, anno M. CCCC. XL. pridie Idus Nouembris Presbyter Cardinalis.

Cæterum dum in extremis versaretur Amedeus fundauit consensu Capituli, anno M. CCCC. XLIII. *Quod sex septimanis, quæ incipiunt Dominica proxima sancti Ferreoli, in quibus dicitur* VACARE MODO *Missæ dicantur statim finitis Matutinis. Et qui intersunt in Missa chori, atque si interfuerint matutinis recipient maximè dicti Capellani vnum panem album ponderis duarum librarum, & post mediam noctem, aliam micham eiusdem ponderis & officiantibus altari, aliam micham, &c.* Archiuũ Eccles. Lugd.

Mortale hoc solum deseruit tertio Idus Februarij, anno M. CCCC. XLIII.

Corpus autem humatum fuit in sacello Diui Petri ad læuam chori.

Scutum semipartitum vno latere aureo, altero cæruleo tœniâ coccineâ expressum.

My-party d'vn costé d'or, de l'autre d'azur à la bande de gueules.



Anno Christi M.CCCC. XL.

PHILIPPVS DE COATKIZ CARDINALIS
Felice V. Amedeo.

PATRIA Armoricus ex vrbe Leonensi è familiâ de Ker-neguez iuxta Morlacum Philippus, in vtroque Iure versatissimus, literis cùm prophanis, tum sacris apprimè instructus, eloquentiâ non vulgari admirabilis, *Gallus Gallorum* dictus ob præstantissimum, quo pollebat & cæteris præstabat, ingenium.

Ad Leonensis Sedem Episcopatûs primò euectus translatione Oliuarij ad Briocensem ab Eugenio IV. factâ, anno M. CCCC. XXXVI. ingressus vrbem Leonensem, die Lunæ XVII. Martij post Dominicam Palmarum; in eâ solemni cæremoniâ tenentur adesse, & ferre cathedram Episcopi Domini Tanguius de Kermauan, Alanus de Coëtiui, & Guyomar de Keruern, de Coat-menekh, & de Penmarkh, qui duo extremi, sedatâ de hoc iure contentione, inter se conuenerunt eâ conditione, vt duorum vnus vsque ad certum & quendam itineris terminum, alter verò reliquam itineris partem conficeret, & supellectilem culinariam æqualiter inter se partirentur, cuius etiam in eodem Episcopatu successor Ioannes Pregent ad eandem Briocensem anno M. CCCC. XLIV. translatus. Vocabantur antea huius vrbis Præsules, *Ocismorenses*: fuit quippe vrbs eius nominis à Normannis diruta & vastata, sed hoc tempore huius vrbis Sedes Episcopalis Leonensis appellatur. Ex eâdem familiâ Ioannes Rhedonensis Antistes: creatus Trecorensis homagio à Petro Duce Britanniæ Regi præstito adfuit, anno M. CCCC. L. die tertia Nouembris, annoque M. CCCC. LX. quarto Calendas Decembris viuere desiit.

Ad Metropolitanam inde statim Cathedram Turonensem conscendit, Regi à Sanctioribus Conciliis, quibus præfuit vt pote Comitum Consistorianorum Præfectus, & præcipuus negotiorum administrator.

Caroli VII. Francorum Regis multoties Oratoris munere laudabiliter functus, & Legati ad Summum Pontificem, ad Germanos aliasque nationes exteras, maximè ad Concilium Basileense, in quo à Felice V. tertiâ promotione Cardinalitiis decoratus est infulis, anno Antipontificatûs secundo, pridie Idus Nouembris, anno M. CCCC. XL.

Quo etiam tempore eidem Concilio (in cuius actibus frequens istius Cardinalis habetur mentio) interfuit Martinus Brennorius Decanus Turonensis. Basileæ cum ageret, altercationibus de præsessione Oratorum Bri-

tanni & Burgundi Ducum in isto Concilio præsentium interfuit, adeoque vehementer pro illo contendit, vt decretum, quo præsessio Burgundi Oratoribus adiudicata & confirmata fuerat, refixum fuerit atque antiquatum, aliudque fixum & statutum, quo hic honos Britanno deferebatur. Britanniam repetenti summas ipsi agens gratias Britanniæ Dux, quibus potuit eum honoribus prosecutus est. Parisios reuersus determinationi Facultatis sacræ Parisiensis de Pontificum controuersiis præsens adfuit, eáque pronuntiauit, quæ omnes omnium oculos in se conuerterent, Basileense Concilium multis defendere est conatus contra ipsum Eugenium, à quâ sententiâ (quamuis ad Regem de ea re rescripsisset Eugenius) deduci potuit nunquam. Argentré de Episc. Leon. in hist. Brit. lib. 1.

Philippus in scuto argenteo decussum coccineum tribus rosis ex auro angularibus compositum, & annulum aureum in coronide tulit exaratum.

D'argent au sautoir de gueules, cantonné de trois roses de mesme, & d'vn annelet en chef de mesme.



IOANNES DE MALESTROICT CARDINALIS SANCTI ONVPHRII FELICE V. AMEDEO.

Anno Christi M. CCCC. XL.

EX omnibus nobilissimis, quibus Galliarum Prouincia maxima illustratur, atque exornatur Britannia, familiis, vna est clarissima, quæ à Malestricto, vulgò *de Malestroict*, Diœcesis Vannetensis oppido notissimo ad fluuium Daustum sito nomen sortita est, ex qua ducit originem Ioannes, quem suo muneri gerendo haud imparem faciunt antiquarum rerum scriptores, cuius parens Ioannes de Castro-gironis, Heruæi de Castro-gironis, & filiæ Pæanis à Malestricto filius, qui susceptis ex Priore coniuge tribus liberis, Ioanne scilicet, Alano & Theobaldo Curiosolitum Antistite, eaque vitâ functâ ad secundas nuptias conuolauit, quibus Ioannam Dolensem Comboræ dominam vxorem duxit, quæ tres ipsi peperit filios Ioannem de Castro-gironis nuncupatum Comboræ Dominum, Ioannem, de quo hic sermonem instituimus, & Heruæum à Malestricto Vsellij Dominum. Cum igitur ex tantâ virorum nobilissimorum prosapiâ oriundus foret, (non tamen ex familiâ Ducum Britanniæ, vt vult Ciaconius, qui ipsi malè insignia Britannica attribuit) eam vitæ rationem tenuit, quæ clarissimæ familiæ gloriam, decus vero ipsi & ornamentum attulerit. Vt primum ad grandiorem prouectus est ætatem, scientiarum omnium titulis spectatissimus.

Ampliſſimum in Nannetenſi Computorum camerâ Protopræſidis munus ſubiit, quo pluribus annis laudabiliter geſto Briocenſis Epiſcopatûs lituo exornatus eſt, inde paulò poſt ad Nannetenſis tranſlatus, anno M. CCCC. XIX. & in Britanniæ Ducis Cancellarium aſſumptus, quo tempore, municipiis de *Houdan & Courtenay* ad Montfortium, *l'Amaury* vocitatum, Ioanni V. Britanniæ Duci ea conditione diuenditis, vt hic Nannetenſi Præſuli Ioanni damna ipſi ob ea municipia illata reſarciret, ab Alenconio Duce in carcerem, quaſi prædiues & multis pecuniis abundans eò detruditur, vt Dux Britanniæ reſiduum maternæ dotis debitum hac ratione coactus perſolueret. E contra verò Britannus hac iniuriâ vehementer exaſperatus delectum imperat, milites conſcribit, Alenconij terras & dominia depopulatur, vique & armis Ioannem nepotem ſanguinis Francici Principem Alenconium compulit atque adduxit, vt Epiſcopum Nannetenſem remitteret, damna illata tum ſibi, tum Nannetenſi Epiſcopo, atque eiuſdem Eccleſię Capitulo de damnis & iniuriis ſibi Epiſcopoque conflatis conquerenti, & vindicias petenti compenſaret.

Bellum inter Duces Britannum & Alenconiũ.

Nec omiſerim homagium, quod vocant, Betfortio Duci Regenti, vt dicebatur, Franciæ, anno M. CCCC. XXVII. præſtitiſſe, dum ſcilicet Angli Monarchiam Francicam ſibi præripere vellent.

Betfort Anglus Franciam regit.

Iam vero, quis tanti viri æquitatem in eo munere ſummis ad vſque cœlum laudibus extollere poteſt? Quis etiam probitatem? illud quippe Ioannem recti iuſtique tenaciſſimum demonſtrat; rogatus enim ab Artuſio Comite de Richemond nuncupato, poſtea Britanniæ Duce, ratione prouectæ ſuæ nimium ætatis, vt Epiſcopatum Guillelmo nepoti cedere vellet, ægrè admodum in eam adduci ſententiam potuit, cum illud Artuſio ſemel ac iterum petenti multoties inculcaſſet, tanto muneri ſubeundo nepotem minimè idoneum, vt pote vafrum & non adeo fidelem, futuram breui ob nepotis promotionem Comitis ipſiuſmet pœnitentiam. Nec certè aliter ac futurum prædixerat, contigit: etenim priuilegiorum Eccleſiaſticorum prætextu Guillelmus eidem facto Duci iuramentum, quod fidelitatis vocant, ad nutum ipſius Ducis præſtare noluit rebellis, ex quo plurimæ inter eundem & Artuſium ortæ ſunt contentiones, & inde paulò poſt, Artuſio vitâ functo, vt à ſe Principis iram auerteret, patriam deſerere coactus eſt, & Theſſalonicenſis creatus Archipræſul Nannetenſi Epiſcopatu ſeſe abdicare, cui ex ſorore nepos Amarius Acygnæus ex Vennetenſi ſucceſſit, iiſdem, quibus patruus, contentionum laqueis implicitus, ratione quarum vterque in Franciam ſeceſſit.

Ioannes nepoti Episcopatũ renuit resignare.

Cardinalatûs porro titulo eoque ſancti Onuphrij donatus eſt Baſileæ à Felice V. tertiâ patrum creatione, anno M. CCCC. XL. pridie Idus Nouembris.

Obiit porro Ioannes poſtridie Idus Septembris, anno reparatæ ſalutis humanæ M. CCCC. XLIII. iacet in Eccleſia Nannetenſi.

Parma miniata nouem nummis byſantiis aureis expreſſa.

De gueules à neuf beſans d'or.



IOANNES CASTRENSIS EPISCOPVS CARDINALIS
FELICE V. AMEDEO.

Anno Christi M. CCCC. XL.

EX Confeſſario Caroli VII. Caſtrenſis Epiſcopus creatus, anno M. CCCC. XXVII. cui ſucceſſit Gerardus Marietus, Caroli VII. etiam Confeſſarius. A Felice V. Antipontifice in Presbyterum Cardinalem eligitur tertiâ promotione, pridie Idus Nouembris, anno M. CCCC. XL.


Du Catel in hiſt. Narb.

Scutum miniatum cruce aureâ acuminibus ad extrema octo diſcriminatâ exaratum.

De gueules à vne croix de huict pointes (ou doublement fichée) d'or.

ANNOTATIO.

Tres alios à Felice creatos Cardinales veri Pontifices confirmarunt, putà Ludouicum de la Palu de Varambon, Ioannem d'Arſy, & Guillelmum Huyn d'Eſtain, de quibus poſtea verba faciemus.



IOANNES ROLIN CARDINALIS ÆDVENSIS
NICOLAO V.

Anno Christi M. CCCC. XLVIII.

AVGVSTODVNI natus patre Nicolao Philippi Burgundiæ Ducis cognomento *Boni* Patris vltimi Caroli Cancellario Domino d'Autume, d'Emery, de Beau-champ, Sauoiſy, Monetoy, Chazeul, matre Ioannâ de Landes filiâ natu-minore Petri de Landes Domini de Manianuille in

Neustriâ non Guigonâ de Salins secundis nuptiis vnita Nicolao. Quàm pij fuerint eius parentes, licet hinc paucis colligere; Prochotrophium Belnense magnificentissimum, anno M. CCCC. XLIII. ædificauêre & amplissimis redditibus, omnibus à Nicolaó V. Summo Pontifice, tertio Nonas Aprilis firmatis, locupletauêre; Ædes Deiparæ sacras Augustodunenses à fundamentis erexêre, instituto ibidem Canonicorum duodenario numero, vnà cum Præposito & Capellanis viginti quatuor. In eâ iacet Ecclesiâ Nicolaus Cancellarius, anno M. CCCC. LXI. defunctus, secunda vxor Guigona terræ mandata in sacello Xenodochij Belnæ (quam malè nonnulli Bibractem, cuius meminit Cæsar, nuncupauêre) cum æneâ tumbâ. Eiusdem prosapiæ Ioannes Rolinus Vergobretus, seu vrbis Æduorum Maior *le Vierg d'Autun* (vt vocant) anno M. CCCC. XV.

Hospitale Belnense.

Augustodunensis Archidiaconus, Prior sancti Marcelli Martyris, cuius capsam restituit. Monasterij à Brunechilde conditi Cœnobiarcha Diui Martini Æduensis Ordinis Benedictini, cuius loci primus Abbas Lupus à sancto Gregorio Magno constitutus; huic Cœnobiarchiæ successit eiusdem nominis Ioannes Rolin etiam Præsul Æduensis.

Aymoh. lib 4. ca. 1

Ludouico Delphino à Confessionibus, qui postea Rex huius nominis XI. mortuo parente Carolo VII. qui à debellatis Angiis cognomen Victoris est consequutus.

Carolus Victor.

Mense Augusto, anno M. CCCC. XXXI. Præsul Cabilonensis in Æduis successorem habuit in Cabilonensi Episcopatu Ioannem Germain pauperrimis parentibus oriundum, antea Niuernensem Præsulem, Cancellarium velleris aurei, qui interfuit Concilio Constantiensi, in quo Germani operâ & sollicitudine Dux Burgundiæ primus Princeps Christianus post Reges est declaratus, die XXVI. Maij, anno M. CCCC. XVII. Augustodunensis Antistes, anno M. CCCC. XXXVI. mense Octobri, præfuitque huic sacerdotio annos quadraginta sex. Templum princeps Æduense incendio consumptum restituit, campanam maiorem dono dedit, & quamplurima templi ornamenta, vt æneas columnas ad principem aram, in choro Aquilam. Anniuersarius dies quolibet mense celebratur. Festum Diui Lazari in sancto Sacello Diuionensi celebre reddidit, eiusque Ioannis habetur memoria in capellâ ipsi Diuo erectâ, quæ à plebe vocatur *la Cardinale*. Antistiti nostro Æduensi datus Officialis Ferricus Cluniacensis, postea Cardinalis; Suffraganeum habuit seu Propontificem Ioannem Buisson Professione Carmelitam, Ordine Episcopum Bethleemiticum.

Galero purpureo à Nicolao V. cohonestatus (non ab Eugenio, vt voluit Petrus de sancto Iuliano) decimo tertio Calendas Ianuarias, anno M. CCCC. XLVIII. Presbyter tituli sancti Stephani in Cœlio monte, secundâ promotione; ab eodem pallium accepit Ioannes. Animaduersione dignum est non distingui à nonnullis hunc Cardinalem Ioannem à Ioanne creato in Schismate Felicis V. Cardinale Castrensi, qui fuit Carolo VII. Francorum Regi ab exhomologesi; verum distinguntur, (quod pace illorum dixerim) cum ille sit Cardinalis legitimus à Nicolao creatus, non autem Cardinalis Castrensis.

Histor. Burg in Episc. Cabil.

Ecclesiæ Diuæ Genouefes Parisiensium Patronæ multa erogauit, vti

mentio habetur in eiusdem Ecclesiæ Calendario. Nepos Ioannes Rolin Ecclesiam Æduensem vno dumtaxat rexit anno Regi Ludouico XI. à consiliis. Hic non confundendus cum Ioanne Raulin Ordinis Cistercienſis Doctore Theologo Parisiensi, qui varios edidit sermones, Aduentuales, Dominicales, Quadragesimales, de Sanctis, & de venerabili Sacramento, Itinerarium Paradisi, Doctrinale de triplici morte.

Ex hac statione mortali decimo Calendas Iulias euocatur noster Cardinalis, anno M.CCCC. LXXXIII. dierum & meritorum plenus. Hæredem reliquit Ecclesiam Vici de Besse appellati in triente, legitimis hæredibus institutis. Ioannis Raulini meminit, vt scriptoris Ecclesiastici Genebrardus in Nicolao V. verùm non noster est.

Scutum quadripartitum, in parmâ paternâ I. & IV. laterculi cæruleâ, clauibus aureis tribus palatis, in maternâ II. & III. nigrâ, fasciâ argenteâ merulâ atrâ superpositâ, impressum.

Portoit au I. & 4. de son pere, d'azur à trois clefs d'or en pal, au 2. & 3. de sa mere de sable à la bande d'argent chargée d'vne merlette de sable.



ALANVS CARDINALIS DE COETIVI
NICOLAO V.

ANNO CHRISTI M. CCCC. XLVIII.

IN Armoricis anno reparatæ salutis M. CCCC. VII. ortum habuit Alanus de Coetiui filius Pregentis Franciæ Polemarchi, & Thalassiarchæ Domini de Taillebour, & de Coëtiui, necnon Mariæ de la Val Dominæ de Rais, Alani patruus Oliuarius de Coëtiui, qui Carolum Comitem de Taillebourg genuit, datum matrimonio postea Ioannæ Valesiæ patruæ Francisci Magni Galliarum Regis, à quo in gratiam coniugij Ducatum Valesium obtinuit, literis confectis decimâ octauâ die Decembris, anno M. D. XVI. Argentr. lib. I. hist. Britann.

Dolensis primùm Præsul (Cæsari vrbs Diablintrum) sub Archipræsule Turonensi, licet præuiâ vtatur cruce in propriâ Diœcesi, de cuius iure Metropolitano & lite cum Turonico mentionem faciunt Yuo Episcopus Carnotensis, (vt aliàs notauimus) & Stephanus Tornacensis, & Papa Innocentius III. Syluester Giraldus notat tempore Samsonis (primus fuit Dolensis Præsul & eminens sanctitate) pallium in hunc modum esse translatum. Ingruente per Cambriam (isto præsidente) peste quadam, quâ Yuo ep. 176. & 178. Torn. ep. 116. & 117. Girald. li. 2. itiner. Cambriç. cap. 10.

catervatim plebs occubuit, quam flauam pestem vocabant, Physici Ictericiam dicunt passionem, Præsul quamquam sanctus, & ad mortem intrepidus, tamen ad suorum instantiam nauem scandens, flante Circio cum suis indemnem in Armoricâ Britanniâ se recepit, vbi & vacante tunc forte Sede Dolensi, statim ibidem in Episcopum est assumptus; vnde contigit, vt ob pallij gratiam, quod Samson secum hinc illuc attulerat, succedentes ibi Episcopi vsque ad nostra hæc tempora (quibus prævalente Turonum Archipræsule aduentitia dignitas euanuit) pallia semper obtinuerunt. Ioannes de la Mouche vltimus hic Dolensis Archiepiscopus post compositam litem ab Innocentio in Archipræsulis Turonensis gratiam; nam Clemens de Vitre solum Episcopus Dolensis est nũcupatus successor Ioannis.

Pallium datum Dolensibus.

Vlt. Dolensis Archiepisc.

Ad Sedem Corisopitensem, in sinu Oceani Aquitanici est sita Curiosolitanorum ciuitas, euocatus, defuncto Bertrando de Rosmadec, anno M. CCCC. XLIV. Demum gradum fecit vltimum ad Sedem Auenionensem tunc tantum Episcopalem; Archiepiscopus enim primus Alani successor Iulianus de Ruuere institutus à Sixto IV. consanguineo suo, postea creatus Papa Iulius II.

Quando institutus Archiep. Auenion.

Honorem purpuræ Alano defert Nicolaus V. anno M. CCCC. XLVIII. die decimâ tertia Calendas Ianuarias, Presbyter fuit tituli sanctæ Praxedis, dum secundò Patres Romæ promouentur. Cardinali creato scribit Iacobus Cardinalis Papiensis, cuius etiam meminit Æneas Syluius, postea Pius II. qui testatur fuisse excellenti acie ingenij, & virtute nesciâ vinci.

Card. Papien. ep. 310. Syluius l. 2. Comment.

Coëtiuianus iterum titulo Administratoris Dolensis Episcopatûs exornatur, obeunte Radulpho de la Moussaye Præsule, Aprili mense, anno M. CCCC. LVI. Missus in Britanniam Armoricam à Callixto III. Legatus à latere ad sacrum sancti Vincentij Ferrerij Ordinis Prædicatorum corpus exhumandum; hic prædixerat Alphonsum Borgiam Papam futurum, quem ipse Borgia nomine Callixtus III. in albo sanctorum inscripsit, anno M. CCCC. LV. die Iunij vigesimâ nonâ: ex Hispaniâ quatuor fuêre Summi Pontifices sanctus Damasus, Ioannes XX. Adriani V. successor, hic Callixtus & Alexander VI. etiam Borgia. Eodem anno rogarat Callixtum Petrus Britonum Dux, vt aliquem mitteret cæremoniæ faciendæ ergò; cui interfuêre Archiepiscopus Rothomagensis, Episcopi Abrincensis, Sagiensis, Cenomanensis, Conuenarum, Pictauiensis, Lucionensis, Maleacensis, & omnes Britanniæ Antistites.

Corpus S. Vincentij Ferrerij in Armoricis.

Legatus in Gallias anno M. CCCC. LVI. ab eodem Callixto III. ipsis Pontificatûs primordiis ad Carolum VII. Francorum Regem hortaturus ad bellum sacrum in Turcas mouendum, quod cruciatam nuncupauêre, mandatis per Orbem Patribus Dominicanis Prædicationis causâ; paucos enim ante annos Mahometes Ottomanus Amurathi filius, Mahometis nepos Bizantinum Sedem Imperatoriam Orientalium vi & armis ceperat, Imperatore Constantino in portis, præ populi egredi & ingredi cupientis multitudine, suffocato, die Lunæ quintâ Calendas Iunij, pridie quam Ciuitas in omnimodam hostium potestatem deueniret. Nullâ autem morâ interpositâ initio Pontificatûs Legatos huc & illuc misit Callixtus ob votum, quod Deo emiserat antequam eligeretur Pontifex, suo chirographo firmatum,

Bellum in Turcas.

Suffocatur Constantinus in portis capta Bizantij.

matum his verbis conceptum, quòd Cardinalibus fuit admirationi. *Ego Callixtus Pontifex Deo omnipotenti, sanctæ ac indiuiduæ Trinitati voueo me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demum quibuscunque rebus potero Turcas Christiani nominis hostes bello sæuissimè prosequuturum.*

Votum Callixti.

Coëtiuianus magnâ pollens eloquētiâ & merito causæ innixus facilè Regem Carolum, & Regni Proceres in suam adduxit sententiam: itaque maximus fit in Galliis militum delectus; at, dum per Orbem Christiani milites leguntur, vitam finiit Pontifex anno M. CCCC. LVIII. Cardinali huic nostro, qui Ioannis Cæsarini sacri Palatij Auditoris Apostolici Legati in Britanniam mittendi causa fuerat, Ludouicus Galliæ Rex ademit bonorum temporalitatem, vti narratur à Pio II. & à Cardinale Papiensi etiam referente Cardinales, qui Pauli II. electioni interfuerunt. Alanus, inquit, tituli sanctæ Praxedis genere Brito suâ, & fratrum cognatorumque, nobilitate præclarus, hic quoque legationem ad Gallos pro Fide gerens triremes, vtiliaque multa in Turcas parauerat, si sancta Callixti consilia non intercepissent varij casus. Cæterum vnus fuit ex sex Cardinalibus, qui Pio II. Mantuam iter facienti pro bello Turcis inferendo sese viæ comites adiunxerunt.

Pius 2. li. 12. Cõm. Cardin. Papien. lib. 2.

Lis mota inter Alanum de Coëtiui Cardinalem, & Ludouicum de Roche-choüard Episcopum Santonensem pro tuendo iure electionis ad Episcopatum Santonum coram Primate Bituricensi Ioanne *le Cœur*, literis Caroli VII. anno M.CCCC.LXI. Magduni *Meun* ad Yeuram (quo in loco moritur Carolus XXII. Iulij, post regni annos triginta octo & menses nouem) datis, cùm diceret Alanus se perpetuum Administratorem Episcopatûs Santonensis, qui tamen cecidit causâ.

Lis pro Episcopatu Santonensi coram Bituricen.

Vrbe Trapezunte captâ hoc anno à Mahomethe Turca, Imperium Trapezunti finem accipit, quod incœperat anno M. CC. IV. cum Alexius & Michael Comneni ex Angelorum familiâ diuersas sibi Prouincias occupauêre, putà Cappadociam, Pontum, & Colchidem, diuisumque fuit Orientis Imperium in Europæum & Asiaticum. Porrò Mahomethes duxit Dauidem Imperatorem Constantinopolim, quem interfecit cum totâ familiâ; sicuti & Demetrio Peloponesi Domino capto, familia Palæologorum in Græciâ est extincta.

Initium & finis Imperij Trapezuntini. Niceph. Gregoras Chalcondyl. Geneb. in Honor. 3.

Morti debitum exsoluit anno M. CCCC. LXXIV. die vigesimâ primâ Iulij, Romæ in D. Praxedis æde monumento marmoreo tumulatus, iuxta sacræ Christi columnæ sacellum, cum sequenti epitaphio.

Sedente Sixto IV. Alanus Episcopus Sabinensis, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis nobilissimus, in Britonibus Coëtiuorum gente natus, illustri ad Gallos pro Fide functus legatione, cuius vita exemplum virtutis; actiones autem priuatim & publicè salutares fuêre, hoc monumento conditus est. Vixit annos LXVI. *dies* XV. *menses* VIII. *anno Domini* M. CCCC. LXXIV.

Scutum aureum fasciatum, & atrum.

Portoit fascé d'or, & de sable.



Anno Christi M. CCCC. XLIX.

LVDOVICVS LA PALV CARDINALIS DE VARAMBON NICOLAO V.

DOMINIVM Paludanum in Prouinciâ, & tractu Burgundiæ, è quo Ludouicus Doctor Facultatis Theologiæ Parisiensis. In Synodo Constantiensi custodiam & prouinciam Conclauis habebat, cum electionis calculi Martino V. Pontifici è familia Romana Colomnensium conceduntur, post concionem habitam à Iacobo Episcopo Laudensi assumpto themate *Eligite meliorem*: illius fit mentio tunc Abbatis sessione quadragesima prima, anno M. CCCC. XVII.


Eiusdem gentis & nominis Petrus de Palude Burgundus Ordinis sancti Dominici Patriarcha Hierosolymitanus, qui scripsit in tertium & quartum libros Magistri sententiarum, præclarum etiam tractatum de causa Ecclesiasticæ potestatis immediata; & hoc æuo Christophorus de Rya de la Palu, Marchio de Varambon, Comes de Varax & de la Roche, Dominus Noui-castri, Eques velleris aurei.

Vrbis sancti Ioannis Maurianensis ad Arcum fluuium & Alpes Cottias Episcopus sub Viennensi Archiflamine, & Senatu Chamberiaeensi; præterea Administrator Lausanensis Episcopatûs ad ripam dextram & Septentrionalem lacus Lemani apud Latobriges ex suffraganeis Archipræsulis Bisuntini. Eius graues fuêre inimicitiæ cum Amedeo VII. (quem VIII. faciunt alij) Sabaudiæ Duce, à quo in epistola ad Basileensem Synodum missâ hostis nuncupatur. Abbas Tournesianus in dextrâ Araris ripâ memoratur post Aymonem de Corgeron, capellamque erexit in eo andrio nuncupatam vulgò Varambonij Cardinalis. (S. Iulian. in hist de Tournus.)

Cardinalem declarauit legitimum Nicolaus V. decimo quarto Calendas Ianuarij, anno M. CCCC. XLIX. Presbyterum tituli S. Anastasiæ in tertia promotione, postea sanctæ Cæciliæ: antea creauerat Anticardinalem Antipapa Felix V. Gebennis anno M. CCCC. XLIII.

Lucis vsurâ priuatur anno M. CCCC. LV. Romæ corpus conditum in Principis Apostolorum Basilica.

Scutum miniatum cruce argenteâ muris Pontici maculis nigris impressâ exaratum. *De gueules à la croix d'argent semée d'hermines.*



IOANNES D'ARSI CARDINALIS SANCTORVM NEREI ET ACHILLEI NICOLAO V.

Anno Christi M. CCCC. XLIX.

NATIONE Gallum, Sabaudum Sacerdotio non imus inficias. Comes fuit & Archiflamen Tarentasiæ ad Isaram fluuium Alpium Pœninarum & Graiarum Metropolis; olim fuit nuncupata Forum Claudij Neronis Centronum. Adest Synodo Basileensi, memoraturque sessione trigesimâ octauâ: inchoatum verò fuit illud Concilium anno M. CCCC. XXI. (quo defunctus est apoplexiâ Martinus V. anno climaterico, appellabatur *temporum suorum fælicitas*) & perductum ad annum M. CCCC. XLII. quod fuit reprobatum, vt ante notauimus, à Synodis Florentinâ, & Lateranensi: tamen Nicolaus P.P. V. approbauit decreta de beneficiis & censuris Ecclesiasticis. Ab eodem Pontifice Nicolao tertiâ creatione, duodecimo Calendas Ianuarias, Romæ, anno M. CCCC. XLIX. datus est Ioanni nostro titulus sanctorum Nerei & Achillei. Ad ignem Schismatis extinguendum aliqui sunt Cardinales promulgati legitimi, vt Amedeus Dux (de quo pluribus actum est in Felice V.) Cardinalium Decanus, Ludouicus de Varambon, & Guillelmus Huyn d'Estain, & hic Ioannes d'Arsi, qui fuerat antea ostro vestitus à Felice V. cum aliis pluribus, Argentinensi in Germaniâ, Nouariensi in Longobardia, Lausanensi in Antuatibus, in Hollandia Traiectensi, in Germaniæ Italiæque finibus Tridentino, Dertusensi in Hispania, Vicensi in Lusitaniâ, in Frisia Frisingensi, in Sicilia Panormitano, in Polonia Gesnensi; è Gallia, Parisiensi, Lugdunensi, Turonensi, Nannetensi, Castrensi, Aquensi; ex Sabaudia Geneuensi & Maurianensi.


Nicolaus V. decreta de censuris Cōc. Basil. approbat.

Creati Cardd. à Felice Amedeo.

Obiit in eadem Sabaudiâ Cardinalis d'Arsi pridie Idus Decembres, anno M. CCCC. LIII. sepultus Monasterij ad Isaram, aliàs Tarentasiæ.

Parma cærulea primo quadrante aureo exarata.

D'azur au premier quartier d'or.



ANNO CHRIST. M. CCCC. XLIX.

GVILLELMVS HVYN D'ESTAIN CARDINALIS METENSIS NICOLAO V.

VIRDVNENSIS Diœcesis villa d'Estain natiuitatem & nomen dedit Guillelmo, cuius nepos Bennuinus Huyn Decanus Ecclesiæ Virdunensis, anno M.CCCC.LIII. qui ob discordias post mortem Patrui natas in Capitulo Romam se recepit Paulo huius nominis II. pergratus; alter nepos ex sorore Iacobus Lotharius interfectus à Præfecto, & Ædilibus Virdunensibus, quos Synodus Basileensis excommunicauit, prolatâ excommunicationis sententiâ à Ludouico Alemando Cardinale Archiepiscopo Arelatensi Concilij præside, quam procurarat Guillelmus Huyn Archidiaconus tunc Basileæ residens.

Nepos interficitur

In Iure tum Pontificio, tum Cæsareo Doctor fuit Huynus d'Estain primùm eiusdem Ecclesiæ sanctæ Mariæ Virdunensis Archidiaconus, etiam in Ecclesiâ Protomartyris Stephani Metensis eodem Archidiaconatûs officio decoratus: sancti Vitoni Ordinis Benedictini in ciuitate Virdunensi Cœnobiarcha (in quo Andrio Diuus Sanctinus quondam sacrum erexit altare) mortuo lue pestiferâ anno M.CCCC.LII. Stephano Bourgeois, cuius præclarum fuit studium in ædificandâ sancti Vitoni, vt nunc conspicitur, Ecclesiâ. In eius locum à Monachis fuerat electus Ioannes d'Arrancey Diui Vitoni Camerarius, à quo iure decidit Auditorum Rotæ sententiâ, (etiam diris deuotus à Pontifice) cum eius Abbatiæ expectatiuam obtinuisset Romæ degens noster Cardinalis Guillelmus, cum quatuor eiusdem Cœnobij officiis nimirum Præposituræ, Infirmariæ, Cellariæ, & Dapiferariæ. Ad hanc litem componendam petit Romam Guillelmus de Haraucourt Canonicus, & Præpositus Montis-Falconij in Ecclesiâ Virdunensi, nepos Ludouici de Haraucourt Præsulis Virdunensis, cedente ius suum Ioanne d'Arancey in gratiam Guillelmi Cardinalis. Post aliquot temporis interuallum eiusdem Monasterij Monachus Antonius des Guerres Prior Flauigniacus Romam se contulit, & à Cardinale obtinuit cessionem Abbatiæ, retentâ quadringentorum aureorum annuâ pensione.

S. Vitoni Ecclesia ædificatur.

Cardinalatū Huyno cōfirmauit Pontifex Nicolaus V. anno M.CCCC.XLIX. decimo quarto Calendas Ianuarij, tituli sanctæ Sabinæ, cùm tertiò patres

legit, Cardinalis Metenſis eſt nuncupatus ob Archidiaconatum Metenſem; antea Gebennis Antipapa Felix V. Amedeus Sabaudus anno M. CCCC. XLIII. Anticardinalem effecerat menſe Aprili.

Eccleſiam Parœcialem in villâ d'Eſtain curauit ædificari eo ſchemate, quo nunc intuentium oculis apparet. Peculiari neceſſitudine coniunctus cum Petro Barbo Cardinale ſancti Marci Veneto, poſtea Pontifice Paulo II. magnâ curâ res Eccleſiæ Virdunenſis proſequebatur Romæ, proinde toti Clero Virdunenſi gratiſſimus. Curauit à Nicolao Papâ confirmari duo ſtatuta Canonicorum Virdunenſium, in quæ iurant, dum admittuntur, primùm ſe ortos in & ex legitimo matrimonio, ſecundùm conditionis ſe eſſe liberæ non ſeruos.

Poſtremarũ teſtamenti tabularum executor Petrus Cardinalis S. Marci. Romæ decedit quinto Calendas Nouembres, anno M. CCCC. LV. ſepultus in ſuo ſanctæ Sabinæ titulo propè principem aram, cum hoc epitaphio.

Vgonis Guillelmus eram conſultus vtroque
Iure, ſed è ſtagno Virdunis natus in oris.
Presbyter intactæ titulo præſtante Sabinæ
Inter Cardineos donatus denique Patres.
Obijt anno M. CCCC. LV. *die Octobris XXVIII.*

Ibidem mortuus, & ſepultus nepos Bennuinus Huyn Decanus Virdunenſis.

Scutum quadripartitum in I. & IV. laterculo cæruleo cum capite hominis argenteo, in II. & III. quadrante miniato.

Portoit eſcartelé au I. & 4. d'azur à vne teſte d'homme d'argent, au 2. & 3. de gueules.



RICHARDVS DE LONGVEIL CARDINALIS CONSTANTIENSIS CALLIXTO III.

ANNO CHRISTI M. CCCC. LXVI.

LONGOLIORVM gens eſt virorum illuſtrium ſeminarium, in quo quatuor Epiſcopos nanciſcor Petrum Longolium Antiſtitem Cenomanenſem, qui interfuit Conciliò Viennenſi Oecumenico, anno M. CCC.

XI. Clemente V. hunc Richardum Episcopum Constantiensem, Antonium Ecclesiæ Leonensis infulâ decoratum, & Annæ Britannicæ Franciæ Reginæ Cancellarium, Regiumque Legatum in Belgio, cuius cinis in sacello Longoliorum templi Minoritarum Parisiensium iacet: denique Matthæum de Longueil Suessionensem Præsulem consecratum, anno M. D. XXXIX. qui obiit die septimâ Septembris, anno M. D. LVIII. sepultus in basilicâ sanctorum Geruasij & Protasij Lutetiæ.

Rober. in Gall. a. Christ.

Inter Francos fuit magni nominis Richardus (duplici nomine à quibusdam donatus) Oliuarius Longolius de Augio Neustrius Patre Guillelmo de Longueil Vicecomite Augi, Domino de Longueil, Varengeuille & Offrainuille, sepulto Diepæ in Parœciali Ecclesia Diui Iacobi sacello sancti Saluatoris, quod est Longoliorum. Ex eâ familiâ Ioannes de Longueil libellorum supplicum in Curiâ Magister, Dominus municipiorum memoratorum, & des Maisons ad Sequanam, qui Mariam de Moruilliers filiam Philippi de Moruilliers Principis Senatûs Lutetiani, sororem Petri de Moruilliers Franciæ Nomophylacis Caroli VII. & Ludouici XI. duxerat vxorē. Renatus de Lōgueil familiæ primogenitus viuit Princeps Curiæ Iuuaminum, ipsiusque FF. magni nominis & virtutis. Nostri Richardi Longolij meminêre Æneas Sylulus postea Pius II. Pontifex, Iacobus Amanatus Lucensis, & Iacobus Picolomini Cardinalis Papiensis ab Episcopatu nuncupatus, & Callixto III. à secretis, qui ad Richardum Longolium duas misit epistolas, vnius sunt verba. Richardus tituli sancti Eusebij è Normandiâ oriundus, suosque inter admodum celebris: huic olim Carolus VII. Francorum Rex Iustitiæ administrandæ, & Regij Consilij prouinciam commisit, sacerdos in dicendâ sententiâ liber, & in proposito constans inter Consistorianos Patres Præses creatus.

Æn. Syluius epist. 378. & 379 Iacob. Aman. lib. 2 Cōment. Car. Pap. ep. 55. & 97.

Antea Præses Cameræ Computorum seu rationum reddendarum, & Archidiaconus Rothomagensis, & Episcopus Constantiensis Galliæ, datus iudex reuisendæ causæ Ioannæ d'Arch de Vaucouleur in Lotharingiâ natæ secundum aliquos, secundum alios Francæ in pago de Domremy, Balliuiatus Calmontensis, vulgò *puellæ Aurelianensis* ab Anglis igni deuotæ Rothomagi, anno M. CCCC. XXXI. mense Maio.

Cardinalis à Callixto III. decimo sexto Calendas Ianuarij, anno M. CCCC. LVI. tituli sancti Eusebij Archipresbyter sancti Petri: demum Episcopus Portuensis postulante Rege Carolo, vt notat Æneas Syluius de promotione Cardinalium verba faciens hoc ordine. Ioannes Papiensis Ecclesiæ Antistes Castilionensi nobili domo apud Mediolanenses natus, Æneas Præsul Senensis ab Imperatore, à Ladislao Hungariæ Rege, & ab omnibus ferè Germaniæ Principibus petitus, Iacobus Foretanus Romanus Simonis Medici frater, Richardus Constantius Normanicus sacerdos à Carolo Francorum Rege quæsitus.

Æneas Syluius lib. 1. Comment.

Christophorus Longolius Orator Romanus in oratione coram Leone X. habitâ, anno M. D. XXI. (sequenti mortuus ætatis trigesimo tertio) promotionem Richardi Cardinalis refert ad Nicolaum V.

Possem, inquit, hîc ego P. C. perinde ac idoneum nactus locum, de Longoliorum nobilitate multis apud vos agere, commemorare familiæ vetu-

ſtatem, nominis antiquitatem, gentis ſplendorem, maiorum noſtrorum imagines, laudare eorum, qui etiam nunc viuunt, fortunas, dignitatem, honores, magnam apud omnes ciuitatum ſuarum Ordines gratiam: ad hęc etiam ſi qua vulgus alia in eis fortunæ bona miratur, ea prædicare omnia; verùm cum non ſine magna mea meorumque inuidia hæc à me celebrari, ſed ne nudis omninò verbis hîc dici poſſint. Verum illud à me vnum audietis, atque id ipſum magis, vt Vobis de iſtorum impudenti mendacio liqueat, quam quod magnopere cauſæ meæ conducere exiſtimem; eſſe me non obſcuro, quod iſti mentiuntur, ſed honeſto loco & eâ gente natum, ex quâ quintus Nicolaus Pontifex Maximus, cum de ſupplendo collegio ampliſſimo agitaret, Richardum Longolium Conſtantienſem Antiſtitem delegit, quem in Romanorum Sacerdotum numerum referret, relatum Petrinis ſodalibus flaminem daret, quod ab eo factum eſſe, vt publicis P.R. monumentis conſignatum eſt, ſic etiam palam arguunt ædes illæ, quas Richardus poſt ſuam in eum Ordinem cooptationem, in Vaticano ad Petri magno ſumptu marmoreas exædificauit. Date hoc ſi non meæ innocentiæ, at Longoliorum generi & familiæ, quorum præclara hac in Vrbe monumenta viſitatis. Hactenus Chriſtophorus Longolius ob flumen eloquentiæ viris Latinè dicendi peritis notiſſimus licet nothus. Dux enim Franciſcus II. miſerat Antonium Longolium, anno M. CCCC. LXXXVI. Legatum ad Imperatorem Maximilianum, cum Domino Ioanne le Bouteiller, Domino de Maupertuis, & Gratiano Matthæo eius Secretario; creditur Chriſtophorus Antonij filius in ea Legatione.

Interfuit Rhemis die decima quinta Auguſti Aſſumptioni Deiparæ ſacra anno M. CCCC. LXI. dum ſacro inungitur oleo Ludouicus XI. à Ioanne Iuuenale de Vrſinis Archipræſule Rhemenſi, præſentibus Summi Pontificis Legato, Patriarcha Antiocheno, Cardinale Albienſi, ac quatuor Archiepiſcopis, & ſeptemdecim Epiſcopis.

Sacrum caput D. Andreæ Apoſtoli delatum fuit in Baſilicam Vaticanam, anno M. CCCC. LXII. ex Peloponeſo miſſum Summo Pontifici Pio II. qui ſolemnem celebrauit proceſſionem, cui adfuit Richardus de Longueil Cardinalis. Gobellin. de geſtis Pij 2.

Pio II. carus, à quo etiamnum magni æſtimatus, laudabat enim eius conſilia, cauſas tradebat iudicandas hocque oraculum de eo protulit teſte Cardinale Papienſi in epiſtola nonageſima ſeptima citata. *Vtinam Conſtantienſes haberemus plures, bene conſultum eſſet Eccleſiæ, vir grauis eſt, vir bonus, vir mitis, vir doctus, ſemper in ſuis ſententiis verus.* Ex eadem epiſtola die decima tertia Decembris, anno M. CCCC. LXIV. data conſtat fuiſſe Legatum Apoſtolicum Pauli II. ſcilicet in Vmbria, à quo fuit Portuenſis creatus Epiſcopus; in eádem dicitur iuſtitiæ amator, nihil fauori aut corruptelæ indulgens, in iurium interpretatione verax, in ſuo cuique reddendo nequaquam προσωπολήπτης. Creauerat vna cum aliis Patribus purpuratis hunc Pontificem Paulum II. Venetum, anno M. CCCC. LXIV.

Ædes Archipresbyteri ſancti Petri, iuxta Eccleſiam vetuſtiſſimam ſancti Apollinaris penè à fundamentis reſtituit, ſed morte oppreſſus non incoluit ex Garimberto Epiſcopo, hæc carmina incidi iuſſerat in foribus. Garimb. lib. 4. c. 16 de loquendi libertate.

Quam bene stare vides, quondam deiecta iacebam,
Et decus hac facies fert modò culta nouum.
Richardus Normanna tuus Constantia Præsul
Cardineæ struxit gloria magna togæ.
Presbyter & Veneto Paulo regnante secundo
Primus in hac Petri, quæ fuit Ecclesia.

Ænea statua S. Petri in Vaticano.

Curauit fieri simulachrum æneum S. Petri Apostolorum Principis, destructa Iouis Capitolini statua, & collocari in ipsa Basilica Vaticana; adhuc extat cum insignibus Longolianis prope sacellum Gregorianum, populus confluit ad illius pedem dextrum piè & religiosè deosculādum, quem multoties ego ipse sum deosculatus Romæ Diui Petri Basilicam ingressus.

Diem clausit extremum in sua Legatione Perusij decimo quinto die Calendas Septembres, anno M. CCCC. LXX. corpus Romam delatum, in Basilica sancti Petri tumulatum, vbi hoc legitur epitaphium in pauimento.

Richardus Episcopus Portuensis, Cardinalis Constantiensis è Normandia oriundus hoc altare vetustissimum noua facie & dote noua testamento iussit ornari, vbi in pace requieuit anno Domini M. CCCC. LXX.

Ante obitum eodem anno largitus est summam pecuniarum Basilicæ Vaticanæ, cum hocce onere vt à duobus Capellanis celebrentur singulis annis centum viginti missæ; quod constat ex tabella appensa in sacrario D. Petri, & sacello sanctorum Processi & Martiniani Martyrum.

Scutum Longoliorum cæruleum tribus rosis aureis II. & I. coronide argentea tribus rosis miniatis impressâ exaratum.

D'azur à trois roses d'or 2. & 1. le chef d'argent chargé de trois roses de gueules.



Anno Christi M. CCCC. LXI.

IOANNES GEOFFROY CARDINALIS ALBIENSIS, PIO II.

EGREGIVS Theologiæ & Decretorum Doctor Luxouij in Burgundia natus, cuius frater Ioannes Gofredus non verò Lofredi, vt vocat Ciaconius.

conius. Alter germanus Henricus Gofredus; neptis Nicolea Geoffroy fundatrix anno M. CCCC. LXXXII. Sanctimonialium Metensium Ordinis sanctæ Claræ à salutatione Angelicâ, quæ incipit his verbis *Aue Maria*, nomen habentium è reformatione B. Coletæ Corbeiensis. Mad Ep. . su .de r E. ..le. Meten.

Imprimis Prior Beatæ Mariæ de Castro ad Salinas, postea Cœnobiarcha Andrij sancti Petri Luxouiensis, Ordinis Benedictini, Congregationis Cluniacensis, Diœcesis Bisuntinæ, conditiâ D. Columbano, cuius meminit Summus Pontifex Innocentius III. C. ad Nostram de electione scribens Archiepiscopo Vesontionensi, vti videat, ne quis in Abbatem eligatur, nisi prius fuerit Monachus; eius Cœnobij Religiosus extitit Sanctus Audomarus. Innocen. 3 can. ad Nost.

Cœnobiarcha Diui Dionysij in Francia LX. Referendarij etiam Officio functus. In Episcopum Atrebatensem eligitur post Iacobum à Colibria Cardinalem, competitorem habuit, & æmulum Dionysium de Montmorency Decanum Tornacensem. Inde autem fit Præsul Albiensis Roberto Delphino defuncto.

Demum ornatur purpurâ Cardinalitiâ à Pio II. decimo quinto Calendas Ianuarias, anno M. CCCC. LXI. Presbyter tituli sanctorum Syluestri & Martini in montibus. Vnà cum Cardinale Albretio Comitiis interfuit Pauli II. Veneti anno M. CCCC. LXIV. in Summum Pontificem electi.

Ludouicus XI. Galliæ Rex à Iuuenale Vrsino Archipræsule Rhemensi sacro oleo Rhemis inungitur, & præsens adfuit Gofredus, die Virgini Assumptæ sacrâ cum Oliuario Cardinale Constantiensi, anno M. CCCC. LXI. A Ioanne nostro offensus Cardinalis Papiensis eum insectatur, & nonnulli Cardinales; deinde amicam ei scripsit epistolam, quâ ad Curiam purpurâ iam nobilitatum inuitat, paulò post Cardinalis Albiensis duxit copias pro Ludouico XI. in Nouempopulaniam contra Comitem Armeniacum. Papien. epist. 17. 48. & 394 Annal. Franc.

Rege Arragonensi Perpinianum vrbem intercipiente, anno M. CCCC. LXXIII. Præfectus illius erat Dominus Lau, qui se in castrum recepit accepto hoc nuncio, quò Ludouicus XI. milites duxit obsidioneque vrbem cinxit, in quâ Rex Arragonum & eius filius; Cardinalis verò noster milites conscripsit, consilioque, & armis Ludouico mirum in modum præstò fuit. Chronic. Ludou. 11

Pius II. virum hunc egregium doctrinâ, & ingenio, & diuinâ quodammodo memoriâ excellentem nominat; & cum purpuram adeptus fuisset, & sibi in portu nauigare iam videretur, quæ de animo Ludouici ad res Siciliæ silentio presserat, scribere cœpit, & Pio in consultationibus resistere. Idem Pius de Ioanne ita loquitur, cum aliorum iudicio doctus, suo verò doctissimus Atrebas videretur, vt qui literas memoriæ multas mandasset & prophanas & sacras, & quicquid apud Latinos legitur perlegisset, selectisque Philosophorum & Poëtarum dictis refersisset memoriæ penu, ac de quâcumque re sermo incidisset, paratus erat dicere aliquid, omnia hac de causâ sibi licere existimabat. Pius 2. l. 7. Comment. Idem lib. 12. Comment.

Legatus adiit Francorum Regem Ludouicum XI. & Ducem Burgundiæ vltimum Carolum, pro expeditione in Turcas, & aliis magni momenti negotiis, & potissimum pro Pragmaticæ Sanctionis abrogatione, cui refra- Expeditio in Turcas

gante Senatu Parisiensi supersedit Ludouicus, qua de re pluribus hoc libro in Ioanne Baluë Cardinale Andegauensi.

Mortalitatis solutus vinculis, anno M. CCCC. LXXIII. die quarta Idus Decembris, in Prioratu de Rully Bituricensis Diœcesis.

Scutum argenteum sex fascüs atris in II. duabus crucibus coccineis exaratum. *Portoit fascé d'argent, & de six pieces de sable : la seconde chargée de deux croix de gueules.*



Anno Christi M. CCCC. LXI.

LVDOVICVS SENIOR CARDINALIS ALBRETIVS PIO II.

FF Sanmart. in hist Genealog Prælium d'Azincourt.

PATERNO maternoque genere è Regum prosapiâ filius Caroli II. Comitis Albretij & Tartasij, qui parente Franciæ Conneſtabili, Comite Drocensi, Domino de Silly & de Craon interfecto in prælio Azincurtio, anno M. CCCC. XV. duxit vxorem Annam Bernardi cognomento Crassi Comitis Armeniaci filiâ, ex qua natus Ludouicus Propatruus Amanei Cardinalis Episcopi Pampelonensis (de quo postea) Abbatis sancti Ruffi Valentiæ Ordinis Augustiniani. Fratrem habuit Ioannem Albretium primogenitum, Franciæ Polemarchum, & Carolum natu minorem Dominum sanctæ Bazellæ in Burdegalensi tractu, cuius caput iussit amputari Rex Ludouicus XI. Pictauij, anno M. CCCC. LXXIII. Ex eâ familiâ ortus stirpe maternâ Henricus Magnus; Ioanna enim Albretia Nauarræ Regina duxerat maritum Antonium Borbonium parentem Henrici. Ille autem Albretiorum Ducatus coronæ Franciæ nodo adamantino coniunctus fuit, vt antiquum Henrici Regis Dominium declaratione factâ mense Iulio, anno M. DC. VII.

Ducatus Albretius vnitur coronæ.

De Ludouico sic Cardinalis Papiensis ad Cardinalem Senensem. A parentibus Religiosis educatus, nil nisi Religiosum sapere poterat, verbum impudicum, insolens, & asperum nunquam est ex ore eius auditum, conuersatio erat grata, consuetudo ad omnia facilis, sensus pleni misericordiâ, semper ad rectum intenti, odientes malum, & adhærentes bono: introspexi præ cæteris hominem totum, scrutatus sum renes & cor, nihil vnquam malignum in cogitatione patris huius inueni. Ob præclara, inquit Andreas Victorellus, merita magni cuiusdam Ducis de Albreto, qui Carolum VII. Gallorum Regem contra Anglos duxit, vniuersæ familiæ concessum est,

Cardin. Papiens. epist. 136

Victorel. in annot. ad Ciaco.

vt gentilitio ſtemmati Francica lilia adderet; verum pace Victorelli dixerim ſecundum rei veritatem Carolum VI. permiſiſſe Armando Ameneo Domino Albretij in gratiam vxoris Margaretæ Borboniæ ſextæ filiæ Petri primi Ducis Borbonij arma & inſignia Albretia nimirum aream plenam coccineam, cum Regiis Franciæ tribus liliis aureis in campo cæruleo coniungi. Quando lilia vnita ſcuto Albretiorū.

Adurenſem habuit Epiſcopatum, & Cadurcenſem vltimâ Februarij die anno M.CCCC.LXI. ad ſexageſimum quintum, defuncto Ioanne de Caſtronouo. In tabulario Epiſcoporum Cadurcenſium plurimæ Clientarij Officij ſignificationes ab Optimatibus nobiliſſimis delatæ Ludouico noſtro. Extat & diploma Sixti IV. quo leges Eccleſiæ Figiacenſi B. Mariæ de Podio ſanciuntur, inſerta Ludouici Albretij comprobatio, quâ ſe Ludouicus Adminiſtratorem Cadurcenſis Eccleſiæ nuncupat Romæ vigeſimo ſexto Martij, anno M. CCCC. LXI.

Cardinalis effectus Presbyter tituli ſanctorum Petri & Marcellini à Pio II. anno M.CCCC.LXI. decimo tertio Calendas Ianuarij, dictus *amor & deliciæ Vrbis* ob præclaras animi dotes & virtutes, qui potiſſimùm ad Dei amorem & hominum caritatem natus viſus eſt. Papienſis li. 2. Commentar.

Spiritum Deo reddidit die quartâ Septembris, horâ ſeptimâ ſecundum morem numerandi horas in Italia, anno M. CCCC. LXV. cuius epitaphium & ſepulchrum marmoreum viſitur in æde Franciſcanorum ſanctæ Mariæ de Arâ cœli, in monte Capitolino.

Ludouicus tituli ſanctorum Petri & Marcellini Presbyter Cardinalis natione Gallus, gente de Albreto Regio Francorum ſanguine natus, moribus & vitâ clarus hic in pace quieſcit, annos quadraginta duos vixit, menſes octo, dies duodecim. Obijt Romæ anno M. CCCC. LXV. *die quartâ menſis Septembris.*

Die funeris ad aram rem diuinam faciens Cardinalis Papienſis eam effudit lachrymarum abundantiam, vt aſtantes ad fletum compulerit, vixque ſacrum abſoluere potuerit.

Admirabilis fuit (verba ſunt Papienſis epiſtolâ centeſimâ trigeſimâ ſextâ) hic tranſitus eius, ſe morti vicinum agnoſcens, cogitare & loqui, & audire de re, præterquam de ſalute animæ non eſt paſſus, fuerant ipſi lachrymæ panes, dum recogitauit annos præteritos: cubiculum eius aſſiduis queſtibus & compunctionibus repletum eſt. Sacramentum Domini noſtri IESV CHRISTI ſumpturus è lecto in terram ſe iuſſit deponi. Horas Canonicas non ante dimiſit, quam à voce eſt ipſe dimiſſus: inter orandum, ſi quando labente memoriâ alicuius verbi eſſet facta omiſſio pſalmum iterabat: cum ab ijs vacabat, Paſſio Saluatoris noſtri legebatur aſſiduè, inter audiendum non ceſſabat ſuſpirium & fletus. Mors ſanctorum.

Parma quadripartita I. & IV. quadrante cæruleo, tribus liliis aureis, II. & III. miniato. Eſcu d'Albret.

Portoit eſquartelé au I. & 4. de France, qui eſt d'azur à trois fleurs de lys d'or, au 2. & 3. de gueules.



Anno Christi M. cccc. lxiv.

IOANNES BALVE CARDINALIS ANDEGAVENSIS
PAVLO II.

Cardin. Papienſ. l.2.Comment.

Chronic. Ludouic. II.

MOLITORE Patre Virduni eſt ortus, vafrum omnino fuiſſe tradidit Cardinalis Papienſis, cui etiam ille optimè notus de facie. Acri erat ingenio, à primâ ætate Pictauienſis Epiſcopi domeſticus, & eo vitâ functo ſe ſuamque operam dedit ſucceſſori, qui Gallorum Regis fuit Orator, cum quo Romàm eſt profectus. Fratrem habuit Nicolaum Baluë, cui nupſit filia Ioannis Bureau Equitis Domini de Monglat, nuptiæ celebratæ anno M. cccc. LXVII. in ædibus Borboniis, Rege Ludouico & Reginâ præſentibus, multæ fuère expenſæ, & plurima donaria magni pretij iis collata.

Belforeſt. in Annal.

Ginnius parte 2. Annal. Seruoru. Scutum de Monglat.

Abbas XXXIII. Beccenſis, iſque primus Commendatarius ex Belforeſtio Franciæ Hiſtoriagraphò. Ordinis Fratrum Seruorum B. Mariæ fuiſſe tradit Archangelus Ginnius, ſed quàm hoc ſit à veritatis tramite deuium ſatis manifeſtum eſt, ſicut & inſigne Ioannis gentilitium, quod illi Patres proferunt, putà montem triplicem cum corona, è qua naſcuntur & prodeunt tria lilia ſubtus vnciale, & antiquum M. & S. in medio repoſitum.

Ingenij acie, & aſtu animum Regis Ludouici XI. obſedit, ſtatim pecuniis & ſacerdotiis congeſtis diues euaſit. Eidem Regi Ludouico fuit à Confeſſionibus, & Eleemoſynis, & poſtea ab Ærario; deſcenſus Auerni. Fauente eodem Ludouico fit Epiſcopus Ebroicenſis, & poſtea Andegauenſis inauguratus, die quarto Auguſti, anno M. cccc. LXV. Pariſiis in Deiparæ Baſilicâ.

Pragmatica Sanctio.

Diploma dedit Rex Legato Pontificio menſe Septembri ad Pragmaticam Sanctionem abrogandam in Concilio Baſileenſi conſtitutam, eiuſque pręcipua acta continentem, approbatam in Conuentu Bituricenſi à Carolo Francorum Rege, die VII. Iulij anno M. cccc. XXXVIII. & publicatam in Senatu Pariſienſi XIII. eiuſdem menſis. Primâ verò die menſis Octobris nomine Regio profectus eſt Ioannes Baluë Epiſcopus Ebroicenſis anno M. cccc. LXVII. in Curiam Pariſienſem ad diploma publicandum & Senatûs monimentis inſcribendum; Ioannes à ſancto Romano Cognitor Regius ſeſe oppoſuit diplomatis executioni, quod ægrè admodum tulit Baluenſis minacia verba proferens in Regis Procuratorem; Academia Pari-

Chronic. Ludouic. II.

siensis Legatum adiit ad Synodum prouocans, quæ in Castelletæâ iurisdictione oppositionem curauit inscribi; eam demum aboleuit Franciscus I. anno M. D. XV. & cum Leone X. Bononiæ introduxit suam ad beneficia nominationem (quæ erat penes Canonicos) & Annatas. Concord. Leon. 10. & Franc. 1

Cardinalium collegio inscribitur à Paulo II. Presbyter tituli sanctæ Susannæ in prima lectione, anno M. CCCC. LXIV. decimo quarto Calendas Octobres, postea Episcopus Prænestinus, tandem Albanus. Rationem porrò obtinendæ dignitatis Cardinalitiæ ex Paulo Æmilio Veronensi Ecclesiæ Parisiensis Canonico, qui de rebus gestis Francorum libros decem exarauit, hauriamus. Cum apud Regem Ludouicum Ioannes Balua Pontifex Andegauensis in flagrantissimâ gratiâ esset, ad purpuram aspirabat, sed aduerso rumore, ac parum secundâ morum vitæque famâ: quâ permotus Pontifex Maximus Paulus non poterat exorari, Regiis Oratoribus summo studio id contendentibus. Rex repulsæ impatiens ex intimâ familiaritate mittit Fumeam acris ingenij virum, ac ingentis dexteritatis ad magnorum virorum voluntates eliciendas, qui in Vrbem profectus, ac ad Pontificem facilè admissus, multa verba fecit de studio Regis in Balua excolendo. Paulus ea de illo delata esse aiebat, vt ei pernegare purpuram cogeretur, quod sanctitatis & virtutis insigne foret. Intrepidè tum Fumea, Beatissime, inquit, Pater, iam non miror virum optimum Baluam hic in vrbe tuâ malè audire, cum vbique virtus inuidos vrat, & à calumniatoribus oppugnetur. Famâ nil vanius, nil rumoribus magis mendax in bonos, cum alibi, tum Romæ inueni. Audieram ad Sanctitatem tuam difficiles aditus, clausas ei insupplices aures, quæ omnia vanitatis & inuidiæ plena coram experior, benignissimè exceptus, patientissimè auditus. Proinde sanctiùs & incorruptiùs existima Regis Sanctitati tuę deditissimi de viro integerrimo testimonium, quàm maleuolorum fabulas confictas. Motus Paulus pileo Baluam exornauit. Paul. Æmil. in Lud. 11. Fumea pro Cardinalatu Baluæ.

Indulgentias concessit Cardinalis, anno M. CCCC. LXVIII. die vndecimâ Decembris Ecclesiæ Virginis Deiparæ à Boloniâ nuncupatæ non longè à Parisiensi ciuitate.

Atroci suspicione exortâ mense Aprili, anno M. CCCC. LXIX. quòd admoneret nouum Aquitaniæ Ducem sibi caueret, ne à fratre Rege circumueniretur, peteretque Campaniam & Briam prò Aquitania secundum mentem Burgundi Ducis & fœdus Peronæ initum: in custodiam traditur ipse, ac vt consiliorum particeps Virdunensis Antistes Guillelmus de Haraucourt, ibi vterque per annos vndecim asseruatus; alij duodecim annorum spatio fuisse incarceratum in turri Loccharum caueâ ferratâ referunt ob literas interceptas (discordiarum semina) ad Ducem Burgundiæ, & alios. Ridiculam super eo carcere narrat fabulam Hieronymus Garimbertus nimirum ferreis cancellis detentum fuisse Cardinalem Andegauensem, & post duodecim annos emensos morbo non fluentis lotij (illud clam ebibebat) simulato Medicos & Regem decepisse; idem Cardinalis Garimberto eidem auctori Italo *Balue veramente Belua*. Dati Iudices reo Tanneguyus du Chastel Gubernator Rossilonis, Guillelmus Cousinot, Dominus de Torcy, & Petrus Doriolle Fisco Regio præfectus, vt quædam ei obiecta Philipp. Cominæ l. 2. hist. c. vlt. Chronic. Lud. 11. Garimb. lib. 4. Idē Chronicon.

examinarêtur. Rex mobilia distraxit, supellex argentea pretio vendita, cessit bibliotheca Petro Doriolle, peripetasmata Tanneguyo, & peristroma auratum Domino de Crussol, aliaque aliis: ô humanas rerum vicissitudines!

Sixto IV. intercedente, donatus est Legato Iuliano à Rouere, postea Pontifici Iulio II. inde liber Romam adit, fitque Legatus in Piceno & Marchiá ab Innocentio VIII. ad Zizimum Baiazetis fratrem conducendum in Picenorum partes illicque custodiendum Pontificis mandato, Petro d'Aubusson Rhodiorum militum magno Magistro creato Cardinale. His subscripsit hoc modo. Ego Ioannes Episcopus Albanensis Cardinalis Andegauensis in omnibus & singulis suprascriptis me liberè obligo, saluo quoad promotionem Reuerendissimi magni Magistri, pro quá spondeo daturum liberum votum, quando Zizimus frater magni Turcæ erit in potestate sanctissimi nostri vel meâ, & non aliter, & ita in præsentiá sanctissimi Domini nostri manu propriá subscripsi.


Bosius histor. Equit. Melitens.

Ioanni Legato Innocentius nummûm XII. aureorum millia in singulos annos se daturum ob eandem rem spopondit, verum mutatis rebus, Zizimus Romam perductus. Ferdinandi Neapolitani in Ludouicum XI. sibi infensum beneuolentiam conciliauit. Ordinis Rhodiorum Protector.

Obiit in Piceno, mense Octobri, anno M. CCCC. XCIX. sepultus in S. Praxedis in sacello Ancheri Pantaleonis eiusdem Ecclesiæ titularis hocce epitaphio.

Deo, Optimo, Maximo, Ioanni Andegauensi, Episcopo Albanensi: hic Heros prosperâ & aduersâ variâ vsus fortunâ in Piceno sub Innocentio VIII. Legatum agens septuagenarius gloriosè obijt infelicitatis humanæ, & fœlicitatis exemplum memorabile. Antonius Episcopus veteris amicitiæ memor posuit.

Scutum argenteum eantherio cæruleo tribus Leonum capitibus aureis, duobus in summo, tertio in infimo impressum. *Portoit d'argent à vn cheuron d'azur à trois testes de Lyon d'or, deux en chef & vne en pointe.*



Anno Christi M. CCCC. LXV.

LVDOVICVS IVNIOR CARDINALIS ALBRETIVS SIXTO IV.

NIHIL tum apud Pannuinum, tum apud Ciaconium de Ludouico Iuniore Cardinale Albretio reperitur nepote Ludouici Senioris Car-

dinalis Albretij, & patruo Cardinalis Amanei Albretij Episcopi Pampelonensis, filio Ioannis Albretij Vicecomitis Tartasij, Franciæ Polemarchi, & Catharinæ de Rohan filiæ Alani IX. Vicecomitis Rohani. Illâ tempestate duo tantum Franciæ Mareschalli Ioannes Albretius, & Ioachinus Rouault Dominus de Gamaches, qui strenuè in Anglum se gessêre in Nouempopulaniâ. Fratrem habuit Ludouicus natu-maiorem Alanum Albretium Comitem Droecensem, Dominum d'Auesnes, sponsum Franciscę de Brosse aliàs à Britannia; habuit etiam nepotem Ioannem Albretium Regem Nauarræ, quod Regnum illi obuenit iure vxoris Catharinæ Foxensis, & neptem Carlotam Albretiam coniugem Cæsaris Borgiæ Ducis Valentini nothi Alexandri VI. ante Pontificatum; ex hoc matrimonio nata Lodoica Borgia vxor Ludouici II. Domini de la Trimoüille Vicecomitis de Thouars; secundis nuptiis Lodoica Borgia locata Philippo Borbonio Dynastæ de Busset, à quibus prodiêre Comites Bussetii in Aruerniâ.

Monstrelet post. par. Chronic.

Duo Franciæ Polemarchi.

Ioannes Rex Nauarræ nepos.

Lodoica Borgia.

Cardinalis celebratur sub Sixto IV. post obitum patrui Cardinalis, anno M. CCCC. LXXIII.

Andr. Fauyn hist. Nauar.

Consule pro gentilitiis insignibus Cardinalem Ludouicum Seniorem Albretium paulò ante memoratum.

FF. Sanmarth. li. 28. cap. 9.



PHILIBERTVS HVGONETVS CARDINALIS MATISCONENSIS SIXTO IV.

ANNO CHRISTI M. CCCC. LXXIII.

BVRGVNDIA protulit Hugonetum, Matisco educauit & primis induit rudimentis, cuius minor frater Guillelmus ex patrono Diuionensi Cancellarius Carolo Duce, Dominus de Saillan, d'Espoisses, Mont-Paon. Diuionem studiorum causâ accessit, mox Taurinum, deinde Ticinum, & in hac ciuitate sex annos transegit, ac I. V. laureâ donatus.

Accitus à Guillelmo fratre variis functus Legationibus ad Paulum II. ad Sixtum IV. & ad Ferdinandum Castellæ Regem Orator missus est. Ecclesiæ Matisconensis Decanus postea Antistes successor patrui Stephani Hugoneti Capellæ sanctæ Mariæ in Cathedrali templo fundatoris, de cuius origine & familia illud refert Petrus à sancto Iuliano.

In Annal. Matisconensibus.

Il ne doit chaloir où bon vin creust
Ny aussi d'où homme de bien fust.

Egregiè Pastorale munus adimpleuit Philibertus, quem sequutus Stephanus de Longouico vocatus Protonotarius de Giury.

Dux Carolus Burgundus Philibertum Romam miserat obtinendi ergo pilei Cardinalis pro Protonotario Cluniacensi, cui se opposuit Latinus Cardinalis Vrsinus, in cuius intimum amorem penetrans Hugonetus spem concepit Cardinalatus, quem fauore Vrsini obtinuit, teste Garimberto, qui etiam narrat Burgundicum Ducem iussisse amputari caput Guillelmi Cancellarij: si res hæc secundum veritatis trutinam ponderetur, beneficio Caroli Sixtum rogantis purpuram consequutus est Philibertus, cuius frater Guillelmus Carolo Duce Burgundiæ vltimo in Nanceianis campis interfecto Dominicâ Ianuarij die quintâ vigiliâ Regum, anno M. CCCC. LXXVI. pœnâ capitis plectitur & Dominus de Imbercuria à Gandauensibus vindictæ causa, quod ijs non fauisset rebellibus Guillelmus, dum Dux in humanis ageret.

Garimbertus de Cardd. lib. 3.

Dux Burgundiæ vltimus interficitur in obsidione Nanceij.

Cardinalitiam adeptus est purpuram conferente Sixto IV. anno M. CCCC. LXXIII. secundâ Cardinalium creatione Presbyter tituli sanctæ Luciæ in Silice, postea sanctorum Ioannis & Pauli.

Legatus patrimonij Viterbiensis à Pontifice constitutus, cum à Rege Franco redditibus annuis esset priuatus, intimus erat Cardinali Papiensi, vti constat ex epistola quingentesima vigesima secunda ad Philibertum scripta.

Post annos vndecim & menses quatuor emensos, inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Senatores sacramentis Christiano animo susceptis mortis bonum expertus est.

In Vrbe Roma animam exhalauit decimâ quartâ Decembris, anno M. CCCC. LXXXIV. anno Innocentij VIII. Pontificatûs primo. Eius cadauer terræ mandatum in Ecclesia Diuæ Mariæ de Populo; notatur anniuersarius dies tertio Nonas Septembres in Calendario Parisiensi.

Virtutes Philberti operæ pretiū est enarrare ex oratione funebri Antonij Lullij frequenti Senatu habitâ, cui Hugonetus noster ob humanitatem ingenium & doctrinam mirè carus, loquentem audiamus.

Philibertus sacrorum canonum peritia, iustitia, clementia, facilitate, rerum vsu, liberalitate, animi magnitudine, innata humanitate, qua dignitatis tamen ratione non prætermissa omnes complectebatur, modestia, continentia enituit: clara & erudita ingenia domi aluit, literarum cultor, & doctorum virorum Mœcenas, hos ipsos è cœno erigebat, & à tenebris in lucem vendicabat: munificentiam in ignotos etiam exercuit, tantaque est vsus liberalitate, vt in alieni æris compedes inciderit.

Parma ex auro & cyano variata, muricatâ teniâ impressa.

Portoit vairé d'or & d'azur, à la bande de gueules.

PHILIPPVS



PHILIPPVS CARDINALIS DE LEVIS
SIXTO IV.

Anno Christi M. CCCC. LXXIII.

E Leuorum familiâ orti Duces Ventadurij & Vticenses, Marchiones Mirapicenses & Comites de Villars, ex quâ noster Philippus natus die quartâ Nouembris, anno Verbi Incarnati M. CCCC. XXXV. patre Eustachio de Leuis Barone de Cousan & de Quelus, matre Alice de Cousan: fratrem habuit Eustachium suum in Archiepiscopatu Arelatensi successorem anno M. CCCC. LXXV. & eodem tumulo conditum Romæ: in eâ gente claruit Diuo Ludouico Rege Guido de Leuis in expeditione Albigensi nuncupatus *Fidei Polemarchus*. Eiusdem familiæ fuêre Franciscus de Leuis Præsul Tutelensis, & ante erectum Episcopatum Tutelensem Bernardus Leuis, anno M. CC. XXXI. Cœnobiarcha Monasterij Tutelensis (cuius fuerat Monachus Hubertus Cardinalis Syluæ Candidæ) sub Diui Martini patrocinio, Philippus de Leuis Episcopus Mirapicensis anno M. D. Antonius de Leuis Antistes sancti Flori anno M. D. XLVIII. Carolus de Leuis Ventadurius Antistes Lodeuensis anno M. DC. IV. filius Annæi Ducis Ventadurij totius Occitaniæ Progubernatoris ex Margaretâ Mommorenciâ, non auguratus talarem vestem deposuit in præsenti Dux Ventadurius cessione Henrici fratris natu-maioris. Castrum Ventadurium Ducatûs titulo donatum Gilberto III. primo Duce æuo Henrici III. Franciscus de Leuis anno suæ ætatis decimo sexto Præsul Lodeuensis Româ reuersus auunculum Mommorancium Ducem sequutus Episcopatu eiurato ad arma se conuertit, appellatus Comes Vallis-viridis in expeditione Rupellanâ ferè solus tormentarij globuli ictu in mare deiectus occubuit, anno M. DC. XXV. mense Augusto, fugatis sectariis & victoriâ partâ. Familia Perotta Saxoferratensis in Italiâ etiam Leuorum stirpe gloriatur, vti constat eiusdem familiæ monimentis.

Petr. Val. Sernay in histor. Albig. c. 26.

Ducatus Ventadurius.

Pij II. Referendarius noster Philippus & Agathensis Antistes. Auxitanus Archipræsul: in eâ Ecclesiâ tunc temporis Regulares Canonici Ordinis sancti Augustini degebant. Sacrâ Arelatensi infulâ ornatus, non morte sublato Petro Flussate Cardinale, sed cedente & resignante anno M. CCCC. LXII. vt patet ex epistolâ Pij II. Pontificis.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis populo Ciuitatis & Diœcesis Arelatensis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Hodie venerabilem Fratrem nostrum Philippum Arelatensem, tunc Auxitanum Archiepiscopum, Referendarium nostrum apud Sedem Apostolicam constitutum à vinculo, quo Ecclesiæ Auxitanæ Ordinis sancti Augustini, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio, Apostolicæ authoritatis plenitudine absoluentes, ipsum ad Ecclesiam Arelatensem dicti Ordinis, tunc certo modo vacantem, de prædictorum Fratrum consilio Apostolicâ auctoritate transtulimus, ipsumque illi præfecimus in Archiepiscopum & Pastorem, curam & administrationem eiusdem Ecclesiæ Arelatensis sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, liberam sibi tribuendo licentiam ad prædictam Ecclesiam Arelatensem transeundi, provt in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Philippum Archiepiscopum, tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore exhibeatis, eidem obedientiam & reuerentiam debitas & deuotas: ita quod ipse in vobis filios deuotionis, & vos in eo per consequens Patrem inuenisse beneuolum gaudeatis.

Translatio ab Auxitanâ Sede ad Arelatensem.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXII. Idibus Februariis, Pontificatûs nostri quinto. C.F.Picolomini.

Equites Hierosolymitanos, qui decimas soluere renuebant, in ius vocauit, & sopita est quæstio mediis arbitris, Arelatensium Prætore & Prouinciæ Diœcete, qui illos à solutione decimarum minimè exemptos pronunciarunt.

In Aulâ Pontificiâ & Regiâ vitam traduxit, vices & curam Archiepiscopatûs Antonio Guiramando Diniensi postea Episcopo commisit, qui Philippi nomine, & auctoritate à Montagutio Stephano de Monte-Draconis, & Ioannâ de Cadris fiducias accepit.

Probitas illi ad purpuram aditum aperuit, etiam nobilitas generis: donatus enim Cardinalatu à Sixto IV. anno M. CCCC. LXXIII. die Veneris, Nonis Maij apud sanctam Mariam Maiorem in secundâ Cardinalium creatione, Presbyter tituli sanctorum Petri & Marcellini.

Vitam cum morte commutauit Romæ anno M. CCCC. LXXV. in Basilicâ Liberianâ nunc æde sanctæ Mariæ Maioris sepulchro marmoreo tumulatus, iuxta fores Ecclesiæ cum epitaphio.

Philippus de Leuis tituli SS. Petri & Marcellini Cardinalis Arelatensis è Gallia ortus, illustris natalibus, virtute illustrior, Romano Pontifici, & Christianissimis Principibus Francorum Regibus magno in pretio habitus, in Senatum Apostolicũ probitate adscitus. Obijt suo natali, magno sui relicto desiderio, quippe qui corporis & animi bonis præditus, summáque auctoritate pollens profuit, quibus potuit, obfuit nemini, vixit annos XL *obijt anno* M.CCCC.LXXV. *pridiè Nonas Nouembris   Duo fratres iacent hic eodem clausi sepulchro*

Philippus & Eustachius primus Cardinalis fuit, sed vterque Archiepiscopus Arelatensis.

Sedente Innocentio Pontifice Maximo Eustachius natione Gallus, nobili Leuorum sanguine, Arelatensis Archiepiscopus hic situs est. O quanta in hoc Antistite fides! Religio, Sanctitas! ob qua eum meritò Pontifex Maximus inter sacrosanctos sibi diuinarum caremoniarum Antistites connumerari voluerit, qui cum fratrem Philippum S.R.E. Cardinalem, qui iuxta se cubat, vnicè dilexisset in vitâ, in morte quoque vt tumulo illi iungeretur, mandauit. Vixit annos XLII. *Obyt* M. CCCC. LXXXIX. *mense Aprili, die xxII.*

Aureū parmæ solū triplici capreolo pullo fasciolâ trifidâ miniatâ expressū. *D'or au cheuron de trois pieces de sable, chargé d'vn label de gueules de 3 pieces.*



THEOBALDVS DESIGNATVS CARDINALIS DE LVXEMBVRGO SIXTO IV. — Anno Christi M.CCCC. LXXIV.

PETRVS de Luxemburgo, & Margareta de Baux habuêre secundo-genitum Theobaldum Dominum de Fiennes, qui matrimonio coniunctus cum Philippa Ioannis Meloduni Domini d'Antoing filia; parentes fuêre Philippi Cardinalis de Luxemburgo, & Iacobi Equitis Torquati velleris aurei: defunctâ coniuge Theobaldus Monachismum suscepit Igniaci Ordinis Cisterciensis Diœcesis Rhemensis anno M.CCCC.XLVIII. deinde eiusdem Cœnobij Abbas, postea Vrsi-campi eiusdem instituti Cœnobiarcha; denique Cœnomanensis Præsul anno M.CCCC.LXVI. post Martinum Berruyer, seditque in eâ Cathedrâ nouennium: successores habuit fratrem Franciscum, & filium Philippum. Ludouico Rege Francorum postulante à Sixto IV. Summo Pontifice S.R.E. Cardinalis est designatus, anno M.CCCC. LXXIV. non tamen publicatus. Romam proficiscens eodem anno in Domino obdormiuit. (Monstreletin Chron.) (Annal. Cisterciē.)

Argenteum scutum rubro Leone, coronâ, & falculis aureis, linguâ cærulæâ, caudâ ad nodum insitâ, in decussimque traiectâ depictum.

Portoit d'argent au Lyon de gueules couronné, armé d'or, lampassé d'azur, la queuē noüée & passée en sautoir.



ANNO CHRISTI M. CCCC. LXXVI.

PETRVS IVNIOR CARDINALIS DE FOIX
SIXTO IV.

Fauyn histor. Nauarr. & FF. Sammarth. li. 28. histor. Geneal. Franc.

PALI ex Regio Cantabrorum ſanguine traxit originem die Februarij ſeptimâ, anno M. CCCC. XLIX. Gaſtonis IV. Comitis Fluſſatenſis filij natu-maioris Ioannis Comitis Foxenſium, & Leonoræ Arragoniæ, quæ poſtea Nauarræ Regnum, mortuo Ioanne Arragonio, eſt conſequuta, filius, cuius frater natu-minor Gaſto Comes Fluſſatenſis, & Nemourij Dux in Rauennate prælio interemptus; placidis moribus, virtute eminens, ſequutus, ſed non aſſequutus Patruum Petrum Cardinalem de Foix rebus præclarè geſtis.

Ticini Magiſtro vſus Felino Sandæo Iureconſulto, poſtea I. V. Doctor. Multum contulit Petrus educationi nepotis Franciſci Phœbi Foxij Regis Nauarræi XXXIV. & hoc nomine primi Bearnæi Principis & Comitis Foxenſis: idem præſtitit Magdalena Francica mater Phœbi, & ſoror Ludouici XI. Francorum Regis, anno M. CCCC. LXXIX. Curauit inungi in principe Eccleſiâ Pampelonenſi nepotem Phœbum in Regem, die Nouembris tertiâ, anno M. CCCC. LXXXII. Idem Cardinalis multis voluit priuilegiis ornari Clericos Nauarræos, & Pampelonæ Sacerdotes exemit hoſpitio curialium, dum Rex illic ageret, datis Ianuarij die vigeſimâ literis, anno ſupradicto.

Phœbus Rex piſcinus.

Anno ſequenti Rex Phœbus Palum rediit, veneneque ſublatus fiſtulâ à prandio ludens infectâ toxico, natus annos ſexdecim, moriens hæc verba protulit. *Regnum meum non eſt de hoc mundo, non turbetur cor veſtrum, neque formidet, quia vado ad Patrem.* Miſſus Cardinalis in Nauarram à Magdalenâ ad compeſcendos motus excitatos à Grandimontiis & Bellomontiis, in quâ re etiam operam collocauit, & opem præſtitit Franciſcus Foxius, Petri frater, vterque repudians auxilium & copias à Ferdinando Caſtellæ Rege oblatas. Eadem ſacrâ hoſtiâ bipartitâ Ludouicum Lerinenſem Bellimontis Comitem, & Philippum Peraltam Polemarchum Nauarræ (cuius frater à Ludouico fuerat interfectus) communicauit depoſitis odiis.

Inimici conciliati Euchariſtiâ.

Venetenſem in Britanniâ minore Epiſcopatum beneficio Franciſci vltimi Ducis Britannorum, non Ouetenſem (vt vocat Onuphrius) obtinuit


anno M.CCCC.LXXIV. quem idem Onuphrius facit Ordinis sancti Francisci Religiosum, vt & eiusdem nominis & cognominis Petrum Foxium Cardinalem, de quo actum antea hoc eodem libro.

Noster Petrus Adurensis Ecclesiæ pedum gubernauit post Christophorum Foxium.

Sixtus IV. Cardinalem sanctorum Cosmæ & Damiani fecit Diaconum decimo quinto Calendas Ianuarias, anno M.CCCC.LXXVI. in tertiâ Cardinalium promotione.

Terram deserit Romæ in Palatio Vrsinorum decimâ die Augusti, anno M.CCCC.XC. in Ecclesiâ sancti Augustini tumulatus.

Scutum Foxense descriptum in Petro Seniore Cardinale Flussate.



ODETVS CARDINALIS CARCASSONENSIS SIXTO IV.

ANNO CHRISTI M.CCCC.LXXVI.

CARCASSONENSIS Antistes post Guichardum d'Aubusson electum à Sixto IV. anno M.CCCC.LXXVI. antea Cadurcensem; Guillelmus du Catel in historia Narbonensi. Du Catel in catal. Episcop Carcass.

Cardinalis Carcassonensis: ita Mayernus Turquetus in historia Hispanica Gallico idiomate ante paucos annos Lugduni edita. Lib. II. Histor. Nauarr.

Anno M.CCCC.LXXXVIII. Cardinalis Carcassonensis vrbes Montaltum & Santoninum cepit pro Ioanne Albretio Catharinæ Reginæ Nauarræ marito contra Ioannem Flussatem, qui dominium supremum Bearni, & Comitatuum Foxij & Bigorri prætendebat iure hæreditario defuncti nepotis Phœbi Regis.

Scutum cæruleum cruce liliatâ aureâ expressum.

D'azur à vne Croix fleurdelisée d'or.



Anno Christ M. cccc. LXXVI.

CAROLVS PRIMVS CARDINALIS BORBONIVS SIXTO IV.

CAROLI hoc nomine primi Borbonij Ducis quarti,& Agnetis à Burgundia filiæ Ioannis Burgundionum Dynastæ genitus natu tertius Boiorum Dominus, Canonicus & Præcentor Ecclesiæ Lugdunensis, cuius quinque fuêre fratres: inter eos Ludouicus Borbonius Princeps Leodiensis & Episcopus,& Carolus II. Borboniorum & Aruernorum Dux Comes Franciæ stabuli, & magnus Cubiculariorum Regiorum Præfectus, quinque sorores quinque Ducibus nuptæ, quarum vna & postrema Margareta Borbonia data in matrimonium Philippo Comiti Bressiæ; postea Duci Sabaudo, mater Philiberti Emanuelis Ducis Sabaudiæ,& Ludouicæ Sabaudæ Ducissæ Engolismensium, genitricis Regis Francisci I. re & nomine magni. Anno M. cccc. XXXVIII. Iacobus Borbonius ex Rege Siculo & Hierosolymitano Diui Francisci Professus Ordinem, vt notatum est superius in Ioanne de la Roche-taillé Archiepiscopo Bisuntino Cardinale Rothomagensi.

Francisci primi Regis mater Sabauda.

Præsul Claromontanus anno M. cccc. LXXVI. decimo Martij, possessionem adeptus per Procuratorem Gilbertum Dinet Officialem, cui præfuit annos tredecim, vsus Bertrando Episcopo Bethleemitico Suffraganeo. Archipræsul Lugdunensis, consecratusque Episcopus anno M. cccc. LXX. à Ioanne Cordis Archiepiscopo Bituricensi. Administrator Ecclesiæ Burdegalensis.

Annales Franciæ.


Suscepit è sacro fonte Carolum VIII. Galliæ Regem, apud quem in delitiis fuit. Effectus Presbyter Cardinalis à Sixto IV. sancti Martini in montibus, anno illo M. cccc. LXXVI. die Mercurij decimâ quintâ Calendas Ianuarij in tertiâ creatione. Legatus Auenionensis & Comitatûs Venaysini; Gubernator à Ludouico XI. constitutus Lutetiæ Parisiorum.

Lugduni lucem amisit decimo tertio Septembris, anno M. cccc. LXXXVIII. sepultus in æde sacrâ Diuo Ioanni, sepulchro è terrâ eleuato ac marmoreo in amplissimâ capellâ abs se ædificatâ vnà cum Palatio Archiepiscopali: hinc erroris Ciaconius conuincitur, dum ait Borbonium Parisiis defunctum anno M. cccc. LXXXIX. ibique apud Cœlestinos sepultum.

Emblema Caroli Cardinalis est manus ensem flammeum gerens, cum hoc lemmate, *ny peur, ny desespoir.* Carolus Cardinalis à Lotharingia habuit idem emblema, sed diuersum lemma nimirum, *auctor ego audendi.*

Parma cærulea tribus liliis aureis II. & I. miniatâ perpetui ductus clabulâ affecta. Scutum Borbonii

D'azur à trois fleurs de lys d'or 2. & 1. au baston de gueules peri en bande.



FERRICVS DE CLVNY CARDINALIS TORNACENSIS SIXTO IV.

Anno Christi M. CCCC. LXXX.

APVD Æduos ortus est Ferricus, Patre Guillelmo de Cluny Domino de Montelon & de Raigny, matre Franciscâ de Messey: adolescens in liberales artes incubuit, Iurisprudentiam calluit, Doctoris insignia Bononiæ suscepit, Patauinæ & Ferrariensi Academiis famæ celebritate cognitus in Galliam rediit, cuius frater Guillelmus Antistes Pictauiensis, & Suffraganeus Henrici à Lotharingiâ Morinorum Præsulis. Montelon propè Æduam. De Comine lib. 5. cap. 17.

Primò Ecclesiæ Æduensis Officialis Episcopo Ioanne Raulin; nomine Comitis de Charrolois Capitulum Cabilonense conuenit, vnâ & alterâ oratione eleganti habitâ, anno M.CCCC.LXI. vt Ioannes Poupet à Canonicis Cabilonensibus in Episcopum eligeretur, quod est consequutus, rem etiam promouente Philippo Bono Burgundionum Duce, qui decessit Brugis decimo septimo Cal. Iulij, anno M.CCCC.LXVII.

A Pio II. Protonotarius creatus, vulgò Cluniacensis Protonotarius. Velleris aurei in Burgundia Cancellarius: eum instituit Ordinem Philippus ille cognomento Bonus, quando tertiam vxorem duxit in signum fertilitatis Prouinciarum, quibus ipse dominabatur; viginti quatuor Equites electi in prima Ordinis institutione Brugis Flandrorum, die decima Ianuarij anni M.CCCC.XXIX. stylo veteri, M.CCCC.XXX. stylo nouo. Primus Eques Guillelmus de Vienne Dynasta sancti Georgij & sanctæ Crucis. Interfuit Ferricus Comitiis, quibus statuta Prouincialia Ducatûs Burgundici fuêre scripto mandata & approbata. Carolo & Maximiliano Burgundiæ Ducibus consiliis operam præstitit. Initium Velleris aurei.

Tornacense rexit pedum adeptâ possessione vigesimo secundo Martij, anno M.CCCC.LXXIV. Auctor fuit Collegij Tornacensis in vrbe Patauina.

Apud Paulum II. Summum Pontificem, Cæſarem & Reges tum Angliæ, tum Galliæ Legati munus expleuit.

Sacrâ baptiſmatis vndâ tinxit Margaretam Auſtriacam Maximiliani Cæſaris ex Mariâ Burgundicâ genitam, anno M. CCCC. LXXX. Bruxellis in templo Diuæ Gudulæ.

Conſequutus Cardinalatum Presbyteratûs tituli ſancti Vitalis, conferente Papâ Sixto IV. dum ſextò Cardinales legeret anno M. CCCC. LXXX. die Iduum Maij. Anteà à Paulo II. anno M. CCCC. LXXI. cum Ioanne Strigonienſi Archiepiſcopo, Petro Foſcaro Veneto, & Ioanne Baptiſtâ Sauello Cardinalis electus, quem tamen morte præuentus Pontifex publicare non potuit; porrò cum Eugenij extrauagans obſtaret, quæ nec ſimiles admitti, nec ſuffragium in electione futuri Pontificis habere declarat, eius ſuffragium nullum eſt habitum, & inter Cardinales haud numeratus. Sixtus IV. poſt nouem annos ob eius animi dotes, vitæ innocentiam & eruditionis eminentiam ſecundò creauit Cardinalem.

Diem clauſit extremum in Vrbe, die ſeptimâ Octobris, anno M. CCCC. LXXXIII. in Eccleſiâ ſanctæ Mariæ de populo tumulatus cum hocce epitaphio.

Hic iacet Dominus Ferricus de Cluniaco natione Burgundus, Iuris vtriuſque Doctor, tituli ſancti Vitalis Presbyter Cardinalis, Epiſcopus Tornacenſis, qui obijt die Martis ſeptimo Octobris, anno ſalutis M. CCCC. LXXXIII. *Orate Deum pro ſalute animæ eius.*

Mores eius fuêre egregij, prudentia, ſapientia, religio ſingularis. Morte repentinâ raptus eſt; interfuerat enim cum Cardinalibus rei diuinæ, læto animo & vultu ad ædes ſoſpes remeauerat, in prandio cum familiâ egregiè inſtitutâ diuinarum litterarum diſputatione animum exhilarauerat, paulò poſt Meridiem occubuit. Deplorat caſum Ioannes Antonius Epiſcopus Alexandrinus cauſarum ſacri Palatij Auditor oratione funebri, quam Romæ anno M. CCCC. LXXXIII. frequenti ſenatu habuit, deplorat, inquam, illius æui calamitatem ob plures pietate & doctrinâ inſignes viros functos, & inter eos Ferricum. Orationis hæc clauſula, Hic rarò aut nunquam dignioris viri funus celebrauimus.

Mors repentina.

Scutum quadripartitum in I. & IV. laterculo cæruleo, duabus aureis clauibus obuerſis, in II. & III. miniato, liliis tribus aureis II. & I. exaratum.

Portoit eſcartelé au 1. & 4. d'azur à deux clefs addoſſées d'or, au 2. & 3. de gueules à trois fleurs de lys 2. & 1. d'or.



ELIAS DE BOVRDEILLE FRANCISCANVS CARDINALIS TVRONENSIS SIXTO IV.

Anno Christi M.CCCC. LXXXVI.

IN Petragoricensi Prouinciâ à Vicecomitibus de Bourdeille genitus Elias; nam Arnaldus de Bourdeille Seneschallus & Prorex in Petragoriis quinque genuit natos, è quibus vnum Eliam, qui adhuc septennis post frequentia colloquia cum P. Bertrando de Cambort Franciscano in Castro d'Agonac Diui Francisci Regulam voluit profiteri: eum mater Ioanna de Chambarlac secunda vxor Arnaldi conatur auertere; annos decem natus fit Minorita, & in Conuentu Tolosano studiis Philosophicis & Theologicis dat operam; annos natus vndeuiginti spatio octo dierum theses propositas in Capitulo generali illic celebrato sustinuit. In Cœnobio Mirapicensi primas habuit prædicationes. Eius familiæ de Bourdeille Henricus Eques Torquatus Prorex Petragoriorum viuit. M.S. Genealog.

Præclarus Doctor Theologus Elias, anno M.CCCC. XLVII. obitu Gofredi Berengarij d'Arpaiou vocatur à Pontifice Nicolao V. (alij dicunt ab Eugenio IV.) ad Petragoricensem Episcopatum, sed annos solùm viginti quatuor natus Elias suæ ætatis proponit obicem, qui nihilominus à Pontifice dispensatur, & à Cardinale sanctæ Crucis inauguratur. Hunc Eliam Turonensem Cardinalem non satis aliqui distingunt ab Eliâ Cardinale Episcopo Vticensi Ordinis sancti Benedicti, Innocentio VI. aut ab Eliâ Cardinale sancti Vitalis Minoritâ Clemente VI. toto enim cœlo aberrant & tempore, cum tres Ecclesiæ fuerint Eliæ Religiosi Cardinales. Eiusdem Sedis Petragoricensis Episcopus & Gentis Franciscus de Bourdeille ex Diui Dionysij Abbate in Franciâ Monacho anno M. D. LXXIV. Tres Eliæ Cardd.

Capitur porrò noster Elias ab Anglis Duce notho Gramontio Anglo, qui tunc erat Præfectus Castri d'Auberoche in Petragoriis, à Petro Bertrando Archipræsule Burdegalensi libertati restitutus post aliquot annos Petragorium rediit, vt alter Athanasius Alexandriam, aut Chrysostomus Constantinopolim *spiritu & zelo Eliæ Prophetæ* feruens, & genere heroïcarum virtutum eminens, Ecclesiam Collegiatam sancti Asterij restituit, maiorem ædium S. Georgij partem exædificauit in suburbiis, princeps altare templi maioris erexit. Du Puy in Episcopis Petragoricen. 4.Reg. 3.

Archipræsul Turonensis post Girardum de Crussol è prosapiâ Ducum Vticensium, vir maximæ sanctitatis flocci pendens omnes dignitatis & honoris fumos, suo tempore insignis præco verbi Diuini.

Accepto à Pontifice Sixto IV. ostro nullum lætitiæ signum edidit, vt testatur Rodulphus Tossiniacensis; nam prosperitatem humanam vitro persimilem apud se ducebat, quod maximè frangitur, cum maximè splendet & attingitur. Eodem spiritu diuino nostrâ memoriâ mouebatur Ferdinandus de Toleto Hispanus ex Oropesę Comitibus, qui Cardinalis electus Pontifici Gregorio XIII. gratias agens, & scribens purpuram respuit, pileumque misit Romam ex Hispaniâ, quod de duobus Anglis etiam legitur, vt infra notabimus: factus itaque Elias renitens Cardinalis Bourdeillius Presbyter tituli sancti Lucij in Silice septimâ Cardinalium ordinatione, anno M. CCCC. LXXXIII. die decimâ septimâ Calendas Decembres. Nunquam Romanam Curiam inuisit.

Rodulph. Tossiniacens. li. 2. histor. Seraph.

Quidam respuunt Cardinalatum.

Clarus & virtute & miraculis ad cœlum abiit post octauum Cardinalatûs mensem, anno M.CCCC.LXXXIV. mense Iulio, die quintâ, sepultus in Ecclesia Turonensi. Anno M.D.XXVI. auctoritate Ioannis de Planis Petragoricensis Præsulis inquisitum de eius vitâ mirandâ, secutisque eandem miraculis, vt Diuorum numero adscriberetur: vitam Eliæ Cardinalis reliquit posteris Petrus de Boissmorin, cui fuerat à secretis & confessionibus.

Scripsit pro Pragmaticæ Sanctionis abrogatione.

De auctoritate Papæ tractatus plures.

De Concordato circa beneficia Galliæ.

Decreta contra Deierantes, quos pœnis variis persequebatur.

Scutũ aureũ palmis binis Gryphi muricatis cõtæniatis, vnguibus cæruleis.

D'or à deux pattes de Griffon de gueules onglées d'azur, posées en contrebande.



Anno Christi M. CCCC. LXXXIX.

ANDREAS D'ESPINAY CARDINALIS BVRDEGALENSIS INNOCENTIO VIII.

Catalog. Priorum S. Martini

DIVI Martini à Campis Priorem Lutetiæ Parisiorum legimus Andream stirpe nobilissimum Armoricorum familiâ d'Espinay, quem malè Ciaconius nuncupat Ludouicum. Parentes ei fuêre Richardus d'Espinay & Beatrix de Montauban; fratres Ioannes Mirapicensis Præsul, & Robertus Nannetensis, quem Episcopatum ab Innocentio VIII. accepit

quamtumuis Anna Ducissa nominasset Guillelmum Guegnen Archidiaconum Nannetensem; verum non vsus est fructibus, & in matrimonio contracto, anno M. CCCC. XCI. die XXVI. Decembris, in castro de Langez Turonum, inter Ludouicum XII. & Annam Britannicam inserta fuit hæc clausula, vt Rex in Guillelmi gratiam Summo scriberet Pontifici; Roberti successor Guillelmus, anno M. CCCC. XCVIII. Patruus Iacobus d'Espinay Rhedonensis Episcopus ex Maclouensi vir in multis aduersis exercitatus, in carcere defunctus malitiâ & technis Petri Landais Duci Francisco II. à thesauris.

Anna Ducissa opponi ur Andreæ.

Episcop. Rhedon. moritur in carcere.

Defuncto matris fratre anno M. CCCC. LXVIII. Arto de Montauban Burdegalensi Archipræsule (qui fuerat Cœlestinorum Ordinem professus Lutetiæ eorundem insignis benefactor) Ioannis de Montauban Franciæ Thalassiarchæ fratre, & Auunculo Ludouici de Grauille etiam Franciæ Thalassiarchæ conceditur Andreæ, vt statim memorabimus, Archiepiscopatus Burdegalensis.

Non fuit Arelatensis Archiepiscopus obitu in Curia Romana Eustachij de Leuis Philippi Cardinalis fratris, anno M. CCCC. LXXVI. Pontifice Sixto IV. vt vult Ciaconius, conferente; successit enim Eustachio Nicolaus Cibo, vt notum est ex diplomate Innocentij anno M. CCCC. LXXXIX. die octaua Calendas Maij.

Chartophyl. Eccl. Arelat.

Burdegalensis Archipræsul ciuitatem & Ecclesiam ingreditur possessionis ergo nono Calendas Aprilis, anno M. CCCC. LXXXII. ita Ecclesiæ Burdegalensis acta. Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Andreas d'Espinay Burdegalensis Archiepiscopus nono Calendas Aprilis, accessit ad sanctum Seuerinum, & ibi mansit vsque ad crastinum, quo die festum fuit Annunciationis, & populo ingenti, & præfulgentium hominum nobilitate congregatis Castelli-Briani, ac Clero iubilante honorificè fuit ingressus ciuitatem, & comitantibus Dominis, videlicet Domino de Montferrand, qui ducebat equum ipsius Archiepiscopi, & Dominis de Landa, & de Angladiis locum tenentibus Domini Capitalis, quorum vnus ad dexteram, alter ad sinistram Dominum Archiepiscopum tenebat, quibusdam aliis papilionem deferentibus, & venit ad domum Decani, ibique se vestibus induit, & insigniis Pontificalibus, sicque ingressus Ecclesiam Cathedralem, Missamque celebrauit anno M. CCCC. LXXXII.

Archiuũ Burdegalen. Eccl.

Fungens Sacerdotio Burdegalensis Ecclesiæ in Senatorum Vaticanorum numerum adscitus Presbyter, appellatione perpetuâ Burdegalensis, tituli sanctorum Syluestri & Martini in montibus ab Innocentio VIII. decimo quarto Martij, anno M. CCCC. LXXXIX. primâ promotione Cardinalium, Carolo VIII. poscente, dum Gemem seu Zizimum Baiazethis II. Turcarum Imperatoris IX. fratrem in Galliis degentem mittit ad Innocentium Pontificem, qui eum in Italiam pro Christianæ Reipublicæ commodo, & Turcarum Regis acerrimi eiusdem Reipublicæ hostis iustâ vindictâ conduci petiit.

In Curiam Romanam secessit Andreas Cardinalis, & Vrbem Innocentio VIII. aliquantisper incoluit. Alexandro VI. Carolum VIII. Regem Regnum Neapolitanum adeuntem inter armatorum militum copias est se-

Comitatur Carolum 8. Neapolim

quutus, in quo & si damnari nonnihil videatur, inquit Ciaconius, in hoc tamen laudari satis potest; quòd reuertente mox Carolo in Galliam cum exercitu, & in agro Parmensi apud Forum-nouum cum Venetorum Ludouicique Sforciæ militibus manum conferente, quando cæteri Sacerdotes, qui exercitum comitabantur, imprimisque Guillelmus Brissonetus nouus Cardinalis vulgò Maclouiensis, arma protinus cepissent; & non secus ac veri milites, thoracibus militaribusque sese vestibus induissent, ipse solus tale damnans ac detestans consilium arma viro Sacerdote & Cardinale indigna pronũciauit. Certè Episcopus Bellouacensis Philippus filius Roberti Comitis Drocarum, anno salutis à Christo reparatæ M. C. XCVI. armatus hastâ & clypeo præter fas iusque Ecclesiasticum, cum inter se dimicant Franci & Angli, ab his captus; quamobrem Pontifex Cœlestinus III. literis incarcerati Episcopi rogatur scribere Regi Angliæ pro sua à carcere liberatione, post obiurgatum de armorum indebita tractatione Præsulem literas dedit Regi, Rex Pontifici misit loricam Episcopi. *Vide*, inquit, *an tunica filij tui, an non?* Cui Pontifex, non filius meus est, vel Ecclesiæ. Ad Regis igitur voluntatem redimatur, quia potius Martis, quam Christi miles indicatur, ex Matthæo Paris. Ad conuenientiora Andreas confugit arma, etenim thiarâ tantum capiti impositâ, solaque Sacerdotali clamyde indutus, crucem Dominicam dextrâ assumpsit intrepidus, quo confisus gestamine à Caroli latere nunquam discedens, armatas acies omnes euasit in patriam reuersus.

Episcop' armatus capitur.

Non decet Sacerdotem arma induere.

Matth. Paris in hist. Angl.

Demum Lugdunensis Archipræsul Comes & Primas, cuius æuo anno M. CCCC. XCIV. die 25. Martij Carolus VIII. Franciæ Rex cum Anna vxore primariam fundamento petram apposuit in Conuentu Obseruantiæ Lugduni, (procurante R. P. Ioanne Bourgeois) Benedictione affectam à Ioanne Reli Episcopo Andegauensi.

Mittitur ab eodem Carolo ad Armoricos Francisco II. Britonum Duce ad persuadendum nobilibus Britanniæ minoris Castelli-Briani congregatis, vt aditus in eam Prouinciam militibus Regiis pateret, prætextu expellendi à Britannia Ducis Burgundiæ ad Franciscum profugi, quod feliciter perfecit Burdegalensis Archiepiscopus, qui perspicaci suæ mentis acie in secreta Francisci Ducis penetrauit intendentis filiam locare in matrimonium Imperatori Maximiliano, id negotiante Principe Arausiaco Ducis nepote, quâ de re monuit Regem Carolum postea coniunctum Annæ Britannicæ matrimonio, quod ambiuerat Eduardus Valliæ Princeps.

Argentr. lib. 15.

Matrimonium Annæ Ducissæ plures requirunt.

Carolo VIII. & Ludouico XII. Regibus percarus; vrbis Parisiensis Gubernator ex Iacobo Brulio morum suauitate pollebat & familiæ splendore fulgebat; vir tamen perpaucarum literarum, inquit Garimbertus.

Lutetiæ in Palatio Turricularũ decima die Nouembris, anno M. D. morte sublatus est, in Cœlestinorum Monasterio iacet cum hoc epitaphio Gallico iuxta princeps altare.

Brulius theat. antiquit. Paris.


Garimbert. lib. 3.

Cy gist Reuerend Pere en Dieu Messire André d'Espinay Cardinal, Archeuesque de Lyon & de Bourdeaux, Primat de France & d'Aquitaine, zelateur & bien-faicteur de l'Ordre des

Celestins, qui trespassa à Paris aux Tournelles le x. iour de Nouembre, l'an de grace mil cinq cents. Priez Dieu pour luy.

Scutū quadripartitum in I. & IV. laterculo argenteo, Leone insiliente superiùs miniato, inferius prasyno, corona, linguâ, faculis aureis, in II. & III. lingulatis ex auro & minio tessulis, quadrifido tigillo pedato aureo in capite exaratum, scutulum superimpositum cæruleum, tribus liliis aureis, baculo à dextra coccineo expressum.

Portoit escartelé au I. & 4. *d'argent au Lyon rampant coupé le haut de gueules, le bas de sinople, couronné, lampassé, armé d'or: au* 2. & 3. *losangé d'or & de gueules, au chef vn lambel de quatre pendans d'or, sur le tout d'azur à trois fleurs de lys d'or, au baston de gueules.* Escu d'Espinay



PETRVS MAGNVS EQVITVM RHODIORVM MAGISTER CARDINALIS D'AVBVSSON INNOCENTIO VIII.

Anno Christi M.CCCC. LXXXIX.

ANTIQVA Aubussoniorum familia viget in Marchiâ Lemouicensi, cuius duo fuère Præsules Tutelenses, putà Hugo d'Aubusson anno M. cccc. LI. & Ludouicus d'Aubusson anno M. cccc. LXIX.

Ex eadem gente prodiit anno M. cccc. XXIII. F. Petrus d'Aubusson patre Ludouico d'Aubusson, matre Catharinâ de Roche-choüard è ramo & Bourdet. Equitum Rhodiensium Megalodidascalus decimo septimo Iunij, anno M. cccc. LXXVI. electus, vitâ functo magno Magistro F. Baptista Vrsino, Petrus è linguâ Aruernicâ, eiusdemque Aruerniæ antea Prior, & ciuitatis Rhodiensis gubernator. Roche-chouard mater.

Statim ab electione Legatum misit ad Pontificem Sixtum IV. vti certiorem faceret tum suæ electionis, tum obedientiæ debitæ. Anno M. cccc. LXXVII. totam diligenter inuisit Insulam, & multam annonam ad Rhodi contra Turcas tutamen comparauit; propterea Equites ex variis Orbis partibus ad Oecumenicum Capitulum aduocauit.

Pacis nouæ fœdera cum Ægypti Sultano paciscitur, induciasque triginta annorum cum Tuneti Rege protraxit. Ludouicus XI. Rex Francorum multam pecuniarum summam in Iubilæo erogatam iussit dari Rhodiensi-

bus ad munienda Insulæ loca, & opem ferendam Petro Rhodiensi, qui accepit anno M. CCCC. LXXIX. fuisse statutum à Mahomete II. Rhodum anno sequenti obsidione cingendam; quod fuit effectum à centum millibus Ottomannis, classe compositâ centum sexaginta, & triremibus & nauibus. Petro adfuit opportunè frater ipsius Antonius d'Aubusson, Vicecomes de Montelis magnæ apud milites auctoritatis & nominis, obsessorum Dux effectus; quadraginta Turcarum millia simul impetum fecêre; verum egregiè Petrus obstitit vnâ cum suis accepto quintuplici vulnere, quorum vnum lethiferum credebatur; obsidione in tres menses protractâ abiêre Bisantium solutâ Rhodo. Anno sequenti ipsemet Mahometes Rhodum cogitabat aggredi; sed hominem mors præuenit, filiis Baiazethe & Zizimo inter se digladiantibus post obitum parentis, quæ fuit ansa pacis dandæ ipsis Rhodiensibus, ad quos se recepit Zizimus apud Prussiam Bithiniæ à fratre in prælio victus, qui fuit à Petro benè exceptus. Hinc Gallias adiit: pacem tandem Baiazethes quæsiuit, concessâ Rhodiis à Summo Pontifice Sixto facultate pacis transigendæ.

Mahomet. 2. obsidet Rhodum.

Petrus Rhodiensia statuta in optimam redegit formam vno volumine comprehensa, inter alia statuit, vt Fratres, qui nuncupantur Seruientes orti ex genere ignobili imposterum Commēdas haberent à Nobilibus distinctas; illius tempestate quinque habita fuêre Capitula: de constitutionibus à Petro editis, quæ ab vsu non recesserunt, consulendus Bosius.

Bosius li. 14. histor Hierosol Ordin.

Innocentius VIII. Petrum creauit Cardinalem Diaconum sancti Adriani nonâ die Martij, anno M. CCCC. LXXXIX. in primâ Cardinalium ordinatione, Ludouici XI. Francorum Regis precibus, qui missum ad se Zizimum Romam transmisit anno supradicto ad ipsum Innocentium VIII. requirentē (hac de re pluribus actum in Ioanne Baluē Cardinale Andegauensi) Vaticanâ custoditum aulâ vsque ad Alexandrum VI. cui Zizimo annuum reditum quadraginta aureorum millium frater Baiazethes suppeditauit. Ad Petrum Pontifex galerum rubeum misit in Rhodi Insulam, quem ille insigni cæremoniâ die SS. Apostolorum Petri & Pauli ibidem in D. Ioannis Baptistæ de Colloccio, postquam se ex more iureiurando obstrinxisset, suscepit, & totius Asiæ Legationem de latere peculiari diplomate ab eodem Pontifice traditam admisit. Sacrâ ornatus togâ militaris sagi munus non deserens Vaticano Senatore, & bellico Imperatore digna facinora confecit. Magnus sanè vir pietate, benignitate, clementiâ, iudicij acrimoniâ, prudentiâ, iustitiâ, fortitudine, bellico robore, victoriisque illustris Alexandrum Pontificem in Consistorio laudatorem aliquando habuit pronunciantem illius, militumque Hierosolymitanorum studio, & virtute Christianum nomen in Orientis regionibus conseruatum in præliorum tumultibus.

In Deiparæ Virginis honorem nobile sacellum Petrus erexit, dum Turcarum vexaretur armis, piâ diuini auxilij spe conceptâ Dauidem orantem imitatus, Dei opem efflagitauit, magnosque & efferos hostes superatos vidit. Prudenter Alexander Pontifex virum magnum, fœdere cum Regibus Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ & Venetis inito, classis contra Turcarum vires parandæ Imperatorem instituit. Amore Petrus & benignitate

viros sibi subiectos regebat, egentes subleuabat; Ordinis, & Christianæ Reipublicæ bonum & decus, Deique præcipuè gloriam cordi habuit: Antonio Grimano Venetorum Classis prudentiâ & bellicâ fortitudine claro Duci contra Turcas dimicanti petitam opem tulit.

Ereptus è viuis Rhodij die Lunæ Iulij trigesimâ, anno M. D. III. octogenario maior pugnans aduersus Mahometem Turcarum Regem. Rhodiorum Religioni præfuit viginti septem annos, spolia ditissima suo Ordini reliquit; cadauer vnguentis balsamoque delibutum pompâ funeris percelebri in Diui Ioannis Baptistæ tumulatur. Vir doctus Augustiniani instituti eum laudatione suâ cohonestauit. In locum magni Magistri suffectus Aymericus d'Ambres Galliæ Prior absens, non autem Fabritius Caretus Ligur (vti vult Ciaconius) qui ad eam dignitatem tantùm peruenit decimo quarto Decembris, anno M. D. XIII. quem præcessit Guido de Branchefort. Quatuor magni Magistri.

Quadripartitum scutum in I. & IV. coccineo, argenteâ cruce anchoratâ, in II. & III. argenteo, miniatâ cruce item anchoratâ expressum.

Portoit escartelé au 1. & 4. de gueules à la croix ancrée d'argent, au 2. & 3. d'argent à la croix ancrée de gueules.



IOANNES DE LA GROLAYE DE VILLIERS CARDINALIS SANCTÆ SABINÆ ALEXANDRO VI.

Anno Christi M. CCCC. XCIII.

TRIBVS eiusdem & Gentis Ludouicus de Villiers filius Iacobi Domini de l'Isle-Adam, Episcopus Bellouacensis, frater Philippi Equitum Rhodiorum Magistri: Carolus de Villiers etiam Episcopus Bellouacensis anno M. D. XXX. Ioannes de Villiers Dominus du Hormet, cuius filia natu maior nupta Ægidio Tournemine Domino de la Hunaudaye è primaria Britonum nobilitate. Curiæ Iuuaminum Lutetiæ Præses anno M. CCCC. LXXXIII. etiam in Scacario Neustriæ Præsidis officio functus anno eiusdem sæculi XC.

Monachus Cœnobiarcha LXI. Sandionysianus electus decimo Maij, anno M. CCCC. LXXIV. defuncto Cardinale Goffredo, instaurauit claustra Dionysiana, in quibus parmæ eius visuntur: Abbas etiam sancti Quintini Ordinis Diui Augustini, Diœcesis Bellouacæ, cuius Cœnobij fuit primus Abbas Yuo Episcopus Carnotensis. Sandionysiani Collegij partem Parisiis Belforest. Cosmog. in catal. Abb. S. Dionys. Doublet.

emit & stabula vicina; illic in præsenti pulcherrimæ ædes à magno Priore & Religiosis exædificatæ, vocanturque *L'hostel des Charitez*, in vicis Delphino, Christierno, & aliis.

In histor. Abbatiæ S Dionysij. Præsul Lombariensis anno M. CCCC. LXXVII. Doubletus ait fuisse Antistitem, antequam eligeretur Abbas; verùm ante Concordata Leonis X. & Francisci I. ex Cœnobiarchis creabantur Episcopi, non ex Episcopis Abbates, quem Episcopatum nepoti suo Dionysio de Villariis anno sæculi XCIX. resignauit tres ante decessum dies.

Legatus ad Hispaniæ Regem Ferdinandum V. pro pace conciliandâ inter Reges: vnde hæc scribit è ciuitate sancti Ioannis *de Lus* ad Monachos sancti Dionysij, die decima Octobris, anno M. CCCC. LXXVII. Hesternâ luce fuit pax stabilita inter Monarchas Franciæ, & Hispaniæ die sacra Diuo Dionysio Patrono nostro, & Protectori, hodie fuit promulgata. Rogo vos iterum atque iterum, vt solemnem celebretis processionem, & ignes lætitiæ excitetis, vt Lutetiæ excitabuntur per plateas, quibus rebus Rex mirum in modum delectabitur. Anno sequenti electus fuit à Clero Parisiensi, vt interesset Comitiis Regni habitis in vrbe Turonensi.

Legatus Romæ fit Cardinalis. Orator Regius Romam proficiscitur nomine Caroli VIII. ad Alexandrum VI. anno M. CCCC. XCIII. quo munere fungens donatur purpurâ, vt Hermolaus Barbarus Orator Venetus fuerat Romæ adscitus in Cardinalem ab Innocentio VIII. contra sapientissimi Senatûs legem, quæ vetat Oratores accipere à Principibus, aut dignitates, aut munera, nec effici venales. Lex Veneta. Romæ agens curauit fabricari à Michaele Angelo Bonaroto adhuc adolescente excellentissimam iconem marmoream Diuæ Mariæ, & filij mortui inter brachia materna iacentis, positam in Capellâ Regiâ Franciæ in Diui Petri, deinde ob nouam fabricam aliò translatam, vt notauit Hieronymus Garimbertus Episcopus Gallesiæ. Garimb. lib Cardinal. c. 13.

Sanctæ Sabinæ in Auentino monte Cardinalis Presbyter, duodecimo die Calendas Octobres, eodem anno, ab Alexandro creatus dum secundò Patres promouet. His affantur verbis Summum Pontificem Monachi Sandionysiani ipsi gratias agentes de collato Cardinalatu suo Abbati.

Epistola Monachorum S. Dionysij. Auditum est in terra nostra, Beatissime Pater, & celebri sermone vulgatum verbum, quod fecit nuper sanctissima tua Paternitas, & ostendit nobis in pio Pastore nostro non verbi tantum sed & facti experientiâ adimpletum: Vnde cor & caro nostra exultauerunt in Deum viuum. Exultat, & non immerito, præ virtutum tuarum amplissima claritudine, & gloriatur omnis Ecclesia sanctorum. Tuo siquidem munere præuenisti nos in benedictionibus dulcedinis, ponens in capite amantissimi Pastoris nostri coronam de lapide precioso, ac si suscitares de puluere egenum ad collocandum cum Principibus Orbis & Vrbis, vt solium gloriæ teneat inter eos sub quibus curuantur, qui portant Orbem. Quod si in filio paternus superabundet honos, quidem tua regalis Macharij Dionysij Ecclesia, quod sic memor es eius, aut quid filius tuus Abbas eiusdem, qui sic tuâ munificentiâ visitas eum? vt illum primogenitum tuum poneres excelsum præ Regibus ac Principibus Ecclesiæ, vt tu ipse Alexander, iuxta Machabæorum histo- 1. Mach. 11 riam, Ionathæ tuo coronam auream expressam signo sanctitatis, gloriæ, &

honoris

honoris imponeres, & purpuram ac rubicundum vestimentum adaptares, hæc sanè mutatio, tua mutatio dexteræ Excelsi, quâ Abram in Abraham, Iacob in Israël, hoc est in tibi assistentes commutasti, quod latebat sub modio poneres in lucem, vt qui ingrediuntur Domum Dei videant & lætentur, & sic glorificetur & honorificetur ministerium tuum. Nimirum profectò si ministros Christi seruus seruorum eius;si inclytos inclytus, studiosos studiosus, emeritos tantæ sedis benemeritus exaltas, debitores propterea nos humiles filij tantæ dignationi tuæ decernimus, per quam in idipsum gratiæ tuæ & gloriæ Cardinalatus dignus habitus est assumi, vir cui amori religio,cui honori sapientia,cui bono odori iustitia est,vas electionis tuæ,in honorem plenum gratiæ & veritatis, quibus ita gestis arbitramur Regiam Francorum applaudere maiestatem, cuius interuentione & tui benignitate id actum credimus. Non enim veritus est Valentinianus Romanorũ quondam Imperator clarissimus, in Beatissimi Ambrosij Mediolanensis promotione se profiteri apprimè dignificatum, cum is qui sub eo Iudicis vice fungebatur dignus esset comparatus tanti ministerij apice: multò amplius Regem Christianissimum tibi congaudere non ambigimus, quando suum prouidum Consiliarium,& ad exteras nationes Legatum, in omni domo sua fidelissimum, in tuæ consortem curiæ euexisti, velut alterum Chusi in consilio Dauid, velut alterum Ietro in Moysi consistorio, & de temporali Francorum regimine in columnam Ecclesiæ firmam & stabilem erexisti. Quid autem pro tanta nobis & Ordini nostro impensa beneficentia valeamus tibi rependere? non in promptu habemus, beatissime Pater, nisi quod ex promptuariis cordis nostri haurire potuimus vinum exultationis & lętitiæ, & fruges orationum & precum, quibus augeantur incrementa iustitię tuæ. Sanctissimæ Paternitati tuæ nihilominus supplicantes, vt regalis Ecclesiæ tuæ non immemor, priuilegia & libertates eiusdẽ duraturas in æuum concedas, augeas, & confirmes, vt sedem magnitudinis tuæ gloriæ in Israël confirmet, qui constituit te Principem omnis possessionis suæ Princeps Regum terræ, in quo semper bene valeas fœliciter regnaturus. Scriptũ apud sacratissimum Diui Dionysij Areopagitæ Cœnobium, vndecimo Kalend. Octob. anno Domini M. CCCC. XCIII. Vestri perhumiles & deuoti in Christo filioli & Oratores, Prior magnus, & Conuentus Regalis Ecclesiæ Beati Dionysij in Francia.

Valentinianus lætatur promotione Ambrosij.

Decessit Romæ die Martis horâ decimâ octauâ ineunte iuxta Italiæ morem in horis numerandis octauo Idus Augusti, anno M. CCCC. XCIX. Pontificatûs Alexandri VI. septimo; sepultus in Vaticano in capellâ Regum Franciæ sitâ à dextera aræ Principis. Anniuersarius obitûs dies celebratur Sandionysij die septima Septembris.

Itali numerant 24. horas.

Scripsit in libros Sententiarum. Sermones ad populum.
Collationes habitas cum Clero.
Orationem ad Summum Pontificem & Cardinaliũ cœtum.

Scuti area quadripartita in I. & IV. argenteo, nummo byzantino cæruleo, in II. & III. miniato, argenteâ cruce, parmulâ cyaneâ reliquis impositâ, exarata. *Portoit escartelé au 1. & 4. d'argent à vn besant d'azur, au 2. & 3. de gueules à vne croix d'argent, sur le tout d'azur.*

Yyy



Anno Christi M. CCCC. XCIII.

RAYMVNDVS PERAVLD CARDINALIS GVRCENSIS ALEXANDRO VI.

NATALEM vidit diem in Sanctonum Prouinciâ Surgeriis, anno M.CCCC. XXXV. ibidemque sancti Ægidij Prior; à Garimberto vocatur Cardinalis Sanctonensis. Episcopus Nouariensis & Viterbiensis in Italiâ, ac Gurcensis in Germaniâ sub Archipræsule Salisburgensi. Sanctonensis etiam Præsul in Gallia, Petro de Roche-choüard nobilissimæ familiæ extincto. Nuncius Pauli II. Sixti IV. Innocentij VIII. in Germaniâ ad colligendas pro bello Turcico pecunias, quæ pro suo libito fuerunt distributæ: vnde malè audiit, nullusque Cardinalium processit obuiam Romam ingredienti, vt moris est. Legatur etiam ad Maximilianum Cæsarem, multaque æternæ memoriæ digna edidit Lubeci, & in Daciâ. (Hieron. Garimb. l. de Card)

Cardinalatu Raymundum ornauit tituli sanctorum Ioannis & Pauli Alexander VI. anno M.CCCC.XCIII. intercedente Cæsare Maximiliano mense Septembri, dictus est Cardinalis Gurcensis. In Consistorio publico datus pileus Cardinalitius, & assignatus titulus sanctæ Mariæ in Cosmedin, tum sancti Vitalis, & anno M.CCCC.XCIX. die Aprilis vigesimâ nonâ assumptus ad titulum sanctæ Mariæ Nouæ, qui ob hanc natam occasionem fuit ex Diaconali erectus in Presbyteralem, vt notat Bruchius. (Bruch. in Diario.) Eodem anno die Octobris decimâ Alexander VI. constituit Legatum in Perusinâ, & Tridentinâ Prouinciis. Henricus à Lotharingiâ filius Antonij Comitis Vaudemontani Præsul Metensis consentit Coadiutoris in Episcopatu Metensi titulum Raymundo Cardinali Gurcensi, nullum in suâ illustrissimâ familiâ animaduertens ætatis satis prouectæ ad hoc onus sustinendum; verùm Renatus Rex Siculus, Duxque Lotharingiæ, & Barri omnem mouit lapidem, (Chartophyl. Eccl. Meten.) vt Ioanni filio solum quatuor annorum puero Coadiutoria concedatur cum Capituli consensu die Nouembris tertio; propterea sancti Mansueti Tullensis Abbatia Raymundo offertur. (puer quatuor annorum Episcopus Metensis.) Bullas Pontificias Alexander VI. concessit anno M.D.I. ita tamen vt includant clausulam regressûs in Ioannis fauorem, si prædecedat: causa potissima his bullis inserta fuit reparatio Episcopij Metensis & censûs magnopere imminuti ob præcedentia bella.

Viterbiensem obtinuit à Iulio II. legationem. Lethali morbo occubuit anno M.D.V. Viterbij, iacetque in Ecclesia Augustinianorum sanctæ Trinitatis cum hoc epitaphio.

Raymundus Perauldi patriæ suæ Sanctonensis Episcopus, ac S.R.E. Presbyter Cardinalis Gurcensis, proque eâ Legatus, adeò opulentiæ contemptor, vt elargiendo nihil sibi relinqueret, ab Iulio tamẽ II. Pontifice Maximo ditatus, dum Patrimonij legatione fungitur. Viterbij obijt Nonis Septembribus, anno salutis M.D.V. *vtque ab Iulio tradita solum retinere occœperat, sic monumentum hoc haud quæsitum reuerentiâ eiusdem approbare credendum est. Vixit annos septuaginta.*

Scripsit de dignitate Sacerdotali super omnes Reges terræ.

De actis suis Lubecię & in Dacia libellos varios in Germaniâ exeusos.

Epistolas aliquot ad Capnionem.

Tessera coccinea, sole tribusque pyris aureis, capite scuti aureo, aquilâ pullâ, impressa. *De gueules à vn soleil & trois poires d'or, 2. & 1. au chef d'or à vn aigle de sable.*



GVILLELMVS BRISSONET CARDINALIS MACLOVIENSIS ALEXANDRO VI. Anno Christi M. cccc. xcv.

PARENTES habuit Ioannem Brissonetum supremum Aquarum & Syluarum Galliæ Præfectum, Dominum de Varennes, la Kaërie, & le Rostan suo æuo Patrem pauperum nuncupatum, & Ioannam Berthelot: fratrem Robertum Franciæ Cancellarium Carolo VIII. anno M. cccc. xcv. die penultimâ Augusti Taurini vt postea probabimus, Sancti Vedasti Atrebatensis Abbatem, & Rhemorum Archipræsulem. Guido Bretonneau hist. Geneal. fam. Brissonet.

Ærarij Gallici primus Oeconomus à Carolo VIII. Rege institutus duxit in vxorem Rolletam Berneam; ex eâ quinque suscepit liberos, Ioannem Brissonetum rationum Regiarum subducendarum secundum Præsidem, Guillelmum Episcopum Lodeuensem, sancti Germani à Pratis Archimandritam, apud Iulium II. Oratorem Regium anno M. D. V. Dionysium diuersâ tempestate, Tolonensem, Lodeuensem, Macloviensem Antistitem, Cormeriaci Abbatem, maioris Ecclesiæ Rhemensis & Auenionensis Archidiaconum, duas præterea filias.

Demortuâ coniuge, se suâque Deo, & Ecclesiæ consecrat; inauguratus Præsul Nemausensis, etiam anno M. cccc. xcII. Macloviensis, cuius Sedis

appellationem retinuit vſque ad extremum vitæ ſpiritum. Nemauſenſem nepoti Michaëli poſtea reſignauit. Auctor fuit Carolo Regi expeditionis Neapolitanæ contra Ferdinandum Arragonenſem; nam Renato Andegauenſi Rege Neapoleos mortuo abſque liberis maſculis (Ioannes enim filius prædeceſſerat) conſtitutus eſt hæres teſtamento Carolus fratris filius, qui Ludouicum XI. voluit hæredem habere Regni Neapolitani, & aliarum Prouinciarum Dominum; verum Ludouicus bellum gerens cum Burgundo huic recipiendæ hæreditati animum non applicuit, cui vacauit filius Carolus conſilio Guillelmi Briſſoneti.

Guichard. lib. hiſtor. Caroli 8.

Acceptis votis Caroli de expeditione Neapolitanâ Alexander Pontifex conatur eam remorari, imò caſſam reddere, eoque fine mandat in Gallias Presbyterum Romanum ſagaciſſimi ingenij ad Epiſcopum Maclouienſem, penes quem ſciebat res Regni eſſe: ſi Guillelmus voluiſſet Pontificiis deſideriis reſpondere, præſens erat pileus Cardinalitius ab eo Presbytero delatus vna cum bullâ manu Pontificis, & Cardinalium ſacri Collegij ſubſcriptâ; verum Maclouienſis Præſul pileum rubeum & diploma remiſit.

Inſtante toto Cardinalium Collegio, & Carolo VIII. expoſcente in publico Conſiſtorio, dum Rex Romæ ageret, conſequutus eſt Guillelmus purpuram, conferente propriâ manu Alexandro VI. tertiâ promotione, iſque ſolus (licet aliqui hiſtorici Gallici dicant Philippum Luxemburgenſem Epiſcopum Cenomanenſem vnà cum eo fuiſſe creatum) anno M. CCCC. XCV. die Veneris decimâ ſeptimâ Calendas Februarias, datus ei annulus & titulus ſanctæ Pudentianæ in ſecreto Conſiſtorio. Hoc eodem anno die ſextâ Iulij adfuit prælio memorabili Fournuaco iuxta Tarum vnâ cum Carolo VIII. victis Venetis; nam è Regno Neapolitano redeuntem Carolum Veneti, & Ludouicus Sfortia Mediolani Dux conantur retardare, & inſidias ponere; ſed impauidus & ſecurus armatas eorum copias fregit Cardinalis Maclouienſis, in eâ occaſione tiaram, epomidem, pedum, ſacrumque codicem cùm galeâ, thorace, gladio, vmbone dexter vtrobique commutauit. Cardinalatu & omnibus dignitatibus priuatum declarauit Iulius II. Regi Ludouico XII. infenſiſſimus, quem Leo X. reſtituit ſecreto Conſiſtorio, creatus eſt paulò ante obitum Epiſcopus Præneſtinus.

Paul. Iouius, Bembus, Onuphr.

Prælium Fournuacum.

Cardinalis armatus.

Rhemenſis fit Archiepiſcopus anno M. CCCC. XC. XCVII. fratre Roberto Nomophylace mortuo Molinis, conſecratque Regem Ludouicum huius nominis XII. Rhemis anno ſequenti, die Maij vigeſimâ ſeptimâ. Aderant Franciæ Pares, Ioannes Dux Alenconius pro Burgundo, Petrus Dux Borbonius pro Neuſtrio, Antonius Dux Lotharenus pro Aquitano, Philippus Comes Raueſteinus pro Flandriæ Comite, Gilbertus Cleuenſis pro Campano, Gaſtonus Foxius pro Toloſano. Aulam maiorem domûs Archiepiſcopalis Rhemorum exædificauit, cui extremam manum impoſuit Robertus Lenoncourt eiuſdem Sedis Archiepiſcopus.

Robertus Cancellarius moritur.

Abdicat ſe Briſſonetus Pontificatu Rhemenſi ad Narbonenſem Eccleſiam tranſlatus, anno M. D. VII. cum ſediſſet annos decem. Migrat ad Narbonenſem anno ſupradicto, in quâ ſeptennium & amplius commoratus. Prorex Narbonenſis.

Cœnobiarcha ſancti Germani à Pratis Lutetiæ anno M. D. IV. electus à

Monachis ius electionis habentibus, post Gaufredum Floreau; antea Grandis-montis Abbas Diœcesis Lemouicensis, anno M. CCCC. XCIX. ac sancti Nicolai Andegauensis; Abbatiam Diui Germani Guillelmo filio suo secundo-genito cessit resignatione.

Sacris aliquando operanti solemniter duo ipsius legitimo ex Rolleta Belnea thoro filij suscepti adfuerunt Guillelmus Meldensis, antea Lodeuensis, & Dionysius Maclouiensis Episcopi, officio Diaconi & Subdiaconi vacantes. Promouit Concilium Pisanum cum Cardinale à sanctâ Cruce, & Cardinale Baiocensi; Mediolani enim iacta sunt fundaměta, animosis in Iulium II. Maximiliano II. Imperatore, & Ludouico XII. Rege Mediolani Duce, cuius Synodi conuocationis decretum ratum in ædibus Guillelmi, sic in eius fine habetur. Acta sunt hæc in domibus modernæ residentiæ Reuerendissimi Domini Guillelmi Brissoneti Episcopi Præneſtini sitis in portâ Ticinensi Parrochiæ sancti Georgij de Palatio, anno Domini M. D. XI. die verò Maij decimâ sextâ. Duo filij Episcopi & Pater Archiepiscop. Proposito de Synodo Pisana.

Narbonæ vitam finiit anno M. D. XIV. die decimâ quartâ Decembris, iacetque in primariâ Ecclesiâ: illius vera effigies in templo sanctæ Crucis visitur. Vnde audiendus non est Guillelmus Coluenerus in catalogo Archipræsulum Rhemensium inserto calci operum Flodoardi Canonici Rhemensis asserens vitâ functum Romæ, anno M. D. VI. minùs etiam audiendus Ciaconius referens morbo Neapolitano suffocatum.

Multa pietatis insignia reliquit Romæ, Rhemis, Narbonæ, Maclouij, Lutetiæ, cuius maiori Nosocotrophio magnam pecuniæ summam testamento reliquit, quâ ædificata Comitiorum domus iuxta ædem sancti Petri & Christophori ad cornu plateæ Ecclesiæ Parisiensis, adhuc superest hæc inscriptio. *C'est des biens de feu Monseigneur le Cardinal & Archeuesque de Narbonne.* Cardinalis Maclouiensis Symboli lemma vnum. *Exaltauit me humilitas*: verissimum enim est Salomonis effatum, *Gloriam præcedit humilitas*; alterum, *Ditat seruata fides.* Prou. 15.

Composuit Enchiridion precum Christianarum latinè Regi Carolo VIII. oblatum. Acta Synodalia die sancti Lucæ habita Maclouij, anno M. D. I. inter cætera decreta hæc duo, Vnum. Quia fideli ratione ad Nos peruenit, quosdam sacris Ordinibus insignitos maximè Presbyteros, ita ebrietatis vitio esse deditos, vt in Sacramentis Confessionis, Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ-Vnctionis conferendis minus habiles, imò in verborum formâ proferendâ vino ingurgitati periculosè agere multoties probati sint; idcircò, si tales de cætero notariè reperiri contingat, monitione præmissâ, à perceptione fructuum beneficiorum suorum priuari per annum statuimus & volumus: si verò beneficiati non fuerint trium mensium spatio ab officio, eo ipso volumus esse suspensos; si autem (quod absit) in præfato ebrietatis vitio animo indurato perseuerauerint, suspensionis ab officio pœnâ per annum eos fore plectendos præsentium tenore statuimus. Contra Presbyteros ebrios

Alterum. Idem statuimus, vt Presbyteri & quilibet alij Clerici imposterum decenti honestate viuant, non comati, aut barbâ prolixâ, sed cum congruâ tonsurâ octo dierum termino detonsâ. Contra comas Clericorum.

Iouius. Bembus histor. Veneta. Feron. Platin. in Alexa. 6.

Cardinalis Maclouiensis multa feruntur elogia, cui ad interiorem Regis amicitiam patuit aditus, inquit Iouius; eius consilio in omnibus Rex nitens, inquit Bembus in historiâ Venetâ, ipsi in omnibus, siue seria, siue ludicra tractarentur, Rex acquieuit, inquit Feronius. Oraculum Regis & Regni columna, inquiunt plures: nihil vnquam aggressus, teste Platinâ, quod non honorificè perfecerit.

Vt ab errore multos reuocemus, qui Præfectum supremum Cancellariæ Franciæ autumarunt nostrum Cardinalem, Guillelmum substituentes pro Roberto Brissoneto fratre Archipræsule Rhemensi; in eo enim errore & cimba versatus est Feronius, qui citat Guillelmum Cousinot, Ioannem du Tillet, & Nicolaum Gilles, proferamus diploma Regium Caroli VIII. datum Taurini astruens veritatem.

Diploma pro Roberto Fräciæ Cancellario creando.

Carolus Dei gratiâ Francorum, Siciliæ, & Hierusalem Rex vniuersis præsentes literas inspecturis salutem. Non modica Regibus gloria, Regnisque firmitas accedit & securitas, si ad summos honores, magistratus & dignitates viri assumantur, qui bonis imbuti artibus, claris coruscant virtutibus, quique publicis in muneribus diu versati, probitatis, industriæ & fidelitatis suæ dederunt experimentum: hinc enim eiusmodi personis condignum laboribus suis fructum percipientibus, magis ac magis laudabiliter & exemplo proposito, cæterorum ingenia Reipublicæ sustinendis oneribus aceenduntur. Notum igitur facimus, quòd Nos attendentes iurisprudentiam, præclaros mores, integritatem, diligentiam ac sinceritatem dilecti ac fidelis Consiliarij nostri Roberti Brissoneti, Archiepiscopi & Ducis Rhemensis, primi Paris Franciæ, negotiorum insuper, & iudiciorum experientiam, quam in nostrâ Parlamenti Curiâ, tempore inclytæ recordationis Christianissimi Domini, & genitoris nostri, cuius anima in pace quiescat. Deinde noster Consiliarius primùm, postea Inquestarum Præses, necnon aliis in locis Reipublicæ nostræ non parum proficiens, longo vsu comparauit, externas quoque & longinquas legationes, quas & libenter suscepit, & honorificè exequutus est: quibus ex causis Italiam petituri non immeritò moti fuimus eidem sigilli nostri, in absentiâ magni Ordinati, custodiam committere, ac, vt in magno nostro Consilio præsideret, officium delegare, vbi maximâ cum vigilantiâ, omniumque laude & admiratione est versatus, aliaque quam-plurima, quibus gratus Nobis admodum & commendabilis effectus est. Eundem Robertum Archiepiscopum, & Ducem Rhemensem de Principum sanguinis nostri, Procerum, Consiliariorum, aliorumque, qui lateri nostro fidi assistunt, consilio, elegimus, creauimus, fecimus, ordinauimus, retinuimus, ac retinemus nostrum Regni Franciæ Cancellarium, & Consiliarium specialem, cui Officio à morte, obitu ac decessu eminentissimi quondam viri Guillelmi de Rupe-forti, dum viueret, militis Aurati, Domini de Pluuot eiusdem possessoris, minimè fuerat prouisum. Dantes, & tenore præsentium concedentes præfato Roberto Archiepiscopo, & Duci Rhemensi plenam potestatem, authoritatem & mandatum speciale agendi, ordinandi & exercendi, omniaque singula, quæ ad Officium Cancellarij Franciæ huiusmodi spectant quomodolibet, aut incumbunt, volentesque, quòd ipse Ro-

Post Guillel. de Rochefort Cancellarius Rob. Brissonet.

bertus huiuſmodi officio Cancellarij perfruatur & gaudeat plenè, integrè, & pacificè ad honores, prærogatiuas & præeminentias, vadia, iura, proficua, penſiones, ac talia emolumenta conſueta, & quæ dictus defunctus de Rupe-forti, dum viueret, percipiebat, modo & formâ quibuſcunque. Quocirca chariſſimo fratri & conſanguineo Petro Borbonij & Aruerniæ Duci Locum-tenenti noſtro Generali mandamus, vt ab eodem Roberto Cancellario noſtro ſolitum recipiat iuramentum. Quocirca dilectis ac fidelibus noſtris Gentibus Parlamentum noſtrum Pariſiis tenentibus, omnibuſque aliis iuſtitiariis, officiariis & ſubditis noſtris, cuiuſcunque authoritatis, ſtatûs, dignitatis aut conditionis exiſtant, per eaſdem etiam præſentes mandamus, quatenus eidem Roberto tanquam vero & indubitato Franciæ Cancellario pareant diligenter & attendant. Mandantes inſuper Gentibus Cameræ Computorum & Theſaurariis noſtris, vt vadia, ſalaria, penſiones & omnia alia iura ad dictum officium pertinentia præfato Roberto Cancellario noſtro, aut eius certo mandato per Audientiarium Cancellariæ noſtræ Franciæ, qui pro tempore fuerit, tradi & perſolui faciant, modo & terminis conſuetis. Quæ ſic ſoluta in compotis dicti Audientiarij præſentes, aut earum vidimus, ſub ſigillo Regio confectum ſemel cum Quictanciis ſufficientibus reportando, allocari, & de eius receptâ deduci ſine vllâ contradictione volumus & iubemus, ordinationibus, ſeu mandatis ad hoc contrariis non obſtantibus quibuſcunque. In cuius teſtimonium noſtrum præſentibus apponi ſigillum duximus. Datum Taurini, die penultimâ menſis Auguſti, anno Domini M. CCCC. XCV. Regnorum verò noſtrorum Franciæ XIII. & Siciliæ I.

Petrus Borboni' Prorex in eâ Galliâ abſente Carolo 8.

Cæruleum ſcuti ſolum limbo circumducto ex auro & coccino angularibus compoſito ſtellâ aureâ infracto, alterâ in coronide ſtellâ depictum.

Scutum Briſſoneti.

D'azur à la bande componée d'or & de gueules, brisée d'vne eſtoille d'or, accompagnée d'vne autre en chef.



PHILIPPVS CARDINALIS LVXEMBVRGIVS
ALEXANDRO VI.

ANNO CHRISTI M. CCCC. XCVII.

ETheobaldo Domino de Fiennes & de Gauere ſecundo-genito Petri Luxemburgij primi hac nomenclaturâ Comitis à ſancto Paulo, ac

Margaretæ des Baux, & è Philippa Melodunæá procreatus secundus filius, anno M. CCCC. XLV. cuius parens vxore demortuâ fit Monachus, vt in Theobaldo Cardinale obseruauimus hoc libro. Fratres habuit Iacobum, Franciscum, & Ioannem. Eius generis fuit Beatus Petrus de Luxemburgo Episcopus Metensis, de quo superius in schismate Clementis VII. Gebennensis.

Ioannes Scohier in geneal de Croy.

Primò Atrebatensis Antistes, postquam fatis occubuit Franciscus Melodunæus matris Philippi consanguineus, deinde Morinorum Præsul proclamatur, auditâ morte Antonij de Croy Morinensis Episcopi in Cypro insulâ defuncti, Hierosolymis anno M. CCCC. LXXV. redeuntis, mense Septembri: fuerat secundus filius Philippi de Croy Comitis Porciani, & Iacquelinæ à Luxemburgo filiæ Ludouici Luxemburgi Franciæ stabuli Comitis & Ioannæ de Bar, hic Philippus creatus est Eques Auratus in sacra vnctione Ludouici XI. anno M. CCCC. LXI.

Quatuor Luxemburgi Episcopi Cenomanenses.

Episcopus Cenomanensis post parentem Theobaldum (soror Theobaldi nupta fuerat Comiti Cenomanensium.) Quatuor huius nominis vnus post alterum fuêre Episcopi Cenomanenses, Theobaldus, Philippus Cardinalis, Franciscus Philippi nepos filius Iacobi, quartus denique Philippus Francisci de Luxemburgo Comitis de Martigny filius, qui inserendus est catalogo Præsulum Cenomanensium, quem Claudius Robertus amicus noster in suâ Galliâ Christianâ prætermisit.

Histor. genealog Luxemburg.

Democh. lib. de sacrif. Miss.

Cardinalitia defertur dignitas ab Alexandro VI. anno M. CCCC. XCVII. die duodecimâ Calendas Februarias, Rege Ludouico poscente, isq; solus est creatus sextâ Cardinalium ordinatione, tituli sanctorum Petri & Marcellini: qui titulus ipsi Cardinali datus die vigesimâ septimâ Ianuarij, anno sequenti sine consistorio & absque Cardinalium præsentiâ.

Legatus à latere in Galliis solutioni nexûs matrimonij inter Ludouicum XII. Regem & Ioannam Francicam vacauit Philippus Iudex cum Ludouico de Ambosiâ Episcopo Albiensi, & Ferrando Præsule Ceptensi Nuncio Apostolico, Alexandro VI. Pontifice hanc primam gratiam Regi conferente, & in intimos eius amicitiæ recessus ingrediente, malè affecto erga Alphonsum Neapolitanum Regem ob negatas nuptias filiæ eius nothæ cum Valentino Borgia alio etiam notho. Causæ porro diuortij inter Regem & Reginam metus prætexebatur, & quòd non sponte eam duxisset Ludouicus, tunc Dux Aurelianensis; sed compellente Patre Virginis sat corpore deformi, cuius instrumentum clam petiit ab Auctariis ipso nuptiarum die, & quod nunquam eam commixtione carnali attigisset spatio viginti & vnius annorum. Mandato Apostolicæ Sedis accepto se contulit Philippus cum duobus aliis Turonas, eò se recepit Ioanna Francica sententiam expectatura, cuius hic tenor.

Dissolutio matrimonij Lud. 12. & B. Ioannæ.

In nomine sacrosanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Visâ litera per Nos Philippum tituli sanctorum Marcellini & Petri Cardinalem Luxemburgum, Cenomanensem Episcopum, Ludouicum Albiensem Antistitem, & Ferrandum Ceptensem Præsulem Iudices in his partibus à sanctissimo Domino nostro Papâ deputatos agitatâ inter Actorem ab vnâ parte Ludouicum XII. Christianissimum Francorum Regem,

re amque

reamque ab alterâ illustrissimam Dominam Ioannam Francicam, viso rescripto Apostolico, Actoris intentione, reæque supradictæ contentione, eiusdemque responsis, recusationibus, tertiis altercandi vicibus, intercessionibus, & super easdem responsionibus, ab vtráque parte, testibus ab Actore productis, eorumque dictis cum aduersâ parte compositis, aliisque documentis, & initis in causâ dieque vadimonij dicto conclusionibus ad ius audiendum in consilij communicatione cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Theologis, & Iureconsultis ingenti numero Doctoribus. Diximus & hac nostrâ definitiuâ sententiâ dicimus, posito ob oculos Deo; declaramus, & contractum inter partes supradictas matrimonium nullum fuisse & esse pronunciamus, eodemque Actori, suppositâ per auctoritatem Apostolicam necessitate, quamcumque voluerit mulierem sine supradictæ causæ impendiis in vxorem ducendi plenam facimus auctoritatem. Datum Turonibus anno M.CCCC.XCIX. Sententia pro nullitate Matrimonij.

Ioannes Standonc Doctor Theologus Dominus à Viletta, Malignis Brabantiæ natus, auctor Capettarum Collegij Montis-acuti, palam hanc matrimonij dissolutionem oppugnauit, eo nomine proscriptus à Galliâ mandato Ludouici Regis.

Dissoluto matrimonio idem Ludouicus Ducatum Bituricensem concessit Ioannæ ad ipsius vitam: Bituriges profecta Cœnobium Monialiũ sancti Francisci instituit, vitam illic traducens sanctitate admirandam ad portum felicitatis æternæ appulit, die quartâ Februarij, anno sæculi M.D.V. ætatis suæ anno quadragesimo.

Rex Reginam Annam Britanniæ Ducissam viduam Caroli VIII. sibi connubio copulauit, & Ducatum Britannicum coronæ Franciæ indissolubili nexu coniunxit, res satis ingrata Armoricis.

Duo condidit gymnasia Philippus Lutetiæ vnum, Cenomani alterũ testamento, quod fuit executioni mandatum anno M.D.XXVI. Palatium Parisiense Episcoporum Cenomanensium translatum est in vsum Collegij, in dotem relictis decem librarum millibus pro Lutetiano. Officia Primarij & Procuratoris sunt perpetua, & ab Antistite Cenomanensi conferuntur: exædificari curauit Castellum *d'Yuray l'Euesque*, quod distat duobus à Cenomano milliaribus. Cenomani diem clausit extremum vigesimâ secundâ die Iunij, anno M.D.XIX. septuaginta quatuor annos natus, sepeliturque in suâ Cathedrali. Hæretici lupinâ rabie tumulum effoderunt, eratque hoc epitaphium.

Hic iacet corpus illustrißimi Philippi à Luxemburgo S.R.E. Presbyteri Cardinalis Legati à latere in Gallia, Episcopi Cenomanensis, qui obijt quarto Nonas Iunij, anno M.D.XIX.

Scutum argenteum miniato Leone, cauda bifida decussata.

D'Argent au Lyon de gueules, à la queuë fourchée & paßée en sautoir.



GEORGIVS CARDINALIS D'AMBOISE
ALEXANDRO VI.

ANNO CHRISTI M. CCCC. XCVIII.

MATRIMONIO Petri Ambosiani Principis Cubicularij Regum Caroli VII. & Ludouici XI. & Annæ Buelliæ Sancerranæ sororis Ioannis Buellij Franciæ Polemarchi minor natus, anno M. CCCC. LX. Eius octo extitêre fratres, è quorum numero quinque fuerunt Ecclesiæ consecrati Ioannes Ambosianus Præsul Lingonensis, Aymericus magnus Franciæ Prior, demum Rhodiensis Megalodidascalus, Ludouicus Antistes Albiensis cognomento Bonus ab anno M. CCCC. LXXIII. ad D. III. qui Senatum Diuionensem (Parlamentum vocant) Rege Ludouico XI. imperante constituit, Petrus Pictauorum Episcopus, Iacobus Claromontanus Antistes & Archimandrita Cluniacensis.

Quinque fratres Ecclesiastici.

Initium Senatus Burgundiæ.

Georgius in Iure Pontificio egregiè exercitatus vir acris ingenij & prudentiæ incomparabilis. Carolus frater natu-maior Campaniæ & Burgundiæ Prorex Ducissam Sabaudam soluit carcere Burgundico, quo fuerat detenta à Duce Burgundorum. Montis-Albani Hierarcha noster Georgius Laudes diuinas, vulgò horas diurnas recitabat cum Carolo VIII. Rege adhuc adolescente; fuerat enim ad Regnum promotus, anno ætatis decimo tertio, sæculi LXXXIV. vt author est Octauianus de sainct Gelais de Lansac Antistes Engolismensis.

De S. Gelaisin Viridario Honoris.

Narbonensis Ecclesiæ cura ipsi committitur & Sacerdotium, defuncto Francisco de Hallé, qui fuerat Patronus Regius in Senatu & Archidiaconus in Ecclesia Parisiensi: afficiebatur strictâ necessitudine erga Ludouicũ Ducem Aurelianensem post aliquot annos Regem; tunc temporis Franciæ clauum regebât in Curiali puppi Petrus Borbonius Comes de Beau-jeu, & Anna eius vxor, Regis soror primogenita, ac Thalassiarcha Grauillæus, cuius rei causâ dolore percitus primus Princeps Regi Carolo rebellis, ad arma confugit: in ergastulum conijcitur Ambosianus, ipse etiam victus prœlio Armorico ad Sanalbinum *du Cormier* Dux Aureliarum à Vicecomite Thoarsij Domino Trimoullizo anno M. CCCC. LXXXVIII. in turrim Bituricensem mittitur custodiendus duos annos, carcerem sanè tutissimum, cùm in eo ferreis clauderetur caueæ septis, quæ adhuc visuntur, pro cuius libertate Ioanna Valesia vxor sanctissima sæpe fratrem Carolum orauit.

Carcer Ludouici Ducis Aurel. in Bituric. turri.

Rothomagensem sacrum lituum sumpsit cedens Narbonensem Petro de

Ladouſe Riuenſi Epiſcopo anno M.CCCC.XCIV. cuius memoriam faciens Genebrardus ait, *vnius Rothomagenſis Eccleſiæ Sacerdotio abſque vllis abbatiis contentum virum antiquâ virtute & fide.* Ciuitatem Rothomagenſem mirum in modum decorauit, tum viuis fontibus affabrefactis, tum eleganti ædificiorum numero ac artificio. Templa ornauit, turrim pulcherrimam Eccleſiæ Metropolitanæ erigi curauit, in quâ admiranda illa mole ſuâ campana cum hac epigraphe. Genebrardus lib. 4. Chronolog.

Ie ſuis George d'Amboiſe,
Qui plus que trente ſix mille poiſe,
Et ſi qui bien me poiſera
Quarante mille y trouuera.

In Italiâ agebat anno M.CCCC.XCV. quando prœlium Fornuacum commiſſum à Carolo VIII. cum Duce Sforſa & Venetis. Lite motâ anno M.CCCC. XCVII. in Rothomagenſi Scacario dignior fuit adiudicatus conſeſſus & Sedes D. Audoëni Cœnobiarchæ contra Fiſcani Abbatem contendenti. Senatum Rothomagi collocari curauit. Aulici diuturni Imperij impatientes & inuidiâ rumpentes conciliarunt inuidiam Georgio ingenij ſagacis & ſapientiæ non vulgaris apud Regem paulò ante ipſius Caroli obitum, qui anno M.D.XCVIII. contigit ipſâ Palmarum Dominicâ cùm tantùm annos viginti ſex natus eſſet moriens apoplexiâ ſuper culcitram ſtramineam in graueolenti ſphæriſterij ſtoâ. Philipp. Comin. in Memorial. Moritur Carolus 8.

Apud Alexandrum VI. procurat matrimonium fieri inter Ludouicum XII. Regem, & Ioannam Reginam Ludouici XI. filiam, ductâ in vxorem Annâ Britannicâ. Purpuratis Patribus adlectus tituli ſancti Sixti, anno M. CCCC. XCVIII. ab eodem Alexandro VI. die Mercurij pridie Idus Septembres in ſeptimâ Cardinalium creatione iſque ſolus Ludouici XII. precibus, Cæſare Borgiâ Alexandri VI. filio notho galerum vnâ cum muneribus deferente, cum ipſe Cæſar ſuam purpuram aſpernatus armorum amore (dulce enim bellum inexpertis) raperetur cum Carlotâ Alebretæ familiæ Regij ſtemmatis virgine matrimonium iniuit Diui Michaëlis factus Eques: pileus ipſi Cardinali impoſitus à Iuliano de Roüere ſancti Petri ad Vincula Cardinale in Franciæ aulâ commorante, poſtea Iulio II. Pontifice, vt ipſi aliquando fuit prænuncius ſanctus Franciſcus à Paula auctor ſacri Ordinis Minimorum re & nomine Gallico *les bons hommes*, hac nomenclaturâ à Ludouico XI. Diuus Franciſcus Paulæ nuncupatus, vt & eius diſcipuli. Anno ſequenti Prouinciam accepit à Pontifice Legationis à latere in tota Gallia pro duodeuiginti menſibus, quod paucis conceditur, & ſolemni ritu Lutetiam ingreditur. Ex Italiâ redux quatuor Mendicantium familias reformauit. Initio Regni Caroli motus ſeditionis vehementes in Academiâ Pariſienſi ortos in Guidonem de Rochefort Nomophylacem priuilegia Academica tollere tentantem compeſcuit, Ioannes de Caue Vniuerſitatis Rector inhibuerat Profeſſoribus lectiones, Medicis ægrorum aditus, verbi diuini præconibus ſermones ad populum: vnde grauiter commotus Rex Ludouicus. Ducatus Mediolanenſis Georgio in Gallias reuerſo deperditur. Vnde PP. Minimi vocati les bonshõmes.

Quando præfuit rebus Gallicis pauca ſubſidia fuêre à Rege Ludouico XII. Patre patriæ & populi impoſita, licet variis bellorum motibus æuo Iulij II. Regnum eſſet intentũ, vt & tempore D. Ludouici: præfuit autem triginta annos Regum fauori & gratiæ innixus, conciliatâ ſibi populorum beneuolentiâ, quibus hoc in ore frequens, *laiſſez faire à George*: rara certe auis in terris. Parum abfuit, quin ad Summum Pontificatum peruenerit, cum eſt electus Franciſcus Picolomini in Pium III. vt ſtatim inferius oſtendemus.

Haquenaum adit, vt conueniat Maximilianum Auguſtum verba facturus de bello Venetis inſerendo, & de congregandâ Synodo. Prorex Ludouici Regis in Mediolanenſem Ducatum mittitur, quem paucis diebus in ſuam redegit poteſtatem, captiuo Nouarræ Ludouico Sforſa Duce. Mediolanenſes, auditâ ſui Ducis aduersâ fortunâ, & in Gallias amandati, fratre eius Aſcanio Sforſa Cardinale deleto à Regiis copiis, miſerunt ad Georgium Proregem tuendæ vrbis Mediolani gratiâ, veniam ab eo ſupplicibus libellis expoſtulantes, quibus voluntatem ſignificauit, ad eos miſſo Michaele Ris Iuris Doctore, & Lutetiæ Senatore, qui populo Mediolanenſi rebelles animos obiecit, & ab eo petiit duo centena millia Ducatorum: dein ingreſſus Georgius decimâ ſeptimâ Aprilis, anno M. D. ipsâ Veneris die ſanctâ Mediolanum comitibus Ioanne Iacobo Triuulcio Franciæ Polemarcho, Petro Epiſcopo Lucionenſi Cancellario Mediolanenſi, aliiſque Principibus viris: tres Ciuitatis Ordines Proregem excepêre populosâ proceſſione binis procedentibus, & pueris inclamantibus *Francia*, *Francia*; *miſericordia*, *miſericordia*: tres noctes integras duxit inſomnes Prorex, ne à militibus Mediolanum dilapidaretur.

Michael Baudier in hiſtor. Cardin. d'Amboiſe.

Cardinalem Aſcanium liberauit ergaſtulo *Pierre-enciſe*, & Romam duxit Pontificem electurus, hic Aſcanius voces datas pro Pontificatu in Georgij gratiam inanes & irritas reddidit.

Elegit Romæ cum aliis Patribus Iulium II. Pontificem, anno M. D. III. & paulò ante Pium III. Pij II. nepotem viginti ſex dierum Pontificem: Pontificatûs Maximi ſpe, Valentino Borgia rem promouente, ducebatur.

Iulio II. (quo imperante deceſſit) Concilij Piſani turbâ furente aculeos ſemper iniecit.

Fœderi Cameracenſi in Venetos concluſo, anno M. D. VIII. adfuit Primarius, præſente Margaretâ Maximiliani filiâ, vidua Ioannis Philiberti Ducis Sabaudi. Veneti à Ludouico Rege victi fuêre prælio Guiradadæ.

Quam optimè Regnum eſt adminiſtratum ipſo Principe Miniſtro à Conſiliis Regi triginta annorum, vti diximus, intercapedine, & quidem ad extremum vſque Georgij ſpiritum. Magnæ fuit caritatis & prudentiæ, quòd adduci non potuerit ab aulico, vt compararet municipium cuiuſdam Nobilis paupertate laborantis vicinum Gallioni domui ſuæ villicæ; ſed viro illi Nobili excepto lauto prandio pecunias erogauit pro dote filiæ in matrimonium locandæ.

Taillepied in antiquitatibus Rothomagen. Bembus.

Lugduni obiit die vigeſima quinta Maij anno M. D. [illegible] emenſis quinquaginta annis, quem morti vicinum Rex ipſe Ludouicus XII. ſuâ cohoneſtauit præſentiâ (hac morte lætus Iulius Pontifex, inquit Bembus) ſed omnes

indoluêre. Cadauer Rothomagum est delatum, iacetque in templo Metropolitano pone aram Principem tumulo magnificentissimo cum hoc epitaphio.


Pastor eram Cleri, populi Pater, aurea sese
Lilia subdebant, quercus & ipsa mihi.
Mortuus en iaceo, morte extinguntur honores,
At virtus mortis nescia morte viget.

Per quercum intelligendus Summus Pontifex Iulius II. è gente Roboreâ, cuius insignia quercus, per lilia Rex Ludouicus. Guichardinus sæpenumero meminit Georgij in historiâ, oraculum & auctoritatem Ludouici vocitans, aliique Itali Historici & omnes Franci, qui de rebus Gallicis illâ tempestate gestis scripsêre.

Viuens vidit, lætus habuit, quod rarum est, duos nepotes Cardinales Franciscum de Castelnau sororis filium, & Ludouicum Amboësianum Episcopum Albiensem, etiam vnum cognatum Renatum de Pria Cardinalē. Symbolum auro & coccino palatum.

Auunculus, duo nepotes, & cognatus Card. simul.

Portoit pallé d'or & de gueules.



AMANEVS CARDINALIS ALBRETIVS
ALEXANDRO VI.

ANNO CHRISTI M. D.

ALANVM Albretium Comitem Drocensem & Franciscam de Brosse à Britannia dictam Dominam de Pontieure progenitores dedit Deus Amaneo, & fratrem natu maiorem Ioannem XXXV. Nauarræorū Regem, qui Catharinam Nauarræam duxerat vxorem. Sancti Ruffi Valentinæ Diœcesis Archimandrita Ordinis Augustiniani, quo in Cœnobio, vt alias notauimus, celebrata Synodus Prouincialis, anno verbi Incarnati M. CCC. XXXVII. prædecessorem habuit Abbatem Iulianum Roboreum, anno M. CCCC. XCV. Papam Iulium huius nominis II.

Apamiarum Antistes & Pampelonæ administrator electus à Capitulo Antonij Cardinalis Episcopi obitu: sese opposuit Iulius Pontifex, deditque hunc Episcopatum Facio Cardinali tituli sanctæ Sabinæ, cui obedire duxit nefas, Capitulum Nauarræum interdicto subiecit Pontifex, quare Canoni-

ci dant manus cedũtque, Facius admittitur in Episcopum; verum breui moritur, succeditque Amaneus Cardinalis Albretius Leone X. conferente, nihilominus Hispaniarum Cardinalis vi Episcopatum & fructus vsurpat, vti vsurpatum Nauarræ Regnum Reginâ Catharinâ Foxiâ spem omnem Regni recuperandi tunc amittente, mortuo Ioanne Rege marito, sed Posteri nimirum Galliæ Reges geniti è sanguine Henrici Magni, cuius mater Ioanna Albretia Regij stemmatis Nauarrici, spem non amiserunt.

Alexander VI. Cardinalem Diaconum sancti Nicolai in carcere Tulliano creauit in noua Patrum promotione, die Lunæ decimo septimo Calendas Apriles, anno M. D.

Interfuit Romæ electioni Pontificis Iulij II. anno post Cardinalatum tertio. Synodi Pisanæ promouendæ Coadiutor si non Auctor, anno M. D. XI. vnde Bzouius in annalibus Ecclesiasticis. Conciliabulum Pisanum Romanorum Galliæque Regum auctoritate Bernardini Caruaiali Episcopi Sabini tituli S. Crucis, Guillelmi Brissoneti Galli Episcopi Prænestini tituli Pastoris, Francisci Borgiæ Hispani Presb. tit. S. Cæciliæ, Renati de Pria Baiocensis Galli Presb. tit. S. Sabinæ Cardinalium temeritate, Friderico etiam Sanseuerinate S. Angeli Diacono palam consentiente indictum fuit & denunciatum, qui Cardinales huius pestis auctores, quò maiorem auctoritatem sibi conciliarent, indictioni, aliorum quoque Cardinalium nomina adiunxerunt inter quos *Amaneus Albretius* Gallus, quamuis inuitus non detrectauit parere sui Regis imperio, ex reliquis vero ab illis nominatis Cardinalis Adrianus Castellensis, & Carolus de Caretto ex Comitibus Finarij Genuensis palam sine suo mandato & consensu factum fuisse affirmarunt: vnde tantum sex fuêre, hactenus Bzouius.

Bzouius an. 1511.

In Oppido Belnoso Vasatensis Diœcesis decedit, quarto Idus Decembres ibique tumulatur, anno M. D. XX. De cuius obitu Cabrera.

Cabrera in fine vitæ Leonis 10.

Scutum Albretiorum superius explicatum.



Anno Christi M. D. III.

FRANCISCVS DE CASTELNAV SACRI COLLEGII DECANVS CARDINALIS DE CLERMONT IVLIO II.

DVÆ sunt familiæ perillustres Claromontanæ vna in Bellouacis, altera Lodeuæ, è qua oriundus Franciscus de Castelnau, qui nonnullis con-

funditur cum altero Francisco Castro-nouo etiam Archipræsule Narbonensi: progenitores fuère Tristandus de Castelnau Dominus de Bretenous, Clarimontis, Lodeuæ, Eques Auratus sancti Michaëlis, magnus Franciæ Dapifer Carolo VIII. anno M. CCCC. LXXXIV. & Catharina Ambosiana soror Georgij Cardinalis Ambosiani. Sammartani FF. in histor. Geneal.

Agathensis Episcopus ab Antonio Deuese anno M. D. XXX. Varios habuit Episcopatos.

Valentinus Antistes post Ioannem à Lotharingia Cardinalem; Francisco successit ex sorore nepos Antonius de Vesco.

Narbonensem rexit Archiepiscopatum post Petrum de Ladouse, antea Riuensem Antistitem, Monachum Benedictinum, Abbatem Gratiæ. Augustæ Ausciorum Archipræsul. Catel in hist. Narbonen.

Presbyter Cardinalis sancti Stephani in Cœlio monte primus Cardinalium creatus à Papa Iulio II. anno M. D. III. in prima Patrum electione die Mercurij tertio Calendas Ianuarias.

Subscripsit diplomati Indictionis Concilij Lateranensis, anno M. D. XI. die decima quinta Calendas Augusti, Pontificatus Iulij II. anno octauo contra Synodum Pisanam. Conciliũ Lateranẽ. vltimum.

Ego Iulius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi, Dominus mihi adiutor non timebo, quid faciat mihi homo. Sanctus Petrus, sanctus Paulus, Iulius Papa secundus.*

Ego Raphael Episcopus Ostiensis, Cardinalis sancti Georgij Camerarius, subscripsi.

Ego Dominicus Episcopus Portuensis, Cardinalis S. Marci, subscripsi.

Ego Iacobus Episcopus Albanensis, Cardinalis Arborensis, subscripsi.

Ego Nicolaus Cardinalis tituli sanctæ Priscæ, subscripsi.

Ego F. Cardinalis de Claromonte manu propriâ. Franciscus de Castelnau.

Ego Marcus tituli S. Mariæ trans-Tyberim Cardinalis Senogalliensis.

Ego Robertus tituli sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis Nannetensis. Robertus Guibé.

Ego Leonardus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, subscripsi.

Ego Christophorus tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis, subscripsi.

Ego Sixtus tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Vicecancellarius, subscripsi.

Ego Christophorus Eboracensis tituli sancti Petri & Marci Presbyter Cardinalis, subscripsi.

Ego Antonius tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis, subscripsi.

Ego Petrus tituli sancti Eusebij Presbyter Cardinalis, subscripsi.

Ego Achilles tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis Bononiensis, subscripsi.

Ego F. tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis, subscripsi.

Ego Ioannes sanctæ Mariæ in Dominica Diaconus Cardinalis de Medicis, manu propriâ subscripsi.

Ego Alexander sancti Eustachij Diaconus Cardinalis de Farnesio, manu propriâ subscripsi.

Ego Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis de Aragoniâ, manu propriâ subscripsi.

Ego Marcus sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Corneliensis, manu propriâ subscripsi.

Ego R. sancti Adriani Diaconus Cardinalis, subscripsi.
Ego Alphonsus S. Theodori Diaconus Cardinalis Petrucius, subscripsi.
Legatus fuit Auenionensis à latere Summi Pontificis Clementis VII. Medicæi Cardinalis de Clermont, anno M. D. XXVII. Pontificatus quarto.

Tusculanus, deinde Portuensis Episcopus, & sacri Collegij Decanus; sua cura, studio & pietate obtinuit, vt Petrus de Luxemburgo & Ludouicus Alemandus Beati declararentur à Clemente VII. anno M. D. XXVII. & in suo diplomate Clemens meminit Francisci de Castelnau his verbis. Nobis propterea venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Tusculani S. R. E. Cardinalis de Claromonte illarum partium nostrarum de latere Legati, qui ad eosdem Petrum & Ludouicum non paruum gerit affectum, & vestro nomine humiliter supplicatum, vt huiusmodi tam piis & honestis desideriis annuere pro nostri Pastoralis officij debito & benignitate Apostolicâ dignaremur. Beati Petri de Luxemburgo Lignæi Diœcesis Tullensis nati sacrum cadauer ab humo & puluere erexit.


Bulla Clem. 7.

Extremum clausit diem Auenione tempore Legationis, anno M. D. XL. illicque terræ mandatus ad Sorgiæ pontem sub finem anni in Ecclesia Cœlestinorum.

Aureum parmæ solum castro coccineo, contraquadripartitum ex argento, Leone nigro, quadrifariàm dispertitum fasciis aureis & muricatis, capite muris pontici quinque notis expresso exaratum.

Escu de Clermót.

Portoit d'or au chastel de gueules, contrescartelé d'argent, au Lyon de sable, escartelé de faces d'or & de gueules, au chef d'hermines moucheté de cinq pieces.



Anno Christi M. D. V.

ROBERTVS GVIBE' CARDINALIS NANNETENSIS
IVLIO II.

Argentr. in histor. Armoric. & August. du Paz.

ARMORICVS Vitræi natus parentes habuit Adenetum Guibé, & Oliuam Landais, nepos maternus Petri Landais loco obscuro editi tamen magni Britanniæ Francisco II. Duce vltimò Thesaurarij, contra ius fasque hostis acerrimi & oppugnatoris Iacobi d'Espinay Episcopi Rhedonensis Episcopatu priuati, de quo in Andreâ Cardinale d'Espinay. Ex inope fortunâ ad magnas opes peruenit ille Landais, & ex humili surrexit in altum; fuit autem Iacobus d'Espinay vir multis virtutum titulis spectatissi-

mus,

mus, & multis in Britannicos Duces obsequiis clarissimus, quem tamen Petrus ille ex sartore Britannici ærarij Præfectus, quibus potuit modis & artibus oppugnauit, Episcopatu detrusit, Iudicibus rogatu Ducis à Summo Pontifice, per quos res Iacobi ageretur plurimis assignatis, Simoniæ, Hæresis & homicidij criminibus impetiuit, in carcerem coniecit, bona proscripsit omnia, asportatis auri argentique duobus supra triginta millibus ad ærarium, quorum pars vna Pontifici cessit, altera Duci ex diplomate Pontificio, Dolensi Episcopo Michaele Guibé in Coadiutorem, vt vocant, assumpto. Ipse vero Iacobus in carcere podagrâ variisque miseriis exagitatus excruciatusque, morti proximus testamento edixit, vt cadauer in vico de Champeaux nuncupato (in quo sacella duo instituit, necnon Bibliothecam concessit) nullis adhibitis pompis, terræ mandaretur. Quamuis autem septem haberet nepotes, ex quibus quinque erant in dignitatibus Ecclesiasticis constituti (ex iis vnus Andreas Archipræsul Burdegalensis inde Lugdunensis & S.R.E. Cardinalis) & summâ ipsius curâ liberalibus instructi disciplinis, adeo præualuit gratiâ & potentiâ suâ ærarij Præfectus, vt Iacobo Patruo nullum ferre potuerint auxilium, vel aliquo modo consolari inuidiæ insultibus deiectum & attritum. Verum aliquando tandem præualuit iustitia eaque diuina, quâ factum est vt prædator ille nobilium Britannorum curâ ac diligentiâ in iudicium vocatus, multorum grauissimorumque criminum reus, morti adiudicaretur, qui dictâ sententiâ reuera Nanneti suspendio postea periit. Testatam porro Iacobi innocentiam, probitatem, integritatem voluit diplomate in sanctiori consilio constituto Franciscus Dux, quo & hæredi Guidoni d'Espinay aureorum nummorum viginti millia ex Baroniæ Fogerensis redditibus desumenda assignauit, vt pluribus patet ex eodem diplomate dato vigesimâ die Decembris, anno M.CCCC.XXV.

Iacobus d'Espinay falsò accusatus

Petrus Landais laqueo suspensus.

Michael Guibé Dolensis Antistes, postea Rhedonensis fuit frater Roberti, & prædecessor in hoc Episcopatu, sepultus in Capellâ Cathedralis Ecclesiæ abs se ædificatâ & dotatâ, quæ Guibæorum nuncupatur; duo alij fratres natu-maiores Iacobus vrbis Rhedonensis Præfectus, Ioannes verò ciuitatis Fogerensis administrationi Præpositus, soror Maria Guibé Ioannis de Partenay vxor.

Abbas S. Melanij Rhedonibus Ordinis Benedictini, quod Cœnobium est à Salomone Britanniæ Rege erectum; antecessor Cœnobiarcha Guillelmus Guenquen anno M.D.VI. defunctus. Imprimis Præsul Trecorensis, & defuncto Michaele fratre Rhedonensis, demum Nannetensis. In hoc Episcopatu successorem habuit nepotem Franciscum Hamon, qui adfuit Concilij Lateranensis sessioni octauæ tempore Leonis hac nomenclaturâ X. Ad Innocentium VIII. Legatus à Britonum Duce vltimo Francisco missus.

Anno ætatis duodeuigesimo creatur S.R.E. Cardinalis Presbyter tituli sanctæ Anastasiæ, secundâ Cardinalium lectione anno M.D.V. mense Februario à Iulio II. Reginâ Annâ Armoricorum Ducissâ postulante, postea Regi Ludouico XII. iunctâ connubio. Cum Cardinale Francisco de Castelnau subscripsit Indictioni Concilij Oecumenici Lateranensis vltimi contra Synodum Pisanam anno M.D.XI.

Orator Regis Ludouici ad Iulium II. ipsi Regi postea suspectus, quòd Pontificis partibus magis quàm Gallorum causæ faueret, dum Iulius II. recuperandæ Bononiæ gratiâ perrexit, omnibus, quos in Galliâ habebat, Ecclesiasticis redditibus priuatus, summâ rerum inopiâ (si veterem respicias opulentiam) laborauit, quam Senatus Cardinalium ære collato, & duplici portionis parte, vt vocant, decreuit subleuandam.


Mortem oppetiit Romæ nono die Nouembris, anno supradicti sæculi XIII. tempore Concilij Lateranensis, & in æde sacrâ D. Iuoni sepultus, dicebaturque Cardinalis Nannetensis ex Diariis, & additione Andreæ Victorelli.

Andr Victorel in Ciacon.

Scripsit orationem ad Innocentium VIII. habitam cum Francisci vltimi Ducis Britanniæ nomine eidem Pontifici Summo obedientiæ munus exhiberet. Roberti meminit Guichardinus in historiâ expeditionis Neapolitanæ Caroli VIII.

Guich. l. 9 histor.

Argenteum scutum tribus cæruleis fasciis, I. tribus, II. duabus, III. vnâ rosis aureis consignatis expressum. *D'argent à trois faces d'azur chargées de six roses d'or : la 1. de trois, la 2. de deux, la 3. d'vne rose.*



Anno Christi M D. VI.

IOANNES DE LA TRIMOVILLE CARDINALIS AVXITANVS IVLIO II.

LVDOVICVS I. Trimollius Vicecomes de Thoüars copiarum Regiarum Ductor egregius in Italiâ (qui Ludouicum Sforsam Mediolanensem Ducem intercepit, misitque in Gallias anno M. CCCC. XCIX.) & Margareta Ambosiana Ioannem hunc nostrum procrearunt, quem nuncupat Franciscum Ciaconius, & Archipræsulem Narbonensem facit Onuphrius: maternus fuit nepos Georgij Cardinalis de Ambosia. Fratrem habuit Ludouicum natu-maiorem bonorum paternorum hæredem, Principem de Talmond nuncupatũ *le Cheualier sans reproche*, Aquitaniæ Thalassiarcham, qui in obsidione Ticinensi egregiè dimicans fuit interfectus Rege capto. Eiusdem Gentis Antistes Tornaci Neruiorum Ludouicus de la Trimoüille Philippo cognomento Audaci à consiliis, apud Dominicanos Parisienses anno M. CCCC. X. tumulatus.

Abbas extitit Ioannes Granatariæ Diœcesis Lucionensis, Ordinis Benedictini post Iacobum de Caulay Episcopum Nemausensem, qui è viuis ex-

cessit anno M. CCCC. XCVI. Pictauorum Præsul, deinde Ausciorum Archiepiscopus post Franciscum à Sabaudiâ. In hanc Ecclesiam Auxitanam cor Româ delatum Ludouici Estensis Cardinalis, Archipræsulis Auxitani, qui obiit Romæ die tertiâ Calendas Ianuarij, anno M. D. LXXXVI. matrem habuerat Renatam Ducissam Carnotensem Ludouici XII. & Annæ Britannicæ Reginæ secundo-genitâ filiam: idem habuerat sororem natu-maiorem Annam primis nuptiis datam Francisco à Lotharingiâ Duci à Guisia Principi Ioinuillæo, Marchioni de Mayenne, secundis nuptiis Iacobo Sabaudo Duci Nemourij & Gebennensium. Viscera Ludouici Romæ apud S. Ludouicum (Ecclesia est Francorum) corpus in ciuitate Tiburtinâ conditum est. De Cardinale Estensi Archiepisc. Auxitano.

Cur voluit Roma Princeps sua viscera condi?
An quia visceribus condita Roma suis?
Cur voluit magnum Gallis cor vt esset in oris?
An quoniam cordi Gallia magna fuit?
Cur voluit pulchro sepeliri Tibure corpus?
Anne in delicijs quòd sibi Tibur erat?
Fallor! habet magnum cor Gallia magna, quòd excors,
Audito Patris funere, facta fuit.
Viscera Roma tenet; tam sacro Principe rapto,
Quòd sua visa sibi viscera Roma rapi.
Tibur habet corpus, quòd propria corpora sensit
In partes sese dissociare suas.
Gallus, Romanus, Tibur, cor, viscera, corpus
Sensêre auferri, restituique sibi.

Epigramma artificio plenû.

Trimoüillæum Cardinalem Presbyterum effecit Iulius II. vnà cum Renato de Pria & Ludouico de Ambosia (de quibus statim verba faciemus) anno M. D. VI. die Lunæ quarto Ianuarij cum Bononiæ diuersaretur Pontifex in secreto Consistorio hos tres solos Francos Senatûs Purpurei Patres creauit consanguineos Georgij Cardinalis de Ambosia.

Romæ agentem paulò ante decessum Auunculi Georgij reuocari curauit Ludouicus Rex vtpote Iulio Pontifici non gratum, vt nec fuerat illâ tempestate Georgius, tamen non potuit Rex ea occasione nec alia sibi amicitiam Iulij conciliare.

Mediolani carnis sarcinam deposuit, anno M. D. VII. postea in Ecclesia Deiparæ Castri Thuartij sepultus, Maiorum suorum sepulchro; cor verò in ædibus sacris Fratrum Minorum ciuitatis Mediolanensis.

EPITAPHIVM.

Ausciorum Præsul, sacro qui cardine fulget,
Pictauûm Antistes hac requiescit humo.
Ipse pedo dignus, quo nusquam sanctior alter,
Nec fuit ille tamen nobilitate minor.

Mendicos aluit diues, castusque Sacerdos,
Iustitiæ cultor, conscia culpa procul,
Italiam fato quærens, Sanctumque Parentem,
Ætatis florem mors inopina rapit.
Ioannes Trimolius superas concessit ad auras,
Illic quò nomen lana dedit media.
Quingentos septem sol tunc compleuerat annos
Milleque, quo Christus natus in Orbe fuit.

Solum aureum, cantherio coccineo exaratum, cum tribus aquilis cæruleis, rostro & cruribus miniatis, duabus in summo, tertiâ in imo.

Escu de la trimoüille. *Portoit d'or au cheuron de gueules, accompagné de trois aigles d'azur, becquez & membrez de gueules, deux en chef, & vn en pointe.*



Anno Christi M. D. VI.

RENATVS DE PRIE CARDINALIS BAIOCENSIS IVLIO II.

ANTONII à Pria Baronis de Busansois & Montpompon Franciæ Archimagiri (antiquo verbo Gallico *grand Queux*) necnon Magdalenæ Ambosianæ filiæ Hugonis d'Amboise VIII. Domini de Chaumont, & Ioannæ Guenand filius secundo-genitus, Bituricensis Maior Archidiaconus cognatus Georgij Cardinalis de Ambosia.

Archimandrita Commendatarius anno M. D. VI. Dolensis vulgo *Bourgdieux* Ordinis Benedictini, Diœcesis Bituricæ; hocce monasterium Ebbo Toparcha condidit Rege Carolo Simplice in Deiparæ honorem, cuius sacræ ædes instauratæ, fuerunt dedicatæ à Pontifice Vrbano II. anno M. XCV. ante paucos annos à Gregorio XV. sæcularis effecta est Ecclesia cum vicina putà sancti Gildasij & ex vtraque instituti Canonici apud Castrum Rodulphi, anno M. DC. XXIII. procurante Henrico Borbonio Principe Condæo Castri Rodulphi Duce.

Dolense Monasterium fit Ecclesia sæcularis.

Lemouicensium Antistes anno M. D. X. antea Baiocarum Episcopus anno eiusdem sæculi quinto. Abbas etiam sanctæ Mariæ de Pratea Cistercienfis

Ordinis, cuius Cœnobij meminit Pontifex capite septimo cum Apostolica, de his quæ fiunt à Prælatis, & Adrianus IV. rescripto, anno salutis reparatæ M. C. LVIII. Andrea de Caluiniaco dotatore.

Sanctæ Luciæ in septisolio postea sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis à Iulio II. creatus Bononiæ, anno M. D. VI. mense Ianuario in tertia promotione. Antonius de Furno Massiliensis Antistes missæ solemnia celebrauit, & concionem habuit Lugduni Rege Ludouico XII. præsente, cui erat à Confessionibus, cum Georgius Ambosianus Apostolicæ Sedis Legatus Renato de Prie Episcopo Baiocensi decimo quinto Augusti, anno supradicto Cardinalitium imponeret pileum. Iulius Cardinalatu priuatum declarauit Renatum ob Pisis congregatum Concilium, aliosque Cardinales eadem pœnâ affecit, anno M. D. XI. die nono Calendas Nouembres, & anno sequenti Idibus Augusti Franciæ Regnum, Lugdunum præcipuè (Britanniæ Ducatu excepto) Ecclesiastico interdicto subiecit, nundinasque Lugduni solitas haberi in Gebennensem ciuitatem transtulit, vt refert Pontificium diploma in tertia sessione Synodi Lateranensis, in qua etiam hæc leguntur: Damnationis alumnos Bernardinum Caruaial, Guillelmum Brissonet, Renatum de Pria, & Fridericum de sancto Seuerino olim Cardinales, eorumque fautores sacro Concilio approbante damnamus, reprobamus & detestamur. Porro Iulius Papa, qui antea Iulianus in hæc verba prorupit moriens, *vt Iulius Cardinalibus indulgeo Schismaticis, vt Iulianus iustitiæ rationem habendam iudico*: id notatum est à Parisio Crass. cæremoniarum sacelli Pontificij Magistro.

Cardinalis imponit pileũ rubrum alteri Card.

Interdicitur Regnum à Iulio 2.

Concil. Lateran. sess. 3.

Crassus in Diariis Pontif.

Ludouicus Rex teste Paulo Iouio, vt Religioni Pontificiæque Maiestati satisfaceret, Concilium Pisanum abrogauit, iussitque Legatos suos Lateranensi adhærere; idem fecêre Guillelmus Maclouiensis, & Renatus Baiocensis Cardinales, qui à Iulio purpurâ exuti ad pristinos honores redierunt.

Rex deserit Pisanos patres

Morte sublatus anno M. D. XVI. & in andrio Prateæ Diœcesis Bituricarum, quinto Idûs Septembris sepultus cum hoc epitaphio.

Heu mortales, Reuerendissimus D. de Prie Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ Episcopus Baiocensis ac Lemouicensis, Abbas sanctæ Mariæ de Pratea ab humanis discedens animam Deo Optimo Maximo tradidit, eiusque cadauer iussit humillimè iuxta Diuam Faustam recondi. Obijt v. Idus Septembres anno Domini M.D.XVI.

Guichardinus meminit Renati Cardinalis libro historiæ decimo.

Scutum bipartitum visitur in andrio Prateæ, in priori parte miniatâ tria trifolia aurea, in posteriore palatâ auro & minio exaratum.

Escu de gueules à trois trefes d'or, party palé d'or & de gueules.



ANNO CHRISTI M.D.VI.

LVDOVICVS CARDINALIS D'AMBOISE
IVLIO II.

AMBOSIA Ciuitas est Diœcesis Turonensis ad Ligerim, cuius Castrum in editissimo colle situm prospectu gratissimũ: hinc accepêre nomen Ambosiani, à quibus Ludouicus, quem non apposité Franciscum nuncupat Onuphrius.

Gens Ambosiana illustrissima.

Patre Carolo huius nominis primo Insulæ Franciæ Prorege, deinde Campaniæ, demum Burgundiæ, & matre Catharinâ de Chauuigny. Non est facile inuenire Gentem, quæ cum Ambosianâ queat de nobilitate contendere, ex quâ multi prodiêre Cardinales, Archiepiscopi plures, quam plurimi Episcopi. Ludouici fuit Patruus Ludouicus cognomento *Bonus* triginta annos Albiensis *Antistes* tumulatus in Basilica sanctæ Cæciliæ, quam restaurauit suis impensis, cui postea successit anno M.D.III. in Præsulatûs dignitate: ille ipse Patruus auctoritate Summi Pontificis Alexandri VI. dissoluerat matrimonij nexum inter Regem Ludouicum huius nominis XII. & Ioannam Valesiam Ludouici XI. filiam (quæ Biturigibus instituit anno M.CCCC.XCVIII. sacras Virgines Annunciatæ Virginis nomen ferentes nec sine sanctitatis notâ feliciter obiit) alium etiam habuit Patruum Georgium illum in Neustriâ notissimum Archipræsulem Rothomagensem. Duo illi fuêre germani fratres Carolus Franciæ Thalassiarcha, & Polemarchus, Mediolani Prorex, & Regis vices-gerens in Italia alter Guido Dynasta de Rauel. In Gynæceo immaculatæ Conceptionis statuit Moniales Annunciatas Albiæ, vt & Patruus ibidem erexerat Diuæ Claræ Cœnobium.

P. de Coste 1610. Robert. 1612. aiunt defunctum.

A Iulio II. confertur Cardinalatus Ludouico Presbytero anno M.D.VI. mense Ianuario Bononiæ tituli sanctorum Marcelli & Petri.

Anconæ in Marchâ Italiæ extremum diem obiit anno M.D.XVII. Catel in Episcopis Albiensibus notat mortuum M.D.XI. sepultumque Laureti cadauer in æde Beatæ Virginis, vbi hoc epitaphium legere est; positum à Georgio Cardinale d'Armagnac.

Ludouico Cardinali Ambosiano Gallo, Albiensi Episcopo præter generis nobilitatem singularis pietatis viro, ac omnes omnium

virtutes complexo, Georgius Cardinalis Armeniacus affini & primæ ætatis alumno neglecto, & collabente in tumulo iacenti voti reus huc post sextum & trigesimum ab eius obitu annum cum venisset pro tempore posuit anno M.D.LIII. *Calendis Octobris.*

Cor in Gallias delatum, conditumque Albiæ in Ecclesia Cathedrali iuxta Patruum Ludouicum Præsulem Albiensem.

Ambosiana parma superius explicata.



ADRIANVS GOVFFIER CARDINALIS DE BOISY LEONE X.

Anno Christi M.D.XV.

PRIMIS nuptiis coniunctus cum Lodoicâ Ambosianâ Guillelmus Gouffier Eques Auratus D. Michaelis, Dominus de Bonniuet, Boisy & d'Oiron, Cubiculariorum Regiorum Princeps, & Sanctonensis Seneschallus; sed noster Cardinalis non fuit procreatus illo connubio, sed secundo cum Philippâ Montmoranciâ viduâ Caroli Melodunensis, Baronis de Landes, Dynastæ de Normanuille. Tres Adriani fuêre fratres Abbates, Ademarus Cluniacensis, & Episcopus Albiensis, Ludouicus sancti Maxentij in Pictonibus (fratris germani sancti Iouini, cui etiam in Diœcesi Pictauiensi dicata est Abbatia) & Petrus Sandionysianus in Franciâ Archimandrita, qui iacet Sandionysij cum hoc epitaphio in Ecclesiæ choro, nigro cœnotaphio.

Sammarthan. FF. in histor. Geneal. Franc. lib. 29. cap. 2.

Cy gist tres-noble & tres-illustre personne Monsieur Pierre de Gouffier dict de Boisy, en son viuant Abbé de ce Monastere, & frere de tres-nobles & tres-illustres personnes Mess. Artus Sieur de Boisy & grand Maistre de France, Adrian Cardinal & Legat en France, Guillaume Admiral de France, Emeric Euesque d'Alby & Maistre des Monasteres de ceans, de Cluny & sainct Iouyn, qui deceda le VIII. *iour de Ianuier, l'année* M.D.XVI. *Priez Dieu pour luy.*

Arturus magnus Franciæ Magifter eorundem frater, qui Francifco I. dum in pueritiâ ageret datus Gubernator; alter etiam frater Guillelmus Gouffier Dominus de Bonniuet in Pictauis, Franciæ Thalaffiarcha, Prorex Delphinatûs, qui occubuit fortiter dimicans in prælio Ticinenfi: auctor fuerat illius prælij Guillelmus contra fenfum Ludouici de la Trimouïlle ibidem occifi, Rege Francifco I. ab hofte capto, XXIV. Febr. anno M. D. XXV. & in Hifpaniam ducto. E duabus fororibus Carola Domina de Briffac, mater Comitum & Ducum à Briffaco. Ex eâ Gente Ludouicus de Gouffier Dux de Roüanois, & Henricus Marchio de Boify prodière.

Chenu in catalog. Epifc. Conft. Epifcopus Conftantienfis in Neuftriâ omiffus à Claudio Roberto in Galliâ Chriftianâ, & Albienfis Præful fucceffit Ioanni Robertet defuncto, anno M. D. XIX. fucceflorem habuit Ademarum fratrem, de quo antea: fuerat etiam Adrianus fancti Nicolai Andegauenfis Archimandrita.

Ad Cardinalatum promotus fuit à Leone X. Pontifice anno M. D. XV. die Veneris decimo nono Calendas Ianuarias, ifque folus Presbyter Cardinalis tituli fanctorum Martyrum Petri & Marcellini, Ludouici XII. qui paulò poft occubuit, precibus.

In Franciâ Legati à latere partes fuftinuit anno M. D. XIX. & die quintâ Septembris diploma legationis fuiffe in monimentis Senatûs Confiftoriani defcriptum volunt, vt fuerat aliud Georgij de Ambofia in eifdem repofitum anno M. D. I.

B. Ifabella S. Ludouici foror. Ifabellam Sancti Ludouici Regis fororem Beatam declarauit Leonis X. mandato, & diplomate die tertiâ Ianuarij dato, anno M. D. XXI. Hæc Virgo erexit Bafilicam Monafterij Monialium *Humilitatis Deiparæ*, Ordinis Francifcani ad Sequanam vulgò *Long-champ*, Diœcefis Parifienfis fratre Ludouico dotatore. Refpuit matrimonium auidè optatum à Conrado filio Cæfaris Friderici, & ab aliis Principibus; in virginitate enim permanere innupta prælegit, inquit Thomas Cantipratanus, quam fatetur fuiffe fibi notam. Vota Religionis non emifit, neque habitum induit, fed domicilium perpetuum, quod adhuc vifitur, apud fuas Moniales extra Cœnobij fepta fibi delegit, nec audiendus Guillelmus Nangiacus contrarium afferens. Clara miraculis deceffit anno fuæ ætatis LV. die XXIII. Ianuarij, anno Orbis redempti M. CC. LXIX.

Cantipratan. lib. 2. cap. 9.

Nang. an. 1259.

Obiit Adrianus menfe Nouembri anno M. D. XXIII.

Scutum de Gouffier aureum ternis biiugibus pullis inftitis exaratum, quadripartitum Mommorancij, nimirum cruce coccineâ, fexdecim Aquilulis mutilis expunctum.

Efcu de Gouffier. *Portoit d'or à trois iumelles de fable, efcartelé de Montmorancy, qui eft d'or à la croix de gueules, accompagnée de feize alerions d'azur.*



ANTONIVS CARDINALIS BOHIER
LEONE X.

Anno Christi M.D.XVII.

DOMNVS Antonius Bohierius Aruernus à puero Monachus Ordinis sancti Benedicti in Cœnobio Fiscanensi sanctissimæ Triuitatis, filius Austremonij Baronis *de saint Cierque*, & Beraldæ du Prat Antonij primo-Præsidis Parisiensis, postea Cardinalis à Prato amitæ filius, qui quidem Bohierius perperàm ab Onuphrio & Ciaconio vocatur Antonius à Prato: eiusdem fuit familiæ Ægidius Bohier, anno M.D.XLVII. Antistes Agathensis. Præfuit Abbatiæ Fiscani Antonius à Richardo Duce dotatæ: Neustriæ Cancellarius extitit, matri Francisci Gallorum Regis, & ipsi Francisco carissimus, confunditurque à Cabrerâ etiam cum Antonio à Prato Cardinale Clementis VII. Archiepiscopus Bituricensis, defuncto Andreâ Fromen Scoto, sex millia librarum Turonensium Ecclesiæ sancti Stephani dono dedit, in cuius doni memoriam quotidiè celebratur sacrum Missæ sacrificium, quod vulgò dicitur *la Cardinale*: quibus pecuniis comparatum est ab Ecclesia dominium sanctæ Radegundis. Eidem prætcrea Ecclesiæ donauit aulæa, in quibus repetitum sæpius legitur symbolum, *Virtuti omnia parent.*

Antonij duo confunduntur.

Creatus Cardinalis sanctæ Anastasiæ à Leone X. anno M.D.XVII. Calendis Aprilibus, quartâ Cardinalium creatione, Reginâ matre Francisci I. intercedente: hæc quarta creatio fuit duorum duntaxat Cardinalium, nempe Guillelmi Croij Cardinalis Cameracensis, Archiepiscopi Toletani, & Antonij Bohierij. Hoc ipso Cardinalatûs anno primo Rothomagum se contulit, & die decimâ sextâ Augusti interfuit collocationi corporis Diui Audoëni Rothomagensis factæ à Georgio Cardinale Ambosiano, cuius Abbatiæ erat Archimandrita Bohierius, in quâ duæ vxores Bertrudis & Gertrudis Clotarij Regis iacent ab eo Rege fundatâ.

S. Audoënus Rothomag.

Hunc Cardinalem accusat auaritiæ vsque ad extremum spiritum Garimbertus, & mortuum dicit absque exhomologesi & sacro viatico; sed non nouum maledicendi genus in Hieronymo Garimberto Episcopo Galeciæ, qui & Summos Pontifices & Cardinales pro more maledictis onerat.

Obiit Blesis anno M. D. XIX. die vigesimâ septimâ Nouembris sepultus in naui Basilicę Metropolitanæ Bituricensis iuxta diuini verbi Præconis suggestum; in laminâ æneâ hoc legitur epitaphium.

Antonius iacet hic Bohierus, origine quondam
Aruerna, eloquio vir meritisque grauis.
A puero Monachus, claustris compluribus Abbas
Dignus, & hac celebri Præsul in vrbe fuit.
Tempore non multo plures sortitus honores,
Cardineo tandem schemate clarus obit.

Cy gist feu de bonne memoire Monsieur Antoine Bohier Cardinal du sainct Siege, Archeuesque de Bourges, & Abbé de Fescamp, qui trespassa le 27. Nouembre, l'annee M. D. XIX.

Cabrera emendatur. Illic spectantur insignia nimirum Leo cæruleus in scuto aureo: emendandus itaque Cabrera, qui huic tria folia cum nigrâ fasciâ in campo argenteo tribuit, quæ insignia sunt Cardinalis à Prato.

Scutum aureum Leone cæruleo, apice miniato impressum.

Portoit d'or, au Lyon d'azur, au chef de gueules.



Anno Christi M D. XVII.

LVDOVICVS CARDINALIS DE BOVRBON

LEONE X.

Origo Borboniorum. A Roberto sancti Ludouici Francorum Regis filio natu-quinto Comite Claromontano in Bellouacis, atque Beatrice Burgundicâ Dominâ de Bourbon & de Charrolois filiâ & vnicâ hærede Ioannis Burgundi matrimonio coniunctis, anno M. CC. LXX. prima repetenda est origo Regia Borboniorum. Cinis Roberti in Diui Thomæ Aquinatis sacello apud Dominicanos Parisienses cum eiusdem icone iacet. Regiam Galliæ dignitatem in familiam suam, Borboniamve gentem primus intulit Henricus IV. Rex longâ serie Maiorum ducens originem ab illo Roberto ex Beatricis hæreditate & latifundiis liberi posterique, vt ab agnatis distinguerentur, quos plurimos ad hoc tempus habuêre, cognomen Borbonium semel amplexi adhuc retinent; Claromontani enim prius

dicebantur à Claromonte Bellouacorum, quo in oppido Carolus Pulcher Ludouici abnepos natus erat, quæ occasio fuit ratione permutationis faciendæ Borboniis sanè vtilis futuræ, nisi eam Philippus Valesius irritam postea esse iussisset, quam-primùm Regnum iniit, reddito Borboniis Claromonte.. Porrò Ludouicus Borbonius Francisci Vindocinensis vltimi Comitis (qui comitatus est Carolum VIII. in expeditione Neapolitanâ, & decessit Vercellis post prœlium *de Fornoüe*) & Mariæ Luxemburgicæ sancti Pauli Comitissæ (quæ dicta est mater pauperum & Religiosorum, necnon vidua per annos vnum & quinquaginta permansit) tertius filius natus die secundâ Ianuarij, anno M. CCCC. XCIII. in vrbe Hamo Picardiæ, frater Caroli Borbonij I. Ducis Vindocinensis, & Francisci Borbonij Comitis à sancto Paulo. Claromontani vocati Borbonij.

Clericali donatus est tonsurâ à Georgio de Ambosia Cardinale in oppido de Faro. Vt excessit è pueris quasi alter Alcibiades, quod nihil antiquius haberet, quàm vt vir bonus euaderet, Doctoribus in Regiâ Nauarrâ traditus & ita institutus, vt famam expectatio, expectationem admiratio, admirationem exitus superarit.

Primò Antistes Laudunensis Ecclesiæ, anno M. D. X. multorum aliorum Episcopatuum fuit administrator, vt Trecorensis, Lucionensis & Cenomanensis, vitâ functo Cardinale Luxemburgo: multorum etiam Cœnobiorum Archimandrita, nimirum sancti Cornelij Compendiensis, Diuæ Mariæ à Columbis Diœcesis Carnotensis, & Diui Dionysij Commendatarius succedens Gouffierio de Boisy. Inauguratus fuit Episcopus Laudunensis in Ecclesiâ Vallis-Scholarium Prioratûs, Ordinis Augustiniani, Lutetiæ Parisiorum à consobrino Philippo de Luxemburgo Cardinale, die tertiâ Maij, anno M. D. XVII. assistentibus Stephano Parisiensi, Ioanne Lexouiensi Episcopis, Castrensi & Lodeuensi pro Diaconis, Abrincensi & Megarensi pro Subdiaconis, viginti circiter Antistitibus & Cardinale de Boisy. Duos post menses nimirum Calendis Iunij in societatem Cardinalium est vocatus quintâ ordinatione triginta & vnius Patrum Purpuratorum. Triginta & vnus Cardd. creantur.

Anno M. D. XXVIII. conuentus Principum & Magistratuum Galliæ celebratur Lutetiæ à Francisco I. in Carolum V. Imperatorem: noster Ludouicus Borbonius primum obtinuit locum post Apostolicæ Sedis Legatum. Præfuit electioni Pauli III. in Summum Pontificem assumpti die secundâ Augusti, anno M. D. XXXIV.

Datur in Commendam & Oeconomatum à Francisco Rege Abbatia D. Dionysij Parisiensis Ludouico Cardinali, cuius possessionem sumpsit in peruigilio festi Corporis Christi Domini, anno M. D. XXIX. vltimus Cœnobiarcha Religiosus fuit Emardus Gouffier de Boisy. Olim alteri Ludouico consanguineo fuerat in Commendam data à Carolo Caluo. D. Ludouici capsam argenteam & auratam fabricari curauit, pretiosisque lapillis exornari maximè sapphyris, & apponi Franciæ Pares.

Parisiis iuxta Luparæ Palatium ædes extruxit magnificentissimas nuncupatas vulgo Borbonias Regibus excipiendis opportunas. Tandem mortuo Antonio Cardinale à Prato Archipræsule Senonensi ad eandem

Sedem admittitur die tertiâ Calendas Ianuarij, anno M. D. XXXVI. factusque Galliarum & Germaniæ Primas Palatium Senonense amplificauit.

Prouisor Sorbonicus.

At verò suis dignitatibus nusquam colophonem addi posse, nusquam suis votis satisfactum iri putauit, nisi vt Octauius per Sorbonicos Doctores, tanquam per Valerium Messalam Sorbonicæ Domûs Prouisor, vt ille Patriæ parens consalutaretur. Quod cum suum diem obijsset Archidiaconus Parisiensis Bellaius, Prouisor declaratus non minus prudenter, quàm sanctè respondit. Compos factus sum votorum meorum, viri Theologi: quid habeo aliud Deum immortalem precari, quàm vt hunc consensum vestrum ad vltimum vsque vitæ diem mihi perferre liceat.

Petr. Gemell. orat. funeb. Ludouic. Borb.

Magdalenam Valesiam Francisco Primo genitam pridie Calendas Ianuarias, ipse Cardinalis coniunxit matrimonio cum Iacobo V. Scotiæ Monarchâ, celebrato in Pontificalibus Missæ sacrificio in D. Mariæ Parisiensis templo. A quâ sacri Baptismatis Franciscum tinxit Henrici II. primogenitum, postea Regem huius nominis II. Fontaneblæi anno M. D. XLVI.

Exequias Francisci magni in Sandionysianâ Basilicâ celebrauit anno M. D. XLVII. quibus interfuêre nouem Cardinales. Coronauit Catharinam Medicæam Franciæ Reginam die decimâ Iunij, anno M. D. XLIX. apud sanctum Dionysium, ipse sancti Dionysij Abbas, etiam sancti Leonardi de Ferrariis, sancti Faronis Meldensis, sancti Amandi, sanctorum Sergij & Bacchi.

Catharina Medicæa coronatur.

Ad titulum sanctæ Sabinæ translatus à Clemente VII. & S.R.E. fuit Archipresbyter, tandemque Episcopus Cardinalis Prænestinus.

Exercitui Regio præficitur ab Henrico II. anno M. D. LIII. decimâ tertiâ die Decembris; sponsorem agit nomine Henrici II. in Baptismate Henrici Nauarræi, tunc Ducis Belli-môtis, postea Franciæ Regis huius nominis IV.

Ipso Sandionysiano Archimandritâ Commendatario præsente, anno M. D. LVI. bello contra Hispanos tempore Henrici II. recrudescente è proprio extracta loco sanctorum Dionysij & sociorum corpora & sacræ Reliquiæ super maius altare frequenti populo exponuntur ad Diuini Numinis opem implorandam meritis horumce Sanctorum. Occasione belli fuerant induciæ quinquennales mense Februarij factæ inter Gallos, & Hispanos: eodem anno sunt dissolutæ propter Pontificem Paulum IV. Petrum Carafam Neapolitanum insectantem certis de causis Columnenses Romanos Proceres, Rex Hispanus Philippus II. eos Duce Albano Prorege Neapolitano tuetur: Rex vero Henricus Franciscum Guisium cum multis copiis misit in Italiam.

Ante obitum Religiosam sui corporis sepulturam Carolo de Roussy, & Antonio des Fossez, quos semper habuerat charissimos, commendauit.

Lutetiæ die Veneris vndecimâ Martij, anno M. D. LVI. in ædibus Borboniis diem clausit extremum Ludouicus natus annos sexaginta tres, triginta octo annos purpuratus, corpusque delatum in Ecclesiæ Laudunensis chorum ante Reliquias sanctorum sine epitaphio; cor verò in templum Sandionysianum, vbi effigies Cardinalis genibus flexis super epistilium nigri marmoris, columnæ Porphireticæ, cuius basi est insculptum cor cum insignibus. Petrus Gemellus Latinè edidit orationem funebrem.

Alij sed non verè Lauduni defunctum aiunt decimâ tertiâ Maij, anno M. D.

LVII. vt Requellus in symbolis Regiis Franciæ. Ludouicum Nestori comparat Ianus Vitalis, sicque canit.

Nestor consiliis, armis pugnabat Achilles:
Consiliis Nestor plus metuendus erat.
Sic Romanus habet meritò Lodoïce Senatus
Nestora, res magnas te suadente, suum.

Borboniæ gentis cæruleum scuti solum liliis tribus aureis, miniatâ perpetui ductus clabulâ exaratum. Scutum Borboniū

D'azur à trois fleurs de lys d'or, à vn baston de gueules pery en bande.



IOANNES CARDINALIS LOTHARENVS LEONE X.

Anno Christi M.D.XVIII

RENATI Regis Hierusalem & Siciliæ Ducis Lotharingiæ & Calabriæ, necnon Philippæ Gueldriæ, quæ professa est Ordinem sanctæ Claræ Mussiponti anno M. D. XX. tertius filius Ioannes Lotharingus, natusque die nonâ Aprilis, anno M. CCCC. XCVIII. Barri. Fratrem habuit Claudium primum Guisiæ Ducem, & Ludouicum Metensem Episcopum & Virdunensem. Quadrimus (ô rem in Ecclesia nouam!) fit Coadiutor Episcopatûs Metensis anno M. D. I. Videamus conditiones insertas bullis Alexandri VI. Ioanni adhuc infantulo concessas. Primus Dux Guisiæ.

Sanctissimus Dominus noster animo reuoluens Reuerendum Patrem Henricum à Lotharingia, non tam præfuisse ipsi Ecclesiæ quàm profuisse, ne rerum defectus & carentia statum suum imposterum obnubilet, sed habeat vnde statum suum iuxta Episcopalis dignitatis culmen decenter tenere, ac grandia sibi incumbentia onera perferre valeat, eisdem motu, scientiâ, & pietate decreuit & declarauit, præmissis non obstantibus, titulum Episcopalis dignitatis dictæ Ecclesiæ, siue Sedis Metensis, ac plenariam illius in eisdem spiritualibus & temporalibus administrationem, vitâ sibi comite, etiam si ante illum præfatum Ioannem infantem de mundo transire, aut aliàs eum statum mutare, seu regimen & administrationem huiusmodi aliter cessare contingeret; semper & indubitanter apud ipsum Dominum Episcopum remanere, & remanere debere: quamque idem Reuerendus Infans quatuor annorum Episcop. Meten.

Pater in pristinum, & eum statum, modumque & formam, in quibus ante ipsam cessionem, necnon illius admissionem ac deputationem & præfectionem huiusmodi ac alia præmissa, quomodolibet erat, tam quoad ipsum titulum, quoties opus existet, quam in spiritualibus & temporalibus regimen & administrationem huiusmodi, sine cuiusuis nouæ electionis, postulationis, nominationis seu alterius dispositionis adminiculo, per venerabiles viros Dominos Capitulum & Canonicos dictæ Ecclesiæ faciendæ, eo ipso sit per viam regressus, aut alias, restitutus, repositus, reductus, & redintegratus ex nunc, prout ex tunc, & è conuerso censeatur, ac in omnibus & per omnia ac si præfatus Reuerendus Pater regimini & administrationi huiusmodi nullatenus cessisset, siue renuntiasset, ac illa per eundem Sanctissimum Dominum nostrum admissa non fuisset, ac constitutio & deputatio prædictæ minimè factæ extitissent. Nos igitur si forsan cötingeret præfatum Henticum Episcopum, antequam dictus Ioannes ad dictum vicesimum annum peruenerit, cedere vel decedere, seu regimen & administrationem huiusmodi aliàs quomodolibet dimittere, ne interim dicta Ecclesia in eisdem spiritualibus & temporalibus detrimenta sustineat, prouidere cupientes, post deliberationem quam super his cum fratribus nostris habuimus diligentem, vos in euentum præmissum, Administratores dictę Ecclesiæ in eisdem spiritualibus, donec dictus Ioannes dictum vicesimum annum attigerit duntaxat, de simili consilio dictâ auctoritate Apostolicâ facimus, constituimus, & deputamus, curam & administrationem dictæ Ecclesiæ vobis in eisdem spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, firmâ spe fiduciáque conceptis, quod dirigente Domino actus vestros, Ecclesia ipsa per vestræ circumspectionis industriam & studium fructuosum, regetur vtiliter, & prosperè dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem & dictâ auctoritate decernimus, quod vos durante administratione vestrâ, vnam in redemptione & recuperatione bonorum & iurium dictæ Ecclesiæ alienatorum & pignorum obligatorum, seu etiam distractorum, & aliam in chori dictæ Ecclesiæ, quem dictus Henricus & vos opere sumptuoso fabricari facere cœpistis, ac etiam in dictæ Ecclesiæ fabricam & illius vtilitatem & augmentum conuertere, ac aliam partem fructuum, redituum & prouentuum ac emolumentorum quorumcumque mensæ Episcopalis dictæ Ecclesiæ, eidem Ioanni, donec vicesimum annum attigerit, pro sustentatione status sui, & vt interim litterarum studiis insistere valeat, annis singulis in festo Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI persoluere & assignare, ac ea quæ Ordinis Episcopalis fuerint, per Catholicum Antistitem gratiam & communionem sanctæ Sedis habentem, in ciuitate Metensi & Diœcesi eius exercere facere debeatis & teneamini, ac quod antequam regimini & administrationi dictæ Ecclesiæ vos in aliquo immisceatis, in manibus venerabilium fratrum nostrorum Virdunensis & Nicopolitani Episcoporum fidelitatis debitæ solitum capitulariter præstetis iuramentum, iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam pluribus, & eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus, vt à vobis nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine huiusmodi recipiant, seu alter eo-

Canonici constituti Administratores in spiritualibus & temporalibus.

rum recipiat iuramentum.

Plurimorum Episcopatuum Sacerdotia ei fuêre collata, vt Tullensis anno M. D. XVII. Morinensis anno sequenti, Archipræsulatus Narbonensis anno vigesimo, Virdunensis vigesimo tertio, Lucionensis vigesimo quarto, Valentinensis trigesimo tertio, Archiepiscopatus Rhemensis eodem anno, Lugdunensis trigesimo sexto, eodemque anno Albiensis, è quibus tria opima retinuit, Tullense, Albiense & Narbonense. Abbas etiam Cœnobiorum, Gorgiensis, Fiscanensis, Cluniacensis & Maioris-Monasterij, horumce sacerdotiorum maiorem partem Ioanni resignauit frater Ludouicus quartus Renati filius, qui omnium Lotharenorum Principum primus donatus est Episcopatu Virdunensi duodecimâ die Iulij, anno M. D. VIII. suæ ætatis octauo. Deseruit porrò Ludouicus anno M. D. XXII. Ordinem Ecclesiasticum, militiam sæcularem sequutus, & anno M. D. XXVIII. in obsidione Neapolitanâ interiit, Odeto Lautrechio exercitûs Gallici egregio Duce & Vrbium expugnatore (vt quondam Demetrius Macedo est dictus πολιορκήτης) peste extincto reliquis copiis in auxilium & suppetias Pontificis Clementis VII. in Italiam missis post captam à Carolo V. Cæsare Romam, & direptam à milite Caroli Borbonij ictu sclopi puluentarij interfecti Romana mœnia conscendentis.

Episcopatus 9. dati Ioanni.

Demetrius Poliorcetes.

A Leone X. Cardinalitiam accepit purpuram Ioannes Diaconus sancti Onuphrij, quinto Calendas Iunij die Veneris, anno M. D. XVIII. in septimâ ordinatione, isque solus.

Vrbes Domini Metensis, Ramberuillæam, de Moienuyc & de Baccarat fratri suo Antonio Duci Lothareno oppignerauit, die quintâ Ianuarij, anno M. D. XXI. paulò ante consensu Capituli obtento; ipsi enim Romam profecturo (vt aiebat) magnæ erant impensæ faciendæ. Anno M. D. XXVII. feudi & Comitatûs de Saruerden eidem fratri concessit possessionem, mortuo vltimo Comite Ioanne Iacobo de Moers & de Saruerden; eâ enim conditione datus fuerat ante centum annos scilicet anno M. CCCC. XVII. Friderico de Moers primo Comiti de Saruerden, vt, si absque masculis huius familiæ Proceres decederent, ad Episcopatum reuerteretur. Lis mota in Camerâ Imperiali Spiræ ab anno M. D. XXVII. finita XXIX. die septimâ Iulij in fauorem Ducis Vaudemontani, & Episcopatûs Metensis, contra Comitem Nassouium de Sarbrucken agentem pro vxore Catharinâ Comitissâ de Moers, filiâ Ioannis Comitis de Moers & Saruerden.

Episcop. Megar. Meurisse in histor. Meten. Eccles.

Cardinalis noster anno M. D. XXIX. Episcopatum Metensem nepoti suo quinquenni Nicolao cessit, retentis fructibus & regressu, quod postea Synodo Tridentinâ fuit cassum; sic enim loquitur, *Neque accessus, neque regressus imposterum locum habebit, etiam in personis Cardinalatûs honore fulgentibus.* Viuente Ioanne, cùm Nicolaus annos attigisset viginti Antistes Metensis est nuncupatus: verum eo ipso ad sæculum redeunte anno M. D. XLVIII. creato Comite Vaudemõtano & Mercuriano, sic ille virtute regressus, cuius in diplomate anni M. D. XX. facta est mentio, ad Episcopatum regreditur. Carolus V. Cæsar, auditâ tam variâ personarum mutatione in Ecclesiâ Metensi, scripsit decimâ nonâ die Iulij, anno M. D. XLVIII. ad Proprætorem Vrbanum, & tredecim Vrbis Consules, veritatem rei acceptu-

Synod. Trid. sess. 25. cap. 7.

Contra regressum beneficiorum.

rus: qua de re consulunt Canonicos Metenses, à quibus didicêre Ioannem haberi Præsulem Metensem, quamobrem sic Cæsari rescribunt. Respondemus Reuerendissimum, Illustrissimumque Principem & Dominum D. Ioannem sancti Onuphrij Diaconum Cardinalem, de Lotharingiâ vulgariter nuncupatum, à nobis in nostrum Episcopum tam prioris sui tituli, quam etiam cassationis iuris ad Illustrissimum Principem & Dominum Nicolaum de Lotharingiâ super Episcopatu Metensi spectantis virtute, in manibus sanctissimi Domini nostri Papæ in fauorem dicti Reuerendissimi Cardinalis factæ, & per eundem Sanctissimum admissæ & reputatæ teneri.

Summus Pontifex Iulius II. Virdunensem Præsulatum contulerat Gabrieli de Fano Cardinali; verum, vt testatur Richardus Vasseburgius Canonicus Virdunensis, Romæ postulante Gallorum Rege Ludouico XII. resignauit Gabriel Ludouico Lothareno, retentâ pensione annuâ mille nummûm aureorum.

Legatus à latere in Lotharingiâ maximè in tribus Episcopatibus Tullensi, Virdunensi, Metensi; ad eum Iacobus Sadoletus Cardinalis plures scripsit epistolas; à Marino Salmonio in libris hymnorum vocatur *Regum potentium progenies*. Ita Francisco I. carus ob animi affabilitatem, prudentiam, aliasque dotes præclaras, vt aliquid petentem nunquam repudiarit. Missus Legatus ad Imperatorem Carolum V. nomine Regio, anno M. D. XXXVI. ad pacem stabiliendam.

Pluribus Comitiis pro Religione tuendâ habitis in Germania, Vormatiæ, & Eslingij interfuit. E mortalium abiit angustiis Niuerni Româ rediens sexto Idus Maij, anno M. D. L. vt ait Onuphrius & Historicus Episcoporum Metensium: sepultus fuit Nanceij apud Franciscanos, ipsius funebris pompa descripta ab Emundo Rege armorum Lotharingiæ.

Suffraganeum habuit in Episcopatu Metensi Conradum Religione Carmelitam Nicopoleos Episcopum. Satis mirari non possum celeberrimum Præsidem Iac. Aug. Thuanum inuehentem contra Ioannem Cardinalem. Cum cenaret, inquit, apoplexiâ correptus solo libidinum ministerio & stolidâ libertate Francisco carus, quibus iustam Regis indignationem erga Claudium fratrem, conceptam olim mitigauerat. [Lib. 5. hi-stor. sui temporis]

Solidum Lotharingiæ scutum ex libro primo repetendum in Stephano X. Federico à Lotharingiâ pag. 14. Gallicè sic exprimendum.

Portoit de trou & coupé d'vn, qu'on dit escartelé de huict quartiers, ou contr'escartelé. Au premier fascé d'argent & de gueules de huict pieces, qui est de Hongrie. Au 2. d'azur semé de fl. urs de lys d'or au lambel de gueules mis en chef, qui est de Naples Sicile. Au 3. d'argent à la Croix potencée d'or, accompagnée ou cantonnée de quatre croisettes aussi d'or. Au 4. d'or à quatre pals de gueules, qui est d'Arragon. Au 5. & premier de la pointe semé de France à la bordure de gueules, qui est d'Anjou. Au 6. d'azur au Lyon contourné d'or, couronné & armé de gueules, qui est de Gueldres. Au 7. d'or au Lyon de sable lampassé & armé de gueules, qui est de Flandres. Au 8. & dernier d'azur à deux barbeaux addossez d'or semé de croix recroisettées au pied fichée aussi d'or, qui est de Bar. Sur le tout d'or à la bande de gueules, chargée de trois alerions d'argent, qui est Lorraine.



ERARDVS CARDINALIS DE LA MARCK
LEONE X.

ANNO CHRISTI M.D.XXI.

ORTVM duxit Erardus è Comitibus à Marcka, quorum familiæ & nominis duo Roberti fuêre Franciæ Polemarchi parens & filius Sedani Principes, Duces Buillonæi, quorum hic duxit vxorem Franciscam de Brezé filiam natu-maiorem Ludouici de Brezé Comitis de Mauleurier vices Regias in Neustriâ gerentis, & magni Seneschalli, necnon Dianæ Pictauiẽsis Ducissæ Valẽtinæ, auus Fr. de Harlay doctiss. Archiesp. Rothom.

Lud. de Brezé Comes de Mauleurier.

Imprimis fuit Protonotarius Apostolicus, anno M.D.VI. deinde Episcopus Leodiensis LXXXIV. pridie Calendas Ianuarij petitus communi Canonicorum electione. Adolphum & Engebertum Episcopos habuit patruos. Regularem disciplinam in andaio sancti Huberti restituit sui Pontificatûs exordio. Carthusiam Montis-Dei in Diœcesi Rhemensi petiit, vt se disponeret totâ Quadragesimâ ad characterem sacerdotij sumendum, & à Roberto Markiano Sedani Domino accepit octo supra viginti Ducatorum millia pro necessariis sibi in Pontificatûs exordio peragendis. Saguntinum Cardinalem Patriarcham Hierosolymitanum excepit, nec multò post ad Canonicorum Regularium Cœnobium secessit, & Episcopus die vndecimâ Maij ẽst consecratus. Epidimiæ morbo laborantibus Præsul anno M.D.XIX. & sequenti magnâ caritate opem tulit.

In Italiam ad Cæsarem Maximilianum contra Venetos bellum gerentem à Ludouico XII. Francorum Rege missus est, & ea omnia, quæ ad bonum Christianæ reipublicæ, Cæsaris & Regis erant, suâ sagacitate perfecit: vnde postea in Galliam redux ad Episcopatum Carnotensem promouetur. Verum postea rebus suis & tempori seruiens, resque in Galliâ & Belgio per militem Cæsareum Gallumque turbatas animaduertens, anno Verbi Incarnati M.D.XXIV. Episcopatu sibi in Galliis antea donato sese abdicat, & Domino Guillardo Tornacensi Episcopo, retentâ quatuor millium & quingentorum Florenorum quot annis sibi persoluendâ pensione, resignauit.

Erardus deserit partes Lud. 12.

Erardus Carolo Austriaco pergratus legatur pro electione noui Cæsaris anno M.D.XIX. defuncto die XII. Ianuarij Maximiliano, & Frãcofurtũ adit.

CCcc

Erant tunc Electores Albertus Moguntinus, Hermannus Coloniensis, Richardus Treuirensis Archiepiscopi: Ludouicus Palatinus, Fridericus Saxoniæ Dux, Ioachimus Brandeburgensis Marchio, Bohemiæ Principatum obtinebat Ludouicus Hungariæ Rex. Hi pro consuetudine Imperij à Moguntino conuocati mense Iunio Francofurti, quod est ad Mœnum flumen oppidum, conueniunt. De tribus erat quæstio an Galliæ Rex Franciscus, an Hispanorum Rex Carolus, an verò Germanus quispiam esset eligendus: præclarè pro Francisco perorauit Treuirensis his verbis.

Oratio Archiep. Treuiref. pro Frãc. I eligend Cæsare.

Eò mihi res propemodum spectare videtur, quandoquidem Moguntinus, qui sanè prudenter multa dixit, omninò suadet, vt ad externum deferatur Imperij summa; sed valde miror, cur Gallo præferat Hispanum. Certè dolet mihi Germaniæ conditio. Quòd si maiorum insisteremus vestigiis, nihil opus erat alieno præsidio. Nunc autem, quando peregrinos euocamus, quid aliud quàm seruitutem nobis comparamus ipsi? Verùm hac omissa querela, quem Moguntinus, eundem & ego sequar ordinem, déque lege & iureiurãdo primùm dicam. Legis autem illius hanc opinor esse caussam atque fundamentum, ne, si quis eligeretur externus, & qui domicilium non habeat in Germania fixum, Imperij decus hoc sensim ad alienigenas transferretur. Si quidem hæc est mens atque sensus eius legis, non magis eligi potest Hispanus, quàm Gallus. Iam verò, si Carolus, quoniam habet ditionis Imperij Prouincias, ideo creari potest, necesse est, vt idem in Francisco valeat, qui & Insubriam & Arelatense Regnum obtinet, quæ sunt Reipublicæ nostræ partes. Duobus ergo propositis, videamus, vtrum sit præstabilius. Sanè, quo tempore Gallia fuit coniuncta Germaniæ, quod fuit Franconum ætate, florentissimum extitit hoc nostrum Imperium: & quidem eius temporis recordatio non mediocriter me delectat, quoties in historiarum lectionem & res anteactas incido. Nunc autem planè consimilis est oblata nobis occasio, quæ certè minimè prætermittenda videtur. Sentiunt idem exteræ quoque gentes, Pontifex Romanus, Veneti, Principes omnes, atque ciuitates Italiæ. Gallica nimirùm gens & origine nobis est coniuncta, & ijsdem propè legibus vtitur atque moribus, & amorem omnem atque beneuolentiam nostris hominibus præstat: deinde, propter vicinitatem valde nobis est ac Italis opportuna. Si quis orietur tumultus, erunt illicò parati exercitus, ad quos alendos Gallia subministrabit pecuniam: & si vel Pannoniam vel Italiam inuadat Turca, sicut planè facturum arbitror, pacatâ nunc videlicet Asiâ, nonne erit optatissimum habere tam propinquum & florentem Imperatorem, vtriusque nationis viribus instructum? Hispani verò, licet prædicentur bellicosi, quid tamen vnquam præclarè gesserunt in Italia sine Germanorum auxiliis? Ad hæc, quia longissimè à nobis absunt, non est quòd vllum ab eis auxilium in tempore expectemus: quòd etiamsi velint, tamen non multùm nobis poterunt commodare. Nam quia nauigationibus perpetuis exhauritur Hispania, non potest vllas maiores emittere domo copias. Huc accedit, quòd Gallos habebimus commilitones & laborum omnium socios. Hispani verò, si quid rectè gestum erit, omnem ad se gloriam traducent, & victoriis nostris fruentur, & Prouinciis ipsi præerũt. Tunc demùm seruitutẽ nostrã serò deplorabimus.

Verùm hac omissa collatione, veniam ad electionem. Si Galliæ Rex assumetur, non erit vlla per Italiam belli causa: nam Mediolanum iam ante tenet: ne quid autem Neapoli moliatur, nos ei suasores erimus, & planè quidem persuadebimus. Idem est facturus de Belgio, modò & illi quiescant. Cur autem ad nos magnopere Belgium pertinere putemus, non video: sunt quidem nobis vicini, multo iam tempore, sed societatem nobiscum aut fœdus nullum habent, nec Imperij leges ad se quicquam pertinere ducunt, nec ad publicos vsus quicquam contribuunt, non magis quàm Britanni vel Scoti. Quum ergò maxima sit Galliæ Regis potentia, quum Insubriam habeat pacatam, quum sit à rebus omnibus paratissimus, multò suscipiet ampliora, magisque gloriosa: bellum videlicet in Turcam geret, & omnes eò vires conuertet, vt à Pannoniæ finibus, & Italiæ pulso vastatore, tutam efficiat Germaniam. Si verò Carolum ei præferamus, Deum immortalem, quantos excitabimus in Italia motus? Volet ille recuperare Mediolanum, & erit bellum diuturnum, & interea dum sic confligabitur omnium pulcherrima Prouincia, Turcæ vires omnes in Hungariam expedient, his, obsecro, quis resistet? quis iustum opponet exercitum? Hæc sanè consideranda sunt paulò diligentius, neque leuiter prætereunda. Iam Italici belli qui sit futurus exitus, incertum est. Gallus quidem victor, Neapolim affectabit: & fieri potest, vt Pontifex, illius impulsu, nostram electionem rescindat: ex eo quanti sint orituri motus, nemo non intelligit. Contrà, si Carolus rerum potiatur, non est, quòd Italiam nobis redditum iri putemus; occupatam perpetuò sibi retinebunt Hispani: nec id modò, sed nec imperium quidem hoc nostrum è manibus facilè dimittent. Vt Neapolim sibi seruarent, in cuius possessionem quomodo venerint, satis notum est: quid non pertulerunt? In Italiam igitur nequaquam sunt euocandi. Nunc de vtroque Rege nonnulla dicam: placido & modesto ingenio Carolum esse, non dubito: sic enim à multis prædicatur, sed quum ætate sit adolescens, quomodo potest de illis virtutibus, quæ in summo Principe requiruntur, iudicium in eo fieri? Talem respublica desiderat, qui præter alia constituat & emendet Ecclesiæ statum, quod Moguntinus etiam prudenter admonuit. Hoc sanè Franciscus Rex omnium rectissimè poterit præstare: nam & ingenio valet & iudicio, & de Religione subinde cum doctis hominibus conferre solet, & legit ipse multorum scripta; deinde, præsens temporũ status Principem requirit atque Ducem rei militaris peritum, diligentem, fortunatum. Cedo, quis hac in parte palmam eripiet Francisco? iam eius cognita est & explorata virtus: de Carolo nihil habemus comperti, nisi quòd indoles aliquid promittit: ille verò suos maiores omnes rerum gestarum magnitudine vincit. Heluetios enim, fortissimam, & inde à C. Cæsaris ætate propè inuictam gentem, prælio nuper superauit, non est igitur tanto Duci præferendus adolescens. Moguntinus incommodum quidem esse dicit, si quidem Carolus à Germania diutius absit: sed tamen ocioso nos animo hic esse iubet: ego autem summi rem esse periculi puto, Cæsarem extra fines Imperij longinquius abesse. Quis enim Turcarum impetus, quis repentinos tumultus, quis offensiones atque motus ciuiles coërcebit? orta tempestate, quis nauim gubernatore destitutam

Prælium Marigniacum.

seruabit? Absens nihil propè certi de rebus nostratibus cognoscet: falsò multa deferentur ad ipsum: habebit in consilio non Germanos, sed Hispanos tantùm: edicta subinde faciet & ad nos transmittet tempore alienissimo. Postea, si calumniis & criminationibus aliquorum irritatus, in Germaniam aliquando venerit, adducto milite peregrino, qualem huius Imperij fortunam fore putatis? Quàpropter si vobis ita videtur, & si fata volunt, vt in hoc tempore diadema nostrum capiti suo Rex alienigena superimponat, equidem Gallum censeo præponendum Hispano: si verò lex prohibet creare Gallum, valeat eadem in Hispano, neque subtili quadam interpretatione Carolum pro Germano ducamus: verùm aliquem ex omni Principum numero circumspiciamus, qui nullum habeat nisi in Germania domicilium, qui sit origine, moribus, ingenio, linguâ, Germanus; hactenus Treuirensis.

Cardinalitiis ornatur infulis Erardus tituli sancti Chrysogoni in octauâ Cardinalium promotione isque solus, die Veneris quinto Idus Augusti, anno M.XXI. à Leone X. decoratur, Burgisque postea, astante Carolo V. Cæsare, pileum Cardinalitium recepit, ab eodem Carolo oblatum Valentiæ in Hispaniâ Archiepiscopatum accepit.

Tantus Erardi fuit in sanctos, Diuumque præcipuè Lambertum Martyrem, zelus & amor, vt thecam inauratam maximi pretij fieri iusserit, sicq; veneranda Martyris ossa cultu maiori colerentur; tantum porrò fuit in Hæreticos odium, vt vni ex eis clauo linguam perfodi aliquando præceperit. Tantum denique amorem Christianæ Religionis patefecit, vt anno M.D. XXXII. viginti aureorum Imperialium millia pro milite contra Turcas legendo mutuarit. Cameracum anno M. D. XXIX. mense Augusto vocatus Erardus, quò conuenerunt Margareta Cæsaris amita & Regis Francisci mater Aloysia, aliique Principes viri, vbi tandem fœdus est instauratum quinta die illius mensis inter Regem & Imperatorem, Francisco cedente, quæ in Belgio erant, & Carolo V. Burgundiam reddente; alij sunt pacis articuli, de quibus Ludouicus Gollutus in suâ historiâ, quo facto duo Regis liberi Franciscus Franciæ Delphinus, & Carolus Aureliæ Dux liberantur, solutis in λύτρων & redemptionem vicies centenis nummûm aureorum millibus. Eleonora verò Caroli soror, Emmanuelis Portugalliæ Regis vidua Francisco Regi in Hispaniâ desponsata cum ipsorum liberis mittitur.

Fœdus Cameracense.

Gollut. li. 11 Comitatus Burgund. ca. 56.

Creatur à latere Legatus anno M. D. XXXIII. ad disciplinam Cleri restituendam; sed perennis morbus Erardum Synodum Diœcesanam celebrare cogitantem impediuit.

Persequebatur mirum in modum (vt dixi) Hæreticos vigil Præsul, vt pote qui scholas & conuenticula eis prohibebat: vnde Sleidanus ipse Hæreticus Lutheranorum Titus Liuius. Erardo, inquit, Markiano Cardinale Episcopo Leodiensi, vix alius magis doctrinæ (nimirum Lutheranæ) causâ plures afflixit. Excepit mense Martio, anno M. D. XXXVII. Reginaldum Polum Cardinalem Anglum.

Sleidanus Lutheranorum Titus Liuius.

E viuis sublatus decimâ sextâ die Februarij Leodij, anno M. D. XXXVIII. sepultus apud sancti Lamberti, medio choro, cum Leodiensem Ecclesiam

rexiſſet annos triginta duos. Cor Hoy in templo Cruciferorū ad dextrum principis aræ latus eſt collocatum. Epitaphium ſibi viuens poſuit in marmoreo ſarcophago.

Erardus à Marka mortem habens præ oculis viuens poſuit.

Annus obitûs Erardi M. D. XXXVIII. hoc diſticho chronologico continetur.

QVod neC honos, neC opes, neC gLorIa Vertere CVrsVs
AſtrorVM poſſIt, PræsVL Erarde VIdes.

Scripſit epiſtolas plures ad Eraſmum Roterodamum, qui magis diſertus, quàm pius, & melior Grammatiſtes, quàm Theologus, paraphraſim in epiſtolam ad Romanos Erardo dedicauit. Eraſmus Grammatiſtes.

Parma aurea, faſciâ trium ductuum teſſellis orthogoniis contextâ, Leone emicante coccineo in capite impreſſa.

D'or à la face eſchiquetée de gueules & d'argent de trois traicts au Lyon naiſſant de gueules en chef.



Anno Christi M.D.XXVII

ANTONIVS CARDINALIS DV PRAT
CLEMENTE VII.

ANTONIVS à Prato in Aruernis ortus fuit anno M. CCCC. LXVIII. cuius parens Antonius Dominus de Verrieres, mater Iaquelina Bohieria. Fratrem habuit Thomam à Prato Claromontanum Antiſtitem, Doctorem Theologum Mutinæ in Italiâ defunctum, anno M. D. XXVIII. dum comitaretur Annam Francicam Ludouici XII. filiam dandam in matrimonium Herculi II. Ferrarienſi Duci. Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ à Clemente VII. Calendis Aprilibus, anno M. D. XXVII. ſecundâ promotione creatus eſt. Patronum egit Regium in Toloſano Senatu, & in Pariſienſi Princeps Senatûs extitit. Anno M. D. VII. ad Ordinem ſeſe conuerterat Eccleſiaſticum Franciſcâ Vaynâ d'Arbouſe vxore annorum triginta demortuâ, & apud Minimos Nigionenſes non procul à Lutetiâ ſepulturæ mandatâ, ex quâ aliquot ſuſceperat liberòs, Antonium Baronem du Tier & de Viteaux, Dominum de Nantoüillet ſponſum Annæ d'Aligre, Guillelmum Abbatem ſancti Ioannis de Moſac Epiſcopum Claromontenſem ſecundo-genitum, qui curauit erigi ſepulchrum matri in ſa- Familia du Prat.

cello nauis dictæ Basilicæ Patrum, à sancto Francisco Paulensi, in cuius sacelli fornice legitur hoc distichon.

Quis dedit hac si quis quærat, mihi grata secundi
Munera sunt nati, qui tegit ossa lapis.

Franciæ Cancellarius Francisci I. cui contigit diadema Regium septimo Ianuarij, anno M.D.XIV.

Factus est primò Præsul Albiensis Antonius, deinde Senonensis Archiepiscopus: admittitur ad Meldensem Cathedram die quintâ Maij, anno M.D.XXXIII. per Procuratorem Dominicum Episcopum Claromontanum. Fuit Abbas Floriaci, Synodum habuit Prouincialem Lutetiæ Parisiorum die vigesimâ Februarij, anno M.D.XXVIII. aduersus Hæreses, & de moribus, cui subscripserunt Ludouicus Guillart Carnotensis, Franciscus Poncher Parisiensis, Guillelmus Brissonet Meldensis, Franciscus Tinteuille Altissiodorensis, Guillelmus Petit Trecensis, Iacobus d'Albret Niuernensis, Petrus de Stella Vicarius Aurelianensis.

Coronâ donauit Eleonoram Caroli V. Imperatoris sororem natu maiorem Francisci I. vxorem. Cardinalis Sadoletus ad Antonium plures scripsit epistolas.

Legatus à latere in Gallias missus nomine Clementis VII. anno M.D.XXIX. literæ Pontificis eodem anno datæ die quarta Iulij, & in codicillis Consistorianis Regni descriptæ. Eadem tempestate Benefactor munificentissimus multis auxit ædificia Hospitalis Lutetiani Septentrionem versus, incrementum vocitatur, vulgò *le Legat* (est ampliffima aula cubandis infirmis & egenis mulieribus) illud dotauit redditibus in egenorum & ægrorum leuamen & alimentum, memor etiam antapodoseos dandæ Medicis & Chirurgis. Hospitale Parisiense.

Scripsit acta Synodi Senonensis quarto Conciliorum tomo inserta, & orationes aliquot.

Septuaginta duos annos natus obiit in Castro suo Nãtoulliaco die nonâ Iulij, anno M.D.XXXV. & vigesimâ eiusdem mensis cor ipsius in Cathedrali Ecclesiâ Meldensi humatur; corpus verò in Metropoli Senonensi, quam viuus nunquam ingressus fuerat, cum hoc epitaphio vernaculo.

A la perpetuelle memoire de la vertu, & heureuse fidelité de tres-illustre & Réuerendißime Monseigneur Antoine par la permißion diuine Cardinal du Prat, Archeuesque de Sens, Legat en France pour le sainct Siege Apostolique, Chancelier de France, de Bretagne, de Milan, & de l'Ordre du Roy, lequel ayant esté donné en ses ieunes ans au bon Roy Louys XII. Pere de la Patrie, paruint aux honneurs & dignitez d'Ambassadeur, & de Conseiller au Priué Conseil, & depuis regnant le magnanime & tres-chrestien Roy François premier, restaurateur des arts & sciences, fut ledict Seigneur Réuerendißime Chancelier de sa Majesté,

& chef de son Conseil; & finalement le premier de ce Royaume, non seulement en l'authorité de la Iustice, mais aussi en la supreme dignité du Pontificat au temps du Pape Clement VII. & se trouuant aage de LXXII. *ans deceda en son Chasteau de Nantoüillet le IX. iour de Iuillet, l'annee* M.D.XXXV. *Haut & puissant Seigneur Messire Antoine du Prat son Nepueu en directe ligne, Seigneur de Nantoüillet, & de Precy, Cheualier de l'Ordre du genereux & inuincible Roy Charles IX. Conseiller & Chambellan de sa Majesté, Preuost de Paris meu de deuotion & affection de satisfaire au deuoir & office d'vn tres-humble fils & nepueu à fait mettre & apposer ce tableau & epitaphe ioignant cette sienne sepulture, que luy fit construire & eriger feu Monsieur le Preuost de Paris son Pere, fils dudit Seigneur Legat, que Dieu absolue.*

Scripsit acta Synodi Senonensis quarto Conciliorum tomo inserta, & orationes aliquot.

Non facilè crediderim auctori Italo Hieronymo Garimberto Episcopo asserenti Antonium à Prato natum fuisse patre paupere, & eum numeranti inter eos Cardinales, qui terræ filij amplissimi Ordinis dignitates sunt consequuti: certè fuit vtroque parente nobili genitus, Abbas, Episcopus, Archiepiscopus, Cardinalis, Legatus, Baro, Comes, & multorum locorum Dominus. Garimbert. li. de Cardd.

Antonij Cardinalis ex legitimo thoro filius Guillelmus Claromontanus Antistes, postquam Synodo Tridentinæ Oecumenicæ interfuisset, sibi delegit Pascasium Broëtium Iesuitam Ambianensem è sociis decem sancti Ignatij trium gymnasiorum Iesuitarum insignis conditor, vnius Parisiis, alterius Bilionij omnium totius Galliæ antiquissimi, eodē Patre Broëtio primo Prouinciali Societatis IESV in Francia, tertij Moriaci, etiam Ptochotrophij Claromontani fundator extitit: curauit ædificari Cœnobium sancti Francisci à Paula *de Beau-regard* in eadem Diœcesi. Tria Iesuitarum collegia erecta.

Aureum scutum fasciâ nigricanti, trifoliis tribus prasynis II. & I. depictum.

D'or à vne face de sable accompagnée de trois treffles de synople, deux en chef & vne en pointe.



Anno Christi M.D XXI.

FRANCISCVS CARDINALIS DE TOVRNON SACRI COLLEGII DECANVS CLEMENTE VII.

DE huiusce Cardinalis laudibus, vt de Carthagine legimus, tacere multò præstaret, quàm pauca dicere. Regibus Galliæ affinis fuit Franciscus Turnonius Iacobi hoc nomine II. Comitis, & Ioannæ de Polignac filius; è quatuor fratribus duo fuêre Episcopi Gaspar Valentiæ & Carolus Ruthenæ omissus à Roberto in Gallia Christiana. Monachus Ordinis sancti Antonij Viennensis, deinde electus Generalis.

Aymard. Falcon in Epit. hist. S. Antonij Viennen.

Cardinalis sanctorum Marcellini & Petri Martyrum absens creatur postulatione Francisci I. Bononiæ anno M. D. XXX. die decimâ sextâ Martij, non verò decimâ quartâ Calendas Ianuarij, anno M. D. XXIX. vt quidam referunt cum Cabrera: creatur, inquam, à Clemente VII. familiæ Medicææ, qui in Bononiensem ciuitatem sese contulerat, cùm tres ante annos fuisset ab exercitu Caroli V. capta Roma, & templa spoliata, Duce Carolo Borbonio quintâ Maij, anno M. D. XXVII. ibidem occiso, Clemente Pontifice in mole Adriani obsesso, postea quadraginta aureorum millibus redempto ab hostibus Principe Arausicano, & Prorege Neapolitano. In gratiã Pontificis rediit Carolus, coronaque Imperij ab eo donatus anno illo M. D. XXX. in eadem ciuitate Bononiensi, die Diuo Matthiæ sacrâ vigesimâ quartâ Februarij, quâ etiam natus fuerat idem Carolus Austriacus.

Roma capitur.

Carolus V. natus 24. Febr. & coronatus.

Ita Rex Franciscus Francisco in rebus maioris momenti vtebatur, vt tota res Galliæ in eo sita videretur, & inclinata recumbere: vnde Michael Hospitalius postea Franciæ Cancellarius ad ipsum scribens sic affatur.

Turnoni, genus Heroum qui sanguine ducis,
Cuius consilio res omnis publica nostra
Dirigitur foris, atque domi quæcunque geruntur.

Et Marcus Antonius Muretus.

Turnoni antiquæ spirans virtutis imago,
Quo stupet hæc ætas, quóque beata tumet.
Et tua cum seri repetent monimenta nepotes,

Si dederint cœlum quæ tibi fata rogent.
Post alias laudes, quas bello & pace parasti,
Consilio moderans tempus vtrumque pari.
Quot quas fudit opes pleno tibi copia cornu
Assiduè doctos foueris ipse viros.
Pectore & ingenuas constanti adamaueris artes,
Adyciet titulis hoc quoque fama tuis.

Multas obijt legationes nomine Regis primò apud Clementem VII. cum Cardinale de Grandmont ob ortas dissensiones inter Pontificem & Henricum VIII. Angliæ Regem, qui donarat libello repudij Catharinam vxorem legitimam superinductâ pellice Annâ, quam capite plectit vt adulteram die XXIX. Maij, anno M. D. XXXVI. superstite ex eâ Elisabethâ; secundò apud Paulum III. necnon apud Paulum IV. Summos Pontifices, & in diuersas Orbis partes missus ad alios Principes Carolum V. Imperatorem in Hispaniam, fuitque potissima pacis causa Madriti factæ die Dominicâ decimâ quartâ Ianuarij, anno M. D. XXVII. inter Franciscum & Carolum. Legatione etiam pro Rege functus in Angliâ. Henrici 8. initium defectionis.

Cum Lugduni aliquando commoraretur, duos è decem primis Societatis IESV Patribus obuiam habuit Alphonsum Salmeronem Hispanum, & Paschalium Broëtum, qui cum ex Hiberniæ Regno redirent, in quod à Summo Pontifice Paulo III. Religionis ergò missi fuerant Nuncij Apostolici; exploratores habiti sunt Lugduni bello vigēte inter Gallum & Hispanum, hinc carceres & vincula experti, quo audito Turnonius liberos à vinculis fecit, domumq; deducendos curauit, & Societati collegiū erexit Turnoni.

Scripsit eiusdem nomine Vincentius Laureus Calaber ipsius Medicus, postea Episcopus Montis-regalis in Subalpinis ac demum Cardinalis Gregor. XIII. pro Collegio Turnonio Patribus committendo.

Ad Iacobum Lainium Societatis IESV Generalem.

Incolumis Dei gratiâ Cardinalis Turnonius in Gallias venit: sed cùm magno animi sui dolore Religionis res ita perturbatas inuenit, nullus vt prope in hoc Regno sit locus, quem non aliqua ex parte hæretica lues contaminarit. Cum vero aduentu suo partim seditiones graues, vel iam ardentes extinxerit, vel orientes oppresserit, partim Christianissimo Regi per literas malorum remedia, viasque ad vim ac fraudes seditiosæ huius & consceleratæ sectæ repellendas proposuerit; nequaquam deesse Turnoni vult, solo suo natali. Id cum oppidum sit octingentis circiter domiciliis frequens ad Rhodanum situm, ac sapientiæ studiosos non pauciores mille ducentis habeat propter opportunitatem Collegij, quod suis ibi impensis Cardinalis ædificauit, proximè ab terræ huius pestis periculo abest. Quam ad id loci haud quaquam effugissent, nisi & populariū aduersus Cardinalem amor eximius, & obseruantia defendisset; & vigil prudensque Fratris filij custodia, qui Turnoniæ domûs generosa stirps, vel cum vitæ discrimine maiorū suorum illustria premens vestigia, noua hæc pietatis inuenta, eorumque fautores propulsare & oppugnare nunquam destitit: adeò vt ab inimicis

fidei ad contumeliam (vt ipsi rentur) monstretur digito, & Papista vocitetur. Iam verò Cardinalis pro optimâ opinione, quam semper de Sanctimoniâ vitæ doctrinæq; & integritatis famâ sacratissimæ Societatis Iesu habuit; persuadet sibi suam hanc patriam contra impetum quemuis fraudemque tartaream reddere inexpugnabilem posse, si præsidium ei de vestris hominibus imponat, suumque Collegium custodiæ Societatis fidæ sanctæque committat. Neq; vni tantum oppido, sed toti Regno sperat se ingens commodum allaturum, etenim Collegium peropportunum cum sit tum situ & opulentiâ oppidi, tum ædium magnificentia, & bis mille Francorum annuo vectigali, præterquam quod discendi cupidos eò vt commeent allicit; potest etiam multos è Societate præstantes enutrire viros, quos per Gallias sparsos certa spes est vbique innocentiâ vitæ, ac Dei verbo electuros iugulaturosque Catholicæ Fidei hostes. Nec leue erit commodum tam multos adolescentes, ex quibus deinde Antistites, Religiosi viri, Magni Cancellarij, Præsides, Consiliarij, Senatores, ac cæteri Magistratus, regnique administri creantur: à primis annis in sancto Dei timore educari, & Catholicæ custodiâ pietatis. Atque adeò haud mentiar, si huius mali originem ab talibus personis affirmem esse. Fecisset Deus, vt in omni Gallia Societatis extructa Collegia essent; non ita laborandum Summo Pontifici esset ad populum olim pietate inclytum in sanctæ Sedis obsequio, & matris Ecclesiæ gremio retinendum. Id adeo experimentum apertè monstrat, quod Billomũ atque Apamiæ Gallicanæ vrbes, quamuis regionibus lue contactis vndique obsideãtur, tamen & se & multas circa oras ab infandâ contagione liberas seruauerunt. Huius rei gratiâ Deo gratiæ peragendæ, quòd in summis hisce calamitatibus quasi è cœlo demittere ad nôs hãc verè cœlestẽ Societatem dignata est. Cui cum tu, Pater summe obseruande, meritò præsis, cuius magnam incorruptamque sapientiam, prudentiam & sanctos mores cognitos habet, plurimique vt debet, facit Cardinalis; tantò acrius confirmat suum honestum hoc votum atque inflammat. Ideoque iussit, me tibi nomine suo, quod his literis facio, significare, mentem hanc eius esse, vt suum illud Collegium sanctæ huius Societatis sit.

Tornusiam Abbatiam ad fluuium Ararim habuit, S. etiam Germani Parisiensis & Casæ Dei apud Aruernos. Inde Archipræsul Ebredunensis, & anno M.D.XXV. Primas Bituricensis extitit post Franciscum de Bueil è familia Comitum sacri castri vulgò *de Sancerre*: postea Lugdunensis Archiepiscopatûs infulis ornatus est, factusque Galliarum Primas, cedente Hippolyto Estensi Cardinale, ibique Athanatensis Abbas; Ordinis S. Michaelis Cancellarius. Auscensem denique rexit Ecclesiam. Viros litteraturâ insignes maximè fouit Dionysium Lambinũ, Petrũ Danesiũ, Guillelmũ Rondeletũ, aliosq; quibus domi cingebatur vt coronâ. Concilium Prouinciale Biturigibus habuit sexto Idus Martij, anno M.D.XXVII. in quo plura ad Clerum reformandum statuit.

Interfuit exequiis Francisci I. defuncti vltima Martij, anno M.D.XLVII. cum aliis nouem Cardinalibus in templo Sandionysiano, Petro Castellano Episcopo Matisconensi funebrem orationem habente.

Adfuit Comitiis Aurelianensibus anno M. D. LX. Catholicæ Religionis

propugnator acerrimus, aliquando Philippo Melanchthoni insigni sectario fuit obex quominus in Galliam accederet, licet Margareta Valesia Nauarræ Regina vnica Regis Francisci soror, & Anna de Puisseleu Ducissa Stampensis ab eodem obtinuissent pro eo salui-conductûs literas; Regi referente Turnonio D. Ioannem Apostolum in balneo conspicientem Hæreticum Cherinthum statim reliquisse balneum, & habente D. Irenæum præ manibus qui id refert. Irenæus lib. 3.

Iulius Pontifex ex Presbytero sanctorum Marcellini & Petri creauit Episcopum Sabinum. Pius IV. ex Sabinensi Præsule Episcopum Cardinalem Ostiensem & Veliternum, Collegiique Decanum, mortuo Cardinale Bellaio. Motam litem cognouit Cardinalis Turnonius inter Decanum & Canonicos Lugdunenses super cæremoniâ sacrificij Missæ Henrico II. Rege; Decanus enim pietate ductus intendebat Canonicos, qui Sacerdoti sacrificanti assisterent, genua flectere debere dum sacra eleuaretur hostia reuerentiæ & latriæ ergò, & quòd id exigeret temporis illius necessitas, nam Hæretici nescio quo malo fato hoc Sacramentum particulari odio prosequebantur, omnem illius cultum & reuerentiam abolere tentantes. Sacra Theologiæ facultas Parisiensis interuenit cum Decano Lugdunensi, causâ ad Concilium Consistoriale euocatâ, de genuflexione faciendâ, corã Henrico II. Rege perorauit Peletarius Doctor, & Collegij Nauarræi Archididascalus, satisfecitque abundè obiectioni à Canonicis factæ talem esse auitum morem Ecclesiæ Lugdunensis, nec facile aliquid in eo innouandum *cùm solà Lugdunensis Ecclesia non reciperet nouitates*, dixitq; maioris boni causâ aliquando innouandas aut etiam è medio tollendas cæremonias, cum maximè agitur non de significatione, sed tantum deuotionis cuiusdam habetur ratio, quòd id postularet præsens tempestas, in quâ Hæretici vigebant: demum Reges ipsi eleuatam hostiam flexis genibus adorabant, nec diminuendam inde Comitum Lugdunensium auctoritatem, si idem præstarent. Quo audito Rex decreuit genua flectenda; verùm hi supplice libello sæpe sæpius antiquum Lugdunensis Ecclesiæ morem obiecerunt, vt recto corpore adorarent. Tandem sunt dati à Rege Iudices Franciscus Cardinalis Turnonius, & Carolus Cardinalis à Lotharingia, qui litem dirimerunt, antiquo more seruato, nihilque innouato, verum corpore profundo, quantum in eis esset, & inclinato fieret sacræ hostiæ adoratio à Canonicis altari ministrantibus, ne aliqua scandali occasio daretur.

Hubert. morus l. de Missæ Cæem.

S.Bern. dictum de Eccl. Lug dun. epist. ad Lugd.

Cum Massiliâ Romam maritimo tractu peteret, haberetque nauem citissimo cursu properantẽ, forte fortuna accidit, vt Remora pisciculus (quem Græci ἐχενίδα vocant) remoraretur currentem, hoc capto, illique demonstrato exclamauit. *Quanta est humanæ naturæ fragilitas, quam res perexigua à citato cursu statim auertit.* Interfuit conclaui & creationi Pij IV. mense Decembri, anno M. D. LX. antea vocabatur Ioannes Angelus Medices Mediolanensis, S. Caroli Borromæi Cardinalis auunculus.

Anton. petramellarius in Pio 4.

Etiam Colloquio Possiacensi interfuit ipso exordio anno M. D. LXI. hæcque affatus in gratiam Iesuitarum; quanta Deus per nouum hunc Ordinem non in terris modo Christianorum, sed etiam apud Indos & populos Barbaros efficiat, cum fusè percensuisset: hoc etiam, inquit, si quid pertine-

re ad rem putatis, addam. Ego his Patribus ob eorum cognitam mihi vitæ probitatem, sanctioremque doctrinam Collegium illud meum, quod non sine magnis sumptibus apud meos ædificaui, perpetuò habendum cum vniuersis vectigalibus dono dedi. Tres alij Cardinales Armeniacus, Guisius, Borbonius eiusdem fuêre sententiæ, atque ex Episcopis multi: non tamen eo die transacta res est; sed paulò post, cùm etiam à Ferdinando Cæsare, aliisque Principibus Viris multæ accessissent commendatitiæ literæ.

Cum Româ aduocatus esset in Curiam à Catharinâ Medicæâ Francisci II. matre Reginâ, vt ipsius Francisci & Caroli, qui postea Regno potitus, regimen haberet, vt pote Regni oraculum, Pontificum, Regum & Principum mellitum delitium, senio & laboribus pro Republicâ fractus Turnonius diuino flagrans amore, immodico naturæ erga cognatos exutus neptem ad se videndum accedentem non læto aspexit animo, quin imò statim discedere præcepit: æternæ vitæ desiderio incensus Ioannem Polancum soc. IESV obsecrauit, vt sociis Parisiensibus preces ad Deum indicerentur, sicque mortalis vitæ finis celerior eius benignitate fieret.

Moritur annos natus septuaginta tres, die vigesimâ secundâ Aprilis, anno M. D. LXII. apud S. Germanum in Laya: è Palatio Regio corpus translatum in vrbem Turnonensem ad Rhodanum sedem & domicilium Comitum Turnoniorum, depositumque in Sacello nobili Collegij Societatis IESV, quod fundauerat regia liberalitate, illudque tumulo inscriptum est epitaphium.

D. O. M. ÆTERNÆQVE MEMORIÆ

Francisci à Turnone Episcopi Ostiensis, sacri Cardinalium Collegij Decani, Ecclesiæ Lugdunensis Antistitis, Galliarum Primatis, qui post impensam Christianissimis Regibus Francisco I. Henrico II. alteri quoque Francisco, postremùm Carolo IX. maximam in rebus annos L. *fœlicem ac memorabilem operam, post procuratas singulari fide, & non mediocriter auctas Regum populique Gallici maximas vtilitates, post sæpe compositos, pacificatosque grauissimos & periculosissimos bellicorum dissidiorum æstus, post conciliatos, quoties res tulit, Summorum Pontificum, & magnorum Principum animos, post assertam inuictâ animi constantiâ aduersus Hæreticorum tumultus Catholicæ doctrinæ veritatem, denique post exhibitum in omni vitæ parte, præclarum, integerrimum, ac pientissimum Pontificis specimen, extructo hoc lapide quadrato gymnasio, sapientiæ pietatisque Academiâ institutâ, & Societatis Iesu curæ perpetuò traditâ Deo Optimo Maximo tot bonorum auctori animam piè commendauit ac reddidit anno Christi* M. D. LXII. *decima Calendas Maij, ætatis suæ* LXXIII. *apud S. Germanum in Laya.*

Symbolum Francisci seu emblema erat manna è nubibus cadens à duabus receptum manibus cum hoc Diui Pauli lemmate, *Non quæ super terram.* Multas huiusce Cardinalis amplissimi laudes descripsit Iacobus Sadoletus Cardinalis, & vitam conscripsit Vincentius Cardinalis Laureus Latinè, & Gallicè vir literatissimus & felicissimæ memoriæ P. Hilarion de Coste Religiosus sancti Francisci à Paulâ & eiusdem abnepos, vt sexcentos alios taceam, qui nostri Cardinalis memoriam fecêre. Alumnum habuit Petrum Danesium Episcopum Vaurensem linguæ græcæ peritissimum patroni symbolo gaudentem, *Non quæ super terram*; fuit etiam Dionysij Lambini viri doctissimi Mecenas.

Sadol. lib. 6. epist.

De Coste lib. 2. hist. Cath.

Edidit statuta Synodalia Lugduni anno M. D. LX.

Bipartitum parmæ solum in I. cæruleo liliis aureis incerto numero, in II. miniato, Leone aureo expressum.

Porte party d'azur, semé de fleurs de lys d'or, & de gueules, au Lyon d'or.



GABRIEL CARDINALIS DE GRANDMONT
CLEMENTE VII.

ANNO CHRISTI M. D. XXX.

SVAM è Regibus Nauarræis originem ducit Grandimontiorum familia, è quâ Gabriel oriundus fuit, cuius Parens Rogerius d'Aste & mater Clara de Grandmont, Ecclesiasticum sequutus Ordinem, Episcopatum Tarbensem ad Atyrum fluuium obtinuit, per cessionem Subdiaconi Ludouici de Tonerre dispensati, vt matrimonium contraheret anno M. D. XXII. Claudio de Tonerre fratre maiore ante paucos menses interempto.

Hic ille Tarbensis Episcopus, quem Franciscus I. Galliæ Rex in Angliam ad Henricum VIII. miserat Legatum anno M. D. XXVI. vt Mariam Principem Walliæ antea Delphino promissam, Aurelianensi potius Duci secundo-genito filio nuptui dari peteret, qui à Volsæo Cardinale callidè circumuentus in Senatu Regis Angliæ, ipso Rege Henrico præsente, oratione habitâ in matrimonium Henrici cum Catharinâ Hispanâ tanquam parum conueniens stylum acuit.

Sanderus lib. 1. de Schism. Anglic.

In Hispaniâ Legatus, quem carceri mancipauit Carolus V. Cæsar audito fœdere contra se ipsum inito inter Franciscum I. Galliæ, & Henricum VIII. Angliæ Reges, anno M. D. XXVIII. mense Augusto: Franciscus au-

tem & Henricus idem in Oratores Caroli præstitêre.

Collegio Cardinalium adſcriptus cum Romæ eſſet Orator Regius tituli ſancti Ioannis ante Portam-Latinam, die Mercurij octaua Iunij, anno M. D. XXX. in ſexta Patrum purpuratorum lectione à Clemente VII. vnde malè Cabrera ait creatum Bononiæ, cum Cardinale Turnonio.

Fuit Pictauienſis Epiſcopus, iniitque poſſeſſionem die Martij vigeſimâ ſextâ, anno M. D. XXXII. poſt vndecim annos in Epiſcopatu Tarbenſi emenſos; tandem in Archiepiſcopatum Toloſanum euectus eſt, Ioanne Cardinale Aurelianenſi defuncto in Taraſconenſi Ciuitate Prouinciæ, quâ in vrbe Rex præſentem Gabrielem pro tanto munere nominauit, cuius Dominus du Faur Prior du Toget, & Abbas Monaſterij Caſæ-Dei poſſeſſionem eius loco iniit die vigeſimâ ſeptimâ Octobris, anno M. D. XXXIII. eodemque anno à primâ die Dominicæ Conceptionis (antiquorum more) numerato, die decimâ quintâ menſis Martij Toloſam ingreditur Cardinalis de Grandmont, huius ingreſsûs habetur mentio in Eccleſiæ archiuis.

Cur Clemens 7. Maſſiliæ. Procurauit Clementis Pontificis colloquium Maſſiliæ cum Rege Franciſco, anno M. D. XXXIII. in quo conſilia ineunt hæreſum opprimendarum & Mediolani recuperandi, ibidemque Pontificia neptis Catharina filia Laurentij Medicæi Ducis Vrbinatis deſpondetur Henrico Valeſio.

Bouchet in Annal. Aquit. Roma reuerſus Gabriel in grauem morbum incidit, vt notauit Ioannes du Bouchet, & aliquot poſt menſes in caſtro d'Abalme non longè à Toloſa obiit, die vigeſimâ ſextâ Maij, anno M. D. XXXIV. ſepultuſque in Eccleſiâ Caſtri de Bidache propè Bearnum, apud ſuos in Diœceſi Baionenſi. Gilles in hiſtor. Franc. Nicolaus Ægidius refert eum vitâ functum in legatione Hiſpanicâ, ſed hæc multò fuit anterior morte.

Eſcu de Grandmont. Quadripartita parma in I. & IV. laterculo aurea Leone miniato, in II. & III. argentea, faſciâ in apice cæruleâ denticulatâ expreſſa.

Portoit eſcartelé au I. & 4. d'or au Lyon de gueules, au 2. & 3. d'argent, à la face d'azur dentelée en chef.



Anno Christi M. D. XXXIV.

IOANNES CARDINALIS LE VENEVR MAGNVS FRANCIÆ ELEEMOSYNARIVS CLEMENTE VII.

ELECTVS Ioannes le Veneur è Comitibus de Tillieres in Neuſtriâ patre Philippo le Veneur, matre Mariâ Bloſſet in Epiſcopum Lexouien-

sem die secundâ Octobris, anno M. D. V. defuncto auunculo Stephano Elosseto antecessore. Nepotem habuit Gabrielem le Veneur Episcopum Ebroicensem, qui subscripsit Synodo Tridentinæ. Fuit illi Patruus Ioannes le Veneur Abbas Floriacensis, sancti Germani Diœcesis Bellouacæ, mortuus quarto Calendas Februarias, anno M. CCCC. LVI. Eius prosapiæ Taneguinus le Veneur Comes de Tillieres, Dynasta de Carrouges, (cuius coniux Magdalena de Bassompiere) Orator Regius in maiore Britanniâ, parens Henrici le Veneur Comitis de Carrouges, & Francisci Abbatis.

Rege Francisco magno agente Massiliæ ob fœdus cum Pontifice, & ob nuptias Henrici natu-minoris filij (nam Franciscus erat primogenitus & Delphinus) cum Catharinâ Medicæâ nepte Clementis VII. Summi Pontificis illic præsentis, creatus est Presbyter Cardinalis Ioannes tituli sancti Bartholomæi in Insulâ cum aliis tribus Claudio de Giury, Philippo de la Chambre & Odeto de Chastillon die septimâ Idus Nouembres, anno M. D. XXXIII.

Magni Franciæ Eleemosynarij dignitate cohonestatur à Francisco I. Libelli famosi in Regiâ aulâ compilatim Lutetiæ multisque Franciæ Vrbibus Sacramentariorum coniuratione teterrimâ eadem nocte, mense Octobri contra Sacro-sanctum Eucharistiæ Sacramentum & missam affixi, ad quorum scelus expiandum, celeberrima anno M. D. XXXIV. pro conseruandâ Religione Catholicâ celebrata est lampadephoria, & indicta nomine Regio à Magno Franciæ Eleemosynario Cardinale le Veneur: delatæ sacræ reliquiæ, corona Christi spinea, lignum crucis, clauus, ferrum lanceæ à Diui Germani fano ad D. Virginis. Rex Franciscus præsens capite nudo tœdam manibus deferens: aderant Cardinales Turnonius, ipse le Veneur, Castillonæus, & à Lotharingiâ, sacram synaxim deferebat Episcopus Parisiensis Ioannes du Bellay, vmbellam gestantibus Delphino, Ducibus Aurelianensi & Engolismensi filiis Regis, & Duce Vindocinensi primo Principe. Processio celebrata pro hæresi extirpandâ.

Etiamnum Ioannis effigies visitur apud sacras cæcorum trecentorum Parisiensium ædes, qui subsunt Principi Eleemosynario, in fenestrâ vitreâ. Hæc autem leguntur, *Ioannes Cardinalis le Veneur magnus Franciæ Eleemosynarius*, domus hospitalis memoratorum cæcorum statuta aliqua in meliorem redegit formam.

Anno Domini M. D. XXXIX. die quartâ Augusti Collegium Mignonæum, in quo nec res sacra fiebat, nec Bursariorum duodenarius numerus conseruabatur integer, suscepit reformandum hic Cardinalis, quod postea Abbati de Grandmont collatum est pro Prioratu eiusdem Ordinis dato Patribus Minimis apud Vicennas prope Lutetiam, Henrico III. id volente, & decimo quarto Maij, anno M. D. LXXXIV. & conseruante Henrico IV. die Iunij decimâ octauâ, anno M. DC. V.

Querimonia ad Franciscum I. Regem delata de Francisco Picart è nobilibus parentibus orto Doctore celebri Facultatis Parisiensis & insigni præcone Verbi diuini, Decano sancti Germani, ab iis qui malè de Religione Catholica sentiebant illo æuo & exordio Sectariorum in Francia, tunc Magnus Franciæ Eleemosynarius Cardinalis le Veneur Pi- Hilarion de Coste lib. 2. hist. Cathol.

cardi amicus præsens aderat, calumniam repellere non potuit: aderant Cardinalis du Prat Cancellarius, Iacobus Parui Dominicanus Episcopus Syluanectensis Regi Francisco à confessionibus, & Guillelmus Brissonet Antistes Meldensis. Incarceratus fuit Picart tanquam reus seditionis prædicatæ apud populum; super qua interrogatus à Poyeto Patrono Generali Senatus Parisiensis, postea Nomophylace: deinde proscriptus Rhemos, alij etiam Doctores inter quos Natalis Beda, qui scripsit contra Erasmum Rotherodamum. De reuocando Picart ab exilio laborabat noster Cardinalis, cum Dominus de Fontenay ab ærario Regio dedit epistolam Ioanni Picart Domino d'Atilly & de Villeron Parenti Francisci Doctoris inter alia scribit vernaculè. *Ie n'ay voulu faire presenter la requeste que m'auez enuoyée pour vostre fi's, bien ay-je au long communiqué de l'affaire d'iceluy auec Monseigneur le Cardinal le Veneur, qui est de vos amis, & auons aduisé luy & moy de ce qui estoit de faire, i'espere que de cette heure auez entendu nouuelles de sa deliurance.* Maximo honore exceptus Lutetiæ, & innocentia eius omnibus significatâ.

Picart Doctor Parisien. incarceratus.

Romæ vitam finiit septimo Augusti die (Ciaconio Nonis Ianuarij) anno M. D. XLIII. ibidémque sarcophago contentus.

Tessera argentea tæniâ cæruleâ, tribus crucibus aureis depicta.

Portoit d'argent à la bande d'azur, chargée de trois croix d'or.



Anno Christi M. D. XXXIII.

PHILIPPVS DE LA CHAMBRE CARDINALIS BOLONIENSIS CLEMENTE VII.

LVDOVICVS Pater Cameræ in Sabaudiâ Comes, Vicecomes Brannouicensis *de Maurienne*, Anna de la Tour nuncupata Boloniensis mater secundis nuptiis; nam primis fuerat iuncta Alexandro Stuart Scoto Duci Albaniæ.

Corbeia Abbatia.

Monachus & Abbas Corbeiensis ad Somonam, quæ Abbatia in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, anno Verbi Incarnati DC. LXII. fuit extructa sanctæ Bathildis Clodouei II. Franciæ Regis viduæ munificentiâ. Maternus frater Ioannis Stuart Ducis Albaniæ, qui interfuit prælio Ticinensi, anno M. D. XXIV. antea Mediolanum nomine Francisci Regis ceperat Comite Iacobo de Chabanes, Dynastâ de la Palisse: obsedit vnà cum Lautreco Neapolim, anno M. D. XXIX. Catharinæ Medicææ Reginæ

proximâ

proximâ cognatione coniunctum Philippum testatur Iac. Aug. Thuanus eundemque virum grauem, ac litteratum extitisse; nam quod ad illam cognationem attinet, certum est Catharinam Reginam natam vnicam Laurentio de Medicis Vrbinatum Duce, & Margaretâ de la Tour Comitissâ Aruerniæ & Lauraci: vnde Anna Philippi nostri mater fuit matertera maior Catharinæ Medicææ, cùm Ioannes de la Tour Catharinæ fuerit auus maternus, & frater Annæ matris Philippi nostri. Obseruatione porrò dignum est Bertrandum de la Tour auum maternum Cardinalis Boloniensis Comitem fuisse Boloniæ & Aruerniæ, & permutasse Comitatum Boloniensem cum Lauracensi. Lib. 5. histor. sui temporis. Comitatus Bolonien. pro Lauracensi.

Episcopus fuit Morinensis post Ioannem à Lotharingiâ Cardinalem, accepitque Cardinalitiam purpuram à Clemente VII. anno Pontificatûs decimo, die septimo Idus Nouembris, anno M. D. XXXIII. Presbyter tituli sancti Martini in montibus post titulum sanctæ Mariæ trans-Tyberim, ac tandem Episcopus Cardinalis Tusculanus; vnde non mirum si in collegium Cardinalium fuerit cooptatus in nuptiis cognatæ Catharinæ Medicææ cum Henrico Francisci I. secundo genito, quas celebrauit Massiliæ Clemens VII. eiusdem Catharinæ patruus.

Calculum suum dedit electioni Alexandri Farnesij in Paulum III. anno M. D. XXXIV. aderant in ea electione alij Franci, Franciscus Cardinalis de Clermont, Ludouicus Cardinalis Borbonius, Franciscus Cardinalis Turnonius, Ioannes Cardinalis le Veneur, Claudius Cardinalis de Giury, Philippus de la Chambre Cardinalis Boloniensis, Ioannes Cardinalis Lotharingus, Odetus de Colligny Cardinalis de Chastillon. Aberant Erardus Cardinalis de la Marck, & Antonius Cardinalis du Prat. Creatio Pauli 3.

Romæ die septimâ Februarij anno M. D. L. Iubilæi contracto ad XXV. à Sixto IV. elegit Iulium III. alij etiam vndecim Galli Cardinales eundem elegerunt.

Defunctus Romæ nono Calendas Martias, anno M. D. L. inhumatusque est apud Templum Minimorum sanctæ Triados in monte Pincio. Iulij III. anno Pontificatûs primo.

Scutum quadripartitum, I. & IV. laterculi contraquadripartiti parmâ aureâ vexillo coccineo: II. & III. cærulea, sparsis liliis aureis, argenteâ turri, scutulo superapposito aureo byzantinis tribus miniatis; II. & III. cæruleâ tribus liliis aureis, miniatâ perpetui ductus clabulâ impressum.

Escartelé au I. contrescartelé au I. & 4. d'or au gonfanon de gueules, qui est d'Auuergne: au 2. & 3. d'azur, semé de fleurs de lys d'or, à la tour d'argent, qui est de la Tour, & sur le tout de ces quatre quartiers d'or, à trois tourteaux de gueules, qui est de Boulogne. Au 2. & 3. des quatre grands quartiers d'azur à trois fleurs de lys d'or, au baston de gueules pery en bande brochant sur le tout.



ANNO CHRISTI M. D. XXXIII.

CLAVDIVS DE LONGVIC CARDINALIS DE GIVRY

CLEMENTE VII.

E Nobilissimis de Pagny & de Giury Claudius de Longouico, Philippi Dynastæ de Giury, Baronis de Pagny, & Ioannæ Baufremontiæ Dominæ de Mirebeau filiæ Petri Comitis de Charny filius, origine Sequanus. Imprimis Canonicus & Archidiaconus, postea anno M. D. XIII. Episcopus Matisconensis, resignante patruo Stephano. Noster Claudius auunculus extitit Philippi Chabot Franciæ Admiralij, Comitis de Burensais, & Charny, Proregis Burgundiæ; auunculus Annæ Descars Episcopi Lexouiensis Cardinalis de Giury à Clemente VIII. & Caroli d'Escars Lingonensis Episcopi quadraginta quatuor annos: ad Sedem Lingonensem translatus est, mortuo prædecessore Michaële Boudet Blesensi, qui fuerat anno ætatis vigesimo Senator Clericus Lutetianus.

Tribus pòst annis factus à Clemente VII. Summo Pontifice Massiliæ, illic agente cum Francisco I. Cardinalis S. Agnetis in Circo Agonali, nunc à Romanis vocitatur (*Piazza Nauona*) agente inquam causâ matrimonij Ducis Aurelianensis Henrici de quo antea est actum à nobis.

Interfuit exequiis Francisci Regis cum aliis Cardinalibus nouem Ferrariensi, Turnonio, Castillonæo, Bellaio, Ambosiano, d'Armagnac, d'Annebault, de Lenoncourt, & de Meudon, anno M. D. XLVII. & inaugurationi Henrici II. die sanctæ Annæ sacrâ, ceremoniam peragente Ioanne Cardinale Lotharingo Archiepiscopo Rhemensi.

Ambianensis etiam Episcopatûs infulis ornatus est (cuius suffraganeus Iacobus le Doux Episcopus Ebroicensis anno M.D.XLI. & sequētibus) mortuo Cardinale Matisconensi. Fuit etiam Pictauiensis Præsul, quibus tandem nuntium remisit. Abbas sancti Benigni, præterea Stephaniensis Diuione, ac Pulteriarum. Prior itidem sancti Leodegarij in Burgundiâ, & Thesaurarius S. Martini. Scutū cæruleū tæniâ aureâ. *D'azur, à la bande d'or.*

Onuphr. Ciacon. Cabrera Petram.

Sub Iulio III. Marcello II. & Paulo IV. Pontificibus primas inter Presbyteros S. R. E. Cardinales tenuit, Archipresbyterum vocant, vir continentiâ, pietate, beneficentiâ potissimùm in Ecclesiâ commendandus.

Diem clausit extremum Mussi octogenarius Sabbatho die quinto Idus Augusti, anno M. D. LXI. (non M. D. LX. vt vult Antonius Petramelarius) se-

pultus Lingonibus ad cornu dextrum maioris altaris Basilicæ Cathedralis sancti Mannetis (olim Patronum habuit sanctum Ioannem Euangelistam) in sepulchro, quod sibi viuens condiderat Resurrectionis memor; statua inspicitur ænea cum epitaphio.

Ipsius symbolum Crucifixi imago & cornu copiæ cum his verbis. *Abundantia diligentibus.* Eo amore in Deum Proximumque flagrabat, vt iurgiorum & litium esset omninò nescius; vnde illud sæpe sæpius in ore versabat. *Vix esse Christiani, litigare.*

Breuiarium seu formulam precum horariarum typis elegantibus euulgauit, anno M. D. LX.



ODETVS DE COLLIGNY CARDINALIS DE CHASTILLON CLEMENTE VII.

Anno Christi M. D. XXXIII.

GASPARDVM I. Dominum de Chastillon ad Lupam & d'Andelot, Franciæ Polemarchum patrem habuit Odetus, matrem verò Ludouicam Mommoranciam viduam Friderici de Mailly Baronis de Conty, filiam Guillelmi de Mommorency, & Annæ Pot, sororem Annæi Ducis de Mommorency Franciæ Connestabilis: fratres ei duo fuêre, Gaspardus de Colligny II. nomine Dominus de Chastillon, Franciæ Admiralius, Franciscus de Colligny Dominus d'Andelot, pedestri militiæ Franciæ Præpositus. Catholicis parentibus natus est, anno M. D. XXIII. Calendis Februariis, die Dominicâ, eodem nempe anno, quo moritur parens: erat præditus doctrinâ, industriâ, sagaci ingenio & vnicuique gratissimus priusquam in teterrimam piam & picem hæresis laberetur.

Effectus est Diaconus Cardinalis sanctorum Sergij & Bacchi à Clemente VII. Massiliæ, Francisco I. præsente, anno M. D. XXXIII. in nuptiis Catharinæ Medicææ, tunc iuuenis literis instructus & bonâ indole præditus.

Fuit Archiepiscopus Tolosanus mortuo Cardinale de Grandmont, anno M. D. XLIV. quo sedente Tolosæ Parœcia S. Stephani Protomartyris (cuius Curio vocatur Capellanus maior) vnita fuit eiusdem Ecclesiæ S. Stephani Metropolitanæ Capitulo, vt patet ex bullâ Pauli Summi Pontificis anno M. D. XLV. datâ, in quâ hæc sunt de nostro Cardinale verba. Odetus SS. Sergij & Bacchi Diaconus Cardinalis, de Castilione nuncupatus perpetuus Ecclesiæ prædictæ administrator in spiritualibus & temporalibus.

Episcopus Bellouacensis Comes, & Par Franciæ successit Carolo *de Villiers de l'Isle-Adam.*

Interfuit Colloquio Possiacensi, anno M.D.LXI. mense Septembri & Octobri. Agebatur de consensionis inueniendâ viâ in dissidiis Religionis. Octauo Calendas Octobres Cardinalis Lotharingus in conuentu hæreticos adegit exprimere à quo missi essent; per cuius impositionem manus euangelizandi potestatem accepissent: dein de præsentia sanctissimi Christi Domini corporis in Eucharistia conuenirent necne cum Catholicis, in eo dogmate si conuenirent, posse procedi & aliis quoque in controuersiis concordiæ viam inquiri: sin autem in eo dissentirent, nec Catholicæ doctrinæ cederent, nihil vltra disceptandum, quòd consensionis nulla spes relinqueretur. Ad hæc Beza, qui solus ex aduersariis eo die locutus est, cum quædam perplexè respondisset, eò summam dictionis suæ redegit, vt peteret scriptum sibi id, quod ex se quæreretur, dari, continuóq; Cardinalis scripsit, & Lainio Societatis IESV Generali & Doctoribus ostensum hæretico dedit. Indignè tulit Cardinalis Ferrariensis Legatus hæreticos ministros, cum interim Catholici Doctores starent, sedisse, egit vt deinceps ea indignitas, adeoque insignis Orthodoxæ sapientiæ & reipublicæ nota remoueretur: ex eoque die nulla fuit sedendi potestas hæreticis. Tertiò inde die iterum conuentum. Venit eòdem Catharina Medicæa Regina mater, Antonius Rex Nauarræ cum vxore sua Ioannâ, eiusque frater Princeps Condæus sua item cum Coniuge (quamquam hæc in conspectu non apparuit, sed è quadam ianuâ prospectauit) Dux Guisius, eiusque frater Dux Aumalæ, Dux Mommorancius & alij Concilij Regij Principes. Aderant & quinque Cardinales, qui priore in conuentu interfuerant, Lotharingus, Borbonius, Arminiacus, Guisius, Castillonius, viginti quinque Episcopi, totidem prope Doctores, inter quos vnâ cum Lainio quatuor ex ijs erant, qui cum Legato Pontificio venerant.

Verba Caroli Card. Lotharingi contra ministros hæreticos.

Legatus interesse noluit, nec Turnonius Cardinalis. Ac cæterorum quoque plerique abfuissent, quod videbant Concilium id ad res Fidei tractandas nequaquam legitimum esse, nisi ad maiorem auertendam perniciem seruiendum tempori censuissent. Postremò aduocati sunt hæretici ministri. Ac Beza exorsus dicere significabat Ministros nonnihil commotos, quòd iussi essent profiteri à quonam missi essent: vnde potestatem accepissent docendi, tamen ei percunctationi, quo cumulatius faceret satis, velle se de scripto respondere. Ac protinus libellum profert, vt appareret præmeditata loqui, & in quæ sui gregis homines conuenissent. Demum id vnum dixit, defectu Præsulum coactos extra ordinem venire ipsos sine vllius impositione manus. Nam Præsules Ecclesiæ Catholicæ pro veris à se Præsulibus non haberi, quippe qui non essent ingressi per ostium, sed pecuniâ irrepsissent. Ad hæc se à Principibus suis & Magistratibus lectos esse. Scriptum etiam dedit, quid ab ipsis de Christi Domini præsentiâ in Sacramento concedi posset, quod mutilum longeque alienum ab Catholicorum dogmatis erat. Respondit continuò Cardinalis Lotharingus & sapientissime (vt eos apud Reginam & Principes, quam meruerant, vocaret in inuidiam) persecutus est, euidenterque ostendit insana eorum consilia

Legatus Pontifici & Card. Tornonius interesse noluit mense Octobr. Theodorus Beza loquitur.

non ad Ecclesiasticæ modò, sed ad Regiæ quoque euersionem potestatis tendere, & ad confusionem rerum omnium. Deinde ostendit quàm rectè, piéque in Catholica Ecclesia Præsulum creatio fieret: vnde apparebat quàm absurdè ineptéque demum per intolerandam superbiam, vt se ipsi intruderent, defecisse veros Præsules comminisci auderent.

Locutus est Petrus Martyr vernaculâ Italorum linguâ (hac enim, quod Gallicè nesciret, voluit eum Regina loqui potius quàm Latinâ) multa impius de diuinissimo Sacramento fraudulenter disputauit, vetus gladiator, exercitæque in sanctissimo Christi petendo corpore impudentiæ & fraudis. Ausúsque etiam est honestissimum illum adhortari consessum, vt execranda blasphemiarum suarum portenta in animos admitterent. Huic quoque cum idem Cardinalis, ac Espencæus Sorbonicus Doctor insignis respondisset, Lainius, quem Cardinalis Legatus adhortatus erat, vt ipse quoque loqueretur, hunc in modum Italica & ipse recenti lingua, conuersâ ad Reginam oratione cœpit. Petrus Martyr loquitur Italicâ linguâ.

Quamquam, Regina, in aliena republica hospes curiosus non debet esse; tamen quoniam fides sancta non vnius propria Nationis, sed communis & Catholica est, nequaquam alienum arbitror Maiestati vestræ significare id, quod mihi vniuersâ de re, de qua hic agitur & priuatim ad quædam, quæ frater Petrus Martyr (pupugisse hæreticum dicitur ea præfatio, abiectæ cucullæ exprobratrix) & collega eius obiecère, in mentem venit. Ac primum quidem, quantum ego lectione vsuque perpetuo comperi, res est ingentis periculi cum iis agere, qui ab Ecclesiâ sanctâ deficiunt, & audire eos. Nam, vt in Ecclesiastico est. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropriant bestiis?* Qui Ecclesiam deserunt, eos diuina scriptura lupos in vestimentis ouium vocat, & vulpes, vt intelligamus valdè ab ijs cauendum esse propter eorum imprimis simulationem ac dolos, quibus omnium ætatum hæretici vsi sunt. Pelagiani, qui negabant gratiam Dei necessariam viresque, quas non habet, tribuebant naturæ, adacti ab Ecclesiæ Magistratibus, apud eos quidem profitebantur gratiam necessariam esse: at suis asseclis clam in angulis insusurrabant, se nomine gratiæ naturam intelligere gratis à Deo nobis tributam. Quidam fuêre, qui negabant resurrectura ex morte corpora, aiebantque tantum animæ resurrectionem esse, tumque eam resurgere, cum per Dei gratiam sancta fit. Hi interrogati num Resurrectionem hac in carne crederent, prorsus affirmabant, sed furtim suos dein admonebant, resurgere animam in carne, videlicet, quod carni coniuncta, dum in corpore est, gratia Dei fit iusta. Eadem possent de sectis aliis singillatim dici. In vniuersum Sectarij omnes eò conueniunt, vt fateantur esse Catholicam Ecclesiam, esse eius Rectores ac Ministros, esse diuinorum librorum saltem nonnullorum certam diuinamque auctoritatem; ac pro se quisque suam Ecclesiam, Catholicam Ecclesiam, suos Magistratus ac Ministros, veros ac legitimos Magistratus ac Ministros; sensum Diuinarum literarum, quem ipse eruit, germanum, verum, Catholicum esse contendit. Et tamen certum vtrumque hoc est, nec Ecclesiam, nec Ministros eorum, nec sensum, quem imponunt scripturis, verum esse & Catholicum, sed Catholici imitatorem ac simiam. Idcirco ne-

Oratio Lainij Generalis Soc. Iesv.

Orlandin. part. 1. Annal. Soc. Iesv lib. 5

Ecclesiastic. ca. 12.

cesse est, vt qui eos audit, oculos diligenter intendat, vt pericula vitet. Quare mihi, Regina, succurrebat Maiestati vestræ remedia afferre duo: quorum alterum mihi quidem bonum videtur, alterum minimè malum. Prius est, vt vestra Maiestas intelligat, nèc suum, nec humani cuiuspiam esse Principis agitare Fidei res; quod talibus Principibus harum potestas rerum non est: præterquam quod ferè eiusmodi homines non solent in subtilibus ac reconditis de Religione disputationibus versati esse; ratioque vult, vt fabrilia fabri tractent. Sacerdotum igitur est hoc negotium. Et quoniam res Fidei causæ sunt maiores, ad Sacerdotem summum & generale Concilium statuere de ijs spectat. Quod Concilium cum in præsentia apertum sit, nec æqum, nec legitimum videtur conuentus hos habere. Idcirco Patres in Basileensi Synodo congregati (*hanc citauit maximè quia & eam hæretici probabant*) quandiu Oecumenicum Concilium duraret, sexque ante menses Prouincialia vetuêre fieri. Ergo remedium quod dicebam bonum est, vt vestra Maiestas istos ad Concilium mittat. Quia cum & docti homines nationum omnium conueniant, & cum in eo (quod caput est) certa sancti Spiritus præsētia & rectio adsit, quam hic polliceri nobis haudquaquam possumus: cumque Pontifex saluos ac tutos sit præstaturus, si inducant animum ire ac doceri, quod velle se dictitant, multò id eo loco meliùs fiet. Quamquam vt id, quod res est, dicam, haud mihi isti persuadent velle doceri; sed docere, & sua latè venena spargere, quippe qui loco audiendi alios, sesquihoras declamant. Alterum remedium haud illud quidem bonum, sed minimè malum est, vt, quando vestra Maiestas istorum miserta, vt indulgentiâ & caritate erga eos vtatur, si quo modo demereri & reconciliari Ecclesiæ queant, disputari vult: id fiat dumtaxat coram doctis exercitatisque viris, qui procul à periculo sint, ne inficiantur, ac perturbentur; imo coarguere & docere istos queant, & hac viâ vestræ etiam Maiestati & his illustrissimis Principibus hæc audiendi molestia eximetur.

Anno sequenti M. D. LXII. Archidiaconus sancti Adriani proclamatus à Iulio III. Ad partes Hæreticorum defecit animam lue Caluinianâ inficiens; Bellouaci Paschatis festo communicauit sub vtraque specie, vocatusque Comes Bellouacensis Martem & arma sequutus, quem erroris monuit Pius IV. Verum frequentibus literis & monitis surdam aurem præbuit; quare Summus Pontifex anno sequenti, pridie Calendas Aprilis, die Mercurij secreto Patrum, qui aderant, Consistorio Hæreticum declarauit, priuauitque Cardinalitiâ dignitate, Episcopatu Bellouacensi & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidiaconatu, aliisque Sacerdotiis; quo accepto nuncio resumpsit purpuram Odetus quam deposuerat, illoque habitu in Ecclesiæ contemptum duxit vxorem, imò concubinam Isabellam de Hauteville Dominam de Loré, primâ die Decembris, anno M. D. LXIV. duo fratres subscripserunt connubiali contractui, & familiæ suæ sigillis obsignarunt, vnus è Sectariorum ministris Petrus Melet aderat; eò impudentiæ progressa est hæc concubina, vt post quadraginta annos ausa fuerit litem mouere in Senatu Parisiensi pro dote: cecidit causâ die trigesimâ Iulij, anno M. DC. IV. causam agitante patrono Regio Ludouico Seruino iuxta Va-

lentiniani Theodosij & Arcadij legem, *Qui contra legem*, inquiunt, *praecepta vel contra mandata constitutionesque Principum nuptias forte contraxerit, nihil ex eodem matrimonio, siue ante nuptias donatum, siue deinceps quodammodo datum fuerit, consequatur.* L. 4. qui contra C. de incest. & inutil. nupt.

Incedit purpuratus licet hæresi pollutus; sic autem effectum Pij V. diligentiâ, vt non modò habitum Cardinalis volens nolens dimiserit, verum etiam locus ei in consilio vtroque Regio fuerit denegatus. Ecclesię Catholicæ desertor & transfuga ad paludes Anglicanas hæresis limo infectas se conuertit, vt liberiùs in cœno viueret. Ronsardus Francorum Poëtarum Princeps Odeti sæpe mentionem facit suumque Magistrum appellat, & ita canit lugubri carmine.

Las! que ie suis marry, que cil qui fut mon maistre
Depetré du filet ne se peut recognoistre,
Ie n'aime son erreur, me taire ie ne puis
Vn si digne Prelat, dont seruiteur ie suis,
Qui benin m'a serui, quand fortune prospere
Le tenoit pres du Roy, de Seigneur & de Pere.
Dieu preserue son chef de mal-heur & d'ennuy,
Et le bon-heur du Ciel puisse tomber sur luy.

Procurabat ibi Reginæ Elizabethæ matrimonium cum Henrico Andegauensi Duce, postea Gallorum Monarchâ; nunquam Odetum Elizabetha habebat obuiam, quin osculo eum salutaret, eidem & vxori ædes dedit habitandas vulgo *Sion* ad Tamesim non longè ab Hamptoncurio. Nunquam Reginæ Anglicanæ aulam inuisebat præsentibus Franciæ Legatis Caroli IX. Dominis de la Mothe Fenelon, & la Forest Bouchetel.

Efflauit miser animam Cantuariæ in Angliâ, anno M. D. LXVIII. die Sabbathi decimâ sextâ Calendas Martij, tum annum attigisset quadragesimum sextum: ferunt Domesticos odio ductos in pellicem Odeti toxicum præparasse in ferculis; Odetus, re non cognitâ, cibos gustauit, & veneno est infectus: alij referunt puluere cibi concoctiuo veneno admixto extinctum. Cantuariæ sepultū est cadauer, & anima ad Christi tribunal euocata, rationem villicationis malè gestæ redditura. Nec solus è Galliæ Prælatis Fidem Catholicam deseruit, alij etiam vt Ioannes de sainct Gelais Episcopus Vticensis professus Caluini Hæresiarchæ errores eiurato Episcopatu, Iacobus Spifame Præsul Niuernensis pœnâ capitis Geneuæ mulctatus vigesimâ quintâ Martij, anno M. D. LXV. Antistes Tricassinus Ioannes Antonius Caracciolus Principis Melphitani F. quondam Abbas sancti Victoris Parisiensis. Gaspar Galliæ Thalassiarcha hæresis labe aspersus multum contulit ad animum fratris Odeti à Religione Catholicâ & auitâ auocandum, ipsum etiam Colloquium Possiacum, in quo præsentes fuerunt Borbonius, Turnonius, Lotharenus, Arminiacus, & Guisius Cardinales: bellè depictum visitur in celeberrimo Castro Meudoniensi iuxta Lutetiam.

Ioanna Albretia Nauarræ Regina, Princeps Condæus & Admiralius saluum-conductum ministris Satanæ procurauêre, nimirum Theodoro

Hæretici in Colloquio Posſiaco.

Bezæ Caluini primario diſcipulo, Franciſco à ſancto Paulo Marlorato, Ioanni Raymundo, Ioanni Vireto, Petro Vermillio aliàs Martyri patriâ Florentino, & à Duce Vitemburgico miſſis Ioanni Andreæ, Balthazari, & Iacobo Butzlino, qui paulò poſt eſt Lutetiæ mortuus. Comes Palatinus Rheni ſuos legauit Michaëlem Illierum & Petrum Boquinum; Caluiniſtæ id vnum petiêre, vt ſibi liberum eſſet vbique prædicare, edicti etiam contra Hugonotos dati præcedente menſe Iulio, anno M. D. LXI. abrogationem efflagitarunt. Aderant in eo Conuentu Theologiæ Facultatis Pariſienſis Doctores non pauci qui ſe murum pro Eccleſia Catholica poſuerunt.

Eſcu de Chaſtillon.

Scutum Caſtillonæum muricatum, aquilâ argenteâ roſtro & cruribus cæruleis, linguâ, faculis aureis.

De gueules à l'aigle d'argent, membré & becqué d'azur, armé & lampaſſé d'or.



Anno Christi M. D. XXXIII.

IOANNES D'ORLEANS CARDINALIS DE LONGVEVILLE CLEMENTE VII.

E Ducibus Longauillæis Ioannes d'Orleans Regij Stemmatis & Principum Dunenſium familiâ, Dominus de Baugency, Franciſci Longauillæ, & Agnetis à Sabaudiâ filius natus Partheniaci Pictonum, anno M. CCCC. LXXXIV. Eius frater Franciſcus Aurelianenſis, Comes Dunenſis, & I. Dux Longauillæus, cuius auus Ioannes ille nothus Aurelianenſis, Comes Dunenſis, ſui temporis Dux & copiarum Ductor omni admiratione maior floruit. Archiepiſcopus Toloſanus anno M. D. II. Annos natus duodeuiginti ſucceſſit in Archiepiſcopatu Hectori Borbonio notho filio Ioannis II. Ducis Borbonij. Ingreditur ſolemni ceremoniâ Toloſam Ioannes, anno M. D. XXII. Dominicâ *Lætare* præſentibus Philippo de Leui Epiſcopo Mirapicenſi, Ioanne du Prat Epiſcopo Montis-albani, Simone *de Beau-ſoleil* Epiſcopo Vaurenſi & Bernardo de Lordat Epiſcopo Apamienſi.

Ioannes Comes Dunenſis

Cardinalis ſancti Martini in Montibus creatur à Clemente VII. Bononiæ anno M. D. XXXIII. nono Calendas Martias (debuit præferri quatuor præcedentibus) vix anno integro Cardinalis.

Regis Franciſci conſanguineus, literarum ſcientiâ, vitæ munditiâ, omnium virtutum cumulo mirabilis fuit: vnde Bertrandus in hiſtoriâ Toloſa-

nâ de ipſo verba faciens. Habemus, inquit, nunc vltimum Archiepiſcopum ad præſens viuentem in iuuenili ætate; ſed prudentiâ & honeſtate prouectum, ex altiſſimo ſanguine genus trahentem, quem Deus conſeruet, fratrem Domini, & magni Ducis de Longauilla Domini de Dunois. Curâ & imperio Ludouici Aurelianenſium Ducis, deinde Gallorum Regis hoc nomine XII. educatus in bonarum artium diſciplinâ, vt Eccleſiæ nomen daret, adhuc iuuenis patre orbatur.

T. Dux Longauillæus.

Comitem ſe præbuit Franciſco fratri natu-maiori primo Duci à Longavillâ, dum iter haberet in Nauarram ad Regem Ioannem Albretium Regno reſtituendum: confecto hoc itinere Toloſam ſe recepit; verum, accepto nuncio de morte Franciſci fratris, & de carcere alterius fratris Ludouici in Angliâ poſt *prælium à calcaribus* nuncupatum, Caſtrodunum adit Tutor inſtitutus duorum nepotum, illicque, quod nunc viſitur, Caſtrum bellè fabricatum ædificari curauit. Duxit vnà cum Epiſcopo Laudunenſi è ſtirpe Vindocina Claudiam Ludouici XII. filiam, anno M. D. XVII. vxorem Franciſci I. vt Regio donaretur diademate. Ex Toloſano Archipræſule omnium Canonicorum Aurelianenſium ſuffragio eligitur Epiſcopus Aureliarum, die x. Maij, anno M.D.XXI. retento cum diſpenſatione Leonis X. Toloſano. Anno ſequenti primâ die Maij Aurelias ingreſſus eſt ſolemni pompâ, reoſque criminum more maiorum abſoluit numero CXIV. ex quibus vnus nomine Maturinus Rame Lemouicenſis ab eo abſolutus, cum à iudice ſæculari terræ de Saliniaco, in quâ homicidium patrarat, non habitâ ratione literarum remiſſionis dicti Epiſcopi, ſententiâ latâ ad furcas eſſet condemnatus, prouocaſſetq; ad ſupremum Senatum Burdegalenſem, Senatus-conſulto, viſis ſuper eâ re titulis, & documentis ab Epiſcopo editis pronũciatũ eſt die primâ April. eodẽ anno, remiſſioni ab Epiſc. indultæ locũ eſſe.

Carol. du Sauſſaye in Epiſc. Aurelian.

Senatus-conſultũ Burdegalen. pro abſoluendis ab Epiſcopo Aurel. reis.

Synodales ordinationes Diœceſis Aurelianenſis Iulij decimâ ſextâ, anno M.D.XXV. in vnum cõgeſſit, eaſq; die Mercurij poſt feſtũ Pentecoſtes, habitâ Diœceſana Synodo, publicauit, quarum exordium. *Ex quo diuinâ diſpenſatione contigit nos etſi indignos in hac Sede Apoſtolicâ ſtatui.* Concilio Prouinciali coacto Pariſiis anno M. D. XXVIII. ab Antonio à Prato Senonenſi Archiepiſcopo non quidẽ interfuit; ſed in eius locum Vicarius Petrus de Stella miſſus & admiſſus. Ipſo ſedẽte Iacobus V. Rex Scotiæ, die 11. Decembris, anno M.D.XXX. in Eccleſiâ Aurelianenſi eſt ſolemniter exceptus, cui data eſt in matrimonium Magdalena Franciſci I. Francorum Regis filia.

Guillel. Bouchetel. in tractat illius ceræmon.

Adfuit coronationi Eleonoræ Auſtriacæ Caroli V. Imperatoris ſororis, & ſecundæ vxoris Franciſci I. huius nominis Francorum Regis, anno M. D. XXX. patenamque geſtabat ſacrum oleum Reginæ inaugurationi addictum ferentem. Eiuſdem Ioannis Toloſanæ Sedis Antiſtitis conſenſu Canonici Regulares S. Stephani, antea Religioſi, ſæculares fuêre habiti, factâ octauo die Martij, anno M.D.XIV. tranſactione cum ipſo Ioanne Archipræſule, confirmatâ Conſiſtoriano Senatus-conſulto XV. Maij anno ſequenti.

Suæ Eccleſiæ amplificandæ admodum ſtudioſus fuit Ioannes; eam enim & altius erigere & ſpatiis amplificare decreuerat, vt nota eſt columna ingens lapidea, quæ iuxta princeps altare Parœciæ aſſurgit, in quâ patent ſculpta eius ſtemmata, & etiamnum Pila Aurelianenſis appellatur. Sacri-

ſtiam in eadem Metropoli à fundamentis erexit. Multa capellarum altaria, quæ chorum circumdant, ædificari curauit: Capitulo etiam Toloſano crucem argenteam auratam legauit, quæ etiam aliquando in ſupplicationibus defertur. Ioannes de Cardaillac Toloſanus Archiepiſcopus Toloſæ in Diui Stephani templo campanam ſuis olim impenſis, nempe anno M.CCC. LXXXVII. fieri curauerat, fractam cùm Ioannes Archiepiſcopus, tum Capitulum communibus impenſis repararunt, vt ex epigrammate huic olim campanæ inſcripto videre manifeſtum eſt, quod hic referre placuit.

Mille quadringentos tredecim minus eſſe ferebant
Annos, cum ſtruerer Præſule Cardalaco.
Cumque nouem ſupra centum & triginta ſtetiſſem,
Eripuit caſu paruula rima ſonum.
Inde anno quinto reparor tunc Principe natus,
Præſul Ioannes Aurelianus erat.

Obiit quinquagenarius anno M. D. XXXIII. menſe Octobri in ciuitate Taraſconenſi Prouinciæ, in quam ſeſe receperat, vt Summo Pontifici Clementi VII. iret obuiam, Maſſiliam accedenti, pro confirmando inter Catharinam Comitiſſam Bononiæ, Duciſſam Vrbinatem, & Henricum Aurelianenſem Franciſci huius nominis primi Gallorum Regis ſecundo-genitum matrimonio.

Scutum Ioannis cæruleum tribus liliis aureis, faſciola argentea, tribus laciniis pendulis, baculo coccineo exaratum. *Portoit d'azur à trois fleurs de lys d'or, au lambel d'argent de trois pieces, au baſton de gueules.*



ANNO CHRIST. M. D. XXXV.

IOANNES CARDINALIS DV BELLAY SACRI COLLEGII DECANVS · PAVLO III.

FAMILIA Bellaiorum ex antiquioribus & nobilioribus Andegauenſis Prouinciæ. Ioannem Bellaium Ludouici Domini de Langey, & Margaretæ de la Tour-Landry filium natu-minorem non minus genere, quam literis & dignitate conſpicuum venerata eſt Gallia, habuitque ſui temporis *literatorum Principem*, cuius fratres fuêre Guillelmus Prorex apud gentes Subalpinas multorum librorum auctor, cuius mauſolæum à Ioanne noſtro

erectum in Ecclesiâ Cenomanensi sancti Iuliani, illi hoc epitaphium scripsit à Cruce Cenomanensis.

Cy gist Langey, qui de plume & d'espée
A surpassé Ciceron & Pompée.

Et Martinus du Bellay Dominus de Langey, ipse & Guillelmus Budæus Achates (qui obiit anno M. D. XL. Lugduni) Academiam Parisiensem collabentem Francisco I. Patrono restaurârunt, Regijque Professores ipsorum suasu instituti à Rege, datis litteris die vigesimâ quartâ Martij, anno M. D. XXIX. Ab eodem Francisco multis Reipublicæ muneribus præfectus, quin etiam Legati vices gessit in fœdere Cameracensi Venetis aduerso, anno eodem, obedientiam nomine Regis præstitit Clementi VII. Massiliæ luculentâ oratione extemporaneâ in nuptiis Henrici II. & Catharinæ Medicææ die decimâ tertiâ Octobris, anno M. D. XXXIII.

Imprimis Episcopus Baionensis anno M. D. XXXII. & Abbas sancti Gildæ Diœcesis Bituricensis, Ordinis sancti Benedicti: postea Parisiensi præfuit Episcopatui, Francisco Poncher defuncto origine Turonẽsi, cuius patruus Stephanus Poncher Prædecessor Cancellarius Mediolanensis, & Galliæ Nomophylax. Lemouicensem Episcopatũ idem rexit, mortuo Ioanne Langiaco, sub quo Monachi sancti Martialis facti sunt Canonici. Cenomanensis Administrator, tum Archiepiscopus Burdegalensis.

Regis Orator Romæ apud Paulum III. à Pontifice, ipso Rege requirente, creatus est Presbyter Cardinalis duodecimo Calendas Iunij, secundâ Cardinalium creatione, anno M. D. XXXV. sanctæ Cæciliæ, deinde sancti Vitalis, licet contradicat Cabrera: nam Episcopus Roffensis titulum S. Vitalis obtinuit, postea sancti Petri ad Vincula, sancti Adriani, cuius Ecclesia instaurata est ab eo, & pristinæ reddita dignitati, & splendori, vt inscriptio præfert in epistyliis, quondam fuit templum Neruæ Cæsaris. Postremò S. Chrysogoni Presbyter est factus, Episcopus Albanus, deinde Portuensis; tandem Petro Cardinale Carafa Episcopo Ostiensi, & sacri Collegij Decano ad Pontificatum assumpto, Decanatus ei oblatus, licet Ludouico Borbonio Episcopo Prænestino, Cardinale antiquiore, verùm à Romanâ Curiâ absente, noster autem inter degentes Romæ Cardinales princeps habebatur. Sex titulos Card. adeptus Bellaius.

Prorex Lutetiæ absente Francisco, cui fuit carissimus, cuius etiam Regis celebrauit exequias, cum aliis nouem Cardinalibus in Ecclesiâ Parisiensi, anno M. D. XLVII. orationem funebrem habente Francisco de Pisseleu Episcopo Ambianensi, & Abbate sancti Cornelij de Compendio, præsentibus nouem Cardinalibus, & quadraginta cùm Archiepiscopis, tum Episcopis. Exequiæ Francisci I. Parisiis. Ipsius curâ Monachi Benedictini Abbatiæ sancti Mauri Fossatensis donati fuêre togâ Clericali, factique Canonici sæculares, vnde etiam vniit perpetuò mensæ Episcopali Parisiensi redditus Abbatiæ. Vnio Abbatiæ S. Mauri. Sub Iulio III. resignauit anno M. D. LI. Episcopatum Parisiensem cognato suo Eustachio Bellaio, qui Synodo Tridentinæ interfuit.

Interfuit Conclaui & creationi Pauli IV. die Ascensionis Dominicæ decimo Calendas Iunij, anno M. D. LV. qui annum agens septuagesimum no-

num creatus est Pontifex, antea vocabatur Ioannes Petrus Caraffa Neapolitanus, Cardinalis Teatinus.

Romæ obiit in hortis suis Quirinalibus die Veneris, natus sexaginta annos & octo, decimo quarto Calendas Martij, anno M. D. LX. in Ecclesiâ Sacro-sanctæ Trinitatis de monte Pineio sepultus, quæ Ecclesia est Minimorum Gallorum, & Cardinalatûs decorata titulo: hic mons dictus collis hortulorum à Salustij hortis.

Scripsit Carminum libros tres.

Orationem Massiliæ coram Clemente VII. & Francisco I. extempore habitam.

Orationes alias aduersus Carolum V. Imperatorem.

Epistolam Galliarum Regis nomine ad Imperij Ordines Spiræ conuocatos.

Parma argentea tæniâ ex minio in fusos digestâ, sex liliis aureis, tribus in summo, totidem in infimo positis exarata.

D'argent à vne bande de gueules fuzelée, accompagnée de six fleurs de lys d'or, trois en chef & trois en pointe.



Anno Chri. M. D. XXXVI.

CAROLVS HEMARD DENONVILLE CARDINALIS MATISCONENSIS PAVLO III.

EPISCOPVS Matisconensis Carolus, anno M. D. XXXI. die vigesimâ Nouembris familiæ Denonuillææ in Beauciæ confinibus, genere & virtute clarissimus parente Petro Hemard Equite Domino de Denonuille Regiâ cubiculis, ac Ioannâ Fremiere. Ad eum misit diplomatis instar litteras Cardinalis à Prato Archipræsul Senonensis, in Francia legatus, quarum hic tenor.

Literæ legati ad Carolum.

Antonius miseratione diuinâ tituli sanctæ Anastasiæ S.R.E. Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Senonensis, Galliarum & Germaniæ Primas, Episcopus Albiensis & Franciæ Cancellarius, & sanctæ Sedis Apostolicæ in Regno Francorum de latere Legatus, Reuerendo in Christo Patri Carolo de Hemard electo Matisconensi salutem. Meruit tuæ deuotionis sinceritas, vt te paterno confouentes affectu, precibus tuis in his præsertim, per quæ tuis indemnitatibus consulitur, quantum cum Deo possumus, fauo-

rabiliter annuamus. Hinc nos, te qui Ecclesiæ Matiſconenſi præes, à quibuſuis excommunicationis, vel ſuſpenſionis & interdicti ſententiis, & ſi quomodolibet innodatus exiſtis, hac ſerie abſoluentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi quoad præfueris, Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Capellas, & alia quæcunque loca intra limites iuriſdictionis Matiſconenſis conſiſtentia, in quibus viſitationis officium de iure vel conſuetudine, ſeu ex priuilegio competit, poſſis liberè per aliquem vel aliquas perſonas idoneas deputandas, quoties tempus ingruerit, etiam plura eadem die viſitare, ac perſonas Eccleſiarum, Monaſteriorum, &c. in vnum locum ſimul conuocare, &c. Authoritate Apoſtolicâ, quâ fungimur in hac parte, tenore præſentium indulgemus, non obſtantibus Conſtitutionibus à felicis recordationis Innocentio IV. & Gregorio X. ac quibuſuis aliis Romanis Pontificibus in contrarium editis, &c. de quibus de verbo ad verbum in noſtris literis mentio ſpecialis fieri deberet, &c. In quorum fidem præſentes literas fieri, noſtrique ſigilli iuſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum apud Druidum de Cadomo Baiocenſis Diœceſis, anno Incarnationis Dominicæ M. D. XXXII. decimo ſexto Calendas Maij, Pontificatûs ſanctiſſimi Clementis Papæ VII. anno nono.

Anno M. D. XXXVI. creatus Cardinalis à Paulo III. quartâ Cardinalium promotione tituli ſancti Matthæi; Regi à conſiliis, deinde Franciſci I. Gallorum Regis Orator in Curiâ Romanâ extitit, aliaſque obiit legationes. Ambianenſis Eccleſiæ poſſeſſionem adeptus die nonâ Decembris, anno M. D. XXXVII. demortuo Franciſco de Haluin de Piennes, finem impoſuit omnibus litibus à prædeceſſore Epiſcopo, & aliis in Capitulum motis. Notandum à Cabrera non bene obſeruari Carolum Hemard habuiſſe orationem funebrem Franciſci magni Regis, cùm hic obierit Ramboüilleti, anno M. D. XLVII. ille M. D. XL. Porro Petrus du Chaſtel Lingonenſis Regi ab Eleemoſynis & Regiæ Bibliothecæ Præfectus Epiſcopus Tutelenſis, poſtea Matiſconenſis orauit, die Maij vigeſimâ tertiâ in funere Franciſci I. apud ſanctum Dionyſium, cum quo filij duo Franciſcus & Carolus Valeſij tumulati, quorum ille ante annum vndecimum, hic autem ante biennium è vitâ diſceſſerat.

Finiuntur lites Capituli Ambianenſis.

Sepultura Franc. I. & filiorũ.

Extrema clauſit Ambiani Carolus die Auguſti vigeſimâ tertiâ, anno M. D. XL. natus annos quadraginta ſeptem; iacet in Cathedrali Ambianenſi cum effigie marmoreâ & hoc epitaphio.

D. O. M.

Et memoriæ Caroli Hemardi Cardinalis Matiſconenſis, & Ambianenſis Epiſcopi.

Quem nunc iacentem Carolum Hemardum vides.
Non ſtemma, opeſve; at vna virtus & labor
Pedetentim ad vſque ſumma vexit munia.
A conſilijs primùm ille Regiis, paulùlum
Poſt Romam ad ipſum Summum Pontificem, ſui
Negotia vt Regis fideliter gerat

Legatus, adeò se vtrique fidum præstitit,
Vt Cardinalium in numerum atque in Ordinem
Adsciret iste; ille Ambianæ Ecclesiæ
Præficeret, in quâ consepultis litibus,
Vt pacis arrham perpetuam corpus suum
Animam Deo linquens sepeliendum dedit.
Anima requiescat in pace.

Scripsit memorialia legationum; de aliis consulenda est Bibliotheca Francisci à Cruce.

Argenteum tulit Carolus parmæ solum quinque fasciis nigricantibus expressum.

Portoit d'argent burelé de sable de cinq pieces.



ANNO CHRISTI M. D. XXXVIII.

ROBERTVS CARDINALIS DE LENONCOVRT PAVLO III.

GENITVS è nobili prosapiâ Lenoncurtiorum (in Lotharingiâ municipium est Lenoncurtium) Patre Theodorico de Lenoncourt Domino de Vignory natus, illius stirpis rami inserti in solo Gallico.

Prior Charitatis D. Mariæ ad Ligerim, Ordinis Benedictini paucis leucis à Niuerno ciuitate dissitæ. Abbas Barbellæ seu Sacri-portûs: etiam Cœnobiarcha Diui Remigij Rhemensis defuncto Patruo Roberto Abbate viro Religiosissimo, qui fuit Archipræsul Turonensis, cuius Præsulatu Monasterium Plessæum Patrum Minimorum viuente sancto Francisco de Paula extructum à Ludouico XI. & Rhemensis, *optimi Archiepiscopi* nomine donatus, non tamen Cardinalis, qui in omnibus ferè templis Rhemensibus munificentiâ luculentissimè demonstrauit, atque à Chenutio cum Roberto nostro confunditur. Ille Episcopus Catalaunensis, mortuo Ægidio Luxemburgensi, anno M. D. XXXIII. die decimâ Octobris, præclaras Episcopi dotes consecutus, quas in Episcopo Doctor gentium requirit, scribens ad 1. Tim. 3. Timotheum Antistitem discipulum suum; Vrbem Catalaunensem ingressus est eodem anno. Hoc Præsule Catalauni Ecclesia sancti Memmij solo

adæquatur, anno M. D. XLIII. ob ingruens bellum inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Regem.

Purpureâ veste induitur in sextâ Cardinalium creatione à Paulo III. decimâ tertiâ die Calendas Ianuarias, anno M. D. XXXVIII. Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ, tum sancti Apollinaris, hunc titulum habuit dimissum à Cardinale Carolo Lotharingo. Dum Romæ ageret ex Presbytero creatus est Episcopus Sabinus. Nepoti Philippo de Lenoncourt postea Cardinali Catalaunensis resignauit Ecclesiæ curam, acceptâ Metensi à Carolo Lotharingo tribus annis post obitum Ioannis Cardinalis à Lotharingia eiusdem Ciuitatis Antistitem, cum Episcopatum conferente Iulio III. anno M. D. LI. Carolus tamen sibi fructus & regressum reseruauit. Possessionem adiit Robertus die vigesimâ sextâ Iunij, operâ Philippi Episcopi Philadelphiæ Suffraganei Ecclesiæ Catalaunensis, & Ioannis Bonneual Canonici eiusdem Ecclesiæ Procuratorum, & octauâ Iulij sequentis vrbem Metensem ingreditur. In festo Sanctorum omnium solemnem missam celebrauit, nilque tale visum à sexaginta sex annis ob Præsulum absentiam: in hac ciuitate *optimi Roberti* nomen est adeptus ob sanctissimos vitæ benè actæ mores. Anno sequenti mense Ianuario diem indixit omnibus Vasallis & Feudatariis Episcopatûs Metensis ad Comitia generalia habenda, inter cæteros, Duci Lothareno ob Comitatum Blammontium, Duci Gemini-pontis, Comiti Nassouiæ, aliisque sexcentis ad sacramentum clientelæ præstandum.

Isto Præsule fauente Galli vrbe Metensi potiuntur anno M. D. LII. ductu Annæi Mommorancij anno præcedente creati Ducis & Conneſtabilis, ac magni Franciæ Magistri, Henrico II. Galliarum Rege, cuius rei meminit Franciscus Belcaius Episcopus Metensis commentario rerum Gallicarum. Præcesserat, inquit, cum primâ acie Annæus Mommorancius Equitum Magister, & Mediomatricum iam Metropolim, Roberto Cardinale Lenoncurtio Episcopo multum adiuuante, ac ciuibus (potissimi fuêre Robertus de Heu, & Gaspar eius frater) ne se tantis viribus opponerent, persuadente, in suam potestatem redegerat. Belcaius l. 6. Comment. Vrbs metensis quō do iuris Gallici.

Feriâ Paschatis secundâ, die decimâ octauâ Aprilis Henricus II. Metas ouans ingreditur, in triumphalibus arcubus hoc symbolum fuit depictum. *Dum totum compleat Orbem. Henricus Gallorum Rex sacri Imperij Protector.* Aquila Imperialis tollitur. Tres dies ibi Rex commoratus, pergens in Germaniam reliquit Proregem Bonnorum Cameræ Regiæ nobilem.

Ob Vrbis Metensis obsidionem à Carolo Cæsare factam multæ basilicæ, Monasteria, Parœciæ, capellæ prosternuntur, Diuorum Arnulphi, Clementis, Martini, Ægidij, Petri, Ludouici, aliaque plura, in suburbiis; eò enim missus fuerat tuendæ ciuitatis ergò Franciscus à Lotharingia magnus Regis Cubicularius sub finem Augusti, anno M. D. LII. comitibus Marchione d'Elbœuf fratre iuniore, Comite de la Rochefoucauld, Comite Rendani, & Domino de Biron lautè exceptis à Duce de Nemours, & in ciuitatem admissis. Carolus V. aduentauit die vigesimâ Nouembris, cuius acies ad centum millia hominum excreuerat, sub finem anni vrbs soluta est obsidione; vnde hoc distichon Carolo Cæsari missum.

Herculis optasti longas transire columnas:
Siste gradum Metis, hæc tibi meta datur.

Anno sequenti M.D.LIII. formam aurei & argentei numismatis feriendi & fabricandi à multis annis alienatam redemit Robertus.

Interfuit Conclaui & creationi Summi Pontificis Pauli IV. Caraffæ anno M.D.LV. die vigesimâ tertiâ Maij, qui successit Marcello II. Politiano viginti duorum dierum Pontifici. Antecessorem habuit in Archiepiscopatu Tolosano Antonium Sanguin Cardinalem de Meudon, anno M.D.LIX. defunctum. Arelatensis Archipræsul post Hippolytum Estensem.

Pium IV. Medicæum anno M.D.LIX. die XXIX. Decembris creauit Pontificem. Sepulchrum Diui Remigij in Archimonasterio Rhemensi pone maius altare eâ formâ, eo lapide, ea pulchritudine extruxit, vt omnibus sit admirationi, in quo videre est duodecim Franciæ Pares tum Ecclesiasticos, tum sæculares, tum Duces, tum Comites affabrè elaboratos. (Sepulchrum D. Remigij.)

A nobis abiit quarto Nonas Februarias, anno M.D.LXI. sepultus Metis in Sacello Cathedralis Ecclesiæ à se structo, & dotato, Patruus Robertus aliud Sacellum Rhemis magnificentissimum ornarat nomine S. Lactis Deiparæ Virginis, in quo etiam iacet defunctus die XXV. Septembris, anno M.D.XXXI. Alij dicunt in Prioratu Charitatis sepultum Cardinalem Robertum, & eius cineres ab Hæreticis in ventum dispersos, anno M.D.LXII. (Sacellum S. Lact.s.)

Ianus Vitalis super Lenoncurtium hos edidit versus.

En purpuratus hic Robertus nobilis
Ille ille Lenoncurtius,
Spirans vigorem mentis & prudentiam
Priscamque fortitudinem.

Argenteum scuti solum, Cruce dentatâ coccineâ.
D'argent à vne Croix dentelée & engrelée de gueules.



(Anno Christi M.D.XXXIX.)

ANTONIVS SANGVIN CARDINALIS DE MEVDON
MAGNVS FRANCIÆ ELEEMOSYNARIVS
PAVLO III.

ANTONII Domini de Meudon magni aquarum & syluarum Franciæ Præfecti filius Antonius Sanguin, cuius auus Ioannes Sanguinus Eques,

ques, qui duxit vxorem Ioannam de Seurre anno M. CCCC. XXV. die decimâ quintâ Septembris. Ducissa Stampensis Anna de Pisseleu cognata nostri Cardinalis: mater Ducissæ Anna Sanguina secunda vxor Guillelmi de Pisseleu Domini de Heilly, soror Antonij Cardinalis; Anna illa de Pisseleu Francisco I. clarissima nupta fuit Ioanni de Brosse, vulgò de Bretaigne, Duci Stampensi, & Comiti de Pentheure. Atauus Guillelmus Sanguin Eques Dominus de Maffliers, Camerarius Regis Caroli VII. primus Oeconomus Ducis Burgundiæ decessit die decimâ quartâ Februarij, anno M. CCCC. XLI. vir multæ ætatis sepultus in sacello Sanguinorum, tumulo erecto apud ædes sacras sanctorum Innocentium Parisiis, scutum illic merulis nigricantibus expressum & cruce atrâ, quod est Cardinalis Sanguini.

Alia est familia nobilis Lutetiæ Sanguinorum de Liury, quorum parma cærulea tæniâ aureâ, tribus glandibus aureis II. & I. in summo, & duabus palmis grifi in imo, ac tribus rosis. Eius gentis Nicolaus Sanguin Præsul Syluanectensis dignissimus, antea Senator Parisiensis æquissimus, cuius frater Præses in eodem Senatu, & vrbis Præfectus. Sanguini de Liury, & de Maffliers diuersi.

Noster Antonius apud Gallos magnæ æstimationis, Regibus Galliæ apprimè carus, in Forensibus causis exercitatissimus, Episcopus Aurelianensis, Ioanne Cardinale de Longue-ville defuncto, ingenio acer, præclaris Reipublicæ gubernandæ artibus clarus: ingressus Aurelias die vigesimâ quartâ Octobris, anno M. D. XXXV. die Dominicâ, quâ CC. LXX. criminis absoluit, liberosque effecit. Abbas Floriaci ad Ligerim à Leobaldo circa reos annum DC. XXIII. fundati. Archiepiscopus Tolosas Paulo IV. cum Odetus de Coligny Cardinalis de Chastillon hæresis notâ infamis in Angliam aufugisset.

A Paulo III. decimò quarto Calendas Ianuarij, anno M. D. XXXIX. in numerum Cardinalium adlectus in ipsius Francisci I. gratiam, nonâ Cardinalium creatione, & quidem Cardinalis Presbyter tituli sanctæ Mariæ in Porticu à Iulio III. ad titulum sancti Chrysogoni translatus est.

Parisiorum Gubernator & Insulæ Franciæ, cum Carolus V. Imperator Henrico VIII. Angliæ Regi fœdere sociatus Galliam magno inuadere vellet exercitu, Lutetiam ab hostibus sartam cõseruauit, pace initâ ipse & Carolus Cardinalis à Lotharingia, aliique Proceres dati obsides: nec nouum Præsules similibus implicitos fuisse negotiis sæcularibus; etenim legimus (vt fines Galliæ non egrediamur) Sugerium Abbatem Sandionysianum Galliarum Proregem fuisse creatum, dum Ludouicus VII. Hierosolymam proficisceretur anno M. C. XLVII. Hinc Manasses Aureliarum Antistes sic ad Sugerium scribit. *Quoniam Regnum Francorum sub dispositione, & protectione vestræ defensionis diuinâ prouidentiâ constitutum est, sicut dignum est, non minimum gaudemus.* Cardinales sæcularibus Regni officiis aliquando impliciti. Sugerius Abbas Regnum gubernat.

Meudonium Castrum ad Lutetiam magnis condidit impensis: magnus Franciæ Eleemosynarius Henrico II. post Petrum Castellanum Antistitem Aurelianensem. Comparauit postea Meudonium Carolus Cardinalis Lotharingus. Aliud Palatium Lutetiæ exædificari curauit non dissitum à sancta Catharina Vallis-Scholarium, in fronte ædificij conspiciuntur Sanguini Cardinalis insignia vulgo *l'Hostel de S. Paul*, visuntur etiam in eodem

tesseræ gentilitiæ Cardinalis de Birague, qui illud comparárat.

Fatis concessit die vigesimâ secundâ Decembris feriâ sextâ, ipsi D. Catharinæ sacrâ, anno M. D. LIX. iacet Parisiis in Ecclesiâ eiusdem Diuæ Catharinæ Vallis-Scholarium, in Virginis Deiparæ Sacello, quod in præsenti est tumulus Cardinalis Biragui; adhuc visitur in eo Sacello rubeus galerus ipsius Sanguini, qui Romæ eum accepit, in quam Biragus post creationem Cardinalatus nunquam est profectus: vnde galerum, qui datur solum præsentibus, nec titulum obtinuit; moritur dum Romæ Comitia haberentur pro noui Pontificis electione, qui fuit Pius IV. defuncto Paulo huius nominis IV.

Parmam tulit Antonius argenteam cruce nigrâ denticulatâ, quatuor merulis item nigris ad angulos positis expunctam.

Portoit d'argent à la croix dentelée de sable, cantonnée de quatre merlettes aussi de sable.



Anno Christi M. D. XXXIX.

PETRVS DE LA BAVME CARDINALIS GEBENNENSIS PAVLO III.

EX Burgundiæ Comitibus Guidone de la Baume, & Henricâ de Longouico natus Petrus Monasterij Iurensis, siue sancti Claudij, aliàs dicti sancti Eugendi Abbas. Episcopus Gebennensis, ex quâ ciuitate vi & fraude expulsus ab impietatis fautoribus, dum se acrem exhibet Catholicæ Fidei defensorem, non sine vitæ discrimine. Petrus Ronsardus Princeps Gallicæ Poëseos sic de illâ proscriptione cecinit.

Vne ville est assise aux champs Sauosiens,
Qui par fraude a chassé ses Seigneurs anciens,
Miserable seiour de toute apostasie,
D'opiniastreté, d'orgueil, & d'heresie.

Archiepiscopus Bisuntinus Antonio du Vergy (qui cognomen *optimi Archiepiscopi* meruit, Caroli V. Pædagogus) vitâ functo anno M. D. XLI. Petro successit in Archipræsulatu nepos ex fratre Claudius de la Baume, qui ei fuerat datus Coadiutor propter Patrui senium. Diploma scriptum

Parmæ die quintâ Calendas Iulij, anno M. D. XLIII. cui Carolus Cæsar adiunxit literas sui consensûs die secundâ Augusti, eiusdem anni.

Cardinalis creatus anno M. D. XXXIX. à Paulo III. die decimâ quartâ Calendas Ianuarij, tituli Pammachij sanctorum Ioannis & Pauli in nonâ ordinatione ob egregiam Catholicæ Ecclesiæ præstitam operam in miserandâ illâ sacrorum apud Gebennenses euersione: nam ipsâ die mensis Augusti primâ, anno M. D. XXVIII. cogitur noctis silentio clam elabi, & in suam sancti Claudij Abbatiam se recipere; quinquennio elapso, primâ die Iulij Gebennam regreditur, & non sine vitæ discrimine postridie supplicationem indixit, pro foribus Basilicæ sancti Petri habuit orationem frequenti Clero & populo, cuius exordium fuit. Num se Pastorem agnoscerent, vnâ voce responsum eum esse verum Pastorem. *Viuite*, inquit, *concordes, & state in antiquâ Fide vobis ab Apostolis, & eorum successoribus nunciatâ*; præcipuè Sectarijs in ergastulum coniecti, verùm præualuit iniquitas: nocte enim intempestâ consilium initum de nece Episcopi, & tentatum, fractæque hospitij fores: cum itaque furori locus esset, nec spes affulgeret restituendæ suâ præsentiâ rei Catholicæ, Gebennâ discessit: quæ ciuitas paulò post auitam Fidem omninò deseruit, Caluinianáque lue sese infecit anno M. D. XXXV. ingresso tunc temporis Ciuitatem Ioanne Caluino Hæresiarchâ, vt patet impiâ & impudenti epigraphe in tabellâ æneâ ad fores domûs Prætoriæ Ciuitatis Gebennensis.

Geneua deficit à Religione Catholica.

Expulso Episcopo Geneuam adit Caluinus.

Quod anno Domini M. D. XXXV. profligatâ Romani Antichristi tyrannide, abrogatisque eius superstitionibus, Sacro-sancta Religio hic in suam puritatem, Ecclesia in meliorem Ordinem singulari Dei beneficio reposita, & simul pulsis fugatisque hostibus vrbs ipsa in suam libertatem non sine insigni miraculo restituta fuerit, Senatus populusque Geneuensis monumentum hoc perpetuæ memoriæ causâ fieri, atque hoc loco erigi curauit, quo ad erga Deum gratitudinem ad posteros testatam faceret.

Quidam nomine Perrinus vir apud suos auctoritatis se hostem Petri Episcopi profitebatur, hoc hoste vsus Farellus Hæreticus ad Sectarios introducendos; verùm iusto Dei iudicio Perrinus primus extremo capitis supplicio affectus in ara lapidea Ecclesiæ Cathedralis sancti Petri (vbi Christi corpus sæpius immolatum) quam transferri curarat in locum reis puniendis destinatum, & quidem Caluino mortis pœnam sollicitante ob priuatas simultates, & crimen impositum faciendarum vesperarum Geneuensium contra Francos illic habitantes. Episcopus dixit anathema ciuitati, & primâ Augusti eiusdem anni per omnes suæ Diœcesis Ecclesias proclamari prohiberique iussit, ne cum Gebennensibus Hæreticis commune quidquam haberetur. Vnde nescio qui factum vt Florimundus de Raymond notet hunc Pastorem Gebennensem inertiæ & somnolentiæ.

Iustum Dei iudicium contra Hæreticum.

Raym. li. 7. hist. cadent. hæres. cap. 17

Vitæ dies vltimus Arbosij in Burgundia, die quarta Maij, anno M. D. XLIV. sepultus in Ecclesia sancti Iusti iuxta fratrem Claudium Velleris aurei Equitem, & Burgundiæ Polemarchum.

Scutum cæruleum tæniâ ex auro sinuosè inflexâ exaratum.

D'azur à vne bande viurée d'or.



Anno Christ. M. D. XLIV.

GEORGIVS CARDINALIS D'ARMAGNAC
Paulo III.

VAsco Georgius è Comitibus de Armaniaco filius Petri d'Armagnac nothi Comitis de l'Isle-Iourdain, & Iolandæ de la Haye secundo-nuptæ (primis enim nuptiis fuerat iuncta cum Ioanne d'Armagnac Duce Nemourij) in hanc lucis vsuram prodiit, educatus puer in disciplinâ Ludouici de Ambosia Cardinalis affinis sui, cui epitaphium posuit Laureti in æde Virginis iuxta Cardinalis Augustani Sacellum, heraclium lapidem literis incisum grati animi monimentum erigens post sextum & trigesimum ab eius obitu annum, obierat nempe anno M. D. XVII. Anconæ. Ruthenensis Episcopus anno M. D. XXIX. vitâ functo Francisco d'Estain natalibus & vitæ sanctitate clarissimo. Administrator fuit Vabrensis anno M. D. XXXVI. Archiepiscopus Tolosas anno M. D. LXI. mortuo Cardinale de Lenoncourt, effectus à Francisco II. etiam Auenionensis post Felicianum Capitonum, & ibidem Pro-legatus, absente Carolo Borbonio, anno M. D. LV. Ecclesiæ Lescarensis Administrator.

Anno M. D. XLIV. decimâ quartâ Calendas Ianuarij die Sabbathi Paulus III. in Francisci gratiam creauit Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Ioannis & Pauli; cùm quatuor post annos Romam adiret: tantæ fuit virtutis, & erga omnes benignitatis, vt *optimi Cardinalis* nomen mereretur: demum obtinuit titulum sancti Laurentij in Lucinâ Paulo IV. postea Pio V. tituli sancti Nicolai in carcere, tandem Presbyterorum Cardinalium Prior effectus est.

Francisci I. Regis Legato anno M. D. XLI. dicauit Philander commentaria in Vitruuium, cui Philandro ipse Georgius postea tumulum posuit. Henrico II. vitâ functo in Galliam redijt, Francisco II. Regni clauum tenente; verum vbique tempestates excitatæ à Ludouico Borbonio Principe Condæo consanguineo suo, quem sæpe & ore & literis adhortatus, vt ad Castra veræ Religionis & Fidem Catholicam rediret, Regique optimo se submitteret, quod consequi non potuit. Interim Hæreticis ditionem Auenionensem, Duce Admiralio Coligny inuadere tentantibus sese opposuit, Pio V. subsidium administrante, & ab eorum impetu & inuasione fi-

Turbæ excitatæ ab Hæreticis.

nes tutatus est, quamdiu illic Sedis Apostolicæ legatione est functus.

Auenione præest Capitulo Patrum Minimorum Ordinis sancti Francisci de Paulâ, vt pote ipsorum Protector, die vigesimâ quartâ Iunij, anno M.D. LXXVIII. quo electus Generalis P. Iosephus le Tellier Parisinus, qui ad provectum peruenit senium homo pietatis non vulgaris mihi amicissimus, dum Virduni literis operam nauarem adolescens; obiit die quartâ Nouembris, anno M.DC.XIII.

P. Ioseph le Tellier Gener. Minimorum eligitur.

Doctorum virorum fautor & Mœcenas eximius extitit, è quorum classe Guillelmus Blancus vrbe Albiensis Cardinalem nostrum alloquens, vt domesticus testis atque oculatus, ita præfatur in Xiphilini epitome è Dione de Græcâ in Latinam versâ: Studiis doctrinæ non solum à pueritiâ deditus fuisti, sed etiam ad ea diligenter exercenda ita reliquos omnes inflammasti, vt apud Ruthenos, cum factus esses eius gentis Episcopus, multos tuo exemplo, maximisque beneficiis ad hæc studia litterarum atque humanitatis excitares. Quæ cùm statuisses nunquam intermittere in maximis occupationibus tuis, essesque postea à Francisco Rege Gallorum optimo ac tui amantissimo missus ad Venetos Legatus, atque inde huc Romam ad Paulum III. Pont. Max. nactus occasionem, magnam operam posuisti in restituendis optimis auctoribus, & obliuione vindicandis, quorum magnum numerum non solum vndique perquiri ac describi iussisti tuis sumptibus: sed etiam Regi omnium bonarum artium studiosissimo, vt idem faceret, missis in omnes partes Europæ doctissimis hominibus, facilè persuasisti; deinde cùm esses propter has legationes obitas liberè cooptatus in ordinem Cardinalium, ad illustrandam nobilitatem tuam, & ad memoriam laudum domesticarum, nempe vt tu vnus memoriam maiorum tuorum Armaniacorum Principum, quos viros clarissimos fuisse cõstat & potentissimos in Aquitania, dignitate simul & virtute renouares, existimasti manendum tibi esse semper in proposito, suscepto consilio, vt abs te veteres libri ab obliuione hominum atque silentio vindicarentur, in quibus fuit epitome Dionis: quæ cum fortè domi tuæ in meas peruenisset manus, cuperemque, vt tu meam erga te voluntatem cognosceres, cœpi tuâ causâ ipsam è Græco in Latinum conuertere. Ex eadem classe Arnaldus Sorbinus dictus à sanctâ Fide, postea Episcopus Niuernensis, & Præco Verbi Diuini apud Carolum IX. Henricum III. & Henricum IV. quem Armaniacus ornauit Rectoriâ Sanctæ-Fidei, & Tolosæ curauit diuina semina iacere.

Veteres libri.

Arnaldus de S. Foy. egregius Concionator.

Interfuit Romæ conclaui & creationi Summi Pontificis Pauli IV. anno M. D. LV. etiam in Galliâ Conuentui Poissiaco, anno M.D.LXI. Cardinalis Armaniaci symbolum, seu emblema, abies tollens in cœlum ramos cum hoc lemmate. *Altiora peto.*

Intentus optimi Archiepiscopi muniis Auenione annos natus octoginta quinque, die Iouis quinto Nonas Iunij, anno M.D.LXXXV. à vinculis huiusce mortalitatis soluitur, liber profecturus ad hæreditatem filiorum Dei: in Ecclesia Cathedrali sanctæ Mariæ de Donis tumulatur in Archipræsulum sacello, lateritio tumulo, sine pompâ & epitaphio.

Tessera quadripartita I. & IV. argenteo, miniato Leone, II. & III. purpureo, pardo Leonino exarata.

Escartelé au 1. & 4. d'argent au Lyon non de gueules, mais d'azur, au 2. & 3. de pourpre au Leopard lyonné d'or.



Anno Christi M. D. XLIV.

IACOBVS CARDINALIS D'ANNEBAVD
PAVLO III.

NEVSTRIVS fuit Iacobus filius Ioannis Domini d'Annebaud, & Margaretæ de Bloffet in facrarum literarum ftudio exercitatus, frater Thalaffiarchi Franciæ Claudij d'Annebaud, Domini à fancto Petro, Torquati Equitis fancti Michaëlis, Francifco I. & Henrico II. Huius Admiralij ductu & confilio anno M. D. XLV. in poteftatem Regis Franciæ redacta eft Infula Wich Anglicana, cùm in eam traiecifset nauibus ducentis. Iacobi nepos Ioannes d'Annebaud Baro de Rais, & de la Hunaudaye in prælio Drocenfi, anno M. D. LXII. contra Sectarios pro Fide tuendâ & Regno interfectus, duxerat vxorem Claudiam Catharinam de Clermont hæredem Domini de Dompiere, quæ conuolauit ad fecundas nuptias cum Alberto de Gondy Franciæ Polemarcho. Neptis vnica & hæres Magdalena d'Annebaud primis nuptiis coniuncta cum Gabriele Marchione Saluciarum, & fecundis cum Iacobo de Silly Comite à Rupeforti, Barone de mont-Miral; hæc familia extincta fuit in Magdalenâ.

Extincta Annebaldorum familia.

Succeffit Carolo nepoti Ioannis le Veneur Cardinalis cognato fuo in Epifcopatu Lexouienfi, anno M. D. XLIII. Paulo III. concedente: audaci facinore litem mouit in foro Rotæ contra Rodulphum Pium Cardinalem Carpenfem pro penfione Abrincenfi, quam ifte Iacobo foluere recufabat prætendens nullam, quod à prædeceffore fine confenfu Regis ftantibus Concordatis fuiffet referuata.

Presbyter Cardinalis tituli fanctæ Sufannæ creatus in decimâ tertiâ ordinatione à Paulo III. anno M. D. XLIV. die decimâ quartâ Calendas Ianuarij. Verfatus eft in Aulâ Franciæ Iacobus vnà cum alijs vndecim Cardinalibus Gallis, nempe Ludouico Borbonio, Ioanne Lotharingo, Odeto Colinio Caftellionæo, Claudio Giurio, Ioanne Bellaio, Philippo Bolonienfi, Ioanne Venatore, Antonio Sanguino Meudonio, Roberto Lenoncuriano, Georgio Ambofio, & Georgio Armaniaco.

Cardd. 12. Galli fimul in Curiâ.

Moritur Rothomagi die Veneris octauâ Idus Iunij, anno M. D. LVII.

Laudatorem habuit Ianum Vitalem ita canentem.

Ecquis nouellus Annibal
Cum purpuratis Patribus
Hic, Roma, spectatur tuis?
Honor decusque purpuræ,
Cunctæque lumen Galliæ:
Quantum instar est in Principe
Virtutis ornatissimo,
Quæ comitatis lumina
Pictura monstrat nobilis,
Qualesque mores Regiâ
Exuberantes gloriâ?
Ille est benignus Annibal
Lexouiensis Pontifex,
Ille est suo simillima
Imago Heroïque maximè.

Coccineum scuti solum, argenteâ cruce, petasis aduersis cæruleis.
Portoit de gueules à la croix d'argent, chargée de vairs affrontés d'azur.



GEORGIVS II. CARDINALIS D'AMBOISE PRIMAS NEVSTRIÆ PAVLO III. ANNO CHRISTI M. D. XLVI.

GEORGII parentes fuêre Ioannes d'Amboise, Dominus de Bussy, Prorex Neustriæ, & Catharina de sainct Belin, nepos Georgij de Ambosia Cardinalis Archiepiscopi Rothomagensis, successor in eodem Archiepiscopatu & eiusdem tumuli particeps. Fratres eius Ioannes Episcopus & Dux Lingonensis, Par Franciæ post Patruum Ioannem, sepultus in Choro è regione Sedis Episcopalis hoc epitaphio donatus.

Cui dedit ingenuum felix Ambosia nomen,
Ioannes isto conditur in tumulo.

Godefredus Abbas Cluniacensis, & alij, inter quos Iacobus Ambosianus Dynasta *de Vauuray* in prælio Papiensi interemptus.

Præceptore vsus Philippo Decio Iureconsulto singulari, cuius commentarij de Rescriptis ipsi Georgio adhuc Archidiacono dicantur.

Primùm fuit Ecclesiæ Rothomagensis Canonicus & Archidiaconus. Abbas Dolensis anno M. D. X. vulgò *Bourgdieux*, ad fluuium Augerim seu Indrum Diœcesis Bituricensis, quæ Abbatia in præsenti sæcularis est, institutique in eâ Canonici anno M. DC. XXIII. non longè à Castro-Rodulphi,

id à Gregorio XV. postulante Henrico Borbonio Principe Condæo, Ludouico XIII. probante. Tandem Archipræsul Rothomagi & Primas Normaniæ, vltimus à Capitulo electus. Synodum habuit Prouincialem anno M. D. XIV. Ecclesiæ Rothomagensis pyramidem erexit: eius Diœcesis est Portus-gratiæ vrbs ad ostium Sequanæ condita à Francisco I. æuo Georgij, anno M. D. XVI.

Cardinalitiam obtinuit dignitatem tituli sanctorum Marcelli & Petri à Paulo III. in decimâ quartâ Cardinalium creatione, anno M. D. XLVI. die decimâ sextâ Calendas Ianuarij; eodem anno oblatus ei Cardinalitius pileus in Bituricensi templo sancti Stephani Protomartyris. Fuit Normaniæ Prorex.

Efflauit animam anno M. D. L. die vigesimâ secundâ Augusti, in patrui tumulo marmoreo conditus, in Ecclesiæ Rothomagensis sacello Deiparæ pone maius altare.

Parma gentis Ambosianæ sex auri & minij palis exarata.

Palé d'or & degueules à six pieces.



Anno Christi M. D. XLVII.

CAROLVS I. CARDINALIS GVISIANVS, NVNCVPATVS A LOTHARINGIA PAVLO III.

IOINVILLÆ, quæ titulo Principatûs decoratur, in Campania die XVII. Februarij, anno M. D. XXIV. natus Claudium I. Guisiæ & Aumalij Ducem Patrem habuit Parem & Procynegum Franciæ, vulgò *grand Veneur*, filium natu-minorem Renati II. Ducis Lotharingiæ, Burgundiæ Proregem, fratrem Antonij Ducis Lotharingi, & Ioannis Cardinalis sancti Onuphrij à Leone X. creati: matrem Antoniam Borboniam filiam primogenitam Francisci Comitis Vindocinensis, & Mariæ Luxemburgicæ post octogesimum octauum suæ ætatis annum mortuam, & Ioinuillæ sepultam magnificentissimo tumulo, quem Claudio marito erexerat. Caroli soror Maria Iacobi Stuart V. Scotiæ Regis vxor, & mater Mariæ Iacobi I. magnæ Britanniæ Regis, primò nuptæ Francisco II. Galliarum Regi tunc temporis Delphino die vigesimâ quartâ Aprilis, anno M. D. LVIII. Sed, proh dolor! ab Elizabethâ Angliæ Reginâ hæresi infectâ extremo est affecta capitis supplicio illa illa Maria Scotiæ Regina Catholica, die decimâ octauâ Februarij,

Rosier. Archid. Tull. in stemm. Lothar.

Regina Scotiæ occiditur.

bruarij, anno M. D. LXXXVII. post carcerem viginti penè annorum contra ius fasque omne diuinum & humanum. Eiusdem etiam frater Ludouicus à Guisia Episcopus Albiensis, Cardinalis Iulij III. & alter Ludouicus nepos etiam Cardinalis à Guisia Gregorij XIII. Blesis mortuus cum fratre germano. Parisiis in Nauarræ gymnasio artibus instructus, quibus ea ætas ad humaniores literas informari solet: è scholis dimissus non equis gaudebat, non alebat canes, neque tempus intempestiuis terebat conuiuiis, sed virtuti & doctrinæ totus erat intentus.

Ad Sedem Metropolitanam Ecclesiæ Rhemensis vocatus annorum quindecim præfuitque triginta quinque annis. Rhemis tres inunxit Reges Franciæ, Patrem & duos filios: nempe Henricum II. die festo B. Annæ, anno M. D. XLVII. Franciscum II. die duodecimo Calendas Octobres anno M. D. LIX. & Carolum IX. die Ascensionis decimâ quintâ Maij, anno M. D. LXI. Rhemensem instituit Academiam cum Pauli III. diplomate, & Henrici II. beneplacito anno M. D. XLVIII. constituto primo Gymnasij Præfecto Nicolao Boucher Canonico, postea Virdunensi Præsule, sicut Mussipontanam postea anno M. D. LXXIII. vocatis Societatis IESV Patribus, dicebatur antea pons ἄμουσος, nunc Musarum domicilium. Fuit author seminarij in eadem ciuitate Rhemensi, quo multi pauperes gratis instituerentur, tum bonis moribus, tum Ecclesiasticâ disciplinâ. Ibidem Sedem Præsidialem constituit Rege Henrico concedente. Ecclesiæ Rhemensi quatuor mille libras annuas legauit, quas Dux Guisius tenetur quotannis soluere ob hæreditatem oppignoratam. Multas Processiones sacras celebrauit frequentissimo populo, difficillimis sanè Reipublicæ temporibus, populum sibi commissum diuino Eucharistiæ pabulo reficiens. Academiam Parisiensem Regis iussu reformauit.

Tres Reges vnxit.

Rhemen. Academ.

Presbyter Cardinalis à Paulo III. tituli S. Cæciliæ vnà cum Carolo de Vendosme Cardinale Diacono S. Sixti creatus, Calendis Augusti, anno M. D. XLVII. habitis Romæ apud S. Marcum Comitiis, in gratiam Henrici II. qui Patri Francisco die vltimâ Martij defuncto in Regnum successerat, vocabatur initio Carolus Cardinalis Guisianus, at defuncto Ioanne Cardinale Lotharingo, Lotharingiæ nomen adsciuit anno M. D. L.

Missus Romam ad Paulum III. ab Henrico II. vt ad bellum contra Carolum V. excitaret. S. Ignatius Societatis Iesu auctor Carolo res suæ Societatis in Gallia commendauit, cui optimus Cardinalis: ne aliũ, inquit, deligas patronum, me futurum polliceor tuæ Societatis Protectorẽ; vnde in Gallias reuersus omnium primus de eadem recipiendâ retulit in frequenti Procerum conuentu: etiam in Poissiaco.

Orland. l. 10. hist. Soc. Iesv.

Anno M. D. LXII. ad titulum sancti Apollinaris translatus est; cùm ad Tridentinum Concilium magnâ Præsulum catervâ comitatus prodiisset, & stipatus multitudine Doctorum Theologorum decem aut duodecim numero, hi erant Nicolaus Maillard Decanus Facultatis, Ioannes Pelletier Regiæ Nauarræ magnus Magister, Antonius Democares, Iacobus Hugonis, Simon Vigor, postea Archiepiscopus Narbonensis, Richardus du Pré, Thesaurarius Ecclesiæ Rhemensis & Ecclesiastes, Antonius Coquier, Lazarus Broehiot, Natalis Paillet, qui obiit Tridenti, & Claudius de Sainctes

Doctores Parisien. in Trid. Concil.

postea Episcopus Ebroicensis; orationem perelegantem habuit anno M. D. LXII. in Concilio Oecumenico Tridentino.

Oratio habita in Concilio Trident. 1562.

Illustrissimi Domini, Reuerendissimi Episcopi. Christianissimus Rex Carolus Reginæ matris Christianissimæ authoritate, ac præcipuo Regis Nauarræ assensu, Procerumque omnium conscriptorum consilio, has literas, quæ modo perlectæ sunt, decreuit, mihique ad vos perferendas dedit: quarum præcipua ea capita, quæ maiorem à me explicationem desiderant: pro ea, quæ mihi eredita est fide, explicabo quàm breuissimè potero. Hæ (vt meministis) statim in initio rerum Regni illius nostri nobilissimi, amplissimi, ac florentissimi quondam, summæque erga Regem fidei, & obseruantiæ, statum & conditionem testantur. Dicam vno verbo, non sine incredibili animi dolore: fuimus Galli, fuit ingens gloria Francorum: hæ rerum omnium, charissimi Oratores, sunt vicissitudines: manus Domini tetigit nos, viri Patres & fratres, hoc nobis iustum Dei in ira sua iudicium prouocauerunt, corrupti omnium Ordinum mores, ac Ecclesiastica omnis collapsa disciplina: has turbas excitauerunt hæreses non suppressæ, & à Domino Deo nostro instituta remedia, tamdiu neglecta. Hinc illæ lachrymæ, & per totum Regnum dissidia, rapinæ, bella intestina, ac plusquam ciuilia: luctus vbique, vbique dolor, & plurima mortis imago. Nec sacrosanctis Dei templis parcitur, Presbyteri & Religiosi viri ad aras vsque, quas amplexantur morientes, trucidantur, visibilia Sacramentorum signa pedibus conculcantur, & comburuntur, passim erecti apparent rogi ex omni genere Ecclesiasticorum ornamentorum: accensæ ex imaginibus deiectis pyræ, additis omnium non solum Ecclesiarum, sed & antiquissimarum bibliothecarum libris, nec quidquam ex chartis publicis, & instrumentis, quæ ad dotationem pertinent, reseruatur, sanctorum Reliquiæ ruptis altaribus in cineres rediguntur, qui sunt post hæc in profluentem proiecti. Horresco referens, nec à Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Episcoporum, & sine discrimine passim aliorum omnium sepulchris abstinetur, eorum maximè, qui de Ecclesia Dei bene meriti per monumenta reperiuntur: nomen Domini vbique blasphemantur: spiritus mendacij in ore omnium est, qui falsò verbi Dei ministerium vsurparunt, atque ita expulsis Pastoribus, alienus ouis custos fur, & latro ascendit. Postremò (quod longè omnium est grauissimum) iuge, & sacro-sanctum sacrificium apud eos cessat, quod intermissum quantam ruinam secum afferat, & quantam Regibus iacturam, & meministis viri Doctissimi ex Prophetarum oraculis, & experientia iam in magnis Imperiis, florentissimis Regnis, amplissimis Prouinciis didicistis, atque in Galliâ nunc aspicitis: Regis enim Maiestas contemnitur, imperia detractâtur, non modò vectigalia, sed prouentus etiam negantur: iura omnia, & leges silent: quilibet vindictam, quam exercet, ex priuato odio metitur, ad defectionē populus excitatur, & excusso Monarchiæ, quod aiunt, iugo Anarchia in cōcionibus publicè proponitur. Hæc omnia apud vos cogitate, clarissimi Oratores, & quod in Gallia nunc videre oculis licet, serâ nimis pœnitentiâ experiemini, si mole sua Gallia ex vicinia vos in ruinam trahat. Sed quid vos, sanctissimi Episcopi, detineo, aut diutius affligo?

Superſunt tanto huic noſtro malo oportuna remedia. Habemus enim magnæ ſpei pupillum Regem, non tam Regni ex legitima ſucceſsione Monarcham, quàm Religionis, & virtutum omnium auitarum hæredem, quem Pater Henricus, & auus Franciſcus excitat, & in quo iam Franciſci fratris demortui omnium generis virtutum igniculi relucent. Nec deſunt Catharinæ Reginæ viduæ, & Nauarræ Regis optima conſilia, & infractæ Procerum vires. Nullis opibus parcitur, vndique auxiliares copiæ comparantur, fitque via vi, ſed in noſtra viſcera, quantumque victrix dextra ſit, ferrum conuertitur, eruuntur opes, & fit lamentabile Regnum. Iamque nulla ad ſedandos tantos tumultus aptior via, nullum præſentius eſt remedium, quàm quod ab hac ſacro-ſancta Vniuerſalis Eccleſiæ legitimè in Spiritu ſancto congregata Synodo expetitur: huc vos maiorum exempla trahant: hoc Dei Verbum docet, ac vt ſperemus in promiſſis ſuis (quæ numquam fecit irrita) imperat, atque ita demum ex hoc loco pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, expectatur: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod ſumus nos viri Patres, & tametſi diuiſiones gratiarum ſint, omnes tamen nos in vno ſpiritu, qui nomine Domini Ieſu Chriſti congregati ſumus, quos & dicere neceſſe eſt, & provt Spiritus ſanctus dabit eloqui. Quæ omnia vt magis ſcire poteſtis, ad benè beateque decernendum, ex diuino præſcripto ſunt omnino neceſſaria. Hæc omnia Chriſtianiſſimus Rex cum ſibi ſatis perſuadeat, nec quicquam alienum ab his à nobis expectet: duo tamen præcipua ſunt ea, de quibus vos admonet pro ſua in hanc Synodum obſeruantia, & pro ea, quam ſentit ex his in Religione diſſidiis, ſumma moleſtia: primum itaque à nobis poſtulat, vt quantum fieri potuerit noua diſſidia vitemus, nouas, inquam, & infructuoſas relinquamus quæſtiones, ac demum, quantum nobis licet, enitamur, vt Principes & Prouinciæ omnes ab armis abſtineant, ab hoc deſiderio excitandorum bellorum prorſus nos alienos eſſe oportet, ne qui ex nobis diſceſſerunt & ſe ab Eccleſia Dei præciderunt, exiſtiment magis hoc conuentu Principes ad arma excitari, & ſocietates, & fœdera iniri ad bellum quantumcumque ſacrum, quàm de vniuerſali omnium animorum reconciliatione decerni: ſolliciti ante omnia ſeruare vnitatem pacis: ſi quid in ea ſententia peccatum eſt: parcite quæſo Patres ampliſsimi, Henricus Pater author fuit pacis, quæ in Chriſtiano Orbe tam fœliciter hactenus ſeruatur: eam quaſi teſtamento paulò poſt moriens filio Franciſco Regi commendauit. Hanc Franciſcus frater ſi nobis tam cito ereptus non fuiſſet, magna prudentia retinere conabatur. Pupillo, & viduæ iniquiſsimas ſemper turbas, & bella inteſtina Rex & Regina mater valde pertimuerunt, & pacatos ſubditorum omnium animos, ne quies publica interturbaretur, ſumma prùdentia, ac vt ætatem, & ſexum decet, perpetuò exoptauerunt. Quod enim ſi (vt negari non poteſt) infœliciter ſucceſsit, infœliciores tamen belli euentus ſunt pertimeſcendi, ne ſi omnes in eodem periculo verſentur, eadem & tempeſtate acti, nemo periclitantes adiuuet, ac ſi vnum idemque omnes naufragium faciant, ſummam propterea rationem haberi deſiderat eorum, qui lapſi ſunt, vt & illis, quantum ex Deo poterimus, condonemus, quibus & nos amicos eſſe liceat, ſed vſque ad aras.

Alterum legationis meæ caput est, quod iam à principio Regi meo Christianissimo cum Serenissimo Imperatore, & reliquis Regibus & Principibus viris, quorum hic Oratores clarissimos viros habetis, fuit commune: nempe, vt de reformatione & morum, & Ecclesiæ disciplinæ, omnino decernatur. De hac iterum iterumque vos admonet, ad eam serio amplectendam (qua potest obseruantia) hortatur, & per Dominum nostrum Iesum Christum, qui iudicaturus est viuos & mortuos obtestatur, si Ecclesiæ authoritatem integram esse vultis, si eius dignitatem conseruare, si iam inclinatum nobilissimæ Galliæ Regnum retineri posse iudicatis, nec vos ex vestris commodis, nostra incommoda metiri æquum est. Si enim vniuersa hæc Italia, si Hispania omnis sedem & clauum tenet, gratulamur vobis fœlicissimi Patres. Nos puppi excidimus, & vix supremo digito gubernacula retinemus. Hic nobis liceat iure vestro causas à nobis tantæ tempestatis exquirere. Quem accusabimus Coëpiscopi Fratres? Quem tanti mali authorem constituemus? Memini quid velitis, nec memoria excidit vestrum de ea re commune omnium iudicium, hoc non sine innato pudore & magna anteactæ vitæ pœnitentia me dicere oportet. Propter nos tempestas hæc orta est, Viri Fratres: propterea mittite nos in mare. Quid addam amplius? habetis confitentes reos, in eos vt libet animaduertite. Nunc iudicium incipiat à domo Dei, & mundentur qui ferunt vasa Domini. Attendamus nobis, & vniuerso gregi. Quiescamus peruersè agere, & discamus benè agere: imo potius tu misericors, & bone Deus per viscera misericordiæ tuæ attende placare, & fac adaugere nobis fidem, vt sine timore de manu inimicorum liberati seruiamus tibi. Nunc viribus opus est Patres, nunc pectore firmo. Sed vereor Illustrissimi Domini, & Reuerendissimi Episcopi, ne nimis importunè agam, non est enim sponte currentibus addendum calcar. Finem igitur faciam: est enim mea hæc expedita à Rege legatio. Si quid scire vos amplius oportebit, hæc omnia clarissimi Regis Oratores curabunt. Ego verò, & mecum vnà qui ex Gallis aduenerunt, Reuerendiss. Coëpiscopi, in hac vniuersalis Ecclesiæ Sacro-sanctâ Synodo testamur Beatiss. Papæ D. Pio. Pont. Max. post Deum in perpetuum subditos esse velle, eius enim nos in terris Primatum super omnes Ecclesias agnoscimus, cuius nunquam imperia detrectabimus: Ecclesiæ autem Catholicæ, ac sacræ generalis Synodi decreta veneramur. Vobis Illustriss. ac Reuerendiss. Legati fasces submittimus, sanctissimis Episcopis dextras societatis offerimus, & clarissimos Oratores testes sententiarum nostrarum hic adesse vehementer gratulamur, vt Spiritu sancto duce in omnibus, per omnia, & semper honorificetur Deus & Pater D. N. Iesu Christi.

Pius IV. Romæ diplomate die decimâ nonâ Calendas Septembris dato Cardinalibus Legatis commiserat, vt debitus honor Carolo deferretur. Eodem anno Tridento Romam contendit Pontificis de rebus maximis consulendi gratiâ mense Octobri: postea Nouembri Tridentum reuersus est, manetque ad Concilij finem optatum & acclamationibus Synodi præfuit, & veteri more vsus *Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro sanctæ Vniuersalis Ecclesiæ Pontifici multi anni, & æterna memoria.*

Interfuit Conclaui & creationi Papæ Pauli IV. anno M. D. LV.

In Ecclesiâ suâ Abbatiali Sandionysianâ celebrauit exequias Regis Henrici anno M. D. LIX. in eodem templo coronâ donauit multos post annos Elizabetham Austriacam Franciæ Reginam mense Martio, anno M. D. LXX. in præsentiâ quatuor Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Borbonij, Guisij, Estensis & Peluæi.

Pauli IV. Legatus à latere in Galliam, & huius Pontificij Legati operâ Paulus & Henricus fœdus ineunt contra Imperiales partes: interest fœderi Cameracensi inito cum Philippo II. Hispaniarum, anno M. D. LIX. fuitque vnus idæ pacis obses, Colloquio etiam Poissiacensi anno M. D. LXI. mense Septembri, & ori impuro Theodori Bezæ Hæreticorum Coriphæi blasphemantis colaphum impegit, cum adesset Petrus Martyr cognomento Vermillius Florentinus; Hæreticos explicare iussit à quonam euangelizandi potestatem & missionem accepissent: qua de re actum in Odeto Cardinale de Chastillon, Annam Mommorancium Franciæ Connestabilem, Gasparem Colinæum Thalassiarchum, ipsum etiam Principem Condæum hostes sæpenumero est expertus, cuius frater Franciscus Dux Guisiæ in Aureliæ obsidione à proditore Ioanne Poltrotio nobili Engolismensi (quem Theodotus Beza Sectariorum Princeps mercede conduxerat) Caroli Cardinalis domestico quondam & cliente miserè interfectus mense Februario, anno M. D. LXIII. Poltrotius captus Lutetiæ Parisiorum equis quatuor dilaceratur. Poltrot occidit Franc. Guisium.

Abbas sancti Dionysij, Diui Remigij Rhemensis, & Cluniaci nominatus à Rege iuxta Concordata, curamque & Prouinciam publici ærarij habuit, vt olim Carolo VI. Rege Abbas Corbeiæ, & Maioris-Monasterij.

In Hispaniam anno M. D. LXVIII. mittitur à Carolo IX. & Catharinâ Reginâ matre, vt condoleret super morte Isabellæ, quæ fuerat Philippi II. Hispaniarum Regis vxor, Caroli Regis soror, Catharinæ filia, & vt alteram Elizabetham Maximiliani II. Imperatoris filiam pro eodem Carolo Rege vxorem deposceret, quam obtinuit.

Successorem in Rhemensi Ecclesiâ Archiepiscopum designarat Franciscum fratris Guisiæ Ducis filium, qui in Academiâ Rhemensi tunc literis & optimis moribus instituebatur, & tanquam paruus Samuël in templo ministrabat: verùm post magnos studiorum progressus iuuenis eripitur, ei diuinum cibum postremum viatici loco Carolus ministrauit. Pœnitentiarium Rhemis instituit dote amplâ Canonicatûs & alterius beneficij primum Ioannem Cossardum Doctorem Parisiensem, qui discuteret ea peccata, quæ retinuerat & reseruarat Archiepiscopus: ea dignitate in Ecclesiâ Rhemensi sum functus aliquando post Ioannem du Bec, qui septuaginta annos solidos fuit Canonicus.

Metas Regem profectum comitatur anno M. D. LXIX. ad Christianæ Religioni consulendum; Dominicâ primâ Quadragesimæ celebrato Missæ sacrificio coram Rege concionem frequentissimâ Curiâ & populo habuit, magnaque eloquentiâ, quâ pollebat, digitò ostendit *Hæreticos esse Dæmone nequiores*, qui cum non ignorent Christum esse Dei filium, illius tamen potentiam negant in transubstantiatione, Dæmon autem Christo dixerit. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4.

Meurisse Episc. Madauré. Histor. Ecclesiæ Metens.

Nonnulli accusarunt Carolum Cardinalem alienatorum Metensis Ecclesiæ bonorum, sed extirpandæ hæresis causam prætexunt alij; tempore enim suæ administrationis Episcopatûs Metensis (illum resignarat Roberto Cardinali Lenoncurtio retentis fructibus & regressu) Salinas Marsalij & Moyenuici fundo clientelarî dedit Duci Lotharingiæ, mediante annuo prouentu triginta millium libellarū, & quadringentorum modiorum salis.

In gratiam Nicolai Vaudemontani cognati sui vrbem Nomeniacam & pagos quatuordecim alienauit: in nepotis sui Guisiani fauorem etiam distraxit Homburgum & Sanauoldum cum pagis duodecim. Duces ipsos Lotharenos exemit ab homagij onere debito pro Comitatu Blammontio, pro vrbe, castello & dominio de Deneurre, pro fluuio eiusdem dominij, pro vrbe de Sar-Albena, quæ propria sibi vendicarat priuatâ authoritate Ioannes Dux Lotharingus. Ius suum & Episcoporum Metensium cessit super vrbem & dominium d'Espinal. Eisdem Ducibus Lotharingiæ concessit duo millia iūgerum lignorum maiorum seu syluarum medio asse vnico solarij iuris & mancipij annui pro quolibet iugero.

I Monaster. Capucinor. in Fráciâ.

Primos ex Italia aduentantes Capucinos suscepit locauitque Meudónij propè Lutetiam; quod Capucinorum Cœnobium primum est erectum in Franciâ.

Disertè Carolus in Senatu Parisiensi pro Rege sæpe dixit, & in generali trium Galliæ Ordinum conuentu panegyricum habuit, vt & in Poissiaco Colloquio contra Hæreticos orauit.

Vrgentibus bellorum ciuilium motibus ad Dei pacandam iram nudis pedibus ipse ambulabat in nudipedalibus supplicationibus.

Sæpenumero adiit Pontificem, Venetos, & Ferrariæ Ducem, Gallorum agens causam vulnera patriæ deplorans: postremò Romæ fuit mense Maio, anno M.D.LXXII. ad Gregorij XIII. electionem menses ibi nouem versatus.

Obiit Auenione Carolus die septimâ Calendas Ianuarias Diuo Stephano sacrâ, anno M.D.LXXIV. suæ ætatis quadragesimo nono, mense decimo, post exceptam à P. Edmundo Augerio confessionem generalem, illi paulò ante obitum locutus Rex Henricus III. è Poloniâ redux ad Regiam hæreditatem capessendam, fratre Carolo IX. mortuo, Regem adhortatus est ad Catholicæ Fidei defensionē. Cor positū Rhemis in Monasterio Monialium sancti Petri, vbi soror Renata Abbatissa: ibidem locatum cor fratris Ludouici Cardinalis à Guisia Episcopi Metensis iuxta tumulum Mariæ Lotharenæ Scotiæ Reginæ sororis. Iacet in Cathedrali Rhemensi in cœnotaphio marmoreo nigro, quod viuens sibi posuit vno ante mortem anno, (in quod Franciscus nepos defunctus fuerat iniectus) cum hoc epitaphio.

Maria Lothar. Scotiæ Regina.

D. O. M. Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis à Lotharingiâ, Archiepiscopus Dux Rhemensis, primus Par Franciæ, sanctæ Apostolicæ Sedis Legatus natus, de morte & resurrectione cogitans sibi viuens posuit, anno M.D.LXXIII. *Pontificatûs sui anno XXXV. Vixit annos* XLIX. *menses X. dies VIII. horas IV. Obijt anno Domi-*

ni M. D. LXXIV. *septimo Calendas Ianuarij. Requiescat in pace. Amen. Ego credidi quia Tu es Christus filius Dei veri, qui in hunc mundum venisti.*

Scripsit Orationes multas, quarum quinquè eleganter scriptæ in manibus habentur.

Commentarium de rebus gestis Henrici II. Regis, quem dederat perficiendum Carolo Paschali; verum hæc vt alia multa non fuêre data posteritati.

Versus Latino idiomate.

De Carolo sic paucis multa cecinit Ioachimus Bellaius.

Quod cunctis natura dedit, quod Numina & astra,
Quod fortuna potens, Carole solus habes:
Ingenium, formam, eloquium, floremque iuuentæ,
Virtutem, atque animo præmia digna tuo.

Oliuarius Franciæ Nomophylax Carolum primis annis nuncupabat *naturæ monstrum*, ob ingenij stupendi fœcunditatem.

Fuit pulchro aspectu, procerâ staturâ, capite omnibus eminente, facie oblongâ, recto aspectu, fronte amplâ & eminenti: quam verò multæ variæque sint ipsius virtutes, facilè non est commemorare: quid dicam de eius Religione & publico cantu in Ecclesiæ choro, quid memorem propriis manibus ministratas pauperibus dapes. Conciones pro suggestu sacro habebat: etiam lectio sacra mensis adhibebatur, in eius familia nulli aucupes aut venatores: bis ieiunabat hebdomade scilicet diebus Veneris in honorem passionis Christi, & Sabbathi in cultum Beatæ Virginis, corpori domando cilicium frequenter adhibebat, vanis colloquiis minimè vacabat: festis solemnioribus pontificaliter litabat, fauebat viris de literis benè meritis, Sacerdotes ordinabat, Curiones visitabat, Synodos habebat Prouinciales.

Anagramma ipsius *Orator Gallicus vnus* Carolus Lotaringus; eiusdem Symbolum præter domestica insignia gestauit hederam adhærentem pyramidi, cui luna erat superposita cum hoc lemmate. *Te stante virebo*, alij de Henrico II. Rege, alij de gratiâ diuinâ interpretantur.

Scutum Lotharingiæ solidum, vt supra in Ioanne Cardinale Lotharingo; si addatur in coronide pectoralis fasciola trifida muricata.

Armes de Lorraine, en chef vn lambel de trois pendants de gueules. Escu de Guise.



Anno Christi M. D. XLVII.

CAROLVS II. CARDINALIS VINDOCINENSIS DICTVS POSTEA BORBONIVS PAVLO III.

Qui monumenta tuæ numerat ſublimia gentis,
Et Regias origines,
Ille idem Oceani fluctus numerabit, & idem
Meſſes feracis Africæ.

Canebat Ianus Vitalis Vates Italus in Carmine ad Carolum, qui è Regum Francorum propagine quintus filius Caroli Borbonij Vindocinenſis Ducis & Franciſcæ Alenconiæ Duciſſæ Bellimontis, filiæ Renati Ducis d'Alençon & Margaretæ Lotharenæ, quæ Parthenonem d'Argentan in Neuſtriâ erexit & dotauit, ibidemque Monialis effecta. Anno M. D. XXIII. natus Carolus die Dominicâ vigeſimâ ſecundâ Decembris in Caſtro Firmitatis Brienſis, vulgò *la Ferté Ioarre*, eodemque die in eiuſdem loci ſacello ſacris vndis ablutus eſt, Patrimumque habuit Antonium Borbonium natu-maiorem fratrem ſuum, & Dominum de Hames, matrimas verò Dominas de Pleumeſon, & de Torſi: Antonium dixi Ducem Vindocinenſem, Regem poſtea Nauarræum Henrici Borbonij Principis Bearnæi, deinde Franciæ Regis Patrem, qui in obſidione Rothomagenſi diè decimâ ſeptimâ Nouembris, anno M. D. LXII. vulnere periit ipſe Catholicus, ſuper cuius morte autographum habeo literarum ſancti Caroli Borromæi Cardinalis ſcribentis nomine Pij IV. Patrui ad Catharinam Medicæam Reginam matrem tunc Regentem, quarum hic tenor.

A Madama la Regina Regente di Francia.

Epiſtola S. Caroli Borrom. de morte Ant. Borbonij.

MADAMA,

Nel diſpiacere che N. Signore, & tutti noi hauemo ſentito per la morte del Rè di Nauarra che ſia in gloria, ci è ſtato di gran conſolatione l'hauer inteſo che ſia ſucceſſo al gouuerno Monſignor Illuſtriſſ. di Borbone, la cui bontà, & valore ſupplirà al ſeruitio del Rè, così bene che non le laſcirà ſentir la perdita che ſi è fatta, & di ciò S. Santità ſi congratula aſſaj con la Majeſtà Voſtra; il che fò anch io con ogni humiltà & ſincerità: &

con questa occasione non resterò di dirle, che al Signor Dio è similmente piacciuto di chiamar à se il Signor Conte mio Fratello, per la cui morte come posso assicurarla che ella resta priuata d'vn deuotissimo seruitore, così io mi conosco multiplicati gli obblighi che tengo di seruirla; Onde la supplico à riconoscermi per tale, & à conseruarmi in sua buona gratia, ne la quale quanto più humilmente posso mi raccomando, & prego il Signor Dio che felicemente la conserui: Di Roma à VII. di Decembre 1562.

D.V.M. Humillimo & deuotissimo seruitore
C. Cardinale Borromeo.

Humanioribus primò litteris in Castro de la Fere in Picardiâ fuit imbutus Carolus, deinde in Collegio Nauarræo Lutetiæ Parisiorum cum Carolo à Lotharingia cognato suo, postea Rhemensi Archiepiscopo & Cardinale, vt supra notauimus, quibus Præceptor datus est Ioannes Hannoyer Doctor Theologus, qui, dum obiit, Lexouiensem regebat Ecclesiam.

Primùm Niuernensis Præsul anno M. D. XXXIX. vitâ functo Iacobo d'Albret, postea Sanctonensis anno M.D. XLIV. seditque sexennium; hinc transfertur mortuo Georgio II. Cardinale de Ambosia ad Archipræsulatū Rothomagensem anno M.D.L. Post Franciscum Cardinalem Turnonium, Abbas fuit sancti Germani de Pratis, hæc Abbatia fundata à Childeberto Rege Clodouæi magni filio in honorem sancti Vincentij Martyris.

Anno M. D. XLVII. creatur Cardinalis Vindocinensis Diaconus sancti Sixti à Paulo III. Calendis Augusti. Petramelarius ait creatum die quintâ Idus Ianuarij anno M. D. XLIX. Cum Patruus Ludouicus Cardinalis Borbonius decessit anno M.D. LVII. non amplius Vindocinensis, sed Borbonius est nuncupatus. Archipresbyter Cardinalium Presbyterorum extitit tituli sancti Chrysogoni, quem sibi adsciuit, defuncto Cardinale de Meudon. Dum eligeretur Paulus IV. adfuit Conclaui anno M. D. LV. *Anton. Petramel. in contin. at. Onuphrij.*

Præest vrbi Parisiensi gubernandæ anno M. D. LX. quâ tempestate Elizabetham Francicam Philippi II. vxorem in Hispanias comitatur noster Cardinalis vsque ad extremos Regni limites. Comitiis Aurelianensibus interfuit eodem anno & postea Rothomagensibus cum Carolus IX. Maiorem se curauit declarari anno M. D. LXIII. Post biennium Carolo & Reginæ matri Catharinæ Medicææ præbet se comitem Baionam adeuntibus. In Colloquio Poissiacensi inuigilat, ne Religio Catholica detrimentum patiatur. A suâ Ecclesiâ Rothomagensi anno M.D.LXII. Sectarij sacrilegâ manu mille ducentas argenti, auri quinquaginta marcas rapuêre. Grassante inter Regem Carolū, Principem Condæum & alios consanguineos de Fide Catholicâ malè sentientes bello anno M.D.LXVII. Carolus Cardinalis acerrimus Fidei propugnator sic egit, vt nonnulli cum Rege conciliati, eiuratâ falsâ Religione, postea à Gregorio XIII. in Catholicæ Ecclesiæ gremium fuerint admissi. Demandata à Pontifice Pio V. prouincia nostro Cardinali de alienandis Ecclesiasticis bonis Carolo IX. Rege.

Diploma Pontificium pro alienandis Ecclesiæ bonis immobilibus ad summam 150000. librarum Turonensium annuarum.

Pius V. Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis nostris Carolo Borbonio tituli sancti Chrysogoni, & Carolo à Lotharingia tituli sancti

Apollinaris S.R.E. Presbyteris Cardinalibus, ac Venerabilibus Fratribus Michaëli Senetensi, & Fabio Guiacensi Episcopis nostris & Apostolicæ Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem Christianissimum Nunciis, ac Nicolao Peluæo Archiepiscopo Senonensi salutem & Apostolicam benedictionem. Graui cum animi nostri molestiâ intelleximus ex dilecto filio Annibale Auricelario, quem ipse Carolus Rex superioribus diebus ad nos misit, quàm exhaustæ & afflictæ sint facultates suæ, totiusque sui temporalis dominij: quantumque huius ærarij opes ob maximas impensas, quas ad sedandos & componendos exitiosos periculosissimosque tumultus ab Hugonotis, Hæreticis, & suæ Maiestati rebellibus in suo Regno concitatos facere coactus fuit, attritæ & pœnitus examinatæ existant, adeo vt pecunias, quibus Regnum ipsum ab eisdem hæreticis & rebellibus tueri ac conseruare possit, Fisci Regij rationibus nullo modo valeat comparare. Quare idem Annibal eiusdem Regis nomine nobis humiliter supplicauit, vt aliquod opportunum & salutare subsidium ex bonis Ecclesiasticis dicti Regni ei subministrare vellemus.

Nos considerantes dicti Regni salutem & Ecclesiastici Ordinis in eo conseruationem in hoc potissimum consistere, vt Rex ipse copias & firma præsidia alere possit, quibus dictos rebelles & hæreticos è sua ditione expellere, renitentes coërcere, vel quod sanè mallemus, errores suos recognoscentes, ad sanitatem fideique Catholicæ cultum & obseruantiam reuocare valeat: eidem Regi præsentaneum auxilium afferre decreuimus, & cum aliunde non possit, ad personas Ecclesiasticas dicti Regni, quanquam inuiti confugiendum esse duximus.

Habita igitur super his, sicut vrgens & euidens necessitas periculique magnitudo postulat, cum nonnullis eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus prudentiâ & rerum agendarum experientiâ præditis, deliberatione matura, vobis, de quorum eximia & singulari fidei integritate, pietate & æquitatis zelo specialem in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate Apostolica tenore præsentium iniungimus ac mandamus, vt vos coniunctim procedentes vno vel duobus aut altero vestrum impeditis & huic negotio intendere nequeuntibus, saltem tres ex vobis omnem faciliorem & commodiorem modum, viam & rationem excogitare, & inuenire studeatis & procuretis, quatenus tot annui reditus & prouentus quorumcunque bonorum immobilium, Ecclesiasticorum etiam feudalium & Iurisdictionalium ad quascunque etiam Primatiales, Metropolitanas & Cathedrales, Collegiatas, Parochiales & alias Ecclesias: necnon Monasteria etiam quæ capita Ordinum dicuntur, ad Capitula, Conuentus eorumque mensas, Prioratus, Præposituras, præpositatus, præceptorias dignitates etiam maiores, & principales Canonicatus, & Præbendas, personatus, administrationes, officia cæteraque beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia, & sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cistērciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis; Fontisebrardi, & quorumcunque aliorum Ordinum Regularia, necnon Hospitalia, & Militias præterquam sancti Ioannis Hierosolymitani, cæteraque loca Ecclesiastica etiam exempta, in dicto Regno, & Ducatu Britanniæ,

ac Delphinatu & prouincia Prouinciæ, cæterisque dominiis, terris & locis dicto Carolo Regi quomodolibet subiectis consistentia, quouis modo spectantes & pertinentes, quod singulis annis ad summam centum & quinquaginta millium Francorum ascendant ad tempus vobis bene visum, cum potestate illos redimendi, affrancandi, & liberandi, vendi, concedi & alienari possint. Quoquidem modo per vos adiuuante Domino inuento postmodum, reditus ac prouentus huiusmodi quibusuis personis, tam Laicis, quam Clericis, etiam cuiusuis Ordinis Regularibus, non tamen de Fide Catholica suspectis, illos emere volentibus pro pretio, seu pretiis, reperibili, seu reperibilibus etiam venditionis, concessionis, & alienationis, seu quouis alio titulo concedendi, assignandi, alienandi, &c. Non obstantibus literis, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & præsertim Symmachi & Pauli II. ac Pauli IV. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, reseruatâ tamen vt præfertur Ecclesiis, Monasteriis, & aliis beneficiis præfatis, illos intra tempus de quo vobis expediens esse videbitur, ac etiam quouis alio tempore emptori restituto pretio per fiscum regium, seu per ipsos Ecclesiasticos liberandi & redimendi facultate, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M.D.LXVIII. Calendis Augusti, anno Pontificatûs nostri tertio. Cæ. Glorierius. Facultas redimendi bona Ecclesiastica.

Administrator Bellouacensis anno eodem Odeto de Coligny Cardinale Castillonæo in Angliam transfugâ. Francisci II. & Caroli IX. Regum Galliæ fratrum sibi succedentium tutor fuit. Caroli nuptiarum cum Elizabetha Austriaca cæremonias & ritus peregit, die vigesimâ sextâ Decembris, anno M.D.LXX. Tutor Regum.

Primus Præsulum in Ordine sancti Spiritus annumeratus ab Henrico III. in primis Comitiis huiusce Ordinis habitis anno M.D.LXXIX. Meloduni Clero Gallicano congregato datus Præses anno M.D.LXXIX. & M.D.LXXX. Effecit, vt Synodi haberentur Prouinciales, quod executioni mandauit Rothomagi anno sequenti M.D. LXXXI. indictâ à se Synodo in festo omnium Sanctorum cum concionem ad populum haberet.

Carolo Cardinali perhonorifica Viterbiensis & Patrimonij legatio delata à Pontifice Pio, etiam Auenionensis demandata, Cardinale Farnesio se abdicante, accessu Cardinali Altempio per cessum, vel decessum, vel expirationem beneplaciti reseruato: promisit Borbonius Pontifici speciem Catholicæ Fidei in legationis locis se conseruaturum, nec Hugonotas aliosve Hæreticos in ijs morari permissurum: Carolus verò Rex etiam Pio pollicetur se armis & viribus Prouinciam Auenionensem ab iniuriis & impetu Hugonotarum defensurum, literis datis tertio Idus Martij, anno M.D.LXV.

Construxit domum Professam Patribus Societatis IESV Lutetiæ in sancti Antonij vico circa annum M.D.LXXX. quibus suam est largitus locupletem Bibliothecam, iisdem Rothomagum vocatis: apparuit ipsius munificentia Regia in Carthusiâ Gallionensi à se ædificatâ & dotatâ, cuius Ecclesiam consecrauit. Palatium San-germanum in suburbiis Parisiensibus exædificauit miro artificio, Cardinalitio pileo in tecti apice collocato. Carthusia Gallionensis.

Psalm. 1. Emblema Caroli duo rami è lauro intertexti cum hoc lemmate Dauidico. *Et folium eius non defluet*, videtur oppositum symbolo Caroli à Lotharingia. *Te stante virebo.*

Sub finem vitæ nimium facilis mortuo Francisco Andium Duce Henrici III. Regis fratre fidem habet ijs, qui ad Regnum capessendum hominem mouebant, vti Regij sanguinis Principem, verum contra ius fasque, cùm Regni hæreditas ad Henricum Nauarræ Regem Bearni Principem, vtpote filium Antonij fratris natu-maioris; quâ de re scripsit eâ tempestate Franciscus Hotomanus non minus doctè, quàm verè: nihilominus qui fœdus & vnionem Confœderatorum sectabantur titulo Caroli X. Regis Cardinalem falsò ornauêre, & monetam Caroli X. nomine cudi fecêre, quæ etiamnum visitur. (Falsò Rex.)

Cardinalium Decanus creatur vir in homines liberalitate, animi mansuetudine, in Deum pietate, sui ipsius humilitate commendatissimus.

Blesis anno M. D. LXXXVIII. die vigesimâ tertiâ Decembris, horâ septimâ matutinâ Rex per Dominum de Chasteau-vieil militum Prætoriorum Ducem Carolo adhuc decumbenti mandauit, ne suum extra cubiculum egrederetur, datique sunt custodes, neque egressus ante diem Ianuarij vltimum, quo ductus est in Ambosianum Castrum, inde Blesas sub initio mensis Martij: postea in Castrum de la Bourdesiere; tum in aliud cognomento *Hasay le Bruslé*, è quo post elapsam Quadragesimam in Chinoniam arcem, tandem Loudunum vrbem, & inde Fontanetum deductus est.

Obiit tandem noster Carolus prope septuagenarius Fontaneti in Pictonibus stranguriæ dolore, quem calculus genuerat, soluto corporis simul & carceris vinculo, die Mercurij nonâ Maij, anno M. D. XC. paulò ante mortem in eas Paulinas voces erupit: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, sepultus Gallione Diœcesis Rothomagensis in Carthusianorum templo: cor verò ipsius & viscera in suburbiis Fontaneti reposita in æde sancto Nicolao sacrâ. (Rom. 8)

Pius IV. Cardinalem nostrum adhuc viuentem à probitate vitæ laudauit, Ioannes Franciscus Cardinalis à Gambara extulit eum à pietate & Religione in publico Consistorio, & Cardinalis Farnesius Borbonium quasi aurum in igne probatum significauit, qui inter insanissimos Hæreticorum tumultus tanquam rosa inter spinas Catholicam Fidem singulari studio sartam tectam pro aris defenderet. Carolus Cardinalis Borbonius suæ vitæ descriptorem habuit Iacobum Brulium Monachum Benedictinum Diui Germani Parisiensis.

Borbonium-Vindocinense scutum cæruleum tribus liliis aureis II. & I. muricatâ clabulâ vtrosque angulos pertingente, tribus Leonibus argenteis impressâ exaratum.

Bourbon-Vendosme qui est d'azur à trois fleurs de lys d'or, au baston de gueules pery en bande, chargé de trois Lyons d'argent.



LVDOVICVS I. CARDINALIS A GVISIA IVLIO III.

Anno Christi M.D.LIII.

FRATER natu-minor Caroli Cardinalis Lotharingi Archiepiscopi Rhemensis, filius Claudij I. Guisiæ Ducis ex Antoniâ Borboniâ editus anno M.D.XXII. de stirpe Lotharingicâ pluribus actum est in Carolo I. Cardinale Lotharingo.

Episcopus Trecensis anno M.D.XLV. vitâ functo Odoardo Hennequin sub finem anni præcedentis, postea Albiensis anno M.D.L. à morte Patrui Ioannis Cardinalis à Lotharingiâ, Albiensem Ecclesiam Laurentio Strozzio Episcopo Biterrensi Cardinali regendam dedit. Tandem Archipræsul Senonensis, cùm Ioannes Bertrandus Cardinalis vitam cum morte commutasset anno M.D.LX. hanc Senonensem Cathedram elapso biennio Nicolao Peluæo postea Cardinali cessit: etiam Metensis Præsul anno M.D.LXVIII. eiurante Francisco Belcario, qui in Concilio Tridentino orationem habuit anno M.D.LXII. de victoriâ Drocensi contra Hæreticos reportatâ, cuius loco Belcarius Abbas sancti Germani Altissiodorensis, vbi omnia susque deque inuenit, inauditâ & sacrilegâ Hæreticorum impietate, qui anno M.D.LXVII. Monasterium sancti Germani & cæteras Basilicas spoliarunt & incenderunt; nec Pictauiensem, nec Burdegalensem (vt ait Antonius Petramelarius) rexit Ecclesias. Petramel. in Iul. 3.

Primus Cœnobiarcha Commendatarius sancti Victoris Parisiensis Ordinis sancti Augustini; Monasterium est in Lutetiæ suburbiis, quod fundauit anno M.C.XIII. Ludouicus VI. cognomento Crassus Francorum Rex, cuius Cœnobij meminêre Innocentius III. de electione, & Gregorius IX. de Rescriptis: Prædecessor in eâ Abbatiâ fuerat Antonius Carraciolus, Ioannis Principis Melphiæ filius eiusdem Monastcrij Religiosus & Abbas; demum Episcopus Trecensis, de cuius hæresi in Odeto Cardinale Castillonæo. Istius Andrij Archimandrita in præsenti Franciscus de Harlay Archipræsul & Primas Neustriæ Græcè & Latinè doctissimus, successor in vtroque Sacerdotio magni illius Cardinalis à Ioyosâ. Abbatia S. Victoris Parisien.

Cardinalis Diaconus à Iulio III. die Veneris vndecimâ Calendas Ianuarij, anno M.D.LIII. in quartâ Cardinalium creatione creatus est sine titulo:

tandem Paulus IV. titulum sancti Thomæ in Parione contulit, estque Presbyterorum titulus. Interfuit conclaui & creationi Papæ Pauli IV. anno M. D. LV. & Pij IV. M. D. LX. Cardinalis noster oleo sacro Henricum III. Rhemis inunxit Sede vacante, die quintâ Februarij, anno M. D. LXXV. Ludouico nepote Archiepiscopo Rhemensi nondum inaugurato. Ludouici emblema nouem zero cum hoc lemmate, *Hòc per se nihil est, sed si minimum addideris, maximum erit*: si natura spectetur nihil est, si gratiæ iuncta, maximum est.

Hinc abiit Parisiis ad Superos die sextâ Calendas Aprilis, anno suæ ætatis quinquagesimo sexto, Christi autem M. D. LXXVIII. iacetque in andrio sancti Victoris in choro Ecclesiæ à latere sinistro maioris altaris sine epitaphio; galerus Cardinalitius pendet è tholo & fornice.

Scutum Guisianum descriptum in Carolo I. Cardinale Guisiano nuncupato à Lotharingiâ.



ANNO CHRISTI M.D.LV.

IOANNES SVAVIVS CARDINALIS REVMANVS PAVLO IV.

IN Nouempopulaniæ pago de Rieumes Suauius Cardinalis genitus, anno M. D. III. Ius Pontificium & Cæsareum apprimè calluit: vnde in Romanâ Curiâ pro Gallicâ natione in albo sacræ Rotæ Patrum Duodecim-viratûs conscriptus. Præsul Mirapicensis: hæc Sedes (cuius patronus sanctus Mauricius) ab Archipræsulatu Tolosano vt à trunco fuit excisa & erecta à Ioanne XXII. anno M. CCC. XVII. qua de re actum est in Ioanne Summo Pontifice. Lib. I.

Paulus IV. anno M. D. LV. in secundâ promotione, die decimâ tertiâ Calendas Iannarij creauit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Ioannis ante portam latinam: Pius IV. è sancti Ioannis ad sanctæ Priscæ titulum transtulit. Inquisitionis (quam sanctum vocant Officium) Tribunali præposuit: etiam sancti Didaci Hispani canonizationis prouinciam dedit. (S. Didaci canonizatio.) Dum Pontifex Cardinalitiâ solum potiretur dignitate sæpius Reumani Auditoris Rotæ integritatem expertus, & amplissimo Purpuratorum Collegio dignum censuit: ciuilem causam & controuersiam Iureconsultus Suauius munere suo fungens in Cardinalis Carafæ fauorem iustè diremit, hic ducentos au-

reos misit, ex quibus duos tantum retinuit. *Hi*, inquit, *duo tantum mihi debentur, reliquos Cardinalis habeat*, sed abundè illi demum satisfecit, nam inauguratus Pontifex ostro Reumanum donauit. Præclarè factum.

Pontifex ob ingrauescentem morbum multis aliis distractus negotiis Cardinalem Reumanum vnà cum Cardinalibus Bernardino Tranensi, & Ioanne Baptista Consiliario, adhibitis etiam consiliis Antonij Vrsini, & Aloysij Lipomani Bergomensis Episcopi deputauit ad totius Ecclesiasticæ ditionis negotia examinanda. Signaturæ iustitiæ præfectus.

Romæ dolore calculi extinguitur annos natus sexaginta tres, anno M. D. LXVI. die tertiâ Calendas Octobres, & sepelitur in Ecclesiâ sancti Spiritus de Saxiâ. Eius familiaris & testamenti executor Scipiô Rebiba Siculus, Cardinalis Pisanus nuncupatus almæ vrbis Gubernator ab ingressu Ecclesiæ curauit transferri propè maius altare in sarcophagum marmoreum cum hoc epitaphio.

Iesu Christo spei vitæ futuræ.

Ioannes Suauius Reumanus Gallus tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis ob animi candorem & eximiam Iurisprudentiam Duodecim-viratus litibus iudicandis ascitus, ac propter humanitatem & innocentiam Pauli IV. beneficentiâ Patrum Senatui meritò cooptatus LXIII. *agens annum sanctissimè, vt vixerat, ita Christianissimè decessit, die xxix. Septembris, anno* M.D.LXVI. *Scipio Rebiba tituli S. Angeli Cardinalis de Pisis testamenti executor absolui curauit.*

Ipsius nepos Baionensis Antistes Henrico IV. nominante anno M. D. XCVI. cuius meminit vt & Patrui Cardinalis Ossatus. Cardin. d'Ossat li. 2. epist. 82

Scutum cæruleum Columbâ aureâ ramum oliuæ ferente exaratum.

D'azur à la Colombe d'or portant le rameau d'oliue.



IOANNES BERTRANDVS CARDINALIS SENONENSIS FRANCIÆ PROCANCELLARIVS PAVLO IV.

ANNO CHRISTI M.D.LVII.

AMPLISSIMA est inter Tolosates Bertrandorum familia, è quâ Ioannes Tolosæ oriundus fuit, Parente Ioanne Bertrando filio natu-ma-

iore Bernardi Bertrandi Domini de Frosin & de Villelles Cognitoris Regij in Senatu Tolosano. In foro iustitiæ versatissimus, Princeps eiusdem Senatus Tolosani, postea etiam Parisiensis extitit. Eius fidissimus Achates Iacobus Faber Abbas Casæ-Dei, supplicum libellorum in Curiâ magister: Ioannem cognatione attigit Petrus Bertrandus Cadurcensis Episcopus ab anno Christi M. D. XXXVII. ad annum M. D. LXIII. Noster Ioannes animum ad Ecclesiam conuertit, primùmque sancti Bertrandi Conuenarum Episcopus anno M. D. LI. deinde Archipræsul Senonensis, & Galliarum Primas, cuius possessionem iniit per Procuratores, anno M. D. LVII. die octauâ Septembris, Ludouico Cardinale Borbonio vitâ functo, quam Ecclesiam suâ præsentiâ nunquam recreauit, cum tamen *beneficium detur propter Officium*. In Germaniam Legatus missus; Tolosâ Lutetiam aduectus omnibus honorum gradibus saltuatim decursis summum togæ fastigium attigit impellente Ægidio Magistro, alij addunt Ducissæ Valentinæ fauore. Franciæ itaque Procancellarius, seu sigillorum Regiorum Custos ab Henrico II. institutus, Iacobo Oliuario Cancellario in ædes priuatas & rurales amandato: Oliuarius postea morte Regis Henrici Francisco II. Regni habenas regente ad pristinum officium vocatur, eliminato Bertrando anno M. D. LIX.

Cap. fin. de rescr. pt. in 6.

Cardinalium Collegio adscriptus die Lunæ Idibus Martij, anno M. D. LVII. in tertiâ Cardinalium promotione à Paulo IV. postulatione Ducis Guisij proficiscentis in Italiam (pro eiusdem Pauli ope contra Philippum II. Hispaniæ Regem) ducentis decem millium peditum, & duorum millium Equitum copias causâ belli Ducatus Palliani. In Sabaudiâ Prorex.

Regni Comitia præsente Henrico II.

Henricus II. Ordinum Regni Comitia Lutetiam indixit ad hostium impetus sustinendos VIII. Idus Ianuarias, anno M. D. LVIII. præsente Ioanne Bertrando Procancellario in Palatij, in quo ius dicitur, aula, cui vulgò à Beato Ludouico nomē est, loco magnificè præparato in solio cōsedit Rex, paulò infra Delphinus & Carolus Lotharingiæ Dux ad dextram cum Cardinalibus; ad læuam Principes la Roche-sur-Yon Borbonius, Niuernensis & Dynastæ Sancerranus, Vrseus, Polemarchus Bordillon ac cætera nobilitas, infra reliqui Ordines: graui oratione Rex principium actioni fecit; deinde Cardinalis à Lotharingiâ assurgens grandi oratione propensum Regis in omnes studium multis laudibus extulit, sacri Ordinis nomine ingentis pecuniæ collationem pollicitus: post eum Niuernensis pro nobilitate verba faciens, cum itidem assurrexisset, paucis verbis eam paratam dicit, vti hactenus semper fecerit pro Rege, Regni dignitate ac tutela opes vitam, ac sanguinem profundere; tum Ioannes Santandreanus Præses Parisiensis ac cæterarum Regni Curiarum, quarum delegati aderant, nomine in genua procumbens Regi gratias agit, quod ex Magistratibus, qui vice Regia ius dicunt, quartum ordinem constituerit, & ad cæteros tres Regni Ordines adiunxerit; dein laudatâ Regis egregiâ voluntate ac prudentiâ vitam, opes & omnia prolixè defert. Postremò plebis nomine Andreas Guillarius Mortarius; vbi verò desiit, Ioannes Bertrandus Procancellarius tunc Cardinalis Senonensis dictus, cum Regem de more in solio sedentem genibus flexis consuluisset, in locum suum rediit, estque prolocu-

tus.

tus. Celebratæ eodem anno magnâ pompâ Lutetiæ VIII. Calendas Maias nuptiæ Francisci Delphini, & Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ, Iacobi V. & Mariæ Guisianorum sororis F. quibus interfuêre Carolus Borbonius, Carolus Lotharingus, Odetus Colignius Castillonæus, Ioannes Bertrandus Cardinalis, Condæus & Rupisurionius Borbonij, Lotharingiæ Dux, Nemorosius, Guisius, Niuernius, Aumalius; ex Scotis Proceribus Glascuensis Archiepiscopus, Regni Primas, Orcadensis Episcopus, Rothusij & Cassilissæ Comites, Flaminius, Setonus, Dunius. Maria Stuart uxor Francisci II.

Italiam petiit sub finem anni M.D.LIX. interestque Comitiis, quibus creatus Pontifex Pius IV. à quo titulum sanctæ Priscæ accepit, fuitque vnus è septem Cardinalibus à Pontifice delectis, quorum nomina sunt, Fridericus Cæsius Episcopus, Bartholomæus la Cueua Hispanus, Ioannes Baptista Cicada, Fr. Michaël Alexandrinus, hic noster Ioanues Bertrandus Presbyteri, Iulius la Roüere, & Ludouicus Cornelius Diaconi Cardinales, qui Vrbis Gubernatori & Fisci Procuratori astiterunt in causâ Caroli Cardinalis Carafæ Pauli IV. nepotis, qui septimo Idus Iunij, anno M.D.LX. in Adriani molem coniectus, & rei capitis ac læsæ Maiestatis damnatus post nouem menses examinis, ibidemque strangulatus Carnificis manu, cadauer latum in sacellum D. Thomæ apud Mineruam Patrum Prædicatorum: inter alia, quæ Cardinali Caraffæ obiiciebantur, hæc in quæstionum codicillis relata sunt, quòd Paulum Pontificem quamquam belli cupidum, ignarum tamen bellicarum rerum falsis nuncijs & consiliis decepisset, quòdque varias literas & arbitrarias notas ementitus, inducias Hispaniæ & Galliæ Regum fregisset, & totum id bellum, quod Paulus gesserat diutius non sine Sedis Apostolicæ detrimento, produxisset. Crimen & mors Cardinalis Carafæ.

Postea F. Michaël Gislerius Dominicanus vnus è septem Cardinalibus antea deputatis causæ cognoscendæ Pontifex creatus Pius V. discusâ solerter causa Carafas à Pio IV. damnatos honoribus restituit, & statim ex eadem familiâ Antonium Rinaldi Carafæ filium Cardinalem legit. Orator Regius extra ordinem apud Rempublicam Venetã corpore Tydæus, animo Hercules Cardinalis noster dici potuit. Animã exhalauit Venetiis senio confectus pridie Nonas Decembris, anno M.D.LX. sepeliturq; sub Organo in Ecclesia D. Stephani Protomartyris apud Augustinianos cũ hoc epitaphio. Post mortem ei Honos restituitur.

D. O. M.

Ioanni Bertrando Tolosano, Senonensi Archiepiscopo Cardinali primario, illis optimis & maximis duobus Galliæ Regibus Francisco I. & Henrico II. carissimo, magistratus & honores amplissimos, quos soli excellentiss. I. C. consequi possunt in patriâ, cunctáque Galliâ honorificè adepto, in Germaniam Legato, in Sabaudiam pro Rege misso, tandemque Procancellario facto, Cancellario etiam designato. Cum Romam Pontificis Maximi deligendi causâ profectus, in Galliam Pio IV. Pontifice creato rediret, senio iam confecto Venetiis morbo pridie Nonas Decembris oppresso. Iacobus Faber Tolosanus Casæ-Dei Abbas, libellorum supplicum Regius Magister, summus

amicus, & Bosthedonius nepos M. PP. quousque hæredes pro tanti viri dignitate reficiendum curabunt M. dictante, E. Palmelio auditore suo anno M.D.LX.

Parma cyanea, Ceruo aureo, coronide argenteâ.

D'azur au Cerf d'or, au chef d'argent.



PHILIBERTVS CARDINALIS DE LA BOVRDESIERE
Pio IV.

Anno Christi M D.LXI.

QVAM multa Philibertum Naldum Babou natum anno M.D.XIII. insignem reddidêre, clari natales, ingenium subtile, doctrina non vulgaris (erat enim Latinè & Græcè doctissimus) virtus singularis, legatio multiplex, dignitas Cardinalitia. Ipsi parens vir Equestris Ordinis, & totius Galliæ ædificationibus præpositus Philibertus Dynasta de la Bourdesiere, & Maria Gaudin mater, Patruus Iacobus Babou à Bourdesia, qui decessit Episcopus Engolismensis annos natus solùm viginti & vnum, Regi à libellis anno M.D.XXXII. Alter Ioannes Babou Bordeserius secretioris Cubiculi Magister mandatum accepit à Rege Henrico II. Moncelli in Meldis anno M.D.LVIII. vt Andelotum malè de Religione & Missæ sacrificio sentientem cõducat in Meldorum ciuitatem, vbi in Episcopi ædibus aliquantisper sub custodia fuit donec Regis iussu Melodunum translatus, ibique in arcem inclusus. Iuuenis ita in Parisiensi Academia literis operam nauauit sedulam, vt omnes facilè anteiret commilitones. Nobilis & antiqua familia Naldorum apud Fauentinos in Italiâ, ex quâ Cardinalis Naldi de la Bourdesiere Maiores prodiêre, apud quos frequens nomen Babo strenui Ducis, vti refert Rubeus. Nihil hic referam de Dionysio Naldo Ductore exercituum fortissimo virtute & fide in Venetam Rempublicã incomparabili, cui marmorea pedestris statua Venetijs in Æde SS. Ioannis & Pauli Reipublicæ Senatus consulto decreta. Defuncto patruo Iacobo Præsule Engolismensi successit in Præsulatu Philibertus anno M. D. XXXII. annorum vndeuiginti. Post Philippum Cardinalem de Lenoncourt sedit in Episcopatu Altissiodorensi. Inuicto animo multa ab hominibus Catholicã Religionem polluentibus pertulit, gregemque sibi commissum, quamdiu potuit, ab hæreticâ rabie conseruauit; eius enim æuo omnia sacra impuris Hæreticorum manibus Engolismæ polluta sunt.

Rubeus in histor. Rauen.

Orator Regius apud Romanos Pontifices multis annis, imò vsque ad obitum: pauci ab eius decessu missi Romam Legati viri Ecclesiastici; experientiâ enim notum quamplures Prælatos illic degentes pro Regiis negotiis vacare Cardinalatui obtinendo: quare eò mittuntur in præsenti, qui dignitatem huiusmodi non ambiant viri sæculares nobiles. Cardinalem creauit Pius IV. Carolo IX. instante, in secundâ Cardinalium electione, die quartâ Calendas Martij, anno M. D. LXI. Presbyter tituli sancti Sixti, mox tituli sancti Martini in montibus, tandem sanctæ Anastasiæ. Cur Legati Romam mittuntur sæculares.

E viuis sublatus morte repentinâ Romæ, die vigesimâ quintâ Ianuarij, anno M. D. LXX. apud sanctum Ludouicum sepultus. In Ecclesiæ pauimento prope maiorem ianuam lapis visitur cum hoc epitaphio.

D. O. M.

Philiberto Naldio Burdesio S. R. E. Cardinali trium Galliæ Regum, Henrici II. Francisci II. & Caroli IX. apud Paulum IV. & Pium IV. Pontifices Maximos legatione perpetuâ egregiè functo. Maria Gaudin mater, Philibertus & Fabritius nepotes posuerunt. Vixit annos quinquaginta septem, obijt anno M. D. LXX. *die septimâ Calendas Februarij.*

Scutum quadripartitum I. & IV. laterculo argenteo, muricato brachio è nube cæruleâ nascente, ramumque viciæ complectente, II. & III. item argenteo tribus palis prasinis expressum.

Portoit escartelé au 1. & 4 d'argent, au bras de gueules sortant d'vn nuage d'azur, tenant vne poignée de vesse en rameau, au 2. & 3. d'argent à 3. pals de synople.



ANTONIVS PERENOTTVS CARDINALIS GRANVELLANVS, PIO IV. Anno Christi M. D. LXI.

CALENDIS Septembris, anno ab Orbe redempto M. D. XVII. procreatus Antonius in pago d'Ornaus ad Lupam fluuium Diœcesis Bisuntinæ, Patre Nicolao Caroli V. Cæsaris Cancellario Domino Granuellæ, matre Nicolea Bonualota.

Ad summum gloriæ apicem per omnes gradus conscendit; primùm enim fuit Canonicus; deinde Cantor, Abbas, Protonotarius, Episcopus, Archiepiscopus Bisuntinus, Cardinalis, Legatus Pontificius. Annos natus

viginti duos dignitate Episcopali ciuitatis Rigiaci (quæ Atrebatum Metropolis est) anno M. D. XXXVIII. dum hic Episcopatus Metropolitanæ Ecclesiæ Rhemensi adhuc subesset, decoratur.

Calluit 7 linguas. Septem linguas adamussim callebat vt natiuas (quod fertur de Mithridate) Gallicam, quæ erat materna, Latinam & Græcam, quas puer in Scholis didicerat, Italam, Hispanam, Belgicam, & Germanicam studio & vsu comparatas, quinque Amanuensibus simul diuersas dictabat epistolas de rebus magni momenti. Eloquentiâ quadam diuinâ pollebat ad animos permouendos.

Initium Synodi Trid. & finis. Iouius li. 45. histo. Vna cum parente nomine Cæsareæ Maiestatis Tridentum se contulit ad Synodum Oecumenicam, quæ incœpit decimo tertio Decembris, anno M. D. XLV. & finiit M. D. LXIII. habuitque orationem perelegantem, cuius meminit Paulus Iouius. Orator de pace tractaturus ad Franciscum I. & Henricum VII missus. Anno M. D. LV. interfuit conuentui illi celeberrimo iuxta Calctum & Grauelium ad pacem ineundam inter Reges pro Cæsare Carolo V. Antonius Granuellanus, pro Henrico II. Carolus Cardinalis Lotharingus, pro Mariâ Angliæ Reginâ Reginaldus Polus Cardinalis Regij sanguinis, qui postea obiit eodem die, quo Maria Regina, imò & Fides ipsa in Anglicano Regno die duodecimâ Calendas Decembris, anno M. D. LVIII. Orationem habuit anno M. D. LIX. mense Iulio in Comitiis Gandauensibus à Rege Philippo II. Hispanias petituro indictis. Eodem anno ab eodem Philippo Belgium deserente datus à Consiliis Margaretæ Austriacæ sorori Belgarum Gubernatrici, Octauij Parmæ & Placentiæ Ducis coniugi. Maria Austriaca Belgij Gubernatrix.

A Pio IV. die quartâ Calendas Martij anno M. D. LXI. Presbyter Cardinalis creatus tituli sancti Bartholomæi in Insulâ, secundâ Cardinalium creatione, mox sancti Syluestri: postea à Pio V. ad titulum sanctæ Anastasiæ vocatus, & ad titulum sancti Petri ad Vincula. Tandem Episcopus Sabinus Gregorio XIII. Prorex Neapolitanos à Philippo II. constitutus, & electus anno M. D. LXX. vnà cum Cardinale Pacieco, vt tractaret de bello Selino Turcarum Tyranno inferendo, inito prius cum Pontifice Pio V. & Republicâ Venetâ fœdere. Anno M. D. LXXI. die decimâ nonâ Calendas Septembris in Ecclesiâ sanctæ Claræ Neapoli, vtpote Legatus Apostolicus Ioanni Austriaco Caroli V. filio notho tradidit vexillum benedictum; pugnatum est anno sequenti ad Echinadas Turcis triginta millibus cæsis, decem millibus in potestatem redactis, nauibus & triremibus centum & octoginta captis, nonaginta demersis, quindecim millibus Christianis à seruitute liberatis. Prælium Lepantæum.

Apostolico diplomate Pius IV. Societatem IESV in Belgio commendauit Antonio. Vir hic sapientissimus in eâ fuit semper sententiâ, quam Themistocli quoque placuisse ferunt subigendum esse mare ei, qui dominatum in terris tutum habere velit, quare ad Indias licet remotissimas conseruandas, & quicquid Insularum ambit Oceanus, consilium fuit de muniendo nauigiis mari.

Anno M. D. LXXXIV. à Philippo Rege supremus Præses consilij rerum Italicarum & Siciliæ Prorex declaratus est, & anno eodem Madriti interfuit

inaugurationi Philippi III. Hispaniarum Regis, vbi Maiestati Regiæ Euangelium & pacis osculum præbuit: Sacro finito Principem ad princeps altare manu deduxit, atque ibi à Cardinale Toletano Confirmationis sacramento munitum, sacroque oleo perunctum ad priorem locum reduxit. Anno sequenti, die sextâ Idus Martias celebrauit nuptiarum ritus inter Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, & Catharinam ipsius Philippi filiam natu-maiorem, apud maritimam vrbem Barcinonem.

Vesuntione Gymnasium restaurauit, viros literatos in pretio habuit: ex eius familiâ prodiêre Iustus Lipsius, Franciscus Richardotus, Morillonus, Elleborius, Stephanus Pighius, & alij. In omnibus Cæsaris expeditionibus comes & assecla sæpe, vt ferebat occasio, galeatus. Apud Hæreticos *Princeps Papistarum* audiebat: tantùm erat erga Religionem Catholicam benè affectus.

Præter insigne domesticum pro symbolo gestabat nauim in medio salo velis plenis positam cum hoc verbo *Durate*, ad illud Virgilianum habito respectu.

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Tantus ieiuniorum Ecclesiæ obseruator, vt inde sibi mortis causam adsciuerit: homo enim septuagenarius, dum Quadragesimale huius anni M. D.LXXXVI. eadem, quâ consueuerat antea, seueritate, ouis & lacticiniis abstinens obseruaret, primò ad imbecillitatem maximam, deinde ad febrem, ex quâ septimum post mensem totus contabuit, quodam veluti marasmo. Philippus Rex è Laurentino secessu literas propriis articulis exaratas ad ægrum dedit ægritudinem ipsius verbis amantissimis deflens, semper enim in deliciis habuit & viuum & mortuum, quod rarò accidit Regum ministris fauore Principum inflatis.

Obiit Madriti in Hispaniâ, die sancti Matthæi vndecimâ Calendas Octobres, anno M. D.LXXXVI. annos natus septuaginta duos; corpus depositum in æde Diui Philippi apud Eremitanos sancti Augustini, hinc translatum Vesuntionem, sepultumque sine epitaphio apud Carmelitas, (non autem in Ecclesiâ Metropolitanâ, sicut asserit Petramelarius) in ossuario familiari iuxta Patrem Nicolaum. Orationem habuit funebrem Ioannes Baptista Saccus.

Scripsit Orationem Antonius in Concilio Tridentino habitam.

Formâ fuit egregiâ, staturâ rectâ & procerâ, colore nitido ac suauissimo, valetudine perquàm secundâ, etiam in extremâ senectute expers podagræ, & huius generis morborum calculi, stranguriæ, herniæ, quibus ea ætas est obnoxia, beneficio naturæ temperato victûs maximè, vno enim prandio erat contentus, multorum pharmacorum cognitione præditus herbarum, stirpium, ac animalium vim & naturam, vt alter Alexander Macedo cognitam habebat, satione herbarum & consitione arborum vt Cyrus delectabatur. Ita omnibus gratus, vt eius imago à sexcentis artificibus penicillo, scalpro, gypso, materiave quaque fusili ad viuum fuit expressa. Meminêre Perenotti Petramelarius, Michaël ab Isselt in historiâ huius temporis, Aubertus Miræus in Elogiis Belgicis, aliique quamplurimi. Cognitio naturaliû.

A Laurentio Gambara versus libri quarti de nauigatione Christophori

Columbi Granuellano Cardinali fuêre dicati: ita canit.

Perenotte virum referam, qui littora primus
Ingentis tetigit Cubæ, non cognita Nautis
Hactenus, oppositumque polum, nouaque astra retexit
Nuper, & inuentas Cancri sub sydere terras.
Accipe quæ quondam iussisti carmina, ab Afris
Cum domitis Cæsar dulcem, claramque vidisset
Parthenopem victor.

De eodem Granuellano mortuo edidit Ioannes Metellus Sequanus dialogum Poëticum, cuius Interlocutores Hospes, & Aulicus.

Scutum argenteum atro in obliquum colore ter tœniatum, scutario capite Romani Imperij.

Portoit d'argent à la bande de sable de trois pieces, au chef de l'Empire.



Anno Christi M.D.LXV.

ANTONIVS CARDINALIS DE CREQVY
Pio IV.

GENVERVNT Antonium secundo genitum Ioannes VIII. Dominus de Crequy & de Canaples, Comes de Mantes & de Meulan, Princeps de Poix, & Maria d'Acigné filia Ioannis VI. huius nominis Marchionis d'Acigné in Armoricis & Ægidiæ de Coëtman, cuius loci Domina fuit & Vice-comitissa de Tonquedec. Huius, si fœminas spectes, familiæ Carolus Blanche-fort Dux de Crequy & l'Esdiguieres, Par & Polemarchus Franciæ, Prorex Delphinatûs; nam Auus Gilbertus de Blanche-fort Dynasta de saint Ianurin, & auia Maria de Crequy soror & hæres Cardinalis. Eiusdé Gentis Carolus de Crequy Comes de Bernieules & de Clery pronepos. Philippi Morinorum Gubernatoris tertij-geniti filij Ioannis VI. Domini de Crequy, sponsus Iacquelinæ Emanuëlis Gouffier filiæ Henrici Gouffier, Domini de Creue-cœur, & de Bonniuet, quâ defunctâ maritus nomen dedit Ordini Patrum Oratorij IESV CHRISTI.

Du Tillet in memorial. cap. 6

Abbas sancti Iuliani Turonum Antonius, etiam Cœnobiarcha sancti Petri de Selincourt fundati anno M. C. XXXI. & Vallilienſis Ordinis Cisterciensis

sis, Diœcesis Ambianensis. Senator Consistorianus, Cancellarius militiæ sancti Michaëlis. Primùm Morinensis vltimus Episcopus extincto fratre Francisco, anno M. D. LII. cuius Morinensis Episcopatûs pars vna Boloniæ data, altera Ypris & sancto Audomaro conuentione factâ inter Henricum Galliæ, & Philippum Hispaniæ Reges. Sequenti anno est adæquata solo ciuitas Morinorum, notaturque his duabus chronologis vocibus *DeLetI MorInI*; M. D. LIII. postea Nannetensi ornatus est Episcopatu anno M. D. LXI. post Ioannem à Lotharingiâ Cardinalem creatus permutatione datis Episcopatu Nannetensi, & Abbatiâ sancti Iuliani Cardinali Peluæo: demum Ambianensis effectus. Vnijt Ambianensi Episcopatui Abbatiam sancti Martini à Iumellis, quod indoluit moriens fecisse. Eiusdem nobilissimæ gentis extitit Engerranus de Crequy Cameracensis & Morinensis Episcopus anno M. CCC. VI. qui interfuit Synodo Syluanectinæ anno M. CCC. XVII.

Extinguitur Morinensis Episcopatus.

Carolo IX. fuit maximo in pretio & à consiliis secretioribus, quo instante purpuram Cardinalatûs accepit à Pio IV. dum quartò Patres legit anno M. D. LXV. die quartâ Idus Martij Presbyter tituli sancti Tryphonis.

Superstes fratribus Ioanni Domino de Crequy defuncto in sponsaliis, & Ludouico Dynastæ de Canaples è viuis sublato in sancti Quintini prœlio vulgo *la bataille de saint Laurens*, quorum morte amplissimam consequutus est hæreditatem, puta annui reditûs sexaginta librarum millia. Lemma familiæ Dominorum de Crequy: *Que nul ne s'y frote*. Emblema Antonij est columna flammis circumdata in parte superiori, in inferiori sylua, quam ingressi Israëlitæ columnâ auspice & duce cum hac epigraphe. *Prisca lux, dux certa salutis*, anno M. D. LXIII. cusum numisma.

Morbo calculi acutissimo laborante Cardinale, Medici conuenêre de liberaturi de remedio afferendo, vnusque eorum censuit, vt Antonius rem haberet cum muliere, quod illi significatum; verum optimus Cardinalis, *Absit*, inquit, *vt iacturam æternam animæ faciam pro sanitate temporaneâ cadaueris.*

Castè dictum Cardinalis.

Ex hac vitâ migrauit anno M. D. LXXIV. die vigesimâ Iunij in ciuitate Ambianensi, & sepultus est in sua Cathedrali Ecclesiâ. Magnam pecuniarum summam Ecclesiis diuersis ad pios vsus contulit: in Ecclesia Ambianensi dotauit præcones Verbi Diuini tempore Quadragesimæ. Oratione funebri laudauit in Monasterio D. Vedasti *de Moreul* Iacobus Saguier Canonicus Ambianensis, & Doctor Theologus die XV. Nouembris, anno M. D. LXXIV.

Scutum quadripartitum, I. quadrans Crequyanus chamæceraso coccineâ aureæ parmæ appictâ, II. Acignæus muris pontici vellere depictus, & sulcatus fasciâ muricatâ tribus liliis aureis exaratâ, III. Suessionensis-Moreulius symbolo Franciæ, Leone nascente argenteo, IV. quadrans quadripartitus; I. & IV. laterculus Turrianus tesserâ Francicâ, turri argenteâ expressus; II. & III. Aruernus parmâ aureâ vexillo coccineo: scutulum Bolonicum horum laterculorum imo insertum aureum, tribus libis miniatis expressum.

Portoit escartelé au 1. d'or vn crequier de gueules, qui est de Crequy: au 2. d'hermines à la fasce de gueules chargée de 3. fleurs de lys d'or, qui est d'Acigné; au 3. se-

mé de France, au Lyon naissant d'argent, qui est de Soissons-Moreul. Au 4. contre-escartelé, au 1. & 4. semé de France, à la tour d'argent, qui est de la Tour, au 2. & 3. d'or au gonfanon de gueules, qui est d'Auuergne; & sur le tout de ces quartiers d'or à trois tourteaux de gueules, qui est de Bologne.



ANNO CHRISTI M. D. LVIII.

HIERONYMVS CARDINALIS SOGHIER
PIO V.

SOCHERIVS Prouinciâ Aruernus natus anno Verbi Incarnati M.D.VIII. Ab adolescentiâ in montis-Petrosi Claromontensis Dioecesis, Ordinis Cisterciensis Coenobio Monachus studuit pietati mirum in modum & literis. Lutetiæ operam dedit Philosophiæ & Theologiæ in Bernarditarum gymnasio, lauream Doctoratûs accepit in Facultate Theologicâ Lutetiæ, collegasque habuit Claudium Espensæum familiâ nobilem Polygraphum, Simonem Vigor Archipræsulem Narbonensem, Antonium Harlant Episcopum Cabilonensem Catharinæ Medicææ Reginæ à confessionibus, Claudium de Sainctes Religiosum Abbatem de Luneual, Ordinis Augustiniani Præsulem Ebroicensem.

Celebres Theologi.

Regibus Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. percharus, Carolo etiam Cardinali Lotharingo singulari necessitudine iunctus. Abbas Claræuallensis XLII. postea Cisterciensis Generalis defuncto Ludouico Boysio è Tridentinâ Synodo redeunte anno M. D. LXIV. toti Ordini virtutis, prudentiæ & sanctitatis exempla singularia præbuit, & antiquam disciplinam in integrum restituit: post acceptum à Socherio Cardinalatum Pius V. creauit Abbatem in Cisterciensi Andrio Nicolaum Boucherat.

In Concilio Tridentino non inter postremos anno M. D. LII. cum Nicolao Maillard Decano Facultatis, Iacobo Peletario magno Collegij Nauarræi Magistro, qui donatus est a Patribus Concilij curâ Parœciali sancti Iacobi Parisiis mortuo Tridenti Natali Paillet Doctore Facultatis & Parocho D. Iacobi, die XXV. Nouembris anno M. D. LXIII. Ibidem Claræuallensis Coenobiarcha sæpe perorauit, ad quem scripsit sanctus Carolus Borromæus nomine Auunculi Pij IV. Hieronymum laude non futili exornans.

PP. Tridentini dant curam Parœcial. S. Iacobi.

Abbati Claræuallensi ad Concilium.

Reuerende Pater mirabiliter delectatus est S. D. N. literis illustrissimi &

Reuerendissimi Cardinalis Varmiensis Legati, quibus ille Sanctitatem certiorem fecit de singulari studio & curâ tuâ indefessâ in Dei gloriam, & salutem Reipublicæ Christianæ: itaque nec dici potest, quantopere is laudaret diligentiam & Religionem istius officij tui, quantam etiam grauitatem, & vim tui nominis re, ac actione tueri dicit, cupitque, & Deo precibus petit vt cæteri, qui eodem honore sunt homines, quod sacrum & graue Abbatis munus postulet tuo exemplo meminerint iuuare, perge, vt facis, tenere institutum tuum officij laudisque plenissimum; Deùm enim habebis auctorem, & adiutorem optimorum consiliorum, & actionum tuarum, & S. D. N. egregium in te studium & amorem experire: operam verò & studium erga te meum semper tibi proprium & præparatum esse intelliges. Christus Iesus D. D. R. T. incolumem seruet quam-diutissimè. Romæ

Cardinalis eligitur talia non cogitans à Pio V. Presbyter tituli sancti Matthæi in Merulana, die Mercurij nono Calendas Apriles, anno M. D. LXVIII. in secundâ Cardinalium ordinatione, & quidem renitens & lachrymabundus creatus: quare Summus Pontifex semel atque iterum vi & virtute S. Obedientiæ acceptare dignitatem oblatam iussit literis Romæ datis apud sanctum Petrum, die octauâ Maij, anno M. D. LXVIII. Audiamus ipsissimum Pontificem epistolâ suâ cogentem Hieronymum. Lachrymabūdus fit Cardinalis.

Dilecto filio nostro Hieronymo Abbati Claræuallis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali; Pius Papa Quintus. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Acceptis literis tuis & cognitis rationibus, quas attulisti, cur tibi commodiùs esse existimes manere in Ordine tuo, quam suscipere munus, ad quod superioribus diebus, de consensu fratrum nostrorum promouimus, modestiam quidem, & probitatem tuam agnouimus, sed excusationem non esse accipiendam duximus: nam quod existimas, promotionem hanc impedimento tibi fore, ad agendam curam Monachorum tuō regimini commissorum, & Monasteria, quæ abs te visitari (vt à Claræuallensi Abbate debent) visitanda: ea res sese aliter habitura est, quam censes; Cardinalatûs enim dignitas adiumento potius erit, ad officium illius maiore cum auctoritate præstandum, & ea, quæ Monasteriorum necessitas exposcet, agenda. De ijs verò, quæ in eo esse debeant, qui ad hoc munus assumitur, quæ tibi deesse scribis, laudamus quidem istam tuam humilitatem: non est tuum de te quàm sis ei muneri idoneus iudicare. Nostro acquiescere iudicio debes, & ita cogitare per ministeriū nostrum te à Deo vocatum fuisse, quandoquidem te nec opinantē in curarum, & solicitudinis nostræ partem, non sine diligenti deliberatione, assumpsimus, ad seruiendum nobiscum Dei honori, & sanctam eius Ecclesiam tam graui, & turbulento tempore regendam, qui potens est & ea, quæ tibi dedit, dona augere, & quæ in te reperiri forsan possunt, addere, pro cuius obsequio, & honore nullos debes nec animi, nec corporis labores subterfugere, sed eius vocatione confisus ipsius gratiæ, & auxilio humiliter obedire. Debes verò, & Charitatis officium postulat, vitam nostram dolere, qua hac ætate onus multo grauius sustinemus; ad quod ferendum tua, & tui similium operâ indigemus. Accepto igitur, quod ad te misimus, huius honoris

insigne, omni excusatione omissâ, constitutis prius Ordinis tui istic rebus, ad vrbem quam breuissimo tempore te conferas, quod vt facias in virtute sanctæ Obedientiæ tibi mandamus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. mensis Maij, anno M. D. LXVIII.

Romæ moritur die decimâ Calendas Nouembris, anno M. D. LXXI. conditurque nobili tumulo cum effigie in Ecclesiâ sanctæ Crucis in Hierusalem annos natus sexaginta tres. Monachi Clareuallenses marmoreum sepulchrum nigrum erexêre cum hoc epitaphio.

D. O. M.

Domno Hieronymo Socherio Aruerno, Parisiensi Theologo præstantissimo, qui Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. Gallorum Regibus, Carolo Cardinali Lotharingo, bonisque omnibus eximiè caro, Clareuallensi Abbati: in Tridentinâ Synodo doctrinæ, pietatis ac prudentiæ sententias plenissimas dixit, inde Cistercij electus Abbas, ipsiusque Ordinis Generalis, à Pio V. Pontifice Maximo delatam absenti Cardinalatus dignitatem, vt acciperet, vix adduci potuit, deinde in Vrbem accitus singulari opum ac gloriæ contemptu, & vitæ moderatione omnibus admirationi fuit. Vixit annos sexaginta tres: obijt x. Calendas Nouembres, anno M. D. LXXI. *Monachi Clareuallenses poni curarunt.*

Siste rogo, & precibus lector venerare sepulchrum.
Siste ferens paruæ præmia magna moræ.
Vita prior mortem, sed mors tibi prima secundam
Vitam, quæ nunquam est interitura, dabit.

Plura aduersus Religionis Nouatores scripsit, multa dictauit, quæ M. S. in Clareuallensi Cœnobio asseruantur.

Mortuus incredibile reliquit omnibus sui desiderium Hieronymus, cuius auditâ morte Pontifex, *Miror*, inquit, *summopere, quòd ad tanti viri obitum omnes Vrbis campanæ vltrò non audiantur.* Thomas Bosius in opere & signis Ecclesiæ inter eos Patres iam vitâ functos adnumerauit, quorum sanctitas ætate nostrâ multis operibus est comprobata.

Parma muricata cantherio aureo tribus stellis cæruleis instructo, tribus conchulis argenteis, duabus in summo, vnâ in infimo, depicta.

Portoit de gueules à vn cheuron d'or chargé de trois estoilles d'azur, accompagné de trois coquilles d'argent, deux en chef & vne en pointe.



NICOLAVS CARDINALIS DE PELLEVE' PIO. V.

Anno Christi M.D.LXX.

IN castro de Iouy Diœcesis Rothomagensis ortus est Pelleuæus die decimâ quintâ Calendas Nouembres, anno M.D.XVIII. parentibus nobilitate & multorum pagorum dominio clarissimis, Patrem habuit Carolum Pelleuæum Dominum de Iouy, & Helenam de Fay, Carolum Pelleuæum fratrem Rebæi Dominum in Sandionysiano prælio interfectum vnà cum Annæo Memmorancio, anno M.D.LXVII. Iuri Canonico & Ciuili multam nauauit operam in Bituricensi Vniuersitate legibus explicandis illustri. Prælium Sandionys.

Mille foro iuuenes dedit hæc, bis mille senatus
Adiecit numero, purpureisque togis.

Ibidem docuit leges Nicolaus, postmodum Senator Parisiensis euasit. Supplicum libellorum in Curiâ Magister. Abbas sancti Remigij Rhemensis post Ludouicum Cardinalem à Guisiâ.

Ad Ambianensis Ecclesiæ regimen nominauit Henricus II. anno M.D.LIII. mortuo Francisco de Pisseleu eiusdem Ecclesiæ Antistite, & Abbate sancti Cornelij Compendiensis, ingressus Ambianum ipsâ die Virgini Deiparæ in cœlum assumptæ sacrâ. Postea Ludouicus à Lotharingia Cardinalis à Guisia Senonensem Archiepiscopatum cessit Nicolao, anno M.D.LXIII. cum eum retinuisset solo biennio. In Comitiis Regni die quintâ Ianuarij, anno M.D.LVII. conuocante Henrico II. præsens fuit in Aulâ D. Ludouici; de quibus in Bertrando Cardinale Senonensi. Du Tillet in memo. tal. Franc. cap. 6.

Tandem Archipræsul Rhemensis, successitque alteri Ludouico superioris nepoti Cardinali Guisiano Blesis defuncto, anno M.D.LXXXIX. quem Archiepiscopatum contulit Gregorius XIV. Anno sequenti ad Rhemensem ciuitatem properanti positus obex ab hostibus, qui in illis partibus grassabantur. Anno M.D.LXX. die decimâ sextâ Calendas Iunij Presbyter Cardinalatum tituli SS. Ioannis & Pauli, Carolo IX. instante, & Pio V. conferente, consequutus est, quorum Sanctorum corpora feliciter reperit Ecclesiam exornans; deinde sanctæ Praxedis titulum habuit, & anno M.D.LXXII. decimo tertio Calendas Iulij galerum accepit. Patrocinium & protectionē Regnorū Scotiæ & Hiberniæ, & Clericorū S. Hieronymi suscepit.

Vnde in Scot à tumultus pro Religione.

Missus in Scotiam Nuncius Apostolicus anno M.D.LIX. à Paulo IV. ad Mariam Guisiam, Mariæ Stuart Scotiæ Reginæ matrem Regentem tumultuantibus pro Religione Scotiæ populis, maximè quòd Maria Regina filia Catholica Galliæ Regi Catholico Delphino Francisco II. nupta esset, proindeque Catholicos Regno potituros, quod ægrè ferebat Iacobus Nothus Iacobi V. filius, Mariæque frater. Ob causam Religionis eò Doctores aliquot Theologos Parisienses duxit Pelueus, inter alios Brochantium & Fornierium, Antistites Regni Edimburgi coëgit ad meliora, & quo potuit consilio armauit aduersus Hæreticæ prauitatis insidias, templa prophanata à Sectariis noster Nuncius sacris reddidit, aras erigi curauit, Regentem & Catholicos magnâ lætitia cumulauit, dato eidem Labrochio Equite torquato Regij Ordinis, & virtute bellica commendato.

Ad Tridentinam Synodum proficiscitur Cardinalis à Lotharingiâ comes, cuius aliquando fuerat familiæ Oeconomus. Alenconio Duci Caroli IX. Regis fratri regendo præficitur. Duos annos gessit sigillorum Regiorum Prouinciam post reditum ex Scotiâ.

Obiit Lutetiæ in Archiepiscopalis Ecclesiæ Senonensis Palatio, die Sabbathi quintâ Calendas Apriles, anno M.D.XCIV. suæ ætatis septuagesimo septimo: corpus in Ecclesiâ Cœlestinorum depositum, postea Rhemos delatum, & in maiori Ecclesiâ terræ mandatum prope aram sanctæ Crucis cum hoc epitaphio, pileusque Cardinalitius pendet è tholo.

D. O. M.

Ac æternæ memoriæ Nicolai de Pelleué sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis tituli sanctæ Praxedis Archiepiscopi & Ducis Rhemensis primique Franciæ Paris, quem cum generis antiqua nobilitate animi fortitudo, vitæ integritas, singularis eruditio pietatisque & iustitiæ studium ad amplissimos honores gradatim prouexit; nam primùm in Senatorum supremæ Parisiensis Curiæ ordinem adscriptus, dein supplicum libellorum in aula Regia Magister eligitur: mox Ambianensis factus Episcopus in sanctius Regis consilium adoptatus, in Scotiam pro restituenda Religione Catholica à Summo Pontifice & à Francisco secundo Franciæ & Scotiæ Rege cum amplissima potestate mittitur, in Regnum Galliæ reuersus fit Archiepiscopus Senonensis, & in sacram Tridentinam Synodum proficiscitur, vnde rediens, cum Rex Carolus IX. longè à Lutetia occupatus abesset, sanctiori Regis consilio Lutetiæ constituto cum authoritate Procancellarij præficitur, quo in munere Regi & Regno vtilem operam nauauit. Tandem à Pio V. Summo Pontifice sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatur, qui dignitati ne deesset Romam profectus multos ibi annos grauioribus Ecclesiæ negotiis incubuit: sed dum ciuili tempestate Rhemen-

sis hac Ecclesia suo Pastore orbata fuisset, senis huius fidei tam prosperè committitur, cuius muneris exequendi studio cum in Galliam remeasset plenus dierum ac in spem melioris vitæ erectus, altero pòst anno ex hac mortalitate discessit, die XXVI. mensis Martij, anno salutis M. D. XCIV. *ætatis vero suæ* LXXVII. *Anima eius demoretur in bonis.*

Pelue decus patriæ, spes maxima Pelue tuorum,
Quos fouet Aonio Gallica terra sinu.
Et dum dira fremunt reuoluta per æquora venti
Diceris dubiæ portus & aura rati.

Quadripartitum scutum in I. & IV. coccineo, facie humanâ argenteâ pilis arrectis, in II. & III. argenteo liliis incerto numero nigris concinnatum.

Portoit escartelé au 1. & 4. de gueules à vne teste humaine d'argent au poil leué, au 2. & 3. d'argent aux fleurs de lys de sables sans nombre.



CAROLVS D'ANGENNES CARDINALIS DE RAMBOVILLET PIO V. Anno Christi M. D. LXX.

IACOBI d'Angennes Domini à Ramboüilleto Proregis in Italiâ, & Isabellæ Cotereau Dominæ de Maintenon tertius filius, pridie Calendas Nouembres anno M. D. XXX. In illâ arce Ramboüilletanâ animam egit Rex Franciscus I. cognomento Magnus, die vltimâ Martij M. D. XLVII. decima octaua à morbi primordiis febre continua atrocissimè conflictatus, ad piè moriendum Petrus Castellanus Matisconum Episcopus, magnus Franciæ Eleemosynarius diuinam ei operam nauauit. Franciscus I. Rabotilleti moritur.

Multis & variis legationibus clarus Carolus ad omnes fere Europæ Principes, potissimâ ad Romanum Pontificem Pium V. turbulentissimis Galliæ temporibus missus à Carolo IX. & Catharinâ Medicæâ Reginâ matre. Cenomanensis Episcopatûs potitur, cum esset annorum viginti octo, initque possessionem vigesimâ secundâ Octobris, anno M. D. LIX. vsque ad annum M. D. LXXXVII. Carolo Rege nominante.

Cardinalatus dignitate insignitur sexto Calendas Iunij, die Mercurij, anno M.D.LXX. à Pio V. in tertiâ Cardinalium electione Presbyter tituli sanctæ Euphemiæ. Solus è Gallis Cardinalibus interfuit Conclaui & creationi Gregorij XIII. tertiâ Idus Maij, anno M.D.LXXII. qui vocabatur antea Hugo Boncompagnus Cardinalis tituli sancti Sixti.

Creatio Greg 13.

Claudius d'Angennes Caroli germanus successit fratri in Episcopatu ex Episcopo Nouiodunensi, Romamque profectus M.D.LXXXVIII. vt Sixtum V. nomine Henrici III. commonefaceret de Ludouici Cardinalis & Henrici Ducis Guisij fratrum morte: eodem detinebatur carcere cum Cardinale Petrus d'Espinac Archipræsul Lugdunensis vir eloquentissimus, qui eodem mortis genere fuisset affectus, nisi ipsius nepos Regipercharus Baro *de Lux* intercessisset. Orator Regius Angennæus non ita fuit pergratus Sixto Pontifici acceptâ nece Cardinalis, quæ contigit vigesima quarta die Decembris, anno memorato. Tunc agebat in Aulâ Francica Pontificius Legatus Ioannes Franciscus Cardinalis Morosinus, aliis Maurocenus, quem Sixtus anno præcedenti eodem die crearat Cardinalem & Legatum Sedis Apostolicæ, quod hactenus non fuerat auditum.

Legatio pro Cardin. Guisij nece.

Moritur Carolus decimo Calendas Apriles annos natus quinquaginta sex & menses aliquos, anno M.D.LXXXVII. Corneti in Hetruria, sepeliturque apud Franciscanos Obseruantes hoc epitaphio structo, curâ nepotis Domini de Rantigny viri nobilis stirpe & virtute.

D. O. M.

Insignis mitrâ Carolus d'Angennes, & ostro
Corneti extremum clausit in Vrbe diem.
Ossa sepulta tenet Francisci nobile templum,
Hic lapis exta loco nobiliore tegit.
Dulces Reliquiæ vitam docuêre per omnem
Dulce pati Christi nomine, dulce mori.

Carolo d'Angennes à Ramboüilleto, Cenomanensi Episcopo, S.R.E. Cardinali, ingenij, scientiæ, Religionis, omniumque virtutum laudibus præstantissimo Christophorus à Rantigny sororis filius, & Claudius Lupius cubiculi præfectus Italicarum rerum ex testamento hæredes cum suo, tum cæterorum familiarium, quibus, ob eximiam in eos pietatem, amplius sexaginta aureorum millia legauit, mœrore posuerunt. Obiit anno M.D.LXXXVII. vixit annos quinquaginta sex, menses quatuor, dies viginti tres.

Aliud epitaphium Romæ in æde D. Ludouici cum Cardinalis icone.

Carolo d'Angennes à Ramboüilleto S.R.E. Cardinali Christophorus à Rantigni sororis filius, & Claudius Lupius cubiculi præfectus Italicarum rerum ex testamento hæredes in Auunculum & Patronum grati; Virginibus Gallicis alternis annis Deiparæ Virginis, die natali in matrimonium collocandis certos Aedi fructus attribuerunt anno M.D.LXXXVII. Calendis Aprilibus.

Scutum pullatum cruce decussatâ argenteâ exaratum.

Portoit de sable au sautoir d'argent.



CLAVDIVS CARDINALIS DE LA BAVME
GREGORIO XIII.

Anno Christi M. D. LXXVIII.

IN Comitatu Burgundiæ ortum duxit Claudius Claudij F. Domini de sainct Sorlin, Mareschalli Burgundionum & Velleris aurei Equitis, frater Marci à Balma Comitis V. de Mont-reuel; primus Comes de Mont-reuel Ioannes de la Baume sponsus Ioannæ de la Tour. Mater Cardinalis Claudia de Tolongeon. Monasterium est Balmense ab ea gente dotatum vnum virorum, aliud Monialium. Datus est Antonio Lullo Theologo liberalibus excolendus disciplinis, dum penes Franciscum Bonualot esset administratio Archiepiscopatûs Bisuntini, & donec ille vigesimum quintum ætatis annum compleuisset. Abbas Cari-loci Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Bisuntinæ, fundati anno M. C. XXXI. nepos Petri à Balma Gebennensis Episcopi & Cardinalis, cuius supramentio habita. Fr. Golut in histor. Comit. Burg.

Archipræsul Bisuntinus cedente patruo, anno M. D. XLIII. cui Ecclesiæ totos quadraginta annos præfuit cum ijs Episcopo dignis virtutibus, quas sanctus Paulus ad Timotheum scribens commemorat. Claudio succéssit Antonius Perenottus Cardinalis Granuellanus. Ecclesiæ suæ regimen dedit Francisco de Grandmont maiori Decano, qui consensu Capituli illud suscepit: Romam interim petit Claudius cum Antonio Lullo Vicario suo Generali visurus limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, anno M. D. LXVI. Pio V. Pontifice, à quo benignè exceptus & muneribus cohonestatus in suam se recepit Diœcesim anno M. D. LXXI.

Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decreta per totam Diœcesim Romà rediens promulgari & obseruari voluit. Hæreticis anno M. D. LXXV. die vigesimâ primâ Iunij Bisuntinam Ciuitatem subito conatu adortis præclarè & fortiter sese opposuit Claudius Archipræsul, & Franciscus de Vergy illustrissimæ familiæ Comitatûs Burgundiæ Gubernator. DuChesne in Genealog. de Vergy.

Cardinalis electus à Gregorio XIII. ob propria & patrui Cardinalis merita, fractis, quæ obijciebantur, repagulis, die nonâ Calendas Martij, anno M. D. LXXVIII. Presbyter sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris, dum quintò Cardinales legerentur. Semper gregi Bisuntino intentus vitâ & exemplo pascens gregem, residentiam mirum in modum colebat Pastori com- Residentia Pastorum.

mendatam à Christo Pastore è cœlo in terras delapso, vt grex præsentem operantem & morientem contemplaretur & auscultaret.

Chifflet. in Archiepisc. Bisunt. Mortali ergastulo soluitur, anno M. D. LXXXIV. die Iouis decimâ quartâ Iunij, Arbosij, quo loco sepeliri voluit (non autem Vesuntione, & in Ecclesiâ Metropolitanâ, vt ait Petramellarius) iuxta parentem Claudium, & patruum Petrum Cardinalem de Balmâ.

Scutum Claudij descriptum habes superiùs in Petro de la Baume Cardinale Gebennensi.



Anno Christi M. D. LXXVIII.

CAROLVS II. A LOTHARINGIA CARDINALIS DE VAVDEMONT GREGORIO XIII.

CAROLVM Margaretę Egmontanæ filium refert Antonius Petramellarius, sed non secundum rei veritatem; nam Parens Nicolaus Comes Vaudemontanus, eiurato Episcopatu Virdunensi, tres duxit vxores primam Margaretam, ex quâ suscepta est Ludouica Regina Franciæ, secundam Ioannam de Sabaudiâ, Philippi Emanuëlis Ducis Mercuriani & Caroli Cardinalis nostri matrem; tertiam Catharinam Claudij Aumaliæ Ducis filiam, ex quâ nati Erricus Episcopus Virdunensis postea Capucinus, & frater eius Henricus Comes de Chaligny. Natus igitur noster Carolus die secundâ Aprilis, anno M. D. LXII. Patre Nicolao Duce Mercuriano & Vaudemontano Comite, matre Ioannâ Sabaudâ Philippi Sabaudi, Ducis Nemourij filiâ: frater fuit Ludouicæ Reginæ Franciæ Henrico III. nuptæ, quæ vitam in viduitate sanctissimam duxit tota Deo intenta vsquequo extremum exhalaret spiritum, anno M. DC. I. tumulata apud Ecclesiam Sanctimonialium Capucinarum Parisiensium in sancti Honorati suburbiis, quam ædificari curarat.

(Vassebourg in Episcop. Virdun.) (Ludouica Lotharena mulier sanctiss.)

Ingenij fœcundi partum theses Theologicas, cum annorum esset vndeviginti anno M. D. LXXX. Summo Pontifici Gregorio XIII. offerebat tunc Cardinalis. Tullensi Episcopatu donatus anno M. D. LXXX. & Virdunensi M. D. LXXXIV. vitâ priuato Nicolao Bosmard Episcopo, qui Minimos Virdunenses, apud quos iacet, reliquit hæredes ex Triente. Inter Proceres seu Equites Ordinis sancti Spiritus ab Henrico III. Leuiro suo instituti ascriptus, anno M. D. LXXXIII.

In

In numerum Cardinalium electus à Gregorio XIII. die Veneris nonâ Calendas Martij, anno M.D.LXXVIII. Diaconus, dum quintò Patres legeret Summus Pontifex, Diaconatum sanctæ Mariæ in Dominicâ contulit Sixtus V. & ex Diacono Presbyter initiatus sanctæ & indiuiduæ Trinitatis in monte Pincio, vbi Patres Minimi Galli habitant.

In decumanis fluctibus Galliæ, & tēpestatibus percussi inter aliquos Proceres & Europæ Principes fœderis contra Galliam, anno M.D.LXXVIII. quod sanctam vnionem dixère in Henricum III. Carolo Cardinale Borbonio seniore electo Principe; Vaudemontius Cardinalis Vicarius est declaratus, quo in munere paucos vixit dies.

Obiit Tulli Leucorum viginti sex annos natus die Veneris tertiâ Calendas Nouembres, anno M.D.LXXXVIII. in Ecclesia sancti Stephani Protomartyris, quæ est Cathedralis, corpus depositum, postea in vrbem Nanceianam caput Lotharingiæ delatum, & apud Franciscanorum templum Aulæ Ducali contiguum sepulturæ mandatum est.

Scripsit de Ecclesia disputationem in theses Gregorio XIII. dicatas distributam, quam in Academia Mussi-pontana, doctioribus quibuscunque in arenam vniuersim prouocatis, vt Theologiæ Scholasticæ gloriâ nitesceret, publicè propugnauit anno suæ ætatis vndeuigesimo.

Parma Lotharingica solida, cuius meminimus cùm in Federico Lotharingo Summo Pontifice Stephano X. tum in Ioanne Cardinale à Lotharingia.



RENATVS CARDINALIS DE BIRAGVE Anno Christi M.D. LXXVIII.
FRANCIÆ NOMOPHYLAX
GREGORIO XIII.

PATRITIVS Mediolanensis Renatus Biragus Galeatij filius ex Theodori Triuultij Franciæ Mareschalli filiâ. Iuris vtriusque Doctor, in Aulâ Regum Galliæ cum præclarissimis rerum publicarum administrationibus diu vixit, Regibus Francisco I. Henrico II. Carolo IX. & Henrico III. apprimè carus, natus dum Ludouicus XII. Gallorum Monarcha Ducatu Mediolanensi potiretur: eius Gentis Horatius Biragus Præsul Vaurensis, qui Synodo Tolosanæ adfuit, anno M.D.XC. & Carolus Biragus Archiman-

drita Flauigniacensis in Burgundiâ. Primùm Senator Parisiensis extitit Renatus, deinde libellorum supplicum in Curiâ Magister, postea Taurini Præses, tandem Franciæ Cancellarius.

Regius Orator in Synodo Oecumenicâ Tridentinâ, hinc ad Imperatorem proficiscitur. Alphonso de Vercellis primo Eleemosynario Catharinæ Medicææ, Præsule Lodeuensi vitâ functo, Episcopatûs administrationem impetrauit à Rege, qui totus tunc temporis in venationibus diuertebatur, die duodecimâ Octobris, anno M. D. LXXIII. in syluis Villæ Costeraiz nuncupatæ. Henricus III. in gratiam Renati literis erogatoriis Lodeuensem Ecclesiam exonerauit summâ trium millium librarum, quæ erat eius quota pars alienationis bonorum Ecclesiasticorum auctoritate Pontificiâ in eius subsidium hoc anno faciendâ.

Ioannes Moruilliers vir insignis. Episcopo Aurelianensi Ioanne de Moruilliers in negotiis sanctioris & intimi consilij Regij versatissimo Regia sigilla motu proprio abdicante, quæ ipsius meritis contulerat Carolus IX. anno M. D. LXIX. quò Ioannes Forcatulus Ioanni scribens allusit.

A Rege, à meritis, proauito à lumine clarus
Iustitiæ Gallæ summa sigilla tenes.

Eadem Regis sigilla collata sunt Renato Biraguo, qui dignitatem Cancellarij obtinuit, vitâ functo Michaële Hospitalio, anno M. D. LXXIII. Verùm Renatus senio grauatus prouinciam & custodiam sigillorum Regiorum cessit anno M. D. LXXVIII. Henrico III. Hæreticos & factiosos suâ virtute multoties debellauit, vnde *Hæreticorum malleus* nuncupatus est.

Prorex Caroli IX. in Prouinciâ Lugdunensi Segusianâ & Ambarrēsi præmortuæ Valentiæ Balbianæ vxori, anno M. D. LXXII. (ex quâ insignes meritis suscepit liberos) ipse viuens epitaphium erexit apud Ecclesiam sanctæ Catharinæ Prioratûs Vallis-Scholarium; postea animum appulit ad Ordinem Ecclesiasticum. Blesis perorauit anno M. D. LXXVII. in Comitiis trium Ordinum Regni.

Anno ipso eodem nomine Henrici Mommorancij Danuillæ Ducis, Franciæ Polemarchi, & in Auxitania Proregis iniunctum fuit militaribus viris, qui ab expugnatione Lodeuæ Montis-bruni arcem occupauerant, vt illam Renato Episcopo restituerent, cum Regio pacis edicto maximè cautum esset Catholicis esse restituenda omnia & singula loca, quæ Sectarij ab ipsis, grassante bello, insidiis vel aperto marte sustulerant.

Cardinalem creauit Gregorius XIII. in Henrici III. gratiam anno M. D. LXXVIII. die Veneris nonâ Calendas Martij, in quintâ Cardinalium electione, nec titulum, nec galerum est consequutus, nunquam visâ Curiâ Romanâ post adeptam purpuram.

Symbolum & emblema ipsius malum aureum flammas eiaculans columnæ innixum cum hoc lemmate. *Non cedunt ignibus ignes*, diuini nimirum amoris. Aliud emblema, agnus flammis radiisque circumdatus, pede dextro librum tangens & sinistro binam crucem, ferens cum hoc lemmate *Rubet agnus aris*, quod emblema desumptum ex Diui Ioannis Apocalypsi. Apocal. 5.

Ex hac terrenâ peregrinatione ad patriam Cœleſtem profectus ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo ſeptimo, die Iouis octauâ Calendas Decembres, anno M. D. LXXXIII. Lutetiæ, ibique ſepultus in D. Catharinæ Virginis & Martyris templo cum epitaphio ornatiſſimo & effigie marmorea, vbi viſitur icon vxoris.

Quid tibi opus ſtatuâ? ſatis eſt ſtatuiſſe Birague
Virtutis paſſim tot monumenta tua. I. MOREV. R. S.

Renato Biraguo Patritio Mediolanenſi multis & ſummis dignitatibus functo, tum Franciæ Cancellario, ac demum S. R. E. Cardinale Franciſca F. vnica & Cæſar Biragus agnatus mœſtiſſimi non memoriæ ſed deſiderij perpetui monumentum. H. P. C.

Vixit annos LXXVII. *menſes IX. dies XXVI. Obijt VIII. Calendas Decembres, anno* M. D. LXXXIII. *Hunc Renati Biragui S. R. E. Cardinalis, Cancellarij Galliæ tumulum Philippus Huraltus Chiuernius Galliæ Cancellarius ob conſortium ſuum Magiſtratûs & amicitiam adfinitate ſancitam auxit hoc titulo vltimo in defuncti munere, & deceſſori ſucceſſorem ſanctiſſimum ſeni hoc quicquid eſt inferiarum dare pietati adiunctum exiſtimauit. Adeò quos non ſors, ſed iudicium magni Regis, & Reſpublica coniunxit, nulla vis fati ſeparare potis eſt.*

Scripſit Cardinalis Biragus orationem Bleſis habitam in Conuentu Ordinum Galliæ, anno M. D. LXXVII. ibidem typis mandatam. Ipſius vita à Ioanne de Maumont accuratè deſcripta eſt. Renato magnâ pompâ parentatum fuit, ampliſſimo Ordine Senatorio vniuerſo, ac reliquis vrbis Ordinibus (qui honor ſolis Regibus, & Regum filiis ac fratribus & Equitum Præfecto defertur) funus proſequentibus: orauit autem in eiuſmodi exequiis Reginaldus de Beaune Bituricenſis Archiepiſcopus, ſummus Franciæ Eleemoſynarius, qui anno ſequenti orauit etiam in funere Franciſci Andium & Biturigum Ducis, & in obitu Annæ filiæ Chriſtophori Tuani Senatûs Pariſienſis Principis, & Philippi Chiuernij Franciæ Cancellarij vxoris, & anno M. D. LXXXVII. in exequiis Mariæ Scotorum Reginæ, Londini à Catharinâ Reginâ extremo capitis affectæ ſupplicio. D. Ferdinandus Vghellus Monachus Ciſtercienſis notat Petramellarium hallucinatum in annis & die obitûs; natum annos ſeptuaginta ſeptem, & mortuũ die octauâ Calendas Decembres: cum, inquit, in epitaphio legamus annos ſexaginta victitaſſe, & ſeptimo Calendas Decembres obiiſſe. Non Petramellarius, ſed D. Ferdinandus decipitur vir aliòquin accuratiſſimus & literatiſſimus; vt patet ex epitaphio, quod Lutetiæ habemus præ oculis.

Pompa funebris ex Thuano.

Scutum cæruleum tribus faſciis muricatis vtrinque pinnatis quintuplicibus, qualibet pinnâ trifolio aureo impreſsâ.

D'azur à trois faſces de gueules breteſſees à double de cinq pieces, chacune chargée de trefle d'or.



Anno Christi M. D. LXXVIII.

LVDOVICVS II. CARDINALIS A GVISIA
Gregorio XIII.

FRANCISCI Ducis Guisiæ in obsidione Aurelianensi à Ioanne Poltroto Domino de Mercy Engolismensi interempti, anno M. D. LXIII. & Annæ Estensis Ludouici XII. abneptis filius nascitur, anno M. D. LIII. die sextâ Iulij, Caroli à Paulo III. & Ludouici à Iulio III. creatorum Cardinalium fratrum nepos.

Abbas Sandionysianus LXVIII. tertius Commendatarius ab anno M. D. LXXIV. quo obiit patruus Carolus ad annum M. D. LXXXVIII. Cœnobiarcha etiam Fiscani in Neustriâ, & S. Remigij Rhemensis. Archipræsul Rhemorum nominatur è viuis sublato eodem Carolo Cardinale Lotharingo Patruo anno M. D. LXXIV. inauguratus postea in Cœnobio D. Dionysij, vulgò in Franciâ. Huiusce Præsulis tempestate Rex Henricus III. è Sarmatia reuersus coronatur, & inungitur Rhemis die decimâ quintâ Februarij, anno M. D. LXXV. à Ludouico Cardinale Patruo Metensi Episcopo, quia nimirum Ludouicus Archiepiscopus Rhemensis necdum erat sacris Presbyterij initiatus mysteriis.

Muricatus pileus ei datur à Gregorio XIII. anno M. D. LXXVIII. dum quintùm legit Patres, die Veneris nonâ Martij, neque galero, neque titulo donatus, cùm Romam adierit nunquam, solum autem præsentibus titulus & galerus conferantur; quod non animaduertens Iacobus Doubletus ait illi collatum titulum sancti Thomæ.

Doublet. li. 1. antiq. Abbatiæ S. Dionys. cap. 37.

Synodum Prouincialem coëgit ad mores reformandos in Ciuitate Rhemensi, anno M. D. LXXXIII. nondum pallio accepto, verum dispensatione obtentâ, & primum Missæ sacrificium ibidem Deo obtulit.

Anglos Sacerdotes à patriâ extorres benignè excepit illuc missos à Gregorio XIII. gymnasij Præfecto Guillelmo Alano Lancastrensi, quem Cardinalem creauit Sixtus V. & Maclíniensem Archiepiscopatum contulit precibus Philippi II. Hispaniarum Regis. Processiones vulgo Albæ fuêre ab illo institutæ anno M. D. LXXXIII. ad quas concursabant multæ hominum cateruæ, aliquando ad septuaginta millia procedentium ordine ad Diuam Virginem à Spinâ Catalaunensis Diœcesis, aliquando etiam ad templum

Anglicanum Collegium Rhemis.

Deiparæ à lætitiâ Laudunensis Diœcesis.

Torquatus Eques Ordinis sancti Spiritus nouissimè ab Henrico III. Calendis Ianuarij, anno M.D.LXXIX. instituti. Auenionensis Legatus à Sixto V. decretus Henrico III. Rege postulante.

Blesis interimitur post fratrem Henricum Guisiæ Ducem, die vigesimâ quartâ Decembris, anno M.D.LXXXVIII. (conuocatis trium Regni Ordinum Comitiis ad duodecimum Calendas Nouembris, anno eodem) suæ ætatis trigesimo quinto: pro cuius nece misit Henricus III. Romam Legatum Claudium d'Angennes Episcopum Cenomanensem, de quo actum est paulò ante in Cardinale de Ramboüillet.

Scutum à Guisiâ relatum in Ludouico Cardinale Guisiano.



FRANCISCVS SACRI COLLEGII DECANVS CARDINALIS DE IOYEVSE GREGORIO XIII.

MAIORES Gaudentij fuêre sic dicti à Gaudentio Ætij Comitis filio, & à beatissimo in Aquitaniâ sanctissimoque Viro eiusdem nominis, cui apud Conuenas maximi honores, & alibi adhuc deferuntur. Ioyosa quidem valida Munitio est in Diœcesi Viuariensium, qui Heluij à veteribus appellabantur. Eiusdem gentis Ludouico XI. Rege Ludouicus de Ioyosa, qui Ioannam Borboniam Comitem Carnuti & Bonæuallis duxit vxorem. Eiusdem nominis & familiæ duo fuêre Floropolis Episcopi, Carolus Tanneguij de Gaudiaco, & Blanchæ Turnoniæ filius, qui in Ecclesia sancti Flori (cuius dies festus quartâ Nouembris, & à quo nomen vrbi inditum) duodecim Anniuersaria dotauit; etiam Ludouicus à Ioyosa superioris nepos Guillelmi ex Anna de Balsac genitus, cuius frater Guillelmus Præsul Alectensis ad fluuium Atacem. Iacobus de Ioyosa LXX. Antistes Lodeuensis anno M.CCCC.V.

ANNO CHRISTI M.D.LXXXIII.

Franciscum nostrum, anno M.D.LIX. in Narbonensi Gallia procrearunt Guillelmus Henrici II. splendidissimus Eques Franciæ Marescallus militari honore (quem idem Henricus in eadem Narbonensi Galliâ vice regiâ Prouinciæ totius Gubernatoris locum tenentem posuit, quo munere functus est triginta quinque annorum interuallo) & Maria de Batarnay filia & hæres Comitis Busagij in Allobrogibus; Auia Elizabetha Sabaudica fra-

tres habuit Annæum natu maiorem I. Ioyosæ Ducem pro Henrico III. fortiter dimicantem in prælio Curtracensi cæsum vnà cum fratre Georgio Desiderij etiam nomen ferente; Annæus fuerat coniunctus matrimonio cum Margareta Lotharena sorore Ludouicæ Reginæ Franciæ Henrici III. sponsæ, magnus Oceani Præfectus: Henricum Comitem Busagij cultui Regio reique Vestiariæ Præpositum, Turonum, Andegauorum, Cenomanorum, Hunellorumque (quos Perticenses hodie vocamus) Gubernatorem, qui ex matrimonio cum Catharinâ Nogaretiâ Valetani fortissimi viri filiâ suscepit heroïnam & virtute & nobilitate filiam Henricæam Catharinam à Ioyosa nuptui datam Henrico Borbonio montis-Pensierij Duci & secundis nuptiis Carolo Duci à Guysia: defunctâ coniuge Capucinorum societatem ingressus est Henricus mense Septembri, anno M. D. LXXXVII. diuino potius quàm humano consilio de vitâ Cœlesti solùm cogitans. Tolosæ agebat apud Capucinos cum ad Villamurum pugnatum est victusque occubuit Antonius Scipio Germanus Tarnem fluuium traijcere conans in eò submergitur, qui loco parentis Guillelmi vices gerebat Regias in Gallia Narbonensi. Eo accepto nuncio plebs Tolosana ad minimum quatuor, aut quinque millia conuolauit ad Capucinorum casas vt Henricum cogeret ad suscipiendum Prouinciæ onus alioquin se Monasterium incensuram vociferans: plebi iratæ cedentes veluti rapido amni discessum illi persuaserunt cum bonâ Summi Pontificis veniâ, quod postea approbauit ei permittens, vt in Melitensium Ordinem transiret; galeam & ensem accingit defendendæ Religionis Catholicæ causâ aliquot annos: inter quas moras Henricus IV. Rex Polemarchum creauit, sed tandem pace instar suauissimi roris è cœlo delapsâ ad Capucinos iterum sponte rediit octauâ die Martij, anno supra octogesimũ decimo nono eiusdem sæculi. Angelus itaque voluntariè ac motu suo iterum quod erat fuit, Pater enim Angelus re potius, quam nomine appellabatur. Post duo lustra in eo Ordine emensa pedes Româ rediens Riuolij sub radicibus Alpium, die Iouis vigesimâ quintâ Septembris, anno M. DC. VIII. apud Capucinos obdormiuit in Domino, iacetque ante maius altare Capucinorum Parisiensium, cum epitaphio humi posito, quod curauit inscribi amantissima eius filia Henricæa. Quartus Francisci Germanus Claudius sancti Saluatoris Marchio.

Henricus Comes Busagij bis Capucinus.

Infantulus noster Franciscus loco ludi puerilis sæpenumero rebus sacris & aris vacabat, Ecclesiæ hymnos decantabat, aliquo bono omine Ecclesiastici Ordinis, in quo vsque ad Eminentissimorum Cardinalium & Legatorum Pontificiorum peruenit apicem. Adolescens ita studiis intentus vt frœnum potius adhiberent, quàm calcar admoto equo subderent in Collegio Nauarræo Magistri. Vna cum fratribus humanioribus literis & Philosophicis illic absolutis, Pontificio & Ciuili Iuri dedit operam tituloque Doctoris Canonici est insignitus.

Archipræsul Narbonensis annos solum natus tres & viginti vitâ functo Simone Vigor Theologo insigni Facultatis Parisiensis Prouinciâ Normano, qui literatas ad populum habuit conciones. Henrico III. Regi apprimè carus, vt fratres, ab eodem creatus Senator consistorianus. Archiepis-

copus Tolosanus mortuo Paulo Foxio Romæ, anno M. D. LXXXIV. multis variisque legationibus præclarè functo.

Anno præcedente sodalitati Cardinalium adscriptus à Summo Pontifice Gregorio XIII. vigesimâ tertiâ Decembris, tituli sancti Syluestri, deinde sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio, postea sancti Petri ad Vincula, quintò Episcopus Sabinus, tandem Sacri Collegij Decanus, & Episcopus Ostiensis Dominico Cardinale Pinello defuncto. Galliæ Protector Romæ ab Henrico III. declaratur, cuius protectionis meminit Cardinalis Ossatus in epistolis. Inter Equites Auratos Ordinis sancti Spiritus annumeratus.

Tolosæ congregauit Synodum Prouincialem mense Maio, anno M. D. XC. pro reformandis Cleri moribus. Capucini & Patres Societatis IESV ibidem Sedem figunt. Inter moras nuncium mortis accipit Sixti V. postea Vrbani VII. & creationem Gregorij XIV. ansam cœpit se conferendi Romam ad extinguendos bellorum ciuilium ignes adorato Gregorio: dum se committit itineri monitu Gregorij remeat Romam; Clementi VIII. eligendo dat suffragium: in Gallias redit mortuo fratre Scipione ad Villamurum Prouinciæ Narbonensis curam gerit, dum expectatur Pontificia dispensatio pro fratre Comite Busagio Capucino.

Iura Gallicana Romæ pro aris & focis tutatur, in apotheosi sancti Didaci Complutensis expensis Philippi II. Regis Catholici peractâ, cuius Legatus præsedere volebat Christianissimi Regis Oratorem Marchionem Pisani. Sixto V. fulmen excommunicationis contorquente in Henricum III. statim discessit, & Venetias se recepit propositis in contrarium rationibus, suffectus fuerat in locum magni illius Cardinalis Estensis Galliæ quondam Protectoris.

Lauretanæ Ecclesiæ toto Orbe celeberrimæ duodecim librarum millia contulit; Annas eius frater curarat ibidem ædificari Ptochotrophium alendis peregrinis Sacerdotibus Franciæ.

Præcipuus auctor fuit vt in locum Clementis VIII. vitâ functi Cardinalis Medicæus renunciaretur Summus Pontifex Leo XI. qui mensem Aprilem non expleuit in Pontificatu. Protector Ordinis Diui Antonij Viennæ Diœcesis, postea Capucinorum.

Diuersa habuit Sacerdotia, Abbas creatus maioris-Monasterij, Cœnobiarcha sancti Michaëlis in periculo maris Diœcesis Abrincensis, sancti Martini Ponti-sarensis & aliorum Cœnobiorum. Archiepiscopus Rothomagensis, anno M. DC. V. eiurante Carolo Borbonio Antonij Regis Nauarræ filio notho pro maioris-Monasterij, & sancti Florentij ad Ligerim Abbatiis: in illâ extremum clausit diem Carolus anno M. DC. X. eodem, quo frater Rex Henricus Magnus.

Legatus à latere Pauli V. Pontificis ad suscipiendum è sacro fonte Baptismatis Delphinum cum Leonora Mantuæ Ducissa, illi nomen Ludouici imposuit ita mandante Paulo in præsentia Nuncij Apostolicæ Sedis Barberini, qui nunc temporis clauum puppis Ecclesiæ vniuersæ regit sapientissimè, Petro Gondio Cardinale die decima quarta Septembris, anno M. DC. VI. aquam salutarem infundente. Sponsorem lustricum egit vnà cum Reginâ Margaretâ Valesiâ in Baptismate vnici fratris, quem appellandum vo-

luit Gastonem Ioannem Baptistam.

Turbatæ Italiæ adfuit Caduceator, antequam in extremum res venirent inter Paulum Pontificem & Rempublicam Venetam sacris interdictam: sexcentis ex vtraque parte pro causæ suæ defensione editis libellis, quos omnes improbo sanè labore & studio admirando de hac ipsâ controuersiâ scriptos Latinè, Italicè, Gallicè, Germanicè in vnum coëgit & posteritati reliquit initio Legationum Venetarum Domini de Fresne-Canaye Oratoris Regij R. P. Regnauld Minimus, antea Senator Regius, vir omnibus amabilis, historiæ studiosissimus, qui in hocce opere Cardinalium suo consilio & operâ plurimùm nos adiuuit: exordium huius dissidij à lite criminali petendum, contra vnum & alterum Sacerdotem puta Vincentium Scipionem Ecclesiæ Vicentinæ Canonicum, & Comitem Brandolinum Valderaminium Neruesij Cœnobiarcham damnatos Senatus-consulto Veneto sub finem anni M. DC. V. Aliud etiam caput Paulo non placebat nimirum Constitutio Senatus Veneti lata vigesimâ sextâ Martij, eodem anno de non alienandis immobilibus à Clero absque præuiâ Reipublicæ concessione. Henricus magnus Romam misit, & Venetias Franciscum Cardinalem ad res componendas, anno M. DC. VII. quibus optatam imposuit coronidem: de hac controuersia ad felicem exitum perducta cecinit Philippus Berterius Præses Tolosas alloquens nostrum Cardinalem.

Initium dissidij Veneti cũ Paulo V.

Muricis Ausonij splendor, qui ducis ab alto
Principibus nostris cognatam sanguine gentem,
Cuius consilio sceptri moderator auiti
Henricus diuisam odijs, armisque frementem
Italiam placida reuocauit ad otia pacis.

Ludouico XIII. Regi huius nominis Sacramentum Confirmationis contulit, pridie quàm illum Rhemis sacro & Regio oleo inungeret decimâ septimâ Octobris die Dominicâ eiusdem anni M. DC. X. Archipræsule Rhemensi Ludouico Cardinale Guysiano nondum sacris Presbyterij & Episcopatûs mysteriis initiato. Idem paucos ante menses diadema imposuerat capiti Mariæ Medicææ Franciæ Reginæ virtutum choro vndequaque cinctæ Henrico IV. marito præsente apud Diui Dionysij templum decimâ tertiâ Maij die eiusdem anni: postridiè eius diei, ô magnum nefas! Henricus Rex Christianissimus & potentissimus, hostium terror ab impio & sacrilego Sicario occiditur gladio Lutetiæ viâ Ferronariâ, dies sanè nigro fuit lapillo notanda.

Coronatur Maria Medicæa.

Postridiè mors Henrici mariti.

Pro Camerâ Ecclesiasticâ anno M. DC. XIV. præfuit Lutetiæ in Comitiis Panceltics, ad quæ conuenêre tres Franciæ Ordines in aulâ Borbonicâ. Iis varia fuêre capita proposita ad res regni collabentes restituendas.

Redux ex peregrinatione Hispanica D. Mariæ montis-Ferrati salutandæ ergò, cui Ecclesiæ duo millia libellarum Turonensium erogauit, ad recitandas quolibet die Deiparæ Virginis Litanias. Graui morbo iactatur Auenione Cardinalium Princeps Ioyosa, extremumque vitæ diem impendere agnoscens, subsistit Auenione, omniumque Sacramentorum, quæ

aduentante morte, sunt conferenda, præsidio viam sibi fecit ad cœlum faciliorem. Mox veniam ab omnibus petiit, & vicissim tribuit, testamen tum condidit, ampla remuneratione famulos prosequutus, in templa, Religiosasque domos, in seminaria pauperum, aliosque pios vsus ducenta,& eo amplius nummorum aureorum millia distribuit; Cor in æde Collegij Auenionensis Societatis IESV collocari iussit: cadauer autem in Residentiâ Pontisaranâ à se fundatâ tumulari præcepit: adstantes deinde suâ benedictione cumulauit. Deinceps sic in Deo defixit mentem: vt nihil nisi de Deo audire & loqui vellet: miroque rerum cœlestium gustu Christi crucifixi pedes suauiabatur, & voces illas similesve inter grauissimos dolores iactabat. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? auge dolorem, auge & patientiam. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, ô Deus meus, ô mi Iesu.*

Vitam itaque finiit mortalem, breui immortalem obtenturus die Dominicâ vigesimâ tertiâ Augusti, anno M.DC.XV. Iisdem Patribus Societatis IESV dedit amplissimam bibliothecam & vasorum sacrorum supellectilem. Ædi sacræ Deiparæ Lauretanæ sex aureorum millia mitti curauit; peculiari cultu semper fuerat affectus erga hoc miraculosum fanum & domum sanctissimam Virginis Matris translatam è Galilæâ in Dalmatiam, indeque in Picenum in Syluam, anno M.CC.XCV. hinc in collem duorum dissidentium fratrum; in ipso Piceno intra spacium vix mille passuum anno nondum circumacto ter mutauit sedem locumque. Sylua olim laurea in colle ad Musionis amnem inter Ricinetum & mare Adriaticum, à qua Laureti nomen, nunc oppidum fossis & turribus cinctum ne piratis, ac Turcis in altero maris littore sitis pateat ad direptionem. Sacrosanctam domum duo præcipua mysteria ortus B. Virginis, & æterni Verbi conceptus insignem reddidêre.

Deipara Lauretana.

Baptista Mantuan. initio suæ histor. Tursellin. lib. de Æde Lauret.

Quatuor millia aureorum bonus Cardinalis pro precibus in salutem animæ loco funeris erogauit. Octo Canonicos in Ducatu à Ioyosâ dotauit, vbi resident piissimi Sacerdotes sacri Oratorij Domini Iesu. Pontisaræ Diœcesis Rothomagensis scholam egenis filiabus instruendis construxit. Cœnobium Eremitarum sancti Basilij in Insulâ Aridâ ad Narbonam erexit. Vltimæ suæ voluntatis executorem nominauit eximiæ virtutis, & prudentiæ virum à multis annis sibi notum Montholonium, è cuius familiâ duo fuêre Nomophylaces integerrimi. Oratione funebri prosequutus est laudes Cardinalitias Francisci & Theologicas Sigueranus Societatis Iesu præco celebris verbi diuini, Regi Ludouico ab exhomologesi.

Parma quadripartita, I. & IV. quadrans cæruleus tribus palis aureis expressus, coronide muricatâ tribus hydris aureis signatâ: II. & III. item cæruleus Leone argenteo linguâ & falculis aureis, limbo miniato liliis octo aureis insculpto & interpolato.

Escartelé le 1. & 4. d'azur à trois pals d'or au chef de gueules, chargé de trois hydres accostez d'or, qui est de Ioyeuse: au 2. & 3. d'azur au lyon d'argent, armé & lampassé d'or, à la bordure de gueules, chargée de huict fleurs de ly. d'or en orle, qui est de sainct Didier.



ANNO CHRISTI M. D. LXXXIII.

MATTHÆVS CARDINALIS COINTEREL
GREGORIO XIII.

IN Andegauensis Prouinciæ bonorum ingeniorum feracis finibus genitus est Matthæus Contarellus anno M. D. XIX. in pago *de Morane* ad Sartam fluuium, de quo non ignobilis Poëta.

Venimus ad Sartam, quo non est purior alter.

Parentibus Hilario Contarello, & Guyoña Viuan, à quibus grandior in gymnasium Andegauense missus est præditus clarissimis animi dotibus, iunctus affinitate Dominis de Vigor origine Neustricis, in quorum familia claruit Simon ille Vigor Doctor Theologus & Canonicus Parisiensis, qui in Synodo Tridentinâ præsens donatus est Archiepiscopatu Narbonensi Carcassonæ mortuus.

Simon Vigor Archiepisc. Narbon.

Italiam petiit Matthæus adolescens Bononiæq; admissus in familiam Legum Doctoris Andreæ de Bobus, qui in Romanâ Curiâ vtriusque Signaturæ Referendarij munus exercuit Abbreuiatorisque de parco maiori. Ipse Andreas Hugonem Boncompagnum consanguineum suum, qui octo annos Iurisprudentiam Bononiæ cum omnium applausu docuerat, Romam accersiuit anno M.D. XXXIX. effectusque vnus Capitolij Iudicū inter Abbreuiatores de parco maiori, & vtriusq; Signaturæ Referendarios locum obtinuit: apud eundem Boncompagnum (cui triginta post tres annos Summus collatus est Pontificatus) Matthæo nostro relicto, cum eum sibi notum postulasset Boncompagnus; interim Andreas proficiscitur Tridentum causâ Synodi Oecumenicæ iussu Pauli III. Porrò in familiâ Boncompagni à minoribus ad maiora ascendit cùm in singulis se præbuisset solertissimum. A Patrono & Mœcenate Boncompagno, iubente Pio IV. datus est Matthæus Cardinali Ferrariensi Hippolyto Estensi in Gallias Legato properanti, vt apud eundem Legatum supplices libellos obsignaret.

Ex Galliâ redux comitatus est in Hispaniam & Lusitaniam Legatum à latere Cardinalem Alexandrinum (is Cardinalis Inter Regulares primus gessit birretum muricatū à Gregorio XIV. collatum, & Benedictum in solemni capellâ die S. Trinitatis, anno M.D.XCI. F. Michaëlem Bonellum Dominicanū Pij V. pronepotem, qui adiuit Philippum II. Hispaniæ & Sebastianum Lusitaniæ Reges anno M.D.LXXI. nomine Sedis Apostolicæ.

Hugone Boncompagno optimo Patrono ad Pontificatum assumpto, imprimis electus est ab eo Matthæus vtriusque Signaturæ Referendarius, deinde Datarius, cuius officium est libellos supplices subnotare.


Martinus ab Azpicueta Doctor Nauarrus propinquus sancti Francisci Xauerij Indorum Apostoli hæc de Contarello. Quod verbum dixit mihi S.D.N. Gregorius XIII. de industriâ posuisse in eâ Illustrissimum & Reuerendissimum, eundem doctissimum & integerrimum, nec pretio, nec precibus à recto flexibilem virum Matthæum Contarellum Datarium eiusdem Sanctissimi fidelissimum. Inter opera Nauarri. Testimonium Gregorij 13. de Contarello.

Pridie Idus Decembris, anno M.D.LXXXIII. Presbyter Cardinalis tituli sancti Stephani in monte Cœlio, dum septimò Cardinales legeret Gregorius XIII. Defuncto Antonio Massæo Cardinale Signaturæ Breuium præfecturam obtinuit. Basilicæ Diuo Ludouico Regi Francorum sacræ frontem absolutissimam posuit Romæ, subministratis decem aureorum millibus. Animã exhalauit ibidem die Mercurij quartâ Calendas Decembres, anno M.D.LXXXV. ætatis LXVI. sepultus apud sanctum Ludouicum nationis Gallicanæ, in sacello à se erecto & dotato cum epitaphio sequenti. Frons Basilicæ S. Ludouici Romæ.

D. O. M.

Matthæo Contarello tituli sancti Stephani S.R.E. Cardinali huius sacelli fundatori. Virgilius Crescentius ex testamento hæres posuit anno M.D.XC.

Scutum argenteum cruce muricata expressum.
D'argent à la croix de gueules.



CAROLVS III. CARDINALIS VINDOCINENSIS DICTVS POSTEA BORBONIVS GREGORIO XIII.

Anno Christi M.D. LXXXIII.

REGIA stirpe & septimo mense editus quarto-genitus filius. Mater Leonora de Roya Comitissa de Roussy gemellos vno partu edidit, quorum alter fuit Carolus (idcirco imbecilliori & delicatiori corpore) die XXX. Martij, anno à Virginis partu M.D.LXII. alter Ludouicus, qui anno sequenti occubuit. Optima parens Meldis iter habens in Muretanam do-

mum Picardiæ cogitur Gandalupi in Briâ immorari, quæ metu seditionis, & motûs plebei perculsa peperit; Caroli Pater Ludouicus Princeps Condæus, illi Patruus Cardinalis Borbonius senior, & Antonius Nauarræ Rex parens Henrici magni: fratres Franciscus Princeps de Conty, & Carolus Comes Suessionensis hic ex Patre solum; binas enim nuptias contraxerat Parens Ludouicus, primas cum Leonora de Roya, secundas cum Francisca d'Orleans, qui cum pugnasset secundo Marte in Tarnacensi prælio ad Carantonum flumen Santonicum influens in Oceanum profundo altoque alueo & mediocriter largo est extinctus.

Omni virtutum & disciplinarum genere instructus noster Carolus, ac peritus curâ patrui. Renunciante Carolo Cardinale Borbonio Archiepiscopatum Rothomagensem electus est nepos Coadiutor æuo Gregorij XIII. in possessionem ingressus die vndecimâ Octobris, anno M.D.LXXXIII. Procuratore Ioanne de l'Esselie Episcopo Rossæ Vicario generali patrui, qui ad mortem vsque hunc retinuit Archiepiscopatum, quo decedente anno M.D.XCIV. Carolus Antonij Regis Nauarræ filius nothus ex Episcopo Lectorensi factus Archipræsul Rothomagensis.

Diaconus Cardinalis ordinatus à Gregorio XIII. anno M.D.LXXXIII. sine titulo, die Lunæ pridie Idus Decembres (dum septimò Cardinales promoueret Pontifex) efflagitantibus Henrico III. Rege, & Carolo Cardinale patruo. Ex Diacono S.R.E. Presbyter etiam absque titulo imprimis dictus Vindocinensis, postea defuncto eodem Cardinale Borbonio anno M.D.XC. nuncupatus Borbonius.

Amor & desiderium ipsi ingens librorum, quos vndequaque ad Bibliothecam locupletem extruendam à disiunctissimis regionibus magno sumptu extrahebat, vnde erga eruditos doctosque homines singularis beneuolentia prodiit. Henrico III. gratissimus sæpe summâ cum laude præficiebatur Consistorio Regio labentem & propè cadentem Rempublicam fulcire cupiens. Henricus IV. prædecessore mortuo Regnū iniit, à quo pluribus assiduis & sæpe lachrymis Carolus petiit, vt quam-primum Catholicos ritus & ceremonias probaret atque amplecteretur; in eo enim salutem Regni Regisque positam videri: Rex vbi seipsum vicit è vestigio victor effectus est adapertis momento temporis plurimarum maximarumque vrbium portis, & in oppido D. Dionysij anno M.D.XCIII. Religionem Catholicam amplectitur. Carolum post rem gestam dixisse ferunt. *Quia ritè & sincerè ad Catholicam Fidem rediisti, profectò benè est: tametsi non tam citò id factum, quàm optaueram*; strenuus Princeps Gonzaga Niuernensis ad Clementem VIII. Romanum Pontificem missus eius rei causâ.

Adfuit Comitiis Blesensibus anno M.D.LXXXVIII. in quibus nex duorum fratrum Guisianorum interuenit, sequutus semper partes tum Henrici III. tum Henrici IV. Primarius Minister ab eorum consiliis multum promouit rem & desiderium Religionis Catholicæ in cognato Principe Henrico, quem est comitatus in vrbem Sandionysium, dum est professus die Iulij vigesimâ quintâ, anno illo M.D.XCIII. Orthodoxam Fidem.

Henricus 4. profitetur Fidem

Carolo patruo fundatore Carthusiæ, sed paucis dotatæ prouentibus Abbatiam sancti Iouini in Pictauis permutauit cum Abbatia sanctæ Ca-

Carthusia Gallionensis.

tharinæ montis Rothomagensis ad eius vnionem faciendam, & dandam Carthusianis, quod post obitum fuit executioni mandatum. Abbas sancti Germani Parisiensis, tres fuêre sibi succedentes Cœnobiarchæ Cardinales Turnonius & vterque Borbonius, Turnonij multis in locis visuntur insignia in ara principe, claustro & ianua maiore Monasterij: Borboniorum pluribus etiam in locis scuta notantur, & quidem solida post relictum nomen Vindocinense & assumptum Borbonium; hæc celebris Abbatia vitâ functo vltimo Cardinale Borbonio detenta fuit multos annos à fratre Francisco Principe de Conty vxorato, quam postea Ludouico Rege volente obtinuit Henricus Borbonius Episcopus Metensis.

Symbolum ipsius Cardinalis erat lilium spinis circumdatum cum hoc lemmate, *Superat candore & odore*, & alio ex Canticorum secundo, *Sicut lilium inter spinas*; cusum numisma anno M. D. LXXXVII.

Porrò iueniles Caroli annos veluti maturam oleam intempestiuè tamen legit Parca; nam eo orbati sumus anno suæ ætatis trigesimo secundo, additis quatuor mensibus, & quidem in Cœnobio D. Germani à Pratis ex febre tertiana & atrophia, ac intercutis morbo hydropisin Græci vocant, die Iulij trigesimâ, anno M. D. XCIV. Rex Henricus IV. in Monasterium se contulit, vt aquâ lustrali cadauer aspergeret, & psalmum pro Defunctis recitari solitum recitaret; duodecimâ die Octobris delatum corpus Gallionem apud Carthusianos Diœcesis Rothomagensis, vbi iacebat Patruus Cardinalis absque epitaphio; hoc illi condidit Morellus..

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.


Αρχιερεὺς καὶ Καρδιναλεὺς ὄχ' ἄριςος ἁπάντων
Φεῦ! ΚΑΡΟΛΟΣ κεῖται ἐνθάδε ΒΟΡΒΟΝΙΟΣ.

Iulianus à sancto Germano Doctor Theologus Episcopus Cæsareæ in Palestinâ Carolum laudauit oratione funebri inferiis lugubri cantu dictis frequentissi mo omnium Ordinum conuentu.

Parma quadripartita I. & IV. laterculo cæruleo liliis tribus aureis, muricatâ bessali tæniâ, II. & III. cæruleo tribus item liliis aureis, limbo miniato nummis bysantinis argenteis octo insculptis circumducto expressa.

Escartelé au 1. & 4. de Bourbon, qui est d'azur à trois fleurs de lys d'or, le baston de gueules pery en cotice; au 2. & 3. d'Alençon, qui est d'azur pareillement à trois fleurs de lys d'or, à la bordure de gueules chargée de huict besans d'argent.





Anno Christi M. D. LXXXVI.

PHILIPPVS CARDINALIS DE LENONCOVRT
Sixto V.

LENONCOVRT oppidum est in finibus Lothareni Ducatûs, ex quo longa serie traxêre nomen huius familiæ viri nobiles, inter quos Philippus noster annumerandus natione Francus, qui natus est anno M. D. XXVII. in castro gentis suæ Copeuray nuncupato, non ita distante à Lutetiâ, cuius parens Henricus de Lenoncourt Comes Nantolij le Haudouin, Antonio Borbonio Nauarræ Regi Ludouici XIII. auo carissimus, mater Margareta de Broye. Robertus Cardinalis de Lenoncourt Patruus Philippi Catalaunensem Episcopatum nepoti Regis Consiliario cessit, anno M. D. LVI. postea Altissiodorensis creatus est, quem resignauit Philippo Cardinali de la Bourdesiere.

Nangius an. 1269. Abbas Vngiaci Diœcesis Eduensis vulgo *Ogny* Ordinis sancti Augustini, quò sanctus Ludouicus se contulit anno M. CC. LXIX. præterea Cœnobiarcha Deruensis *Montier-en-der* Ordinis Benedictini, Diœcesis Catalaunensis, etiam Archimandrita Resbacensis Diœcesis Meldensis, & Prior Caritatis S. Benedicti ad Ligerim; eiusdem familiæ in præsenti vir nobilissimus Abbas Resbacensis Dominus de Lenoncourt. Adolescens comitatus est Philippus Robertum Patruum Romam adeuntem, vocabaturque ob pulcherrimam corporis symmetriam & faciem imperio dignam à natura donatam *pulcherrimus Eques Gallorum*. Albo Equitum Ordinis sancti Spiritûs adscriptus anno M. D. LXXIX.

Missus ab Henrico III. Rege Christianissimo, anno M. D. LXXXV. ad Henricum Nauarræ Regem, vt eum ad Catholicam Fidem inuitaret & excitaret propter Regni hæreditatem, alioqui magnas passurum difficultates, vti declarauit euentus. Sixtum V. adiit anno M. D. LXXXVI. à quo super indicem librorum prohibitorum deputatus. Eodem anno idem Summus Pontifex Philippum ad Cardinalatûs fastigium euexit in tertiâ Cardinalium promotione, die Mercurij decimo sexto Calendas Ianuarias, Presbyterum tituli sancti Onuphrij Henrico III. efflagitante.

Blesensibus Comitiis interfuit anno M. D. LXXXVIII. die decimâ sextâ Octobris inceptis, in quibus præsentes nomine Cleri centum & triginta

quatuor selecti, quatuor Archiepiscopi, viginti & vnus Episcopi, duo Generales Ordinum; Franciscus Montholonus Procancellarius alterius Francisci etiam Procancellarij filius, post Henrici Regis orationem eleganter perorauit. Comitia Blesensia.

Archiepiscopus Rhemensis effectus est ab eodem Sixto, anno M. D. LXXXIX. turbulentissimâ tempestate, seditque tres annos.

In Rhemensi ciuitate vltimum emisit vitæ spiritum, anno M. D. XCII. ætatis suæ LXV. mense Decembri, iacetque in Archiepiscopali Ecclesiâ, in sacello sacri lactis Deiparæ & tumulo patrui Rhemorum Archipræsulis.

Descriptum superius est scutum in Roberto Cardinale de Lenoncourt.



PETRVS CARDINALIS DE GONDY
SIXTO V.

Anno Christi M. D. LXXXVII.

GONDIORVM Patritia gens in Republicâ Florentinâ prima est habita, consequuta etiam Confalonierij primam tunc temporis dignitatem, vt olim Consulatum Romæ: tamen hic nobilibus tantùm contingebat, illa etiam plebejs: nobilissimis itaque Florentinis genitus est Petrus Gondius Lugduni anno M.D.XXXIII. Patre Antonio Gondio Patritio Florentino, matre Mariâ Catharinâ Petrauiuâ Pedemontanâ *de Quier*, in trecentorum cæcorum Parisiensium Ptochotrophio sepultis, vt inferius patebit, qui in Gallias venerant in Catharinæ Medicææ comitatu Massiliam appellentis cum patruo suo Pontifice Clemente VII. mater Catharina educauit Carolum IX. & sororem Elizabetham Hispaniæ Reginam Philippo II. nuptam.

In Academiâ Parisiensi Philosophicis studiis Petrus inuigilauit: in Tolosanâ Doctoris Pontificij Iuris & Cæsarei meritissimos honores est consequutus. Ex Elizabethæ Austriacæ Maximiliani Imperatoris filiæ, & Caroli IX. Galliarum Regis vxoris Eleemosynario maiore creatus est Antistes Lingonensis post Iacobum de Heluys Agricolæ filium: hanc cathedram quinque annos possedit, inde translatus ad Sedem Ecclesiæ Lutetianæ anno M. D. LXX. mortuo ante aliquot annos Petro Viole nobili Parisino Episcopo. Parisios ingreditur solemni ritu eodem anno, decimâ nonâ Martij die boni nuncij videlicet Dominicâ Lætare: Curiones quibus inuigilare cogebat, residentiamque personalem imperabat, Pontifex litabat diebus fe-

ſtis, ipſemet Sacerdotes inaugurabat niſi morbo detentus, aut abſens negotiis Regni implicitus, nunquam ſacrum Miſſæ ſacrificium peragere omittebat diebus Veneris & Dominicâ; quando verò curſoribus equis vtebatur in peregrinationibus Italicis antelucanis horis ſacrificio intererat, ſemper ab eo ſumens exordium diei & negotiorum, ita orationi vacabat, vt etiam ieiunia Eccleſiæ religioſè coleret in extremâ ſenectute, menſam opiparam aſpernabatur (iuxta Concilium Carthaginenſe IV. *Epiſcopus vilem ſupellectilem & menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ authoritatem fide & meritis quærat*) ad egenis ſubueniendum, & Monaſteria diruta reparanda, vt contigit Eccleſiæ ſancti Ioannis à vineis in vrbe Sueſſionenſi, in quâ baſilicâ à ſex luſtris res ſacræ non fuerant peractæ, idem peregit in Eccleſiâ ſancti Criſpini ſuburbiorum eiuſdem ciuitatis. Carolo IX. Regi fuit ab exhomologeſi. Villæ-Petroſæ Dominus, & Comes Iuniacenſis.

Habetur C. 15. diſt. 42. cap. penult.

Cor Henrici 2. & Caroli 9

Cor Regis Caroli, cui fuerat in deliciis, ſepeliuit anno M. D. LXXIV. apud Celeſtinos Pariſienſes, cum obiiſſet eodem anno, die trigeſimâ Maij Pentecoſte ſacrâ apud Vicennas, iunctumque illud ſacrum cor Henrici II. parentis & Reginæ cordi, vbi viſuntur tres Charites vrnam ſuſtinentes.

Hic ſua Rex, Regina ſimul ſtatuêre reponi
Corda, locus veri pignus amoris erit.

Catharina Medicæa Regum parens Conſilio ſuo præfecit Præſidem, idemque præſtitit Elizabetha Auſtriaca Caroli IX. vxor. Abſente fratre Duce Rezio Prouinciam ad Mare Mediterraneum, vt Prorex biennio gubernauit. Militiæ Parácleti Torquatus Eques anno M. D. LXXIX. Regis Henrici III. beneficio, poſtea eorundem Equitum Torquatorum Decanus ad multam ætatem perueniens.

Orator ad Pium V. à Pontifice oblatam purpurā reſpuit. In Comitiis Regni generalibus anno M. D. LXXVII. & Bleſenſibus M. D. LXXXVIII. os Cleri potuit dici: etiam in Rothomagenſibus anno M. D. XCVI. quibus præfuit magnâ ſapientiâ. In Conuentu Eccleſiaſtico ſæpe adfuit propriis impenſis non Cleri, gratis nulla penſatione recepta, cui inhiant non pauci. Non paruam pecuniarum ſummam Minoribus Religioſis Pariſienſibus erogauit ad ædes ſacras reſtituendas, quas flamma vorax conſumpſerat anno M. D. LXXX.

Cardinalatu inueſtitur à Sixto V. anno M. D. LXXXVII. rogatu Henrici III. in quintâ Patrum ordinatione, die Veneris decimâ quintâ Calendas Ianuarij Presbyter ſancti Syluestri, poſtea ad titulum ſanctiſſimæ Trinitatis promotus, deinde Primas Presbyterorum effectus.

Miſſus ad Pontifices Pium V. & Gregorium XIII. & ab Henrico III. ad Sixtum V. à quo picturam Chriſti in cruce morientis arte & manu Michaëlis Angeli Bonaroti poſt homines natos excellentiſſimi Pictoris perfectam dono accepit: aliâ etiam tempeſtate ad Clementem VIII. pro abſolutione Regis Henrici IV. obtinendâ, cuius meminit ipſe Pontifex in diplomate abſolutionis anno M. D. XCV. decimo quinto Calendas Octobres, ipſum Regem alloquens. Egiſti, inquit, Nobiſcum per literas & Nuncios, vt Te

ad communionem & gratiam reciperemus, eiuſque rei cauſâ miſiſti ad Nos dilectum filium noſtrum Petrum Cardinalem Gondium, deinde dilectum filium Marchionem Piſanum, tum demum Ludouicum Ducem Niuernenſem Principem non ſolum generis nobilitate, ſed & omni virtute & pietate præſtantem virum Nobis multis nominibus imprimis carum.

Allobrogum Ducem Carolum Emanuelem extraordinarius Orator, vt in grandiori rerum ſit mole, adiit.

Cœnobiarcha fuit Diui Ioannis Ordinis Auguſtiniani apud Sueſſiones, ſancti Criſpini Ordinis Benedictini ibidem, Diui Albini Andium, B. Martini ad Pontiſaram, Eſpalti altero à Cenomanis lapide, D. Mariæ à Campis in Diœceſi Cenomanenſi.

Ludouicum XIII. fonte ſacro baptizauit Fontaneblæi die decimâ quartâ Septembris, anno M. DC. VI. Paulo V. Summo Pontifice Luſtrico ſponſore (cuius vices geſſit Franciſcus Cardinalis de Ioyeuſe) matrinâ Leonorâ Ducisſâ Mantuæ præſente. Baptiſmus Ludouici 13.

Non permiſit res Eccleſiæ Pariſienſis, nec Abbatiarum ſuarum alienari, nec fundi partem diſtrahi ad Regibus Henrico III. & Henrico IV. ſubueniendum pro rebus Regni, ſed propriâ pecuniâ ſatisfecit ad centum & quinquaginta librarum Turonenſium millia diuerſis temporibus. Triginta annos integros ne quidem vnico verbo læſit Capitulum Pariſienſe, nec litem vllam mouit pacis ſtudioſus: nulla vnquam officia ſuæ Iuriſdictionis aut dominij venalia propoſuit, ſiue in Abbatijs, ſiue in Epiſcopatu, ſed gratis illa contulit ad benè debiteque iuſtitiam exercendam. Regum Chriſtianiſſimorum Henrici II. Franciſci II. Caroli IX. Henrici III. & Henrici Magni gratiâ floruit, & ab ijs impensè dilectus ſingularis opinione Fidei & prudentiæ probatus.

Vitæ mortalis iacturam fecit Pariſiis inueniens εὐθανασίᾳ decimo tertio Calendas Martias, anno M. DC. XVI. annos natus octoginta quatuor, relicto hærede ex aſſe Generali triremium Præfecto nepote Philippo Gondio, qui poſtea nomen dedit Congregationi Presbyterorum Oratorij Domini IESV; inter alia piè legauit teſtamento octoginta librarum millia pro Dominicanorum ſuburbij Diui Honorati, & Capucinorum ſancti Iacobi templis exædificandis, & pauperibus cæcis ducentarum libellarũ cenſum annuum dedit. In Cathedrali Baſilicâ pone maius altare in ſacello Gondiano ſepelitur mauſolæo cum effigie marmoreâ quatuor pilis fultâ, & hac epigraphe.

D. O. M.

Petrus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Gondy Lingonum & Pariſiorum Epiſcopus, Comes Iuniacenſis, ſacri Ordinis ſancti Spiritûs Commendator Torquatus, vir notâ in Deum pietate, in Eccleſiam obſeruantiâ, in Reges fide, in ſubditos curâ, in patriam charitate, in ſuos amore, domi dignitate, publicè præſertim in pauperes vinctos, Religioſaſque familias liberalitate, auctoritatis, Iuris, diſciplinæ Eccleſiæ tenax, ſacrarum ædium collapſarum repa-

rator, nouarum ædificator, frequens ad P. P. M. M. legatus, Regibus Carolo IX. & Henrico III. carus, Henrici cum Pontifice Maximo & Ecclesiâ conciliator, Ludouici XIII. in fonte progenitor, mortalitatis memor hoc sibi (funeri suo annis xiv. superstes) monumentum P. C. excessit anno Domini M. D. XVI. *ætatis* LXXXIV. *xiii. Calendas Martias plenus dierum & bonorum operum.*

Petrum Cardinalem Gondium discursu funebri in lucem edito prosequutus est Hieronymus Beneuentanus Franciæ apud Bituriges Thesaurarius, & orationem in funere habuit Ioannes Gonterius Societatis Iesu egregius Ecclesiastes. Cor suum condi voluit apud trecentorum cæcorum Hospitale; illic enim parentum cadauera iacebant, subscriptione hac sepulchrali in posteritatis memoriam adhibitâ.

Bene precare spectator, Magnus ille Petrus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis de Gondy olim Parisiensis Episcopus, Comes Iuniacensis, summis Ecclesiæ honoribus vsus tot Legationibus Ecclesiasticisque muneribus gloriosè perfunctus, antiquâ pietate, fide, moribus, Pater pauperum, Religiosarumque familiarum conditor, & restaurator publicè priuatimque bene meritus: hic inter Antonij Gondij Patritij Florentini, & Catharinæ à Petra-viua heroinæ Lugdunensis parentum Caroli Gondij de la Tour fratris & N. Gondiæ D. de la Pardieu sororis immortalitatis candidatas reliquias cor suum condi voluit, binisque in annos singulos parentalium sacrificiorum sacris supplicibus integrisq; mortuorum officiis ducenties libellarum annuarum censu legato sibi suisque Deum propitium fieri curauit, dies sacrificiis dicta xii. Kalendas Martias, & xvi. Kalendas Septemb. Bene precare & Vale. Obijt anno Domini M. DC. XVI. *xii. Kalend. Mart. anno vitæ* LXXXIV.

Operæprecium est hîc describere versus Græcos è diuite venâ in laudem nostri Cardinalis miro artificio compositos.

Αἰδεσιμώτατος ΓΕΤΡΟΣ ΓΟΝΔΥΟΣ διωνυμία.

Mores, dignitates, Res gestæ.

ΠΕξος	Πάγχρηστος,	Παίων	Πρύτανις	Πολύολβος
Εξοχος,	Εὐμεγέθης,	Εὔκλεης,	Ερανὸς,	Εναργής.
Τηλεφανής	Τελέθων	Τιμῇ,	Τέλεος	Τελετάρχης
Ρωμαϊκῶν	Ρώμη	Ρήτωρ,	Ρίπτωντι	Ραθύμοις
Οργανος	Ολβοδότης,	Ομόφρων,	Ολος	Ομβριμόθυμος
Σημαντήρ,	Σθεναρὸς,	Σώφρων	Σεμνὰ	Σκοπιάζων
ΓΑΙης.	Γηθοσύνη,	Γεραρὸς	Γήρωσι	Γαλλιώη
Ομμ'	Ολολαμπὴς	Ορθὸς,	Ομπνιώων	Οὐρανίωνας,

Νασμὸς	Νεκτάρεος,	Νημερτὴς	Νᾶμα	Νόοιο
Δεσπόζων	Δόκιμος	Δαδοῦχος	Δόγμασι	Δήλοις
Υπέρια	Υψικρατῶν	Υπέρολβος	Υπέρτερ'	Υπέρβας
Ολβος	Ονεαρ	Ολοις	Ολιγόξιφος	Οπάλεοστ
Σεμνοπρεπὴς	Σούσοις,	Σοφόων,	Σώων	Σπθροσίπεις.

ΠΟρφυρέεις,	Πιςὸς,	Πρεσβυτέρων	Γερέδρος.
Εὐλογέων,	Εὐθὺς',	Εὔψυχος,	Εὐθάνατος.
Τερψινόου	Τηρῶν	Τέρμα	Τελεσφορίης
Ρηΐδιος	Ρητὴρ,	Ρητορικῆς τε	Ρόος.
Ομφὴ	Ορθοεπὴς,	Ορθρινος,	Ορθόνοος.
Σώματι	Σωφροσύνῃ	Σωσίβιον	Σαόων.

Γαργαίρων	Γαίεσιν,	Γαυριάωντε	Γαθεῖς.
Οξύφρων,	Ορέγων	Οὔνομα,	Οὐρανόφρων
Νείκεα	Νικάων,	Νηφάλιος,	Νόμιμος,
Δοξάζων	Δήμῳ	Δῶρα	Δικαιοσύνης
Υψιμέδων	Υπέρφημος	Υπέρθεν	Υλης.
Οἰκτίρμων	Ομόργις	Ολβιοεργὸς	Ομοῦ.
Συμμήστωρ	Στερεοῖς	Στήθεσι	Συμμαχέων.

ΠΕζὸς	Πτωχόξιφος,	Πρᾶος	Γεόφρων	Γολύτιμος
Εργ'	Εὐεργεσίης	Ερέων,	Εὔφημος,	Εκηλος.
Τηλεθόων	Τάσσων	Τεὶς	Τηλεκλυτὸς	Τελετουργὸς
Ρῦμα	Ρυτὴρ	Ρεκτὴρ	Ραςώνη	Ρηξιφύλαξ τε
Οὐρανόδεικτος,	Οτηρεὸς,	Οννσις	Οπιδνὸς	Ολύμπῳ
Σεπτὰ	Σαφηνίζων	Σαφέσιν	Σωφρόντε	Σεβαςόν.

Γενναῖος,	Γενέθλη	Γηθῶν,	Γαίωντε	Γονεῦσιν
Ορθοφυὴς,	Οπλισμὸς,	Οπαι,	Οφθαλμὸς	Οπεωόων
Ναοφύλαξ,	Νείμαςε	Νόμοις	Νωθρεῖς	Νεμεσάων
Δᾶσε	Δίκης	Δείκτης	Δημωφελέωντε	Διαθὴς,
Υψιφανὴς,	Υψηλοφρονῶν,	Υπὸ	Υψος	Υπάρχων
Ολβίζων	Οπαδοὶ	Οἴμῃ	Ορθῷ	Οἰμάων
Συμβουλιῶ	Συνάγων	Σιῶ	Συγκλήτῳγε	Σεβαςῇ

ΠΑγκαρπος	Γρηνιαίοις	Γράμμασι	Γαντοπρεπῶν
Ερμ'	Εὐδωρείης	Ελλαχεν	Εὐτυχίῃ
Τλησίπονος	Τυχεῶν	Τελεσμακάρωνγε	Τόπων
Ρῆιςος,	Ροπάλου	Ρωμαλέηντε	Ροπὴ
Ολβιος	Ομπνεόχειρ,	Ορθοπόλιαδ'	Οσιος
Σπουδαῖος	Σοφίης	Σωσίπολις	Στιβαρὸς

ΓΡηγορέων	Γνώμη,	Γλωσσοκρατῶν	Γλυκερὸς
Οὐλαμὸς	Οὐκοφελὴς,	Ορκου	Οπιζόμενος.
Νήψι	Νηφάλιος,	Νητρεκέως	Νοέων.

Δώτορ	Διοτρεφὴς	Δῶμα	Διωπεθίων
Ὑψιώωρ	Ὑμνοῦν	Ὕπατον,	Ὑπομαχῶν
Οαστὴρ	Ολόκληρεῖς	Οὐδενὶ σοφὸν	Οφλων.
Συνθήκατε	Σέβων,	Συζευχθεῖσαι	Σαφῶς.

Scutum aureum duabus clauis furuis in tessérarium decussem digestis & colligatis ad imum fune miniato, & eiusdem margine pullato.

D'or à deux masses de sable passées en sautoir, liées de gueules par en bas, le lien bordé de sable.



Anno Christi M. D. LXXXVII.

HVGO DE LOVBENS CARDINALIS DE VERDALE MAGNVS MAGISTER MELITENSIS SIXTO V.

APVD Auxitanos natus Hugo Verdala anno M. D. XXXI. in gentilitio Castro Loubens nuncupato Prouinciæ Narbonensis, literas & arma, Mineruam & Martem mutuo sociauit matrimonio, in literis humanioribus & eloquentiâ apprimè versatus, armorum gloriâ maximè floruit Eques Melitensis effectus adhuc adolescens Fr. Ioanne Homedes linguæ Arragonensis, Rhodiæ Militiæ magno Magistro, qui obiit octogenarius.

Obsidio Zoaræ.

Anno M. D. LII. Leone Strozzi Priore Capuano Zoarâ Insulam obsidente Eques Verdala in triremibus se præbuit fortem & prudentem (licet non fuerit pugnatum armis secundis, cum Equitum multi ceciderint re infectâ) etiam Fr. Ioannes l'Euesque Religionis vexillum deferens, & vnà cum eo in Pelagus prosiliit, vt saluum reportaret.

Per varios gradus ad summum peruenit Magisterium; etenim Annonæ præsidentem, & (vt ipsorum verbo vtar) horrei gubernatorem ipsum fuisse testantur historiæ Melitenses; præterea bellici commeatûs Præfectum, deinde Prioratui Tolosano præpositum, etiam Religionis apud Summum Pontificem Gregorium XIII. Oratorem, cui mirum in modum extitit rebus agendis pergratus. Quid dicam absenti collatam fuisse (quod tamen non est vsu frequens, cum solum præsentibus conferri soleat) Commendam maiorem Galliæ Narbonensis. Porrò cum notaret non paruum animorum dissidium inter Fr. Ioannem de la Cassiere Castro sancti Angeli inclusum die sextâ Iulij, anno M. D. LXXXI. Magisterio suspensum, & inter

ipsos Melitenses Equites, qui Fr. Maturinum de Lesco Tolosanum Priorem cognomento Romagassum ipsius loco elegêre Promagistrum licet renitentem, verebatur Verdala Melitam petere, (quò tamen statuta Religionis decernunt eundum esse infra annum tali Commendâ acceptâ) omnique conatu efficiebat, vti Gregorius Pontifex spatium nō residendi prorogaret, ne cogeretur vni aut alteri parti fauere; cuius postulationi non annuit Pontifex volens, vt breui in Insulam Melitensem remeet, quò etiam misit Gregorius Gasparem Vicecomitem Rotæ Auditorem, postea Mediolanensem Archipræsulem, ad regendam Equitum Religionem nomine Pontificio dans in mandatis magno Magistro & ipsi Romagasso, vt quamprimùm Romam vterque accedat litis componendæ ergò.

La Cassiere magnus Magister incarceratur.

Melitam peruenit Fr. Hugo magnaque cruce est donatus: illi autem Romam accedentes; verum, ô res humanas! ambo viginti quatuor horarum interuallo defuncti, antequam simultatum & iurgiorum causæ essent allatæ, & missæ à Vicecomite.

Inimici eodem die moriuntur.

Audito mortis magni Magistri nuncio conueniunt Equites, eliguntque Verdalam in summum Insulæ Moderatorem pridie Idus Ianuarias, anno M.D.LXXXII. qui paucis mensibus res Religionis in optimo locauit statu, animosque Equitum dissidentes sociauit; præcedens Magister innocens à Pontifice declaratur, nec iure suspensus, sed legitimus Princeps vitâ functus, voluitque, vt eius insignia cum coronâ depingerentur, cum antea circa Religionis vmbonem esset tantum torques granis è coralio contextus absque coronâ: quare Verdala primus magnorum Magistrorum viuentium coronam in insignibus detulit.

Corona datur magno Magistro.

Sixtus V. Romam aduocauit Verdalam datis ad eum literis quarto Calendas Maij, anno M.D.LXXXVII. ad communicandum propositum belli infidelibus Turcis inferendi, quò aduenit sexto Idus Decembres, eodem anno, & quidem itinere maritimo, quinque triremibus Religionis, octo magnæ Crucis Dominis, & trecentis Equitibus comitantibus.

Ostrum Cardinalitium accipit Diaconus sanctæ Mariæ in Porticu, die Veneris decimâ quintâ Calendas Ianuarias, eodem anno. In Hugonis Verdalæ Cardinalatum & insignia Lupos referentia quidam cecinit.

Purpureum Hugoni tradis dum Sixte galerum,
Floreat vt sparso sanguine sancta Fides.
Hugonis tunc Roma Lupos vt vidit auitos,
Commissum vt geminis vidit ouile Lupis.
Risit, & ô dixit quæ me noua gaudia tentant!
Ecce Lupos abigent ex Oriente Lupi.
Infantem vt nutrix aluit Lupa martia Romam,
Sic his Romanum crescet ouile Lupis.

In Insulam Melitam reuertitur, Patribusque Capucinis Cœnobium construit, illam munit & Religionis Statuta in optimam formam redigit, curatque componi & in lucem edi historiam Melitensem à Iacobo Bosio idiomate Italico; debita Religionis, puta ducentorum aureorum millia persoluit:

nihilominus est accusatus Ærarij dilapidati apud Clementem VIII. vt ab hac calumniâ se expurget, cogitur mittere nepotem ad Pontificem.

Inter has moras moritur Verdala post tredecim annos mensesque ferè quatuor Religionis administratæ, relictâ in Ærario magnâ auri & argenti copiâ. Terrestres itaque exuuias spiritu ad æterna gaudia properante ipso die Ascensionis Dominicæ, annorum sexaginta quatuor reliquit in Insulâ Melitensi Valleta vrbe anno M. D. XCV. quarto Nonas Maij. Tumulatum corpus in Ecclesiâ maiori Diuo Ioanni Baptistæ sacrâ, erecto à Religione militiæ Hierosolymitanæ pereleganti sepulchro, cui hoc elogium inscriptum est.

Illustrissimo Domino Fr. Hugoni de Loubens Verdala Cardinali amplissimo, Hierosolymitanaque militia, cui annos tredecim, menses tres, dies verò viginti & vnum honorificè præfuit, dignissimo magno Magistro, Principi inuictissimo, prudentissimo, barbaris hostibus tremebundo, Catholica Religionis studiosissimo, in aduersis forti, in prosperis circumspecto, moderato, prouido, LXIV. *ætatis sua anno vitâ functo. Vniuersa Religio mœrens hoc supremum pietatis officium vltrò libensque reddidit, obijt IV. Nonas Maij, anno Domini* M. D. XCV.

Scutum quadripartitum I. & IV. laterculus muricatus cruce argentea; II. & III. etiam miniatus lupo aureo sursum adrepente expressus.

Escartelé au 1. & 4. de gueules à la croix d'argent (qui est de l'Ordre de Hierusalem) au 2. & 3. de gueules au Loup rampant d'or.



ANNO CHRISTI M. D. LXXXIX.

CAROLVS III. CARDINALIS A LOTHARINGIA SIXTO V.

CAROLI III. Lotharingiæ Ducis, qui Ducatum possedit sexaginta duos annos, & Claudiæ Valesiæ Henrici II. Regis filiæ secundus filius Nanceij Calendis Iuliis, anno M. D. LXVII. natus est Carolus: duos fratres habuit Henricum Ducem, & Franciscum Comitem Vaudemonta-

num, quinque sorores, quarum natu-maior Christina nupta Ferdinando de Medicis magno Hetruriæ Duci filio natu-minori Cosmi I. magni Ducis; quarta soror gemella Elizabetha vxor Maximiliani Ducis Boiorum primogeniti filij Guillelmi Bauarici & Renatæ Lotharenæ.

Parisiis & Mussiponti literis nauauit operam Carolus potissimum virtuti & pietati, quæ *ad omnia vtilis est*, inquit Apostolus. Primùm Canonicus Treuirensis, Argentinensis & Moguntinus, deinde Episcopus Metensis per diploma accessûs à Gregorio XIII. anno M. D. LXXV. datum, & anno M. D. LXXVIII. possessionem accepit, Rege scribente Canonicis, qui administrationem Episcopatûs temporalem prætendebant minore Episcopo secundum ipsorum iura & priuilegia; nihilominus Nicolaus Bosmard Virdunensis Præsul administrationem gerebat: lis composita est diuisâ administratione, cuius pars vna cessit Bosmardo, altera Ioanni Anetz Cantori, postea eiusdem Ecclesiæ Metensis Decano; Accepit, inquam, possessionem, vitâ functo Ludouico Cardinale Guisiano: multos annos Caroli Suffraganeus Metis extitit Fr. Antonius Fournier Religiosus sancti Dionysij Rhemensis, Doctor Theologus, Ecclesiæ Metensis Primicerius & Canonicus, qui pondus diei sustinuit & æstus seminando verbo Dei contra Sectarios Metenses, Episcopus Basilitanus Lutetiæ consecratus die decimâ tertiâ Maij, anno M. D. LXXVI. Demum noster à Lotharingiâ Antistes Argentinensis, Canonicis eligentibus, proclamatur, cùm naturæ debitum soluisset Ioannes Comes à Manderscheird, anno M. D. XCII. hanc Ecclesiam administrandam ipsi dedit Clemens VIII. Lutheranis alterum Lutheranum eligentibus, quorum conatibus sese opposuit Dux Carolus parens & filius Episcopus, misso in eas oras Andreâ Maillanæo Barri Mareschallo cum armatorum copiis: Ioannes enim Georgius Ioachini Electoris Brandeburgensis filius ab Hæreticis Argentinensibus fuerat postulatus Administrator, hinc multa bella. Vocati namque sunt in opem & gratiam Argentinensium Protestantes Heluetij, Dux etiam Analtinus, & Marchio Badensis, Ernestus Fridericus ad bellum acciti; multæ pugnæ, dubiâ aliàs fortunâ tam acris erat de Episcopatu contentio, vt monomachicum certamen videretur: decimo pòst anno authoritate Cæsareâ pax aliqua data est, vel potius induciæ; verum bellum recruduit. Tandem magnâ pecuniæ summâ Brandeburgij Hæretici cessio comparata, quod licet ad redimendam vexationem Sectariis sacerdotia possidentibus, suo Episcopo Ecclesia restituta post tot lustra diuino Dei beneficio. Porrò permittitur in Germania Episcopis possidere duos, aut tres Episcopatus, ne Hæretici inuadant Ecclesias, alias esset mœchatio, quo nomine vsus est Yuo Carnotensis, bigamiam intelligi volens in Episcopo Ranulpho, qui duarum Ecclesiarum Episcopus fieri malis artibus nitebatur. Eliminetur, inquit, de Lexouiensi Ecclesia Ranulphus Dunelmensis Episcopus, vt bigamia non admittatur, atque huc spectat quod idem Yuo scribit neminem fieri Episcopum duarum Ecclesiarum. Sicut etiam plures Ecclesiæ vni Episcopo committi non possunt teste Sozomeno, Ruffino, & sancto Epiphanio. Apud Luitprandum Ticinensem extat insignis locus de Manasse Episcopo Arelatensi, qui abusus auctoritate & exemplo Petri Apostoli, & Marci Euan-

1 Tim. 4.

Prælia pro Argentinensi Episcopatu.

Yuo ep. 179. & præced.

Ep. 67. & 178.

Soz. li. 4. cap. 15.

Ruf. lib. 1. cap. 6.

Epiph. hæresi. 68

Luitpr. li. 4. cap. 3.

Episcopus habet duos Episcopat. geliſtæ, ab Hugone tunc temporis Italiæ Rege mandatum Epiſcopatum Eccleſiæ Tridentinæ, Veronenſis, & Mantuanæ ſuſcepit. Porro ex iuſta cauſa, vt diximus, vnus idemque Epiſcopus poteſt habere duos Epiſcopatus, vt eſt apud D. Gregorium.

S. Greg. l. 2. epiſt. 11. Et can. pen. & vlt. cauſ. 21. qu. 1. Abbas ſancti Victoris Pariſienſis ceſſit Abbatiam anno M. DC. III. Franciſco de Harlay nobiliſſimo & Doctori Theologo Pariſienſi, demum Archipræſuli Rothomagenſi poſt Franciſcum Cardinalem à Ioyoſa duobus magni nominis Cardinalibus ſuccedenti. Duodecim Diœceſis Metenſis adoleſcentes Muſſiponti ſtudioſos dotauit, in eum finem empta eſt domus illis incolis. Cardinalitio pileo ornatus miſſo Decio Cauenago Camerario Pontificio effectus à Pontifice Sixto V. Diaconus, die Mercurij decimâ tertiâ Calendas Ianuarias, anno M. D. LXXXIX. dum quintò Patres leguntur.; poſtea anno M. D. XCI. Romæ agens Carolus titulum ſanctæ Agathæ ſumpſit. Legatus Apoſtolicus à latere in tribus Epiſcopatibus Metenſi, Tullenſi, Virdunenſi & Ducatu Lothareno & Barrenſi à Sixto V. eodem anno. Princeps conſilio, prudentiâ, vitæ exemplo, morum grauitate, iuſtitiâ, religione clariſſimus. Metis hoc Præſule Capucini & Minimi admittuntur, qui Iudæis & Sectariis maximi fuêre hoſtes.

Tentauit Carolus, vt & ſæpe eius parens Dux, Romæ extorquere à Clemente VIII. Epiſcopatum Nanceij nouum partim à Metenſi, partim à Tullenſi ſedibus ſeparandum, quorum propoſito obſtitit Henricus IV. Rex Franciæ dans in mandatis Oratori ſuo apud Sedem Apoſtolicam obicem ponere. Primatialis Eccleſia Nanceiana à Summo Pontifice conceditur, primo Primate Carolo Cardinale, ſecundo Antonio de Lenoncourt Abbate. Diu iacuit in lecto paralyticus, morbum procurarat Magus, poſtea oleo ebullienti ſententiâ adiudicatus. Cerebrum & lingua ſana Carolo remanſêre, Dux parens ſæpenumero ad lectum filij Cardinalis accedebat de rebus magni momenti acturus. Obitus XXIV. Nouembris, anno M. DC. VII. ætatis XL. Nanceij ſepultus in Eccleſia Primatiali.

Solidum habuit Lotharingiæ ſcutum, cuius ſuperius ſæpe meminimus.



Anno Christi M. D. XCIX.

ANNAS D'ESCARS CARDINALIS DE GIVRY

CLEMENTE VIII.

LVTETIÆ anno M. D. XLVI. die tertiâ Calendas Aprilis ortus eſt Annas Iacobi d'Eſcars eius loci Dynaſtæ, per ſuos abauos oriundi è Lemouicenſibus

moucensibus Comitibus filius, & Franciscæ de Long-vic de Giury viduæ Admiralij Chabotij in sancti Pauli tinctus sacro fonte, Claudij de Giury à Clemente VIII. creati Cardinalis ex sorore nepos, frater Caroli d'Escars Episcopi Lingonensis filij Iacobi d'Escars & Annæ Insulanæ è Comitibus Tolosanis oriundæ; Pater enim primo connubio fuerat iunctus cum Annâ, secundò cum Franciscâ. Benedictinus Monachus Diuionensis in andrio S. Benigni votis emissis, Abbas postea Benignianus, etiam Pulteriarum Diœcesis Lingonensis, huius Abbatiæ templum Summus Pontifex Ioannes VIII. anno DCCC. LXXVIII. ad Synodum Trecensem se conferens dedicauit: demum Archimandrita Molismi, de quo Monasterio ferebatur aliàs hic versus. Synodus Trecensis

Est quasi Baptismus, quibus est in amore Molismus.

Eiusdem Monasterij meminerunt sanctus Bernardus epistolâ ad Guidonem Abbatem Molismensem, & Petrus Cellensis ad Theobaldum Cœnobiarcham. S. Bern. epist. 80. Petrus Cellens. l. 6. ep. 13.

Parisios patrui cõsilio proficiscitur Claudius operam literis daturus, postea Romam adiit æuo Pij V. à quo vnicè diligebatur, tuncque illi prædictum à nonnullis fore aliquando sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. Præsul fuit Lexouiensis anno M. D. LXXXV. die Dominicâ primâ Martis admissus, dum obijsset anno M. D. LXXXIII. Ioannes de Vasses antecessor. Episcopatûs fructibus multo tempore priuatur, Comite de Feruac Galliæ Polemarcho ijs fruente, dum secunda non esset aura tempestatis illius & belli ciuilis: eorum mentionem facit Cardinalis Ossatus. Cardin. d'Ossat l. 2. epist. 93

Ad Cardinalatum promouetur à Clemente VIII. intuitu meritorum & motu proprio propter defensam difficillimis temporibus apud Gallos Apostolicæ Sedis auctoritatem Presbyter tituli sanctæ Susannæ, die Mercurij Nonis Iunij, anno M. D. XCVI. dum secundò crearentur Cardinales; hæc promotio non ita fuit grata & accepta Henrico IV. Francorum & Nauarræ Regi, vti testatur Arnaldus Cardinalis d'Ossat literis ad Regem datis die quintâ Iunij, anno M. D. VI. Nomen maternum cepit in Cardinalatu Cardinalis de Giury nuncupatus, relicto paterno. Romã est profectus anno M. DC. IV. eodemque anno die Iunij decimâ quartâ titulo sanctæ Susannæ insignitur. Protector fit Ordinis Cisterciensis in demortui Cardinalis Rusticuccij locum, & Caroli d'Escars Lingonum Episcopi Coadiutor; verum Carolus vir multæ ætatis superuixit Claudiò Coadiutori, licet ipse attigisset annum septuagesimum quartum. Idem lib. 2. ep. 59.

Nomine Regio Romam missus anno M. DC. IV. Galliæ Vice-protector, in quo munere Ecclesiæ & Franciæ egregiam & sedulam nauauit operam. Ad Sedem Metarum (quam Vrbem Diuodurum Mediomatricum vocat Ptolomæus) anno M. DC. VIII. translatus Canonicorum omnium suffragiis Henricus Borbonius filius naturalis Henrici magni, Marchio de Vernueil annorum tantummodò septem electus in locum Cardinalis Episcopi Metensis; at enim Paulus V. Pontifex re maturè deliberatâ noluit puerum Patrem constituere: grandæuum ætate, moribus, doctrinâ, pietateque Cardinalem de Giury huic Ecclesiæ dedit Pastorem, ita tamen, vt bullas accessûs concesserit creatâ pensione annuâ decem aureorum millium. Se-

cundò progressi Canonici ad suffragia nouæ electionis, & Annam Cardinalem elegerunt secundùm Pontificis & Regis beneplacitum, anno M. DC. VIII. die vigesimâ tertiâ Maij bullis Pontificiis eodem anno super eâ re confectis mense Octobri. Anno præcedente defuncto Carolo Cardinale à Lotharingia Episcopo Metensi ingressus Metas anno M. DC. IX. mense Iunio fratre Comite de Charny, & Marchione de Mirebeau nepote comitātibus.

Concilium spiritale & domesticum semel bisve qualibet hebdomadâ habebat, cui intererant sex primarij viri desumpti è Capitulo, aliique nonnulli superiores Religiosi, duoque domestici, quorum vnus à secretis. In quo multa præclarè constituta contra Iudæos Metenses, præsertim vt singulis hebdomadibus vnâ vice adessent prædicationi in Ecclesia Diui Pauli habendæ ad eos ad Religionem Christianam inuitandos, quod Romæ factitatur, habeturque quolibet sabbatho Hebræus sermo. Statutum est ab eodem Cardinale contra Sectariorum sepulturas, qui vnà cum Catholicis terræ mandabantur eodem cœmeterio, cuius rei gratiâ suos misit Lutetiam ad Regem, ipseque postea profectus Parisios eam ob causam, animoque virili restitit Hæreticis, qui inhumarant cadauer cuiusdam Nobilis in Ecclesia, vi armisque curauit cadauer sepulturæ sacro è loco extrahi. Breuiarium Romanum per totam Diœcesim recipi ab Ecclesiasticis mandauit. Multa edidit salubria pro Religiosorum & Religiosarum reformatione in eum finem per Actuarium Curiæ Episcopalis significauit Abbatibus & Abbatissis mandatum his verbis conceptum.

Iudæi Metenses.

Reformatio Religiosarum familiarum

ANNAS D'ESCARS Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ titulo sanctæ Susannæ S. R. E. Presbyter Cardinalis de Giury nuncupatus Episcopus Metensis, sacri Imperij Princeps, omnibus & singulis Abbatibus, Prioribus & Priorissis, cuiuscunque Ordinis nostræ Metensis Ecclesiæ salutem in Domino. Pastoralis cura, quam erga oues nobis creditas, præcipuè verò Deo sacras impendere debemus, inuitat Nos ad ipsarum salutem modis omnibus maximè conuenientibus procurandam. Cum igitur ad aures nostras peruenerit, nonnulla in domibus & Monasteriis vestris contigisse & contingere in dies, quæ emendatione aliquâ indigeant, in qua omni moderatione vti decreuimus, visum est Nobis id quam commodissimè fieri posse, si de fundationibus, statutis, priuilegiis, ac professionum vestrarum Regulis nobis innotuerit. Quapropter vobis omnibus & singulis in virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus infra quindecim dies à die notitiæ præsentium, omnia & singula instrumenta fundationum, statutorum, priuilegiorum, & professionum vestrarum, Nobis, aut Secretario Consilij nostri spiritualis exhibeatis: sin minus, coram Nobis compareatis ad dicendum causas, quare huiusmodi mandatis nostris parere differatis. Datum Metis in Palatio nostro Episcopali, die vigesimâ primâ Nouembris, anno Domini M. DC. IX. Annas d'Escars Cardinalis de Giury, Symphorianus Murignurius Secretarius.

Interfuit Comitiis, quibus Leo XI. & Paulus V. Pontifices maximi renunciati; parum abfuit quin ipse fuerit in Summum Pontificem assumptus, dum vox populi per vrbem, & acclamatio publica Pontificem Annam referebat. Variis congregationibus Romæ suam præstantem ope-

ram, potiſſimum ſancto Officio, Epiſcoporum cœtui, & Anteſignanus Congregationis ad fidem conuerſorum. Totius Ordinis Ciſtercienſis delectus protector & patronus.

Annas annos natus ſeptuaginta quatuor ex hac vitâ deceſſit Vici in confinibus Germaniæ oppidi peramœni, (cuius eſt Dominus Epiſcopus Metenſis) die nonâ Aprilis in ſanctâ hebdomadâ, anno M.DC.XII. qui mortis annus hoc diſticho Chronologico annotatur.

LaVs pIa pVrpVreI CœtVs, CLaVſtrIqVe CoLVMna
Anno hIC eXpreſſo GIVrIVs aſtra petIt.

Hæ literæ numerales efficiunt annum M.DC. XII. Metis terræ mandatus in Cathedrali, vbi funebrem habuit orationem Andreas Valadier ſancti Arnulphi Abbas.

Toto vitæ curriculo ita virtutis tenax fuit, vt Rex Henricus Magnus aliquando de Anna loquens hoc elogium protulerit. *Incaſſum agitur cum Cardinale de Giury, ſi aliquid à ratione & recto tramite deuium ab eo poſtuletur.* Sobriè, piè, caſtè ex normâ Apoſtoli vitam trahebat, mitis mirum in modum, liberalitate excellens, ſanctitate cæteris Præſulibus ſupereminens. Eo Metis reſidente omnes Canonici (nullum excipio) ſequuti Paſtorem oues reſidentiam actualem obſeruabant, quod à multis annis nõ fuerat viſum. Corpus conditur in ſacello pone aram principem egregio ſepulchro marmoreo cum icone noſtri Cardinalis.

Teſtimonium Henrici 4. de Card. Giurio.

D. O. M.

Piis manibus æternæ memoriæ plorabili buſto Antiſtitis deſideratiſſimi omni æuo retro dolendi.

Annæ d'Eſcars tituli ſanctæ Suſannæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis de Giury nuncupati, qui paternâ ſobole, clarâ familiâ d'Eſcars: maternâ proſapiâ primæ Longouicorum nobilitatis, egregiâ Principum Aurelianenſium conſanguinitate infœliciſſimo ſæculo feliciter Eccleſiæ datus, Pariſiis editus, Diuione in antiquiſſimo Diui Benigni Cœnobio ſancti Benedicti diſciplinâ inſtitutus, profeſſuſque indidem Abbas, tum Lexouiorum Antiſtes electus, totâ Galliâ præclarus, Romæ perquam illuſtris, Metis amabilis, vbique ſtupendâ lenitate, ſpectabili ſenio, rarâ pietate, innatâ grauitate mirabilis ac venerandus; Regi percharus, Pontifici Maximo iucundiſſimus, omnibus æternùm lamentabilis, Eccleſiæ Metenſis Pontificatu ſimul & caſtiſſimâ vitâ perfunctus, vitam immortali gloriâ deproperatam oppetiit decimo tertio Calendas Maias, anno ætatis ſexageſimo ſeptimo, ſæculi verò Chriſtianiſſimi M.DC.XII.

Carolus Chabot ex fratre nepos hæres, Lazarus Aſelus præfecturæ

Metensis, Tullensis, Virdunensis prætoriâ potestate Regius Præses, Ioannes Groianus sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarius, Canonicus Metensis, Petrus Ytamus Collegiatæ Ecclesiæ Vicensis Decanus, actores testamento conscripti, mœstissimi afflictissimique, ex post officio exequiali edicto testamento anno M. DC. XIV. posuerunt.

Parma quadripartita I. & IV. quadrans cyaneus tæniâ aureâ, II. & III. muricatus palo quaterni limitis petasati exaratus.

Il portoit escartelé au 1. & 4. d'azur à la bande d'or qui est de Long-vic, au 2 & 3. de gueules au pal de vair, qui est d'Escars.



Anno Christi M.D.XCIX.

ARNALDVS CARDINALIS D'OSSAT
Clemente VIII.

IN Nouempopulaniâ anno M. D. XXXVII. editus in lucem Arnaldus egenis, & obscuris progenitoribus Cassanaberij in Auscorum Aquitaniæ Conuenarum ignobili pago: ipsi admodum adolescenti ac penè puero parentibus orbato ea incidit mens, vt literis & virtuti nauaret operam. Aliquot post annos id sedulò præstitit; Lutetiam proficiscitur, deinde Biturigas Iacobum Cuiacium Iurisconsultum sui temporis facilè Principem auditurus. Inde Parisios reuertitur cum Iurisprudentiâ singulariter esset institutus in Foro iudiciisque versatus, Theologiæ, Philosophiæ, Matheseon, Humanitatisque cognitione ita præditus, vt excellens in omnibus haberetur: verùm Pauli Foxij Archiepiscopi Tolosani suasu & consilio, iudicialem palæstram reliquit, comitaturque Foxium Romam ad Gregorium XIII. Pontificem à Rege Henrico III. Legatum, fuitque Foxio à secretis, quo morte sublato in senioris Cardinalis Atestini dicti Ferrariensis, qui rebus Gallicis præerat, familiam & tantam familiaritatem est adscitus, vt testamento sibi à Cardinale legata quatuor aureorum millia acceperit. Constituerat Rex Henricus Ossatum in Galliam reuocare, vt esset à secretis Regiis, at modestia & viro Ecclesiastico dignum dedit responsum, putà *se sacris initiatum, proindeque non ita suæ professioni conuenire.* Extincto eâ Legatione Foxio Arnaldus decretus est Regius Romæ Procurator, ad quem Legationis mandata deuoluebantur. Vsque ad extremum vitæ spiritum publicorum Galliæ negotiorum factus fuit particeps, nilquê actum

Respuit Secretarij Regij officium.

eo inconsulto. Ita absens à Nicolao de Ville-Roy intimo Regum Consiliario, & iisdem à secretis cœpit amari, magnificisque apud Regem verbis extolli, vt mirum sit dictu, quem tamen nunquam de facie nouerat.

Legatus ad Ferdinandum magnum Hetruriæ Ducem pro restituendo castro Yfensi & Insulis magni momenti, etiam missus ad Rempublicam Venetam, pro pace significanda apud Veruinum obtentâ. Creatur Regi à secretioribus & sanctioribus consiliis anno M. D. XCVIII. missis super eâ re litteris ad Luxemburgium Legatum Romæ nomine Regis commorantem, vt Ossatus apud illum solito fidelitatis iureiurando sese obstringeret.

Ex libellorum supplicum Magistro, Varenique apud Ruthenos Decano Episcopus inauguratur Rhedonensis in vrbe Româ die vigesimo septimo Octobris, anno M. D. XCVIII. apud sancti Marci ab Augustino Cardinale Valerio Antistite Veronensi post Aymari Hennequin Præsulis decessum, qui fuerat Canonicus & Senator Parisiensis & Bernai Abbas. Deinde anno M. DC. ad Præsulatum Baiocensem transfertur, vitâ functo Renato *d'Aillon du Lude* Antecessore, & Ordinis sancti Spiritus præceptore, illud sacerdotium possedit Ossatus quadriennio, cuius temporis intercapedine tanta est diuini cultus accessio facta, quantam intra quadraginta quidem superiores annos non fecêre prædecessores Episcopi. Prioratu Bellismensi donatur, & Abbatiâ Nantiacâ Diuo Petro sacrâ; Diui etiam Nicolai Virdunensis Commendatarius Cœnobiarcha extitit.

Cum Iacobo Perronio Ebroicensi Antistite egit Arnaldus de reconciliando Rege cum Sede Apostolicâ, deque obtinendâ absolutione, cuius mentionem faciemus pluribus in Cardinale Perronio. Procurator pro absolutione Regis.

Clemens VIII. rogatu Henrici IV. Galliarum Regis Cardinalem tituli sancti Eusebij creandum statuit, die tertio Maij, anno M.D.XCIX. quartâ Patrum electione. A Pontifice ad grauissimas de Concilio, de librorum delectu consultationes honorifico iudicio cooptatus. Semper præsto adfuit omnibus, qui eius operâ indigebant abiectæ licet conditionis; opem implorarunt & experti sunt Religiosi Congregationis Feulliantinæ, Recollecti, vt vocant, etiam Dominicani Tolosanæ sodalitatis, imò Patres Societatis IESV, qui iisdem temporibus toti Galliæ Regno summâ bonorum gratulatione sunt restituti, Cardinalis Ossati consilio studiosè per literas cum Rege communicato. Vice-protectoris Galliæ officio functus absente Cardinale de Ioyeuse.

Post vitæ triginta annos in Aulâ Romanâ emensos moritur piissimus & sapientissimus Cardinalis Ossatus, anno suæ ætatis sexagesimo septimo, Christi verò M. DC. IV. pridie Idus Martij, iacetque Romæ in Diui Ludouici templo, hoc inscripto epitaphio.

D. O. M.

Arnaldo Ossato Gallo sancti Eusebij Presbytero Cardinali, Episcopo Baiocensi, qui omnium per multos annos Gallicanorum in vrbe negotiorum, consiliorumque particeps & administer, rarissima in suos Reges fidei, egregiorumque meritorum testimonio sacrâ purpurâ ornatus; amplissimi Ordinis dignitatem eâ sapientiæ in-

tegritatisque famâ cumulauit cum tantâ officiorum in omnes propensione, vt sui desiderium cæteris quoque nationibus cum admiratione reliquerit. Vixit annos LXVII. *menses* VI. *dies* XX. *Decessit pridie Idus Martij anno* M. DC. IV. *Petrus Bossu Lugdunensis cubiculi præpositus à secretis, & Renatus Courtin Andegauensis à cubiculo item & Secretarius, ex trientibus hæredes Patrono optimo & indulgentissimo.* *S.P.P.C.*

Funebri oratione prosecutus est Ossatum Galucius Societatis Iesu, auditoribus Cardinale de Ioyeuse, & Philippo de Bethune Comite *de Selles & de Charraut* Regio Legato viro sapientiâ commendatissimo, in Ecclesiâ nationis Gallicanæ.

Scripsit Ossatus expositionem in disputationem Iacobi Carpentarij de methodo.

Additionem ad eandem expositionem.

Epistolas aliquot aduersus Carpentarium.

Quædam de medicinâ, vt Spaghius indicat.

Epistolas ad Henricum IV. & Dominum *de Ville-Roy* Regi à secretis nouem libris comprehensas ab anno M. D. XCIV. vsque ad annum M. DC. IV. post obitum in lucem emissas Lutetiæ Gallico idiomate, Venetiis postea Italo.

Eadem parma cum illâ Ioannis Suauij Cardinalis Reumani, cuius superius mentio habita.



Anno Christi M. D. XCIX.

FRANCISCVS CARDINALIS DE SOVRDIS

CLEMENTE VIII.

PRODIERVNT Franciscum Franciscus d'Escoubleau Dominus de Sourdis & de Iouy, & Isabella Babou de la Bourdesiere: illi patruus Henricus Malgacensis Antistes in album Ordinis S. Spiritus anno M. D. XCV. adscriptus, qui ex hac vitâ discessit Lutetiæ anno M. DC. XV. Henrico IV. & Ludouico XIII. charus in Aulâ diu vixit Sourdius: suaues fuêre mores. Abbas extitit Pruliaci, Regalisque montis. Habuit Archipræsulatûs Burdega-

lensis infulas anno M. D. XCI. morte sublato Antonio Preuost de Sansac, qui Synodo Tridentinæ adfuit anno M. D. LX. Henricus d'Escoubleau frater Antistes Maleacensis fratri Francisco successit in Archiepiscopatu anno M. DC. XXVIII.

Clemens VIII. donauit Franciscum Cardinalatu anno M. D. XCIX. tertiâ Martij vnà cum Ossato, birretum Româ deferente Comite Ludouico Languisciola Summo Pontifici à cubiculis: titulus ei datus Diaconi cum tunc temporis non esset ad Presbyteratûs Ordinem promotus, mox Presbyter tit. SS. XII. Apostolorũ, inde S. Marcelli, & S. Praxedis mortuo Bellarmino. Patrum Fulientinorum ædes sacras in suburbiis Diui Honorati Parisiensibus, die quintâ Augusti dedicauit, anno M. DC. VIII. Burdegalæ exædificauit Carthusianam domum amplissimam miro artificio, quam decem librarum millibus dotauit. Romæ aliquando PP. Clemente VIII. Paulo V. & Gregorio XV. ac Vrbano VIII. Pontifice Optimo Maximo versatus est. Episcoporum ac Regularium aliisque Congregationibus adscriptus, & Xenodochij sancti Antonij patronus datus Religionis & pietatis non pauca signa dedit. Præses Comitiorum Cleri Lutetiæ congregatorum anno M. DC. XV. Eodem anno die decima octaua Octobris celebrauit Burdegalæ ritus matrimoniales Ludouici XIII. & Annæ Mauritiæ Austriacæ Infantis Hispaniarum filiæ Philippi III. natæ die sancti Mauritij mense Septembri M. DC. I. ijsdem mense & anno fuit editus Rex Ludouicus die sacra Diuis Cosmæ & Damiano. *Matrimonium Ludou. 13.*

Leonis XI. & Pauli V. Pontificum Maximorum electionis Comitiis interfuit. Initio Pontificatûs Gregorij XV. ipsum ego tunc Romæ agens offendi peditem, & quidem solum summo mane Basilicam Liberianam, siue templum sanctæ Mariæ maioris postridie sui aduentûs visitantem.

Concilium habuit Prouinciale anno M. DC. XXIV. ad reformandos Sacerdotum mores secundum acta Mediolanensia exemplo sancti Caroli Borromæi, cui interfuêre Antonius Condomiensis, Antonius Engolismensis, Claudius Agennensis, Henricus Pictauiensis, Franciscus Petragoricensis, Michaël Xantonensis, Henricus Maleacensis, & Emericus Lucionensis Episcopi. Burdegalæ eo Pontifice Capucini, Vrsulinæ, Carmelinæ & Minimi Religiosi instituuntur.

In beneficiis confidentias satis eâ tempestate frequentes in ijs partibus penitus è medio sustulit. Sacellum erexerat amplum, in quo pro suggestu Nouitij Concionatores exercebãtur. Quolibet Sabbatho missam de beatâ Virgine in eo sacello celebrabat, & amplissimam pauperibus eleemosynam distribuebat: sæpe peregrinationes sacras clam faciebat, & quidem pedes innixus scipioni.

Hac luce priuatus Burdegalæ anno M. DC. XXVIII. die octauâ Ianuarij: cadauer in æde Carthusianorum ab ipso extructâ est humatum.

Scutum semipartitum à summo cæruleum & miniatum tæniâ aureâ perpetui ductus expressum.

Portoit party d'azur & de gueules à la bande d'or brochant sur le tout.



Anno Christi M.DC.IV.

IACOBVS DAVY CARDINALIS DV PERRON

MAGNVS FRANCIÆ ELEEMOSYNARIVS

CLEMENTE VIII.

SPIRANTEM quandam bibliothecam (quod Dionysio Longino Eunapius tribuit) Iacobum dixisses, aut ænea habuisse intestina, vt Didymum Alexandrinum. Ortus est apud sanctum Laudum in Neustriâ parentibus hæresi Caluinianâ infectis, qui Geneuam hæreseos sentinam ijs temporibus se contulère. Grandior factus & ad miraculum doctus sanctorum Patrum lectione ad Catholicorum castra seriò animum conuertit sub Christi vexillis, contra Crucis eiusdem inimicos optimus Athletes militaturus; non sibi soli natus, sed multis, quos vt oues aberrantes ad ouile Catholicum reduxit; inter quos non postremus fuit Henricus Spondanus, qui duodecim Cardinalis Baronij Annalium Ecclesiasticorum tomos in vnum clarâ epitome contraxit Apamiarum dignissimus Præsul, idemque mihi amicissimus (cuius lustricus sponsor in baptismate anno M. D. LXVIII. Rex Nauarræ Henricus) vt omittam Dominum de Sancy, etiam Cahyerium ab eodem ad Fidem Catholicam conuersum, Doctorem postea Parisiensem, Philippum de Fresne-Canaye Præsidem Castræum in Septimaniâ, Oratorem Venetum pro Rege Christianissimo Henrico; illius tres tomi epistolarum Legationis typis fuère mandati Parisiis.

Claudio de Sainctes celebri illo Theologo Parisiensi ad meliorem vitam euocato Ebroicensis Antistes nominante Henrico IV. Romæque post aliquot annos inauguratur à Francisco Cardinale de Ioyeuse, die vigesimâ quintâ Nouembris, anno M. D. XCV. Summo Pontifice Clemente dante annulum Pastoralem, quem digito tulit vsque ad extremum vitæ spiritum.

Absoluitur Rex Henricus 4. Romæ. Rex Galliarum Henricus gremio Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ (extra cuius castra nulla est animarum salus) iungi satagens aduocandum ad se curat Perroni Dominum suum primum Eleemosynarium Ebroicarum Præsulem dignissimum, qui omnibus Henrici dubiis plenissimè satisfecit; quâ tempestate Rex apud se decreuit hæresim Caluinianam eiurare. In eum finem Perronius Romam mittitur Procurator & Orator, cui datus Collega Arnaldus Ossatus Vareni in Diœcesi Ruthenensi Decanus ad Clementem VIII. obtinendæ absolutionis ergò: huic rei promouen-

dæ multum desudauit Franciscus Cardinalis Toletus, natione Hispanus, cui mortuo iusta persoluenda voluit Rex in maiori Ecclesiâ Parisiensi. Audito Perronio Clemens gaudij lachrymas non potuit continere, hæc Scripturæ verba proferens, *Inueni virum secundum cor meum.* Iis temporibus bonus Pontifex nudis pedibus ad Templum Liberianum D. Mariæ Maioris antelucanis horis paruo comitatu bis se contulit soli Deo vacans. Regi publicè collata absolutio die Dominicâ decimâ septimâ Septembris, anno M.D.XCV. pro foribus Ecclesiæ Diui Petri; Perronio & Offato requisita pœnitentiæ officia exercentibus; & quoniam quædam interuenêre conditiones alio tempore adimplendæ, missus est Cardinalis Mediceus in Gallias, qui fuit Leo XI. Summo donatus Pontificatu.

Cardinal. Hispanus pro Henrico.

Decretum Clementis octaui pro absolutione Henrici quarti Regis.

Clemens Papa VIII. Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, de cuius vultu recta iudicia prodeunt, nomine inuocato, in throno iustitiæ pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, visis videndis, & consideratis considerandis, decernimus & declaramus præsentem absolutionem Henrico IV. Regi Franciæ & Nauarræ, à quodam, vt dicitur, Regni Franciæ Prælato, de nonnullorum aliorum eiusdem Regni Prælatorum consilio, aut aliàs impertitam, fuisse & esse nullam, ac nullius roboris vel momenti, & quatenus de facto processit, annullandam fore & esse, prout illam annullamus & irritamus. Volumus tamen, vt actus Religionis, alioqui Catholici & approbabiles in consequentiam illius absolutionis facti, qui nisi absoluto & ab absoluto fieri nequiuerunt, validi, rati & firmi sint, perinde ac si à Nobis tunc absolutus fuisset, & nihilominus nonnullis de causis animum nostrum dignè mouentibus, decernimus etiam & declaramus eundem Henricum Regem, id iam diu à Nobis humiliter petentem & instantissimè postulantem, fore & esse à quibusuis maioris excõmunicationis aliisque sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas idem Henricus quibuscunque hæresibus adhærendo, & quæcunque facta hæreticalia committendo seu permittendo, aut illorum occasione quomodolibet incurrit, & in quas per felicis recordationis Sixtum Papam V. prædecessorem nostrum, per eius literas datas quinto Idus Septembris anni M. D. LXXXV. Pontificatus sui anno primo, incurrisse declaratus fuit, etiamsi anno M. D. LXXII. eosdem errores & hæreses Parisiis abiurauerit, & detestatus fuerit, & postea in eosdem errores & hæreses relapsus sit; absoluẽdum & liberandum, & in gremium sanctæ matris Ecclesiæ recipiendum, sanctorumque Sacramentorum participationi restituendum, factâ prius ritè & legitimè, ac iuxta Canonicas Sanctiones, Caluinismi, cum omnibus Caluinistarum erroribus & hæresibus, ac omnium & quorumcumque aliorum errorum & hæresum, quomodolibet contra sanctam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam Romanam, sese extollentium, abiuratione & anathematizatione, professioneque sanctæ Fidei Catholicæ, iuxta modum & formam à Nobis tradendam, mediante iuramento, legitimè emissâ & factâ, simili iuramento mediante, promissione Canonicâ, de stando & parendo sanctæ matris Ecclesiæ mandatis, & per Nos sibi iniungendis, & ea bonâ fide adimplendo, ac alia in formâ Ecclesiæ consuetâ, ad laudem & gloriam Om-

Is fuit Reginaldus de Beaune Archiep. Senonen. M. Franciæ Eleemosyn.

nipotentis Dei,& Ecclesiæ suæ sanctæ. Ita pronunciamus. Hippolytus.

In præsentia Summi Pontificis Iacobo & Arnaldo Regiis Procuratoribus vtroque poplite flexo permanentibus, pœnitentiæ, & mandata per Henricum Regem adimplenda fuêre perlecta.

Clemens Papa VIII. mandamus Carißimo in Christo filio Henrico quarto Regi Franciæ & Nauarræ Christianißimo, & Vobis Iacobo Dauy & Arnaldo de Ossato, Procuratoribus illius & eo nomine: Quòd idem Henricus Rex restituat exercitium Religionis Catholicæ in Principatu Bearni, & quamprimùm nominet Episcopos Catholicos ad Ecclesias eiusdem Principatus, & donec bona Ecclesiis restituantur, det Episcopis eiusmodi, tantùm de suo proprio, quò dignè interim sustentari possint.

Conditiones obseruandæ Quòd infra annum proximum educat è manibus Hæreticorum Henricum Principem Condensem, & illum consignet educandum personis verè & syncerè Catholicis, quæ cum in Catholicâ Religione & Christianâ pietate verè nutriant. Quòd concordata cum Sede Apostolica, tam in prouisionibus, seu nominationibus, quàm in omnibus aliis, integrè seruet & illa non excedat. Quòd neminem hæreticum, aut ab hæresi suspectum, ad Episcopatum, Abbatias, & ea beneficia, ad quæ ius nominandi habet, nominet. Efficiat, vt Concilium Tridentinum publicetur, & obseruetur in omnibus: exceptis tamen (ad vestram supplicationem & instantissimam petitionem) si quæ fortè adessent, quæ re vera sine tranquillitatis perturbatione, executioni demandari non possint.

Ordinem Ecclesiasticum in particulari commendatione & protectione habeat, & personas Ecclesiasticas, tam seculares, quam regulares, ab ijs, qui gladium portant, aut ab vllis aliis opprimi, aut vexari, nec eorum bona detineri patiatur: sed si quæ occupata sint, vel fuerint, ea quam primùm per vniuersum Galliæ Regnum, vbicunque sita sint, sine vllâ litis aut processûs formâ restitui faciat.

Infeudationes & concessiónes quascunque, de quibuscunque Castris, locis & bonis, ad Ecclesias, Monasteria, & pia loca quæcunque quomodolibet spectantibus, si quæ ab ipso Henrico Rege, seu eius Præfectis, Gubernatoribus vel Ministris, ad fauorem, siue Catholicorum, siue Hæreticorum, facta fuerint, reuocet & annullet.

Verbis & factis etiam in conferendis gradibus Regni, ostendat Catholicos sibi esse carissimos, itavt omnes clarè cognoscant ipsum Regem percupere, vt vnica tantum Religio, & illa Catholica & Apostolica Romana, quam ipse profitetur, in Franciæ Regno sit & perpetuò vigeat.

Singulis diebus, legitimo cessante impedimento, recitet coronam beatæ Mariæ Virginis: quartâ quaque feriâ, Litanias: singulis diebus Sabbathi, Rosarium eiusdem beatæ Virginis, quam assumat pro suâ Aduocatâ in cœlis. Ieiunia & cætera præcepta Ecclesiæ, obseruet. Et saltem quater in anno, peccata sua Sacerdoti idoneo Sacramentaliter confiteatur & publicè communicet. Singulis diebus sacrâ Missâ Regũ more & Principum Catholicorũ deuotè audiat. Dominicis vero & festis diebus, cessante legitimo impedimento, intersit Missæ Conuentuali vel solemni, in Ecclesiâ vel capellâ Regiâ, provt alij Christianissimi & Catholici Reges facere consueuerunt.

Ædificet seu ædificari faciat in singulis Prouinciis Regni Franciæ & Principatu Bearni, vnum Monasterium virorum, vel mulierum Religionis Monasticæ, vel Mendicantium, ex Religionibus reformatis.

Ratificet & approbet sufficienter & legitimè, & absque alia interpellatione in Francia, in manibus Legati vel Nuntij sanctæ Sedis Apostolicæ, quam-primùm ibi fuerit, hæresum & errorum abiurationem, & sanctæ Fidei Catholicæ professionem, & omnia alia & singula per vos eius Procuratores in præsenti negotio facta & promissa, ac præsentia nostra mandata acceptet & recipiat, instrumentumque ratificationis, ad Nos & sanctam Sedem Apostolicam, in formâ authentica transmittat, & realiter cõsignari faciat. Ad Catholicos Principes scribat, significando & congratulando quòd in gratiam S. R. E. receptus sit, in quâ (Deo fauente) profitebitur se perpetuò permansurum.

Iubeat in omnibus locis Regni gratias agi Omnipotẽti Deo, pro tam insigni beneficio ab eo recepto. Nos Procuratores infra-scripti, procuratorio nomine Christianissimi Regis prædicti Principalis nostri, humiliter & reuerenter grato animo recipimus, & acceptamus omnia & singula mandata & pœnitentias, per Sanctitatem vestram Christianissimo Regi Principali nostro, & nobis procuratorio nomine, iniuncta & iniunctas, illaque & illas (Deo fauente) obseruare, & bonâ fide adimplere, inhærendo etiam promissionibus aliis per Nos quomodolibet factis, iterũ promittimus & iuramus. Ego Iacobus Dauy, Regius Procurator & Orator. Ego Arnaldus Ossatus, Procurator. Absolutione peractâ Iulius Antonius Cardinalis sanctæ Seuerinę maior Pœnitentiarius Dominos Iacobum & Arnaldum Procuratores in Basilicam sancti Petri (vt moris est) iuxta ritum S. R. E. introduxit. Bulla absolutionis data Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. XCV. die XV. Cal. Octob. Pontificatus Clementis quarto. L. Carp. DAT. Siluius Antonianus. A. de Alexijs.

Emiserat in lucem Plessæus Mornæus Caluinista Salmurij Gubernator de Eucharistiâ tractatum *mysterium iniquitatis* multorum è Sectariis ministrorũ fœtum, qui dedit ansam Collationi Fontanebleensi inter ipsum Perronium & Mornæum Rege præsente & totâ Curiâ mense Maio, anno M. DC. vbi cecidit Mornæus, vbi cecidêre eius Ministri, imò Hæreticorum partes. Noster Iacobus fuit alter facundiâ Nestor Ἐκ αὐτοῦ στόματος γλυκίων μέλιτος ῥέεν αὐδή: multi è longinquis partibus properabant, vt aurem loquenti præberent, quod sanctus Hieronymus refert de Tito Liuio.

Contra Plessæum Mornæû.

Homer. Il. α.

Cardinalatum adipiscitur proprio merito, dante Clemente VIII. anno M. DC. IV. die nonâ Iunij Presbyter tituli S. Agnetis in Agone: optimo Pontifice ad meliorem vitam vocato interest Cardinalis Perronius electioni Leonis XI. quo breui (hoc est viginti octo dierum spatio) vitâ functo alterius electioni nimirum Pauli V. antea Camilli Cardinalis Burgesij adest, in quibus procurabat Cardinalem Baronium assumendum in Summum Pontificem, nisi Hispani obicem posuissent ob ea, quæ scriptis mandauit Baronius de Siciliæ Regno & iure Pontificis in Annalibus.

Cur Baronius non creatus Summus Pontifex.

Auctor fuit Romæ, vt disputatio de auxiliis gratiæ efficacis silentio inuolueretur, quæ per multos annos detinuerat detentos in Italiâ & Hispa-

De gratia efficaci.

niâ cùm Dominicanos, tum Iesuitas, vt liberum arbitrium conciliaretur & componeretur cum gratiâ, & auxilio efficaci, Pelagio gratiæ detrahente; Caluino liberum arbitrium infringente; Pontifici ad partes Patrum Dominicanorum inclinanti pro Physica gratiæ motione significauit noster Petronius se impetraturum ab omnibus Europæ Sectariis, vt huic determinationi subscribant. Reuersus Româ ex mandato Regis studet Responsioni dandæ Iacobo I. magnæ Britanniæ Regi, qui ad Henricum IV. dono miserat librum super Fidei controuersiis editum; Cardinali Perronio scribit nomine Regis Iacobi Casaubonus Sectarius agens in Anglia: quorum omnium occasione arrepta Cardinalis noster eruditissimum exarauit codicem de Eucharistia, qui mirum in modum Iacobo profuisset nisi mors præuenisset Regem.

Archipræsul Senonensis Primas Galliarum & Germaniæ à Rege nominatur Reginaldo de Beaune defuncto Lutetiæ, anno M. DC. VI. ibique in Ecclesia principe, cuius extiterat Canonicus, tumulato. Ioannes Dauy Perronius Perronij Cardinalis frater vnicus fratri successit in hac Archiepiscopali dignitate.

Magnus Franciæ Eleemosynarius morte Reginaldi superioris constituitur. Libellus quidam anonymus compositus de Ecclesiasticâ & Politicâ potestate magnas excitauit turbas, Paulo V. per Nuncium Vbaldinum postea Cardinalem conquerente apud Regem; cui morbo medicinam & remedium attulit Cardinalis in Synodo suæ Prouinciæ Senonensis Lutetiæ congregatâ decimâ tertiâ Martij, anno M. DC. XI. librumque condemnauit vt erroneum, Schismaticum & Hæreticum. Subscripsêre Iacobus Cardinalis Perronius Archiepiscopus Senonensis, Henricus Episcopus Parisiensis, Franciscus Episcopus Altissiodorensis, Ioannes Episcopus Melldensis, Gabriel Episcopus Aurelianensis, Renatus Episcopus Trecensis, Philippus Episcopus Carnotensis.

Liber de Eclef. & Polit. potestate.

Suadente Perronio Regale Franciæ Collegium (vbi Professores Regij) inchoatum Parisiis à Ludouico XIII. die Augusti vigesimâ octauâ, anno M. DC. X. in loco gymnasij Cameracensis vetustate collabentis, trium Episcoporum aliàs nuncupati, putà Hugonis de Pomard Lingonensis, Hugonis d'Arcy Laudunensis (qui Metropolim Rhemensem rexit) Guillelmi de Auxona Cameracensis Antistitum huiusce Collegij, anno M. CCC. L. fundatorum; anno M. DC. XXXIV. me procurante, vt Vicario magnæ Eleemosynariæ, ad meliorem faciem & formam curauit restitui Alphonsus Cardinalis Lugdunensis magnus Franciæ Eleemosynarius.

In Comitijs Regni anno M. DC. XIV. Lutetiæ congregatis articulus in medium prolatus super regni independentiâ à Pontifice, de clientelæ Sacramento Regi Hæretico præstando; quâ de re apud tertij Ordinis Proceres habuit nomine Ecclesiasticorum & Nobilium vnà conuenientium orationem luculentissimam & doctissimam multarum horarum spatio felicis & præ senis memoriæ opus, sumpto exordio ab illo Dauidis versiculo Psalmi L. *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*: distinguens vtramque potestatem & spiritalem Ecclesiæ & Regnorum temporalem; prudens ita ac modestus, vt priuilegio Clori defendendo de Regiâ

nihil detraheret maiestate & auctoritate, atque hanc asserens Ecclesiastico iuri nihil etiam derogaret.

Viros politioris literaturæ maximè coluit, sed potissimùm duos, qui adfuerunt benè morienti, Philippum Cospeanum Episcopum Adurensem, deinde Nannetensem, tandem Lexouiensem, Doctorem Theologum Parisiensem, egregium Diuini verbi præconem, & Nicolaum Coeffeteau Cenomanensem Dominicanum, eiusdem Facultatis Doctorem ex Dardaniæ in partibus Infidelium Episcopo & Metensi Suffraganeo Præsulem Massiliensem, qui multa typis mandauit eruditè & politè, Gallicè & Latinè pro Fide Catholicâ tutandâ & moribus instruendis. Duo celebres Episcopi.

Obitus incidit in diem Lunæ tertiam mensis Septembris, anno M.DC.XVIII. dum Stranguriæ morbo laboraret, identidem has D. Augustini voces repetebat. *Ignosce quod meum est, agnosce quod tuum est.* Corpus delatum Senonas reponendum in Metropolitanâ Ecclesiâ cum sepulchrali inscriptione communi duobus germanis fratribus.

HC. ER. L. M. ÆTN. PP.

Iacet hic quod claudi potuit Iacobi Dauy Perronij, qui S. R. E. TT. S. Agnetis in Agone Presbyter Cardinalis annos quaterdenos Archiepiscopus Senonum, Galliarum & Germaniæ Primas, magnus Franciæ Eleemosynarius duodenos; inter homines mortales ternos & sexagenos mortalis homo vixit: mortalis esse desijt Nonis Septemb. anno Christi M.DC.XVIII. *At viuet posthac, æternùmque apud omnes gentes atque nationes gloria immortalis, quam ex hæresi toties reportata victoria, acta in Italiâ Franciáque constituendis ac confirmandis Ecclesiæ nutantis rebus felicia iusta & præclara, libri denique, quos plurimos atque diuinissimos, incomparabilis ingenij clarissima monumenta reliquit, ei meritissimò pepererunt.*

Hic & plura sita esse disce, qui hæc legis; nam Ioannes frater itidem Archiepiscopus Senonensis & probissimus ac prudentissimus fraternæ virtutis hæres, quia dum viuerent, ei hæsit in visceribus, sub hoc eodem marmore cum illius cineribus suos condi libens meritò iussit, & abijt ad eum apud superos ætatis anno quinto & quinquagesimo; salutis reparatæ M.DC.XXI. *oct. Calend. Nou. triennio ferme post fratris discessum.*

Non Cippus hic Perronios fratres capit,
Magnæ animæ Olimpum fama terrá peruolat.
Non igitur illos lugeas hospes, dole
Superesse nullos Franciæ Perronios.
S. V. TL. H. NEP. F. E. M.

Cor datum Patribus Societatis IESV apud sanctum Ludouicum in vico Antoniano Lutetiæ, depositumque humi iuxta sinistrum cornu aræ principis sub exiguo & atro marmore cum hac epigraphe.

Iacobi Dauy S. R. E. P. Cardinalis Perronij Senonensis Archiepiscopi, Galliarum & Germaniæ Primatis, magni Franciæ Eleemosynarij tanti cor viri tantillo iacet in loco.

Scripsit quam-plurima, quædam typis viuens mandauit, alia posthuma. De ratione intelligendæ scripturæ. De Ecclesiâ. De Eucharistiâ. De vocatione Ministrorum Caluinistarum. Acta disputationis suæ cum Philippo Mornæo apud Fontem-bellaqueum initæ. Confutationem aculeati opusculi Danielis Tilleni Caluinistæ in traditiones Apostolicas. Prælusionem certaminis aduersus administros Heroinæ Lotharingiæ. Orationem in funere Petri Ronsardi habitam. Virtutum Moralium cum Theologicis collationem. Paraphrasim in Psalmum, Ad te leuaui. Epistolas varias ac dissertationes. Opus doctissimum ad Iacobum Regem magnæ Britanniæ de controuersiis Religionis Catholicæ. Volumen vnum de locis Diui Augustini difficilioribus explicatis. Densata quædam poëmata. Legationum & Epistolarum librum.

Nepotem habuit omnibus amabilem Abbatem S. Taurini, Episcopũ Engolismensem, Reginæ maioris Britanniæ principem Eleemosynarium.

Parma cærulea cantherio argenteo & tribus lyris aureis II. in coronide, I. in cuspide exarata.

D'azur au cheuron d'argent accompagné de trois harpes d'or, deux en chef, & vne en pointe.



ANNO CHRISTI M.DC.IV.

SERAPHINVS OLIVARIVS CARDINALIS LVGDVNENSIS ·CLEMENTE VIII.

DE Lugduni nato Seraphino Oliuario *Italiæ & Europæ oraculo* loquar an sileam? Certe rosa fuit suauissimum doctrinæ & iustitiæ flagrans odorem. Patre editus fuit Oliuario Gallo, matre Italâ & quidem posthumus, non è percelebri illâ apud Aruernos familiâ Oliuariâ, ex quâ prodière Iacobus Oliuarius Dominus de Leuuille, Cancellarius Mediolanensis

Ludouico XII. & Princeps Senatûs Lutetiani, maritus Magdalenæ l'Huillier de Boullancourt, & Franciscus Oliuarius filius Franciæ Cancellarius, Francisco I. Henrico II. & Francisco II. Regni habenas gubernantibus. Scutum Oliuariorum quadripartitum I. & IV. laterculo cyaneo sex nummis bysantinis aureis 3. 2. 1. expresso, coronide aureâ, medio nascente Leone atro. II. & III. quadrante aureo, tribus tænijs muricatis, secundâ tribus stellis aureis exaratâ. Scutum autem Seraphini Oliuarij aliud esse patebit inferius.

Tantâ fuit erga superstitem suam Matrem pietate, vt eum Deus benedixerit. Bononiam studiorum parentem, & maximè Iuris cùm Canonici tum Ciuilis, Rafallio suo Vitrico persuadente, est profectus: grauissimi Felsinei Senatûs approbatione publicè illic docuit biennium cum omnium Auditorum applausu vir eruditione & Legum peritiâ singulari, & integritatis & iustitiæ cultor egregius.

Romam adiit, fitque Auditor Rotæ Pij I V. delectu, & Caroli IX. Regis assensu, in quo munere exercendo quadraginta consumpsit annos. Clemens VIII. ad officium in Datariâ, quod vocant *Concessum*, euocauit. Decanus Rotæ, quæ fulcrum est Pontificiæ æquitatis post Ioannem Baptistam Rubeum. Successit Oliuario Decano Hieronymus Pamphilius annos natus LXXIII.

Patriarcha Alexandrinus die vigesimâ sextâ Augusti, anno M. DC. II. à Pontifice nominatus in publico Conclaui, Caietano Patriarchâ Alexandriæ vitâ functo. Omnium liberalium artium elegantiâ fuit ornatissimus, vti patet ex duabus Iusti Lipsij viri supra doctrinam pij, supra pietatem docti scriptis ad eum Epistolis.

Seraphino Oliuario Sacri Palatij Auditori, & Patriarchæ Alexandrino Romam.

Lipsius cent. 5. Miscel. epist. 33.

Litteras ad te mitto, vellem animum in ijs possem: sic tuum, vt cuiusquam ex interioribus, & toto asse amicis. Quæ causa pignerauit? tua virtus & prudentia in illo Orbis theatro nota & prædicata: & propriè affectus in motuus, diu me celatus, & qui ad Vestalis fauillæ instar in secreto pectoris tui, ô quàm mentior! vrbis illius volui dicere, latuit: sed & sic mentior, ad me venit, sermo & facta tua aperuerunt, & didici non certiorem aut fidiorem amicum in magnâ Româ mihi esse. Vnde merui vir æqui & boni scientissime? non merui: tua virtus & bonitas est, quæ benè mihi fecit, & dixit: ipsa sibi causa, vt Deo in genus humanum amor & benignitas est. Sed de iudiciis factisque tuis (ita loquendum est) primus mihi bonum nomen Macarius indicium fecit, & postea Puteanus meus, qui te vidisse gloriatur & audisse. Obsecro & Philippum Rubenium meum cum Guillelmo Richardoto & Ioanne Baronio noris, sed primum illum ingenio & doctrinâ laudabilem inter paucos. Probitatem & modestiam addo, sine quibus hili non fecerim aut pili illa. Ecce pauca & prima verba, pauca, quia vt in angusto exitu aqua impetu veniens intercluditur, sic os aut stylus meus sistuntur ab affectu, qui impetu & calore erumpit. Agnosce quæso & agnoscentem iam amare perseuera, saltem illo amoris tui fructu. Louanij die decimâ quartâ Calendas Septembres, anno M. DC. III.

Idem Iustus Lipsius eidem creato Cardinali ita scribit. Vota nostra & bonorum Deus audiuit, & ad dignitatem euexit, quæ virtutibus & meritis tuis iamdiu debebatur. *Post multa si. finit.* Illustrissime & Reuerendissime Domine voto duplici claudo: altero, vt Ecclesiæ diu sis superstes; altero, quod animo concipio, ore non promo. Louanij, Calendis Aprilibus, anno M. DC. V.

Gregorius XIII. ad Henricum III. Poloniæ Regem electum congratulationis gratiâ anno M.D.LXXIII. Oliuarium transmiserat. Sixtus IV. eundem destinarat, qui post necem Henrici III. Regis Galliæ sedare posset motus excitatos pro nouo Rege.

Vocis oraculo Pontifex verba fecit de Seraphino multis eum laudibus efferens, & à calumniâ antiquâ vindicans, de qua aliàs habitus sermo in Congregatione sancti Officij, seu, vt vocant, Inquisitionis.

Creatus Cardinalis tituli sancti Saluatoris in Lauro à Papâ Clemente VIII. die nonâ Iulij, anno M. DC. IV. sextâ Cardinalium ordinatione, Henrico Magno commendante; Episcopus Rhedonum translato eius ciuitatis Antistite Cardinale Ossato ad Baiocensem Præsulatum, anno M. DC. factus est; verum possessione non adeptâ anno M. DC. II. cessit Francisco Lachiuer viro pientissimo sancti Yuonis Romæ Curioni, qui totus fuerat in confessionibus excipiendis quam-plurimorum peregrinorum inferioris Britanniæ Gallicæ anno Iubilæi, cui soli Lachiuer lingua Britonum erat nota: quo nomine benè audiuit apud Clementem Pontificem, & Seraphinum.

Vnus Lachiuer Romę intelligit linguam Britonũ.

Viuere desiit Romæ die nonâ Martij, anno M. DC. IX. sepultus in Monte Pincio, vbi ædes sanctæ Trinitatis Patrum Minimorum. Oratione funebri laudes prosequutus Ioannes à Bosco Celestinus nuncupans se Oliuarium, quam typis mandauit, & præfixa est operibus Seraphini.

Scripsit Decisiones Rotæ mille quingentas in vtroque Iure; quas Vitalis amicus curauit edi in lucem post mortem Oliuarij.

Tomum vnum Responsionum Decisiuarum, & alia nonnulla nondum typis mandata.

Razzalij posteri Romæ luculentam Cardinalis hæreditatem testamentaria adoptione sunt adepti.

Parma quadripartita I. & IV. quadrante prasino, oleâ argenteâ, II. & III. pullato, coronide cyaneâ notatâ tribus liliis aureis, pedato tigillo coccineo exarata.

Escartelé au 1. & 4. de synople à l'oliuier d'argent, au 2. & 3. de sable au chef d'azur chargé de trois fleurs de lys d'or, au lambel de gueules.

FRANCISCVS



FRANCISCVS CARDINALIS DE LA ROCHEFOVCAVLT MAGNVS FRANCIÆ ELEEMOSYNARIVS PAVLO V. Anno Christi M.DC.VII.

IN Aquitaniâ primâ illustris admodum & perantiqua gens Rupefucaldorum, à qua Guidones, Aymerici, & Fucaldi Dynastæ de la Rochefoucault. Primus Comes Franciscus Princeps de Marcillac Dominus de Barbezieux, Montendre & Montguyon, Magnus Cubiculariorum Regiorum Præfectus Carolo VIII. & Ludouico XII. Decoratus honore tanto, vt Susceptoris Lustrici personam sustinuerit, dum Christianâ vndâ Franciscus magnus huius nominis I. tingeretur, cuius rei memor ipse Rex Barones Rupefucaldos voluit creari Comites; hic primus Comes duxit vxorem Lodoïcam de Crussol in primis nuptiis, filiam Ludouici magni Franciæ Dapiferi & Pictauorum Seneschalli, ac Ioannæ de Leuis. Eiusdem illustrissimæ familiæ vir pientissimus Guillelmus de la Rochefoucault Episcopus Lucionensis, qui diem vltimum obiit anno M. CCC. LXXXVII. vigesimâ septimâ Ianuarij. In præsenti, terra Rupefucalda erecta est in Ducatū, primusq; Dux & Par Franciæ Franciscus æuo Ludouici XIII. Princeps de Marcillac, & Prorex Pictauorum, iunctus matrimonio cum Gabriele du Plessis filiâ Caroli du Plessis Dynastæ de Liancourt, primi Equitis Regij, & Lutetiæ Gubernatoris, ac Antoniæ de Pons Marchionissæ de Guercheuille. Vnus Rupefucaldus suscepit Franciscū I. Regem in baptismo.

Parens Francisci Cardinalis fuit Carolus de la Rochefoucault Randani in Aruerniâ Prouinciâ Comes, filius natu-minor Francisci II. Comitis Rupefucaldi & Annæ de Polignac filiæ vnicæ & hæredis Ioannis de Polignac Domini de Beaumōt & de Randan, Militiæ pedestris in Galliâ vniuersâ Magister, qui in obsidione vrbis Bituricæ vulnus accepit, cum à perduellibus Hæreticis esset occupata. Metis cum Duce Guisio agebat, vrbe obsessâ à Carolo V. Cæsare præsente armato centum æneis bombardis tormentisq; bellicis, & militibus ad centum millia, Dûce d'Albe Generali Locū-tenente anno M. D. LII sub finem anni, impetitâ quinquagintâ maioribus tormentis bellicis. Egressus Carolus Rupefucaldus monomachiâ Equestri conuenit D. Hēriquem Manrique Locum-tenentē Ludouici de Auila Præfecti totius Equestris militiæ Cæsareæ, cuius brachiū lāceâ victor penetrauit Carolus. Andr. du Chesne in Geneal. Rupef.

Obsessâ vrbe Rothomagensi à Sectariis captâ vulneratus obijt vnà cum Antonio Rege Nauarræ Patre Henrici magni ibidem interfecto. Mater Princeps Fuluia Pica Mirandulana filia Galeæ Principis Mirandulæ & Concordiæ, soror Siluiæ Picæ Mirandulanæ Comitissæ de la Rochefoucault. Catharinæ Medicææ Reginæ Regumque plurimorum matri charissima Fuluia, quæ vidua permansit anno suæ ætatis vigesimò secundo.

Operam nauat literis Franciscus agens in Collegio Maioris-monasterij (cuius Patruus erat Abbas) Patribus Societatis Iesu erudientibus. Commoleto in Philosophicis, Tyrio & Richardo Flaminio in Theologicis publicas proposuit theses, præsentibus Regni Proceribus, & Legatis Hispaniæ & Lusitaniæ. A primis annis habuerat Tornusianam Abbatiam Diœcesis Cabilonensis sitam in dextrâ Araris ripâ post Franciscum Cardinalem Turnonium Abbatem, & Ludouicum Cardinalem à Guisiâ, qui eam Francisco cessit ante obitum, sanctus Gregorius Turonensis illius meminit. Apud castrum Trinorucnse quadragesimo à Cabillonensi vrbe milliario. Eiusdē Cœnobij Ordinis Benedictini omnes Monachi nobiles Vrbano VIII. concedente effecti Canonici sæculares anno M.DC.XXVII. Adolescens studiorum causâ vnam exiguamque redditûs partem videlicet mille ducentas libellas Turonenses in suum alimentum ac domesticorum retinuit consilio Patrui Ioannis de la Rochefoucault Abbatis Maioris-monasterij & Cormeriaci, etiam Fuluiæ Mirandulanæ optimæ parentis; altera prouentûs pars dabatur tum pauperibus, tum ædificiis Abbatiæ ab Hæreticis dirutæ restituendis, & egenis virginibus matrimonio collocandis. Domum Hospitalem apud Tornusium condidit ac dotauit. Præfectus Oratorij Regij annos sexdecim natus, ipsis Regibus Carolo IX. & Henrico III. notissimus & gratissimus; parens Fuluia data fuerat ab Henrico Lodoicæ Lotharingæ vxori Reginæ Domina honoraria totique Regiæ familiæ præfecta.

Lib. 1. de gloria Confess.

A S Iuliano in hist. Tornusiana.

Præsul Claromontanus anno ætatis vigesimo sexto, statim Consistorij Regij Consiliarius ab Henrico electus: illius Ecclesiæ possessionem adiit die septimâ Octobris, anno M.D.LXXXV. In eâ ciuitate Pontifex Maximus Vrbanus II. natione Gallus Concilium habuit, (quâ de re superius) quod à suo nomine Vrbanense dictum alicubi reperitur, cui adfuêre tredecim Archipræsules, nonaginta duo Antistites, quinque supra ducentos Cœnobiarchæ. In Episcopatûs curam totus incubuit Franciscus, Ordines Religiosorū, qui piè viuerent & aliorū saluti prodessent, impensè fouit, Capucinos tum in ciuitate Claromontanâ, tum in aliis per Diœcesim locis instituit. Gradum facit ab hoc Episcopatu ad Syluanectēsem factâ cum Antonio Rosæo Doctore Theologo Parisiensi nepote illius Rosæi viri celebris Antecessoris permutatione, licet amplior & ditior sed ab vrbe Regiâ remotior. Annuas visitationes, quamdiu præfuit, nunquam omisit, in quibus præcipuum erga Parrochiarum Rectores studium adhibuit, vt suis muneribus fungerentur, tum priuatis ipse congressibus singulos erudiens, tum statas inter eos collationes Theologicas & conuentus instituēs, in quibus rudiores à peritioribus erudirētur. S. Vincētij Monasteriū Ordinis S. Augustini reformauit tam felici successu, vt ex eo coloniæ deinceps ad aliorum reformationem deductæ sint. Canonicis, qui Parrochiales Ecclesias habebant, persuasit, vt

Lib. 1.

eas abdicarent; volebat in suis omnes residere beneficiis: Religiosarum vtriusque sexus familiarum, quibus abundat Diœcesis, disciplinam promouebat; ad Moniales ne pateret ingressus interdicebat.

Cella frumentaria nostri Præsulis erat referta multo frumento, Mercatores id rescientes ad eum se contulêre emptionis ergò, duo aureorum millia offerentes. Paulò post superueniente annonæ caritate iisdem Mercatoribus redeuntibus significauit se alios nactû esse Mercatores, qui maioris pretij frumentum emerent; totum aceruum frumenti curauit distribui egenis, & in sinu pauperum abscondi centuplum accepturus, & vitam æternam possessione obtenturus. Effusus in pauperes.

Dignitatem Cardinalitiam ei confert Paulus V. decimâ die Decembris anno M. DC. VII. tertiâ Patrum electione, Rege Henrico IV. postulante, qui, licet priuatam, vt aiebat, eum amandi causam non haberet, ad eum tamen amandum solâ virtutis admiratione excitatus est, cui dignitati ipse Franciscus renitebatur absens multa scriptis epistolis allegans Regi Henrico super eâ promotione, Petro Cotono Societatis IESV, & Regio Ecclesiaste ac Confessario, Regis imperium & voluntantem significante.

Romam adiit anno M. DC. IX. vbi diuersatus quatuor annos Regni negotiis inuigilans vnà cum Breuæo Oratore Regio. Summus Pontifex doctrinam & virtutem admiratus eum præfecit Congregationibus sancti Officij, Episcoporum, & Regularium Bellarmino Cardinali viro doctissimo & piissimo collegæ in iisdem carissimum. Protectoris Galliæ munus exercuit. Ordini Cistercienssi datur Protector, mortuo Cardinale Giurio: in hoc Ordine quatuor Abbatias titulares obtinuit pro Religiosis, Aulicis earum Commendas postulantibus. Romæ Pontifici & Cardinalibus auctor fuit, vt in editione Romanâ Concilij Basileensis partem eius Schismaticam supprimi iuberent.

Interfuit Comitiis apotheosis sancti Caroli Borromæi, hocque tulit suffragium in Consistorio secreto post relationem miraculorum ab eodem D. Carolo Borromæo Cardinale sanctæ Praxedis patratorum factam die trigesimâ Augusti, anno M. DC. X. à Cardinale Pinello sacri Collegij Decano. Magno sit (Beatissime Pater) pro meo voto, Sanctitatis Vestræ & honori & merito, quod quam vicem olim sublimi beati Petri confessioni reddidit Christus, eandem ipsemet Christo Sanctitas vestra in ipsius Petri Cathedrâ sedens possit rependere: vt sicut tunc Christi diuinitatis assertori promissum est ratum fore in cœlis, quod ipse decreuisset in terrâ: ita nunc Sanctitas Vestra vice versâ sed fide eadem ratum pronunciet in terrâ, quod in personâ Beatissimi Caroli Cardinalis tot diuinis constat indiciis iam in cœlis esse decretum, & quem nuper hic militans Ecclesia fidei & charitatis meritis clarum obtulit triumphanti Ciuem Sanctorum & domesticum Dei, eundem nunc miraculorum gloriâ coruscantem ipsa nobis patronum restituat & intercessorem venerandum in terrâ. Impetret vt illic precibus, quod hîc exemplo docuit & tandem quem in viâ comitem, in dignitate collegam dederat Deus, cohæredem in patriâ, consortem in gloriâ videamus. Suffragiû pro canonizat. sancti Caroli Borromæi.

Româ discedentem anno M. DC. XIII. pauperes tanquam Patrem sequebantur lamentis. Inuigilarat Romæ vnà cum Cardinale Arigone FF. Mino-

rum Protectore Ordini Reformando, proinde pluribus vicibus se contulit in Cœnobium ab Arâ cœli, vbi Capitulum generale habebatur. Anno itaque illo M. DC. XIII. reuersus in Galliam Tornusio iter habens Patrum Recollectorum andrij primum lapidem posuit, pecuniamque ad ædificij structuram suppeditari iussit.

Spondan. in auctario chronol. Ann. Baron. an. 1615.

Multum diuque laborauit anno M. DC. XV. mense Iulio in Comitiis Cleri vniuersi Lutetiæ habitis, vti Synodus Oecumenica Tridentina ab Episcopis, qui tunc aderant, reciperetur, quantum in eis situm esset, quod spopondêre communi calculo, quotquot aderant Præsules, duobus exceptis, ipso Cardinale ianuæ claues habente & apud se seruante, ne vllus egrederetur, quod resciens Ludouicus Cardinalis à Guisia ipsi Francisco, quem venerabatur, significauit se velle exemplo aliis esse, nec discedere, vt aliis ansam non præberet Congregationem finiendi, licet in votis habuisset egredi: tantum enim Francisco & eius disciplinæ zelo deferebat. Itaque se Sacramento obstrinxerunt seruandæ Synodi Tridentinæ in suis Diœcesibus, & in Cardinalis ipsius manibus se obligauêre.

In egenos munificus & liberalis tum maximè in ægrotos, quorum gratiâ non modo Medicum & Chirurgum ac Pharmacopolam Syluanecti stipendiis habuit, qui illis operam & pharmaca subministrarent, sed peculiarem etiam coquinam, vnde alimenta percipiebant. Magnus Franciæ Eleemosynarius obitu Cardinalis Perronij anno M. DC. XVIII. à Ludouico XIII. multis præfertur: cum quatuor tantum solita librarum centena à Rege pauperibus darentur eroganda quolibet mense, viginti millia quolibet anno è suo distribuebat frugali vtens mensâ, vt ampliores pluribus egenis eleemosynas largiretur. Cœnobiarcha Commendatarius, cuius nomini parco obtinuerat literas Regias Romam mittendas pro Episcopatu Nouiodunensi; huius Abbatis vita erat scandalo & Petra offensionis, quâ de re scripsit zelo domûs Dei flagrans Cardinalis ad Robertum Cardinalem Bellarminum, qui monuit Paulum V. Pontificem Ioanne Cardinale Delphino tunc Franciæ Comprotectore proponente Episcopatum in Consistorio, vt moris est; vno verbo Summus Pontifex respondit, *mores mutet*. Præses Senatûs Parisiensis vir celeberrimus Abbatis frater re acceptâ multas egit Francisco gratias. Inter quatuor Prælatos Equites torquatos Ordinis sancti Spiritus à Rege Henrico fuerat adlectus.

Commenda Abbatiæ sanctæ Genouefes Parisiensium Patronæ diuinâ virgulâ ipsi fuit demandata anno M. DC. XIX. mense Iulio: lateritiam accepit Ecclesiam, marmoream paucis annis reddidit, quod de Augusto Cæsare refertur Romam ingrediente. Magis incumbit in reformandos Religiosorum mores & optimam vitæ disciplinam reintegrandam, ita vt possit iure meritoque dici alter disciplinæ Monasticæ conditor.

Sanctioris & Regij consilij primus Consiliarius & Minister, cuius consilio multa ad Religionem Catholicam promouendam effecta sunt, inter alia fecit, vt vrbes in Galliâ ab Hæreticis detentæ repeterentur sumpto exordio à Prouinciâ Bearnensi, anno M. DC. XX. & vt Catholicus in posterum Orator ad confœderatos Hollandiæ hæresi infectæ Ordines mitteretur (cùm antea Caluinianus mandaretur ex ipsorum Ordinum postulatione primo è

Catholicis Legatis misso egregio viro Domino Espencæo.

Cum Regi apud Turones ex Maioris-Monasterij occasione suggestum fuisset collapsam ferè passim Monachorum disciplinam negligi, ac sine remedio iacere rogatus à Rege adnitente simul Cardinale de Rets, qui Regis consilio tum præsidebat, Breue Apostolicum & Regis literas reformandorum in Galliâ Ordinum Diui Benedicti & sancti Augustini accepit his verbis conceptum. Reformatio Religiosorum

Dilecto filio nostro Francisco tituli sancti Callisti Presbytero Cardinali de la Rochefoucault nuncupato, intus verò *Gregorius Papa XV. Dilecte fili noster Salutem & Apostolicam benedictionem.* Speculatores domus Israël, quæ est Ecclesia Dei viuentis, mirabili eiusdem prouidentiâ constituti admonemur, vt ad ea sedulò intendamus, per quæ diuinus cultus, & Ecclesiastica Regularisque disciplina in Monasteriis & locis Regularibus quibuslibet conseruentur, maioraque in dies suscipiant incrementa, &, si in aliquibus exciderint modis, quantum fieri in Domino potest, restituantur opportunis. Cupientes itaque ad animarum salutem, & Christi fidelium ædificationem. Monasteria, domos, & alia loca Regularia sancti Benedicti, sancti Augustini, Cisterciensis, & Cluniacensis Ordinum in Regno Franciæ existentia auctoritate nostra visitari, ac de tua singulari fide, prudentiâ, integritate, & Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, supplicationibus etiam charissimi in Christo filij nostri Ludouici Francorum Regis Christianissimi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi per præsentes iniungimus, vt cum consilio & participatione Prælatorum & Religiosorum eorumdem Ordinum, quos ad id idoneos esse iudicaueris, omnia & singula Ordinum prædictorum Monasteria, domos & alia loca Regularia quocumque nomine nuncupata & exempta, ac Nobis & Apostolicæ Sedi mediatè vel immediatè subiecta, eorumque Abbates, Priores, Monachos, Fratres & personas quascunque, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis & conditionis existentes tam in capite, quàm in membris auctoritate nostra visites & reformes, ac in earumdem personarum statum, vitam, mores, ritus & disciplinam tam coniunctim quàm diuisim diligenter inquiras, necnon Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, Sanctorumque Canonum & Generalium Conciliorum decretis, & Sanctorum Patrum traditionibus atque Regularibus institutis eorumdem Ordinum Apostolica auctoritate confirmatis inhærendo; & provt occasio, rerumque qualitas exegerit, quæcunque mutatione, correctione, reuocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoueris, corrigas, emendes, renoues ac etiam de nouo condas, condita sacris Canonibus & Concilij Tridentini Decretis non repugnantia confirmes, abusus quoscunque tollas, Regulas, Institutiones, & Ecclesiasticam Regularemque disciplinam, ac imprimis diuinum cultum, vbicunque exciderint, iuxta primæuam eorumdem Ordinum Regulam dictâ Apostolicâ auctoritate confirmatam modis congruis restituas, & reintegres: si aliquos in aliquo delinquentes repereris, eos iuxta Canonicas sanctiones punias & castiges, ipsasque personas, etiam, vt præmittitur, exemptas ad debitum & honestum vitæ modum, ac ad statum sacris Canonibus & Concilio Tridentino prædictis conformem reuoces, ac

quidquid circa morum correctionem statueris & ordinaueris, absque dilatione & appellatione, quæ executionem quoquomodo vllatenus impediat aut suspendat, neque nisi ad effectum deuolutionis dumtaxat suffragetur, obseruari facias; Monachorum & fratrum Ordinum prædictorum Congregationes erigas, & instituas, Monasteria à se inuicem independentia, quæ sine capite sunt, similiter in Congregationem redigas, inobedientes ac contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia cogas & compellas. Nos enim tibi præmissa & quæcunque alia circa visitationem & reformationem, aliaque supra expressa huiusmodi necessaria & quomodolibet opportuna, faciendi, dicendi, gerendi & exequendi citra tamen beneficiorum status mutationem, auctoritate prædicta, tenore præsentium plenam, liberam, & absolutam facultatem, & auctoritatem concedimus & impartimur. Si quæ autem grauiora in huiusmodi Visitatione repereris, volumus vt ea sub tuo sigillo clausa ad Nos quam primùm diligenter transmittas, vt id quod in illis statuendum sit, matura consultatione adhibita, decernamus. Mandantes propterea omnibus & singulis Abbatibus, Prioribus & Generalibus, ac aliis Superioribus quocunque nomine nuncupatis, aliisque personis prædictis sub excommunicationis ac priuationis suorum Officiorum & aliis arbitrio nostro infligendis pœnis, vt tibi in præmissis omnibus & singulis promptè pareant & obediant, tuaque salubria monita & mandata suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam siue pœnam, quam ritè tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari, non obstantibus Apostolicis, ac Vniuersalibus Prouincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus Monasteriorum, domorum & aliorum locorum Regularium prædictorum, & Ordinum quorum fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis eorumque Superioribus huiusmodi & aliis personis prædictis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis ac irritantibus & aliis decretis in genere vel in specie etiam motu proprio vel consistorialiter ac aliàs in contrarium, præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialiter specifica indiuidua ac de verbo ad verbum expressa mentio habenda, & aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, præsentibus ad sex annos à data præsentium computandos duntaxat valituris. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die octaua Aprilis, anno M. DC. XXII.

Hinc in sanctæ Genouefes Ordinis Augustiniani, & sancti Dionysij in

Franciâ Cœnobiis reformati mores non sine digito Dei, aliis Monachis in locum Antecessorum succedentibus. Missus à Rege Legatus Engolismam ad Mariam Medicæam Reginam matrem ad componenda quædam dissidia, quæ Regnum erant sine dubio turbatura, conciliatis singulari prudentia & industriâ omnium animis feliciter rem confecit. Carolum huius nominis I. magnæ Britanniæ Regem & Henriettam Mariam Borboniam tertiam Henrici magni filiam matrimonio coniunxit apud Metropolitanam Ecclesiam Parisiensem die Dominicâ Maij vndecimâ, anno M. DC. XXV. cuius Reginæ antea fuerat cum Elizabetha Francica deinde Regina Hispaniæ lustricus sponsor in baptismate XV. Iunij, anno M. DC. XIV. & quoniam Rex Carolus erat Sectarius, Borbonia Catholica, interuenit Vrbani VIII. Summi Christianorum Pontificis dispensatio, de qua in Petro Cardinale de Berulle: literas procuratorias Regis Caroli sponsi habebat Claudius à Lotharingia Dux de Cheureuse, Par Franciæ & magnus Cubiculariorum Regis Præfectus.

Matrimonium Regis Angliæ

Magni Franciæ Eleemosynarij dignitatem eiurauit, & Regi Ludouico gratiis habitis, literisque super eâ re scriptis, Rex Alphonsum Cardinalem Lugdunensem elegit Francisci successorem, datâ Monasteriensi Abbatiâ, & retento torque Ordinis sancti Spiritûs.

Sepulchrum viuens sibi construxit nullo apparatu annos æternos in mente habens apud fanum Diuæ Genouefes in subterraneâ æde, vbi sacer tumulus eiusdem Virginis Parisiensium Patronæ conspicitur.

Scripsit de Ecclesiæ authoritate.

De statu Ecclesiastico.

Libellum contra Schismaticos.

Eximiis animi dotibus species in eo externa respondet tum corporis statura procerior, tum grauis & serena, vultûs compositio, quæ antiquorum Patrum sanctitatem ac suauitatem morum declarat, eumque adeuntibus venerandum pariter, ac amabilem reddit.

Tessera iugibus fasciis argenteis & cæruleis decem compacta triplici cantherio muricato supercurrente.

Burellé d'argent & d'azur de dix pieces, à trois cheurons de gueules brochants sur le tout.





Anno Christi M. DC. XV.

LVDOVICVS III. CARDINALIS A GVISIA
PAVLO V.

HENRICI Guisiæ Ducis Blesis mortui, & Catharinæ Cleuensis Comitissæ Augensis ad Oceanum in secundis nuptiis locatæ (nam primis fuerat coniuncta Principi Porciano Antonio de Croy) tertius filius natus die vndecimâ Augusti, anno M. D. LXXXII. Archimandrita Commendatarius multorum Cœnobiorum putà sancti Dionysij ad Parisios, Cluniaci, (quod est caput Ordinis) Diui Remigij Rhemorum, Corbeiæ in Picardiâ, Vtlicampi Ordinis Cisterciensis Diœcesis Nouiodunensis à Simone Episcopo Hugonis magni Viromanduorum Comitis filio fundati: prætereà Derui à sancto Bercario conditi in honorem DD. Petri & Pauli anno DC. LXIV. in Diœcesi Catalaunicâ, Cariloci (filiæ Pontiniaci) ab vrbe Syluanectensi duabus leucis distantis à Ludouico Crasso huius nominis VI. exædificati, denique sancti Vrbani. In Archimonasterio Sandionysiano curauit maiorem campanam vocatam, *le gros bourdon* restitui propriis impensis. Titulos & monimenta eiusdem Abbatiæ pulueri tineis & blattis exposita humi iacentia sine ordine, eiusdem Ludouici sumptibus & operâ Iacobi de Coignee Patroni Parisiensis in optimum ordinem sunt redacta, ita vt facili negotio possint reperiri, obseruato ordine alphabetico.

Paulus V. Ludouicum promouit ad dignitatem Cardinalitiam die vigesimâ primâ Decembris, anno M. DC. XV. dum septimò Patres eligeret.

Protector Galliæ effectus, licet nunquam adierit Romam.

Collegium Societatis IESV Rhemis instituitur die decimâ octauâ Octobris hoc Archipræsule, sed Brulartio Regiæ-vallis Abbate munificentissimo fundatore decem librarum millia pro annuo reditu procurante.

Rex Ludouicus XIII. sacro inungitur oleo in Rhemensi Ecclesiâ à Francisco Cardinale de Ioyeuse die decimâ tertiâ Octobris, anno M. DC. X. quia Ludouicus Archiepiscopus Rhemorum Diaconatûs tantum Officio fungebatur, nondum obtentâ Episcopali consecratione. Corpus sancti Alberti Martyris Cardinalis eleuatum ab Ecclesia Rhemensi anno M. DC. XII. & in Belgium translatum Ludouico XIII. Rege, Archiepiscopo Ludouico, & Capitulo Rhemensi consentientibus, id expostulantibus Legatione Re-

Inauguratio Ludouic. 13.

ligiosissimis Principibus Alberto Archiduce, & Isabellâ Clarâ Eugeniâ Infante, qua de re actum est suprà pluribus in S. Alberto Cardinale. Lib. 1.

Moritur Cardinalis à Guisiâ die vigesimâ primâ Iunij, anno periodi Christianæ M.C. XXI. annos natus triginta nouem Mediolani Xantonum, anteactæ vitæ peccata & sordes eluens piâ morte, memorque liberioris viuendi rationis, non secundum Dei propositum, magnâ est affectus cordis contritione, sciens Deum non despicere cor contritum & humiliatum, quod contigit dum Sectarij obsidione cingerentur in vrbe D. Ioannis Angeriacensis, vulgo *S. Jean d'Angely* (à Iulio Cæsare nuncupatur Agesinnatũ ciuitas) vbi celeberrimum fuit conditum cœnobium, ordinis Benedictini à Pipino Caroli Martelli filio D. CC. LXI. Prouinciæ est Xantonensis, quæ vrbs capta fuit die vigesimâ quinta Iunij eiusdem anni, & mœnia solo sunt adæquata. Cœnobium S. Ioan. Angeriacen.

Sepelitur Rhemis in tumulo Propatrui Caroli Cardinalis à Lotharingia sine epitaphio.

Scutum Guisianum de quo superiùs.



HENRICVS DE GONDY CARDINALIS DE RETS. PAVLO V.

Anno Christi. M. DC XVIII.

ALBERTVS Franciæ Polemarchus suffectus in locum defuncti Gasparis de Saulx Domini de Tauannes, Dux Rethiacus, & Heroina Claudia Catharina Claromontana, antiquissimæ, & nobilissimæ prosapiæ fœmina doctissima, secundis nuptiis (nam primo connubio locata fuerat cum Claudio d'Annebaud Maris Præfecto) parentes fuêre Henrici Gondij viri prudentissimi, & mitissimi. De Gondiorum gente illustrissimâ egimus mentionem facientes Petri Gondij Cardinalis; hîc solùm dicam vndecim cognominis istius miro ordine hanc familiam produxisse viros belli, pacisque artibus excellentes, qui Rempublicam Florentinam exornârunt. Albertus porrò Senator Consistorianus, primus nobilium Cameræ Regiæ, Equitibus Cataphractis centum præpositus; Idem, Carolo IX. Elizabetham Austriacam sponsam requirente, matrimonij pacta solemnia transegit, & Procurator Regius ad eam desponsandam. Gondiorum familia Illustriss.

Legatus in Angliam: Vrbi Metensi & Prouinciæ præficitur gubernator creatus ab eodem Carolo Rege. Henricus III. in Prouinciâ ad Rhodanum constituit Proregem (quatuordecim ciuitates & oppida vnius anni curriculo dedere se coegit) Triremium Regiarum Præfectum, locum tenentem in Marchionatu Salussij (spatio trium mensium omnia subiecit potestati Regiæ) Ducem & Parem Franciæ, Gubernatorem Ciuitatis Nannetensis & Castri; Octauũ in exercitu Regio Summus Antesignanus, quod suis consequutus est meritis. Nullum vnquam verbo aut re læsit, quod rarum est in aulâ, rariùs multis pergratum esse Regibus, rarissimum ad extremam vsque vitæ periodum: Militari prudentiâ & valore Martio singulariter enituit, testes funestres pugnæ nobiles Rentiaca, Grauellinea, Laurentiana. Quid dicam de Sandionysiano prœlio & Iarnacensi? Iarnacum oppidum est incinctum ad Carantonum, vbi commissum prœlium, Carolo IX. Rege, aduersus Segreges Caluinianæ sectæ defensores Catholicis victoribus, vnde litium Procurator natione Petragorius nomine Laualius de partis alterius Ductore sic ait.

Albertus Gonzadius vir admirandus.

L'an mil cinq cent soixante & neuf
Entre Iarnac & Chasteauneuf
Fut porté mort sur vne Asnesse,
Le grand ennemy de la Messe.

Dina fluuius.

In Moncontur ianâ acie visus ad Dinam Pictonum Amnem, qui in duos riuulos diuiditur apud ipsum Moncontur ium, quorum vnus oppidum ipsum interluit, alter alluit, ac prope fontem, qui totum fluuiolum offundit, nullo accepto riuulo in Theodum decurrit. Ibi memorabile habitum est prœlium inter Catholicos, & diuersæ Religionis propugnatores, vbi Rex Carolus per Henricum fratrem postea Regem feliciter pugnauit, pugnante ipso Alberto: in Drijensi exercitu, in obsidionibus Rothomagensi, & Rupellanâ, in qua ictu sclopi & glande plumbeâ est vulneratus; in obsidione Portûs-gratiæ à Francisco I. Rege conditi contra Anglorum incursus. Cùm Rex Henricus III. ad Polonicam coronam suæ virtuti destinatam capiti imponendam per operta, apertaque Germaniæ loca proficiscitur; Albertus primam aciem ducens, securum in regno collocauit.

Portus-gratiæ conditur.

Henricus fratrem habuit natu maiorem Carolum de Gondy Marchionem Calonesi (vulgò *Belle-Isle*, Calonesus Britanniæ minoris Insula, quæ nullius est Diœcesis; à Romano Pontifice ei datur Officialis, à quo dimissoriæ literæ ad viciniores Episcopos obtinentur) fratres natu minores Ioannem Franciscum Archiepiscopum Parisiensem (cui curia non est curæ, tamque ipsi ingrata, quàm aliis grata) & Philippum Emanuëlem de Gondy Comitem Iogniacensem, Marchionem Insularum aurearum, cuius meminimus in Petro Cardinale de Gondy Patruo; sororem natu-maiorem Margaretam Claudiam de Gondy mulierem sapientissimam

Calonesus Insula.

& pientissimam datam in matrimonium Florimundo de Halluin Marchioni de Megnelets.

Noster Henricus maximâ pollebat memoriâ, quâ omnes Dauidis Prophetæ psalmos feliciter recitabat,& quæcumque ad pensi Ecclesiastici breuiarij solutionem absque codice memoriter repetebat. Canonicus Ecclesiæ Parisiensis, deinde eiusdem Episcopus; possessionem adipiscitur anno M. DC. VIII. die vigesimâ nonâ Martij, Petro Gondio Cardinale Patruo resignante, viginti quinque millium librarum retentâ pensione. Carus omnibus ob dulcissimos mores,& præditus maximâ sapientiâ.

Iusta persoluit Henrico Magno anno M. DC. X. in præsentiâ omnium Galliç ordinum, perorauit Cospeanus Episcopus Adurensis Regi à concionibus.

Patronus causarum forensium nescio-quis edidit famosum libellum in lucem contra nostrum Episcopum, perstringens, eumque accusans Latini idiomatis inscitiæ, librum refarciens ridiculâ planè, & ineptâ latinitate; incidit Sycophanta in manus Ioannis Francisci de Gondy, tunc Decani Ecclesiæ Cathedralis: frater monuit fratrem, tempusque esse opportunum vindicandæ iniuriæ, & calumniæ; Henricus Christum imitatus dicentem, *Pater dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt*, misit ad Franciscum, vt hominem dimitteret, & moneret patronum officij, ac in posterum saperet. Vindicta Deo relinquenda.

Habitis trium ordinum Franciæ comitiis Lutetiæ adest, anno M. DC. XIV. Cum Canonicus quidam Ecclesię Parisiensis (parco nomini) multa in Henricum Præsulem effudisset in Capitulo, rescivit bonus Præsul, obuiam factum Canonicum in mediis aliis Ecclesiæ Metropolitanæ præuius amplexatur, seque amicum profitetur.

A Paulo V. in Cardinalium numerum relatus anno M. DC. XVIII. Pontificatûs decimo quarto, die vigesimâ sextâ Martij, in octauâ promotione, quâ duo solum purpuram accepêre, Henricus noster postulatione Christianissimi Regis Ludouici, & Franciscus de Sandoüal Hispanus Dux Lermæ, rogatu Catholici Regis Philippi III.


Inter militiæ Regiæ Sancti Spiritus Equites torquatos vt Præceptor seu Commendator annumeratur anno M. D. XIX. nam ex instituto Henrici III. anno M. D. LXXIX. quatuor Ecclesiastici Antistites possunt adiungi Laicis Equitibus.

Primus Regi à secretioribus, & sanctioribus consiliis, autorque est cum Francisco Cardinale de la Rochefoucault & Ioanne Perronio Senonensi Archiepiscopo, repetendarum ab Hugonotis Franciæ Vrbium, *Les Villes d'ostage*, quas, abhinc multos annos, munierant contra Regem, & Regnum.

Multis Ecclesiæ & Regni distracto negotiis datus est in Coadiutorem Ioannes Franciscus de Gondy Frater Ecclesiæ Decanus, & Sancti Albini Andegauensis Archimandrita, qui primus omnium huiusce cathedræ Archipræsul est creatus, procurante fratre Henrico Cardinale, instante Rege Ludouico XIII. confirmante Gregorio XV. anno M. DC. XXII. Suffraganeis tribus ipsi attributis, nimirum Carnotensi, Aurelianensi, Meldensi ex antiquâ Metropoli Senonensi dissectis. Ecclesia Parisien. fit Metropolis.

Rege Ludouico per Galliam suam Hæreticos rebelles insequente extremum exhalat spiritum Cardinalis de Rets Biterris, die Augusti II. anno M. DC. XXII. tumulatus Lutetiæ, in Ecclesiæ maioris Sacello Gondiano, iuxta Patrem, & Patruum, Philippo Cospeano Belgâ tunc Præsule Aqurensi, viro eloquentissimo funebrem orationem habente, die sextâ Septembris, anno M. DC. XXII.

Scutum Gondianum in Cardinale de Gondy, superiùs explicatum.



Anno Christi. M. DC. XXI.

LVDOVICVS CARDINALIS DE LA VALETE. PAVLO V.

A IOANNE Ludouico de Nogarets, viro admiratione maiori Espernonij Duce Magno Pedestris militiæ Magistro, Guyennæ Prorege, & Margaretâ Foxiâ Comitissâ de Candale, de Brenauge & d'Estrac, filiâ Francisci Foxensis & Mariæ Mommorantiæ, genitus Ludouicus, cuius duo fuere fratres, natu maior Henricus Flussas, dictus Dux Candalij, materno cognomine secundum pacta matrimonialia; natu minor Bernardus Dux Valetæ qui duxit vxorem Gabrielem filiam naturalem Henrici magni, & Henricæ de Balsac Marchionissæ de Vernueil.

Primùm Abbas Grandis-syluæ Diœcesis Tolosanæ ordinis Cisterciensis, vbi Monachus Fulco Episcopus Tolosanus, hîc & mortuus & sepultus anno M. CC. XXI. In eodem floruit Cœnobio B. Bertrandus Archimandrita. Abbas etiam Ludouicus noster S. Victoris Massiliensis & S. Melanij Rhedonensis, & D. Saturnini Tolosæ vulgo *Sainct Sernin*, nunc inibi Canonici sæculares.

Archiepiscopus Tolosanus Francisco de Ioyeusâ resignante; hunc Archiepiscopatum post plures annos possessionis cessit Carolo de Montchal viro literatissimo & prudentissimo Monasterij S. Amandi prope Engolismam Cœnobiarchæ, & Sacri Sacelli Parisiensis Canonico.

Donatus Cardinalatu die vndecimâ Ianuarij anno M. DC. XXI. à Paulo V. paulò ante obitum; in quo ordine esset reponẽdus an Presbyterorum, quia Archiepiscopus, an Diaconorũ, quia nec dum Presbyter dubitatum tamen creatus Cadinalis Presbyter ordine secundus ex vndecim creatis, tandem titulus S. Adriani Diaconis dari consuetus est illi Romam profecto colla-

tus, illicque duos annos integros transfegit, rediitque in Gallias M. DC. XXV.

Magna inter Ludouicum Cardinalem & Capitulum Tolosanum fuit controuersia, ex eo nata, quòd Capituli esse dicerent Canonici vti regimine diœcesis, tam in spiritalibus quàm in temporalibus, cùm Ludouicus non impleuisset præscriptas à Pontifice conditiones in diplomate Archiepiscopatûs & gratiâ ipsi collatâ appositas; earum primaria erat vt ad Sacerdotium promoueretur anno suæ ætatis vigesimo quinto. Iidem Canonici præcipiti ausu declarauêre Archiepiscopatum vacantem, tamen quinquennij prærogationem obtinuit Cardinalis à summo Ecclesiæ Pastore.

Torque aureo sacri pneumatis ornatis adiunctus Commendator anno M. DC. XXXIII.

Dux Regij exercitûs in Germaniâ & Metensi Prouinciâ. Gubernator vrbis & Arcis Metensis, cui præfuit multos annos Parens Espernonius. Iterum Dux Regij exercitûs munitissimam Prouinciæ Cameracensis in inferiore Germaniâ vrbem Landrecium à Carolo V. Cæsare anno M. D. XLIV. Ferdinando Gonzagâ Duce, frustra obessam, Candalij Duce fratre natu maiore comite, validissimâ cingit obsidione circa finem Iunij M. DC. XXXVII. Quam expugnatam deditamque Iulij xxiij. die dominicâ sequenti eiusdem mensis xxvj. ingreditur, sic signatis deditionis conditionibus Cardinalis à Valetâ & de Nainin pro Hispano & ex æquo seruatis, eidem interfuit etiam obsidioni bellicosissimus Heros Ramburius Picardiæ decus & olim propugnaculum, qui paucos post dies, obsessâ ductu Cardinalis huius Cappellâ, lethalibus acceptis vulneribus plurimis, proh dolor! fortiter ex hac vitâ discessit. Varia sunt ab eo capta illo semestri oppida.

Landrecium expugnatur.

Ramburius occiditur.

Scutum quadripartitum 1. & 4. quadrante in semisses diuiso sectâ ex transuerso coronide, 1. Semisse Nogareto argenteo, arbore prasina expresso 2. Tolosano muricato, Cruce sinuatâ & nodis distincta exarato, Coronide miniatâ Cruce gabalatâ, seu patibulatâ argenteâ 2. & 3. quadrante quadripartito 1. & 4. Foxensis laterculi aurei tribus palis muricatis distincti 2. & 3. Bearnæi aurei vaccis duabus gradientibus coccineis cornubus collari, & cymbalo cyaneis notati.

Escartellé au 1. & 4. party & coupé en chef, le premier party d'argent a l'arbre de Synople, qui est Nogaret: le second party de gueulles a la Croix vuidée & pommetéee d'or, qui est Tholoze: le Chef de gueulles à la Croix potencée d'argent: au deuxiesme & troisiesme quartier escartellé, le premier & quatriesme d'or a trois pals de gueulles, qui est de Foix: le deuxiesme & troisiesme d'or à deux vaches passantes de gueulles posées l'vne sur l'autre decornées, accollées, & clarinées d'azur, qui est Bearn.



Anno Christi. M. DC. XXII.

ARMANDVS IOANNES DV PLESSIS CARDINALIS DE RICHELIEV. GREGORIO XV.

MAIORES primi in Regum fidem se dedêre, restitutâ sceptro Gallico Pictauiâ, anno reparatæ salutis M. CC. XIII. Francisco du Plessis huius nominis IV. Toparchâ de Richelieu & du Chillou Patre, magno aulæ Regiæ criminalibus causis Præfecto, vtriusque ordinis Equite Torquato deinde Prætoriæ cohortis ductore, & Scotico Duce, Matre Susannâ de la Porte de Vezins fœminâ cordatissimâ, Lutetiæ natus Dux Richelius, & Fronzacus M. D. LXXXV. quo anno defungitur vltimo die Gregorius XIII. Pontifex Maximus. Illo infante quinquenni decedit morbo parens in Parisiensi obsidione M. D. XC prælio Arcuensi & Iuriaco interfuerat. Auunculi maiores duo, quorum alter Franciscus in expeditione Pedemontanâ duarum cohortium Ductor, Pictauium sub auspiciis Sancti Andreani Equitum Magistri expugnauit M. D. LXII. Alter Antonius Turonum præfectus contra Hæreticorum assultus propugnauit M. D. LXIX.

Richelij contra Hæreticos.

Nauat Armandus operam literis in regio Nauarræ Gymnasio vnà cum fratre Alphonso Cardinale Lugdunensi, insudat Philosophicis & maximè Theologicis, de quibus publicè respondentem in habitu Episcopali, Gamachæus Doctor Theologus celebris, & Professor Regius palam asserebat satisfacere vti subtilissimum Doctorem, nolléque se cum illo manus conserere.

Lucionensis Antistes Romæ inauguratur, resignante eodem Alphonso Fratre, necdum consecrato Carthusiam ingrediente Monasticæ professionis ergo. Patruus Iacobus du Plessis de Richelieu, Propatruus alter Iacobus eiusdem nominis Abbas Niolij Diœcesis Malcacensis, ordinis Augustiniani, duo Episcopi Lucionnenses.

Profectus Romam Paulo V. anno M. DC. VII. obtinuerat à Pontifice ætatis gratiam, admirante & genium, & literas. Rex Henricus Magnus suum vocitabat Antistitem coram Reginâ Mariâ Medicæâ, subiungens quodam purpuræ augurio, Româ aduentare in præsenti, vnde supremus honor erat illi aliquando contingendus: statim se recepit ad Episcopalem sedem, Ouili

bonus Pastor inuigilat deserto abhinc sexaginta annos, vt murum pro domo Dei sese sectariis opponens.

A morte Henrici Magni contulit se Parisios, vacauitque verbo Dei disseminando in quo verè egregiam retulit laudem sæpenumero, Rege Ludouico, & matre Reginâ præsentibus in Diui Andreæ.

Ad Comitia Regni generalia vocatus anno M. DC. XIV. quibus finem imposuit oratione celebri habitâ nomine totius Cleri.

Annæ Austriacæ Francorum Reginæ Eleemosynarius maior, cui successit doctissimus & piissimus Sebastianus Zamet Præsul Lingonensis.

Regi à secretis anno M. DC. XVI. in locum Villæ-regij suffectus, annos solùm natus triginta. Rebus Galliæ turbatis Regina mater Blesas profecta, cui se comitem præbuit Richelius Regis imperio, datusque Reginæ magnus Eleemosynarius, & eius Regiæ domûs Oeconomus supremus. Breui post tempore in prioratum de Coussay iubetur abire (quâ tempestate præclarum edidit codicem pro tuendâ Religione Catholicâ, (de quo sub finem Elogij) postea Lucionum, tandem Auenionem.

Cessit Episcopatum Lucionensem Emerico de Bragelone pro Decanatu S. Martini Turonensis. Multorum Cœnobiorum Archimandrita.

Blesas Regina mater deserit Engolismam petitura, cui adest præsto Richelius, & de pace stabiliendâ consulit cum Cardinale Rupefucaldio à Rege ad eandem Matrem Reginam Legato, altero Mercurio pacis oleam deferente.

Ostro vestiuit Armandum Gregorius XV. anno M. DC. XXII. mense Septembri, cuius rei causâ Romæ agebat vir integerrimus Sebastianus Bouthillier Canonicus Parisiensis, postea Antistes Adurensis, quem sæpe in vrbe sollicitantem sum comitatus, vt eius familiaris, Paulo V. & Gregorio XV. Summis Pontificibus.

Sorbona (forte bonâ) omnium Doctorum calculo suum Prouisorem elegit, defuncto Cardinale de Rets Prouisore; quibus non satis admirandum extruxit domicilium, & templum posteritati monimentum ære perennius, memor collati beneficij: hoc Prouisoris munere Clemens VI. Pontifex Doctor Parisiensis est functus. Prouisores Sorbonici.

Primus Regi à consiliis sanctioribus, & secretioribus anno M. DC. XXIV. Compendij, loco Cardinalis Rupefucaldij: hoc onus multos annos humeris atlanteis, sustinuit sustinetque in præsenti. Eius consilio & armis regiis Vallis-Telina Rhætis restituitur, anno eodem propugnaculis Hispanorum solo adæquatis, fœdere Monçoniano obseruato, post quàm fuisset deposita in Vrbani Pontificis Maximi Sequestrariâ fiduciâ. Carolus Emanuel Dux Sabaudus, & Princeps Pedemontanus protegitur, misso numeroso exercitu; Verüa obsidione soluitur, Genuaque vrbs Liguriæ sibi mirum in modum timet.

Nanneti celebrauit ceremonias Matrimonij, VI. Augusti M. DC. XXVI. in Ecclesiâ S. Francisci Paulensis, Rege, Reginâ, Regis matre, Principibus totâque Curiâ astante, inter Gastonem Ioannem Baptistam Borbonium Ducem Aurelianensem Regis fratrem vnicum, & Mariam Borboniam filiam vnicam Henrici Borbonij Ducis Montispenserij & Henriettæ Catharinæ à Matrimonium Ducis Aurelianen.

Ioyeusâ, die iiij. Iunij anni sequentis mortuam, relictâ hærede filia vnicâ, cui dedit vitam moriens.

Archithalassus eligitur, vt toti Oceano præesset supremus datus rerum maritimarum Administrator. Insula Rhæa defenditur anno M. DC. XXVII. Anglis cum classe centum nauium & bis mille tormentorũ concurrentibus in suppetias rebellium Hæreticorum, sed fugatis & deletis, propugnaculo S. Martini vix dum extructo, vbi extrema passus bellicâ virtute clarissimus Thorasius postea Franciæ Polemarchus: non pauca sunt reportata vexilla & tholo Principis Ecclesiæ Lutetianæ affixa in memoriam æternam.

Admiranda obsidio Rupellana.

Obsidionem Rupellanam terrâ marique admiratur Marchio Spinola per Galliam iter habens, & in cœlum extollens Regem & consilia Richelij. Rebelles Rupellani ad extremum sunt redacti, freno mari iniecto, & obstructo Oceano (quod hactenus est inauditum) vrbem alluente, per medias vndas longo & mirabili aggere lapidum exædificato, hinc Scaphis Speculatoriis, & præsidiariis, inde imprimis serie illigatâ nauium fluitantium, deinde arrectariis tignis siue Lychnucis, tertiò nauibus depressis, quarto machinis, denique ordine nauium lunato, ne annona Rupellæ ciuibus deferretur ab Anglicanis nauigiis. Ipsa Rupella capta & seditionis fax extincta M. DC. XXVIII. primâ die Nouembris SS. omnibus sacrâ, Rege eam ingrediente cum suo Cardinale, qui sacrificium Missæ celebrauit, delatumque Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per totam Ciuitatem: Catholicis redditur ciuitas, quæ per annos ferè septuaginta in sectariorum potestate remanserat contra fidem datam, nam cùm post Bretiniacam pacificationem ab Anglorum iniusto dominatu se vindicasset cum Carolo V. Rege dicto sapiente conceptis verbis conuenerat M. CCC. LXXII. ne deinceps quacunque de causâ à ditione Regni alienaretur. Congratulatorias deditionis Rupellanæ scripsit literas Summus Pontifex Vrbanus VIII. Ludouico Regi Christianissimo datas Romæ, apud Diuam Mariam maiorem, die xxviij. Nouembris, illo anno M. DC. XXVIII.

Hæretici expugnantur.

Tota Narbonensis Prouincia se præbet Regi obsequentissimam, vrbes munitæ Hæreticorum deduntur ad triginta sex, muri & propugnacula solo adæquata, soli Montalbanenses aliquantulum diffisi, mox Richelij præsentiâ emolliti feroces spiritus deposuerunt factâ vrbis deditione.

In Italiam profectus Armandus benè armatus cum Ducis copiarum regiarum supremi nomine, Susam capit in radicibus montium Italiæ, ianuam patentem; Pignerollum cingit obsidione, breuique deditur, Casalo S. Euasij ad Padum fert suppetias; Decedunt interim tres belli aduersi Imperatores, spatio trium mensium Dux Sabaudus, Marchio Spinola stans pro Hispano, Comes Collaltus pro Ferdinando II. Cæsare, Carolus Gonsaga Niuernensis Dux Mantuæ suo Ducatui restituitur tum Mantuano, tum Montisferatensi ditioni auitæ. Comparandus sanè Richelius aut cum Arnaldo Cardinale de Pelagrua Gallo, qui Ferrariam Pontifici restituit ereptam Tyrannunculis, aut cum Georgio Ambosiano in Gallia notissimo, qui Mediolanum se dedere coegit, aut cum Cariglio Albornotio, æuo Innocentij VI. aut Francisco Ximenes Cardinalibus Hispanis bello ac pace, foris domique admirandis, si non præferendus.

Mors trium Ducum exercitus.

Egregij Cardinales.

Curauit

Curauit Emundum Richerium canere Palinodiam super editione libelli sui de Ecclesiasticâ & Politicâ potestate, anno Domini M.DC.XXIX. die Veneris vij. Decembris coram testibus in eum finem accersitis.

Dux & Par Franciæ Senatusconsulto Parisiensi anno M.DC.XXXI. proclamatur, Senator & Nobilis Venetianus eodem anno à Senatu Veneto salutatur. Prorex Britanniæ Armoricæ à Rege declaratur.

Primus Commendator Torquati Ordinis regij Fontis-bellaquei die decimâ tertiâ Maij M.DC.XXXIII. Vigiliâ Pentecostes cum aliis quinquaginta septem, inter quos Cardinalis à Valetâ, Claudius de Rebé Archiepiscopus Narbonensis, Ioannes Franciscus de Gondy primus Archipræsul Parisiensis, Henricus d'Escoubleau Archiantistes Burdegalensis Primas Aquitaniæ, multi Duces, Comites, Marchiones, & Franciæ Polemarchi.

Magnificentissimum Diuo Ludouico Regi extructum Parisiis fanum in vico Antoniano à Ludouico XIII. Rege pronepote, procurantibus Societatis Iesu Patribus. Huiusce templi frontem pulcherrimam opere corinthiaco posuit Richelius, vnde pro foribus hæc epigraphe. *S. Ludouico Regi Ludouicus XIII. Rex Basilicam, Armandus Cardinalis Dux de Richelieu Basilicæ frontem P.* M.DC.XXXIV.

In suam clientelam, & protectionem admisit fratres à Charitate nomen sortitos, pauperibus infirmis vacantes, quorum fundator B. Ioannes Dei.

Procurauit Præsidem integerrimum Petrum Seguierium creari Nomophylacem, quẽ boni omnes amore & reuerentiâ prosequuntur. Cluniacenses Cœnobitas & Cistercienses curauit reformari maximo Ecclesiæ bono.

A Picardiæ Prouinciâ procul amandauit Rex, præsente suo Cardinale, Hispanos & Belgas anno M.DC.XXXVI. quorum Duces Thomas Princeps Carinianus & Ioannes de Verth habebantur.

Anno porro sequenti qui supra millesimũ sexcentesimum à Christo nato trigesimus septimus annumeratur, in extremas redacti fuêre angustias Hispani, aduersamq; multis in casibus experiuntur fortunam; Etenim Henrico à Lotharingiâ Harcuriano Comite, insigni Regiæ classis ductore procul ab Insulis Prouincialibus SS. Honorati & Margaritæ fuêre amandati. Expugnatur etiã Landrecium (quondã ipsi Carolo V. Austriaco inexpugnabile) Prouinciæ Cameracensis oppidũ quàm munitissimum mẽse Iulio Ducibus duobus Cardinale à Valetâ & Duce Candalij fratribus. Nec memorem alia oppida multa, vi capta aut vltro dedita. Obsederant etiam Hispani Leucatã ad Gallici littus maris Narbonensis Galliæ, vicinum Hispaniæ oppidum (*Locate* Hispanis, *Oyson* Gallis, quam Rex Franciscus I. ædificari curauit vt Carolus V. Cæsar vicinam vrbem *Salles*, vulgo *Saulce*,) Catalanorũ Prorege & Comite Cerbellonio Mediolanensi exercitûs Principibus viris, comparatis ex Insubriâ multis auxiliaribus copiis, quibus fractis & fusis à Sabaudo, & Crequeyo Ducibus, paucos post dies mense Octobri pellũtur turpiter Hispani, captis viginti septem bombardis, cæsis aut submersis ad millia aliquot militibus, Halluino Languedochiæ Prorege fortiter dimicante. Præterea Damuillerium vltra Mosam in Ducatu Luxemburgico præclarum artis bellicæ opus eodem mense Octobri Castillonæo Polemarcho, repulsis Hispanorum assultibus expugnatur, adeo vt Galli tam fortiter & feliciter vicerint quàm

illi fugæ turpiter se dederint, etiam initio Nouembris derelictâ vrbe D. Ioannis Lucensis in Vasconiâ nullo milite persequente.

His omnibus adiungam Richelij nominis Anagramma præclaris eius facinoribus conuenientissimum, duobus verbis expressum.


Hercules Admirandus. Armandus Richelius.

Scripsit Institutionem Christianam ad Parochos, opus sua mole paruum, sed pietate & doctrinâ refertissimum.

In Hæreticos Respōsum, quo quatuor Carētōnij primariorū Ministrorum epistolam Regi dicatam, & iugulū petit; cuius operis fragmenta citantur ab Eminentissimo Cardinale Rupefucaldo in libello cōtra Schismaticos edito.

Scutum argenteum tribus cantheriis muricatis.

D'argent à 3. cheurōs de guenlles, qu'aucuns blasonnent à 1. cheuron de trois pieces.



Anno Christi. M. DC. XXVI.

DIONYSIVS CARDINALIS DE MARQVEMONT. VRBANO VIII.

LVTETIÆ Parisiorum emissus in lucem Dionysius Simon de Marquemont è familiâ celebri ciuium Parisiensium Dionysium Patrem habuit Regi à Secretis, & Domus Luxemburgicæ Præfectum, Matrem Mariam Roulliard; ita legibus studuit, vt in egregium Pontificij & Cæsarei iuris Professorem euaserit. Romam sub Regis Henrici IV. primordia profectus est, cum Iacobo Dauy Perronio Antistite Ebroicensi, illicque remansit cum Duce Luxemburgico Principe Tingrensi, qui nomine eiusdem Regis Christianissimi obedientiæ Sacramentum erat præstiturus Clementi VIII. noster Dionysius ascriptus numero Camerariorum Pontificiorum, postea relatus in ordinem XII. Auditorum Rotæ secundum vetus priuilegium, quo Galliarum Monarchæ gaudent, Germani vnum habent Auditorem, Hispani duos ob multiplices causas, hoc munere functus est multos annos magnâ cum laude, suffectus in locum Oliuarij Seraphini ad Cardinalatum promoti rogante Henrico Rege. (Auditores Rotæ.) Hoc æuo plures Summi Pontifices fuêre Auditores Rotæ vt Gregorius XIII. Clemens VIII. Gregorius XV.

(Matrimonium Henrici IV.) Florentiam Româ profectus ob matrimonij initia, fundamentáque locanda inter Henricum IV. & Mariam Medicæam Nicolao Bruslard Sillerij Domino, postea Franciæ Nomophylace in Italiam profecto eius rei gratiâ.

Ab Ephœbis vſque ad obitum omnino abſtemius, certiſque quálibet hebdomadâ diebus ieiunium ſibi indixerat.

Primatus Lugdunenſis Eccleſiæ (quam Sanctus Bernardus vocat *plenam inducij* epiſtolâ ad Canonicos Lugdunenſes) & Archiepiſcopatus ei collatus, in cuius poſſeſſionem ingreditur die nonâ Martij M. DC. XIII. verbum Dei ſuo gregi, parœcias luſtrans, annunciabat. D. Bernar. ep. 183.

Eo procurante aut concedente, ſolo duodecim annorum interuallo ſui Præſulatûs tredecim Religioſorum & Religioſarum habitacula Lugduni inſtituta: putà Vrſulinæ, Nouitiatus Ieſuitarum, Recluſæ Virgines Viſitationis Sanctæ Mariæ (de quibus B. de Salles Epiſcopus Geneuenſis auctor egerat aliàs pro earundem inſtitutione & regulis cum noſtro Dionyſio) Religioſæ D. Elizabethæ ſub tertio D. Franciſci ordine, Hoſpitale Caritatis, primordia Carthuſiæ, Carmelitæ diſcalceatæ, Congregatio de Angelo Cuſtode ex primoribus Laicis, Sacerdotes Oratorij, Carmelitæ reformati, Patres Fulienſani, Recollecti, Eremitæ Auguſtiniani. Habito generali trium ordinum Galliæ conuentu die xxvij. Octobris anno M. DC. XIV. præclaram habuit orationem nomine Cleri Rege Ludouico præſente; Nobiliſſimus & doctiſſimus Baro à Ponte orauit pro Nobilium ordine, & Præſes Myronius Ædilium Pariſienſium Præfectus pro tertio ordine. Multæ Religioſæ familiæ Lugduni.

In Eccleſiaſticis comitiis Lutetiæ anno eodem M. DC. XIV. præfuit velut Galliarum primas toti Clero Franciæ inter Cancellos ſuæ Primatiæ, nihilominus contradicente Franciſco de la Gueſle Archipræſule Turonenſi, ſed collectis Antiſtitum ſuper ea re ſuffragiis, cecidit causâ Turonenſis licet antiquior Archiepiſcopus inauguratus, qui paucos poſt dies catharro illic interiit. Lis inter Lugdunenſem & Turonenſem Archiep.

Defuncto Petro Saunier Antiſtite Æduenſi, anno M. DC. XVI. multorum annorum ſpatio Æduenſem iure Regaliorum vacantem rexit Eccleſiam, Vicario illic conſtituto Nicolao Ianino Abbate D. Benigni Diuionenſis.

Bis Romam miſſus à Rege Ludouico XIII menſe Auguſto anno M. DC. XVII. vt Oratoris Regij perſonam ſuſtineret apud Romanum Pontificem Paulum V. licet de more Laicus nobilis mitti ſoleat: Secundò demandatus anno M. DC. XXII. menſe Nouembri extra ordinem regius Orator vſque ad obitum; Legato regio Equite Melitenſi Sillerio comitante Dionyſium ad prima Pontificis colloquia, eius aduentu lætatur Gregorius memor ſui aliquando collegæ in Rotâ; in ea Legatione Cardinalitio donatur pileo.

Diœceſim ſuam perpetuo cogitabat repetere, propterea viris pietate illuſtribus ſæpiùs ſe commendatum volebat vt breui gregem adiret, quem *gaudium & coronam* cum Apoſtolo nuncupabat. Legerat enim illud S. Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis. *Epiſcopi plurimi, quos & hortamento eſſe oportet cæteris, & exemplo, diuinâ procuratione contemptâ Procuratores rerum ſæcularium fieri derelictâ cathedrâ, plebe deſertâ per alienas Prouincias oberrantes, &c. quid non perpeti tales pro peccatis eiuſmodi meremur.* Deo quotidie ſacrum Miſſæ ſacrificium offerebat ſingulari pietate delibutus. Ad Philip. 4. Cyprian. lib. de lapſis poſt init. Reſidentia Epiſcoporum.

Cardinalatum obtinuit Regis poſtulatione ab Vrbano VIII. die Ianuarij decimâ nonâ, anno M. DC. XXVI. ſcripſit ad Regem eâdem die epiſtolam,

quâ mille grates habet, in eâ referens optimum Principem rogasse tres Pontifices pro illâ promotione; subscripsit. *De vostre Majesté, tres-humble, tres-obeyssant, & tres obligé seruiteur, sujet & creature Denis Cardinal de Marquemont.* Rex die xiij. Februarij M.DC.XXVI. congratulatorias nouo Cardinali dedit literas cum hac epigraphe. *A mon Cousin le Cardinal de Marquemont*, sic exorditur. *Mon Cousin vous estes paruenu au degré d'honneur, où mon desir, vostre merite, & vos seruices vous auoient il y a long-temps appellé, &c.*

Eo Romæ res Gallicas procurante, tria obseruatu digna contigêre, de quibus plures scripsit literas ad Regem, Cardinalem Richelium, & viros Illustres Regi ab epistolis & secretis DD. de Puysieux, & Philippeaux d'Herbaut; imprimis Valtelinæ restitutio in fiduciariâ potestate Gregorij XV. Duci Fiano & Marchioni de Bagny Castella & arces consignantis; Deinde matrimonium Caroli Regis Angliæ cum Henrietta sorore Regis Christianissimi: Denique legatio à latere Francisci Cardinalis Barberini in Galliis. Mensis Februarij die nonâ eiusdem anni M.DC.XXVI. Titulum Sanctæ Trinitatis in monte Pincio est consequutus octo menses solùm Cardinalis; singulares animi dotes virtutibus fœderatæ quatuor Summis Pontificibus Clementi VIII. Paulo V. Gregorio XV. & Vrbano VIII. gratum reddidêre. Vrbanus eum præfecit tribus Congregationibus: vni; quæ est sancti officij, alteri de propagandâ fide, tertiæ Interpretum Concilij.

Apamiarum Episcopus intimus Cardinali.

Stranguriâ laborauit per aliquod tempus, & arctissimos dolores patiebatur, quorum memor familiari suo Henrico Spondano posteà Apamiarum Episcopo vigilantissimo dicebat, ne quidem horum dolorum vnciâ vellem priuari; O inuictum Iobum patientissimi animi! fuit coactus vti spongiâ, diuersas adiens Congregationes; dumque in extremo morbo Patres Vallicellanæ Ecclesiæ, seu Oratorij verba facerent de afferendis S. Philippi Nerei in Cameram reliquiis, quæ pluribus ægrotis fuerant proficuæ. *Nolo*, inquit, *sanari miraculo, diuinæ prouidentiæ seu vitam meam, seu mortem consigno.* Hoc accepi ab eodem nobilissimo pietate, & Ecclesiasticâ historiâ Præsule Apamiensi, tunc Romæ commorante. Legauit sacram suppellectilem prætiosissimam Hospitali Lugdunensi Eleemosynæ generalis, quod celeberrimum appellat, nullo imposito onere.

Animus corporis sui reliquit exuuias Romæ die Mercurij quatuor temporum decimâ sextâ Septembris, anno M.DC.XXVI. ætatis quinquagesimo quarto. Oculos occlusit idem Antistes Apamiarum, quem Cardinalis noster inaugurarat mense Augusto præcedente. Cinis in Sanctissimâ Trinitatis æde Patrum Minimorum Ecclesiâ funeratus hoc inscripto Epitaphio.

D. O. M.

Dionysij Simonis S. R. E tituli huius Ecclesiæ Cardinalis de Marquemont.

Roma, quem Iudicem Rotæ Integerrimum
Lugdunum Pastorem incomparabilem,
Rex Christianissimus Nestorem fidelissimum,

Gallia pietatis exemplar purißimum,
Ecclesia decus, & ornamentum,
Boni omnes tutelare præsidium,
Sibi, totique mundo ereptum lugent,
Lugeas & tu, qui legis, & tantum
Virum imitare, si nequeas, admirare.

Socratis exemplo nihil edere voluit, licet doctissimus.

Parma cyanea tribus rosis argenteis II. in coronide I. in cuspide, cantherio argenteo tribus Lunis coccineis impresso.

D'azur à trois roses d'argent, 2. en chef 1. en pointe: & vn cheuron d'argent à trois croissants de gueulles.



PETRVS CARDINALIS DE BERVLLE.
VRBANO VIII.

ANNO CHRISTI. M. DC. XXVII.

CLAVDIO Berullio nobili Campano in Senatum Parisiensem cooptato, & Ludouicâ Seguieriâ sorore virorum maxime illustrium Seguieriorum, natus est Petrus noster anno M. D. LXXV. quem summa pietas, & doctrina singularis, quâ Hæreticos impetebat, ad Cardinalatus fastigium erexit. Huius Cardinalis cognati duo illustrissimi Petrus Seguierius dignissimus Franciæ Cancellarius, alter Dominicus Antissiodorensium, postea Meldensium Antistes vigilantissimus, & primus Regi ab eleemosynis: viri pietate & prudentiâ spectatissimi.

Ludouica marito superstes rebus huius sæculi abdicatis, quod vitæ supererat in Monasterio Parisiensi Sanctimonialium Theresianarum Christo consecrauit; in quo vitæ genere annos viginti duos religiosissimè vixit, & in filij Cardinalis sinu, anno antequam ipse diem obiret, animam egit. Cùm ruri degeret sub parentum tutelâ, ex pacto cum sacerdote inito, Sacrosanctum Christi corpus ante Missæ celebrationem suscipere solebat, vt astantium oculis sese subduceret.

Adolescens factus, licet fratre maior natus esset, Ecclesiasticum viuendi

genus cæteris prætulit, simulque Dignitates, Sacerdotia, Abbatias, etiam Episcopatus, Laudunensem offerente Auunculo suo Ludouico Seguierio Decano & Senatore Lutetiano, respuit; etiam postea Lucionensem & Archiepiscopatum Lugdunensem.

In animum induxerat sese Societati Iesu addicere, propterea Virdunum profectus, Iesuitis Patribus tunc temporis proscriptis; verùm Deus ad maiora reseruabat, nec eum ad sequendos Religiosos ordines, sed ad instituendos destinarat.

Carmelitæ Religiosæ in Galliam accedunt.

Hispanias adiit, Sanctimoniales Theresianas Collegas duas Sanctæ Theresiæ Annam à Iesu & Annam à Sancto Bartholomæo, etiam Elizabetam ab Angelis, Beatricem à Conceptione, Leonoram à Sancto Bernardo Hispanas & Elizabetam à Sancto Paulo Antuerpiensem in Galliam conducturus magna difficultatum mole superatâ, vt nonnullæ illustres Virgines & viduæ, quibus hoc persuaserat institutum, amplecterentur: In eo itinere procellis exceptus in mari, solus in rupem eiectus diuinâ virgulâ liberatur. Lutetiæ Monasterij Carmelitarum virginum prima iacta sunt fundamenta anno salutis M. DC. III. tam prospero successu, vt ex eo tanquam matrice quadraginta alia ante mortem nata viderit. His Virginibus regendis tres Presbyteros præfecit Clemens VIII. quorum postremus haberi voluit Petrus; Collegæ fuêre duo Sorbonici celebres Doctores Duualius & Guallemandus. Post viginti annos multa passus ob hoc regimen viris alioquin piis & religiosam vitam profitentibus nescio quid prætendentibus, quod permittit aliquando Deus ad virtutis Christianæ exercitia.

Congregatio Oratorij.

Cohortatione decennali Eminentissimi Cardinalis à Ioyosâ & Henrici Episcopi Parisiensis, qui sacrâ purpurâ postea donatus est, Collegit Presbyterorum Congregationem Oratorij Domini Iesu, primùm sex legens consilij sui Socios quibuscum Parisiis in Sancti Iacobi suburbio Æræ Christianæ M. DC. XI. in ipsa Diui Martini solemnitate sacellum oratorium aperuit, quam posteà confirmat variisque honorat Indulgentiis (Mariâ Medicæâ Gallorum Reginâ expostulante) Paulus V. diplomate sexto Idus Maij, anno Christi M. DC. XIII. Cui Congregationi tantum incrementum Deus dedit, vt domus supra quinquaginta in Franciâ conterminisque Regionibus, octodecim annorum spatio succreuerint. En Pontificium diploma.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SACROSANCTÆ Romanæ Ecclesiæ, quam Dei vnigenitus Iesus Christus Dominus noster auctor ipse piorum operum fundauit, regimini supernâ dispositione præsidentes, &c.

Sanè exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Henrici Episcopi Parisiensis, ac charissimæ in Christo filiæ Mariæ Francorum Reginæ petitio continebat, quòd aliàs cùm ipsa Maria Regina pro deuotionis zelo ducta, aliquo deuotionis suæ monumento, immensarum gratiarum munera, quibus eam bonorum omnium largitor optimus decorauit, testari posset, disciplinam Ecclesiasticam vbique ferè in Regno Franciæ hæresum bellorumque præteritorum iniuriâ, tum in Religione, tum etiam in mori-

bus non parum deprauatam, ac corruptam in primæuum & pristinum suum statum, deuotionisque & pietatis splendorem salubri aliquâ ratione restitui plurimùm desideret, & id re ipsâ in consultatione cum viris grauibus & piis, ac præsertim cum dicto Henrico Episcopo pluries habitâ, maturè discussa, vtilius & fructuosius quàm ex institutione alicuius Congregationis piorum Sacerdotum, quorum studium & officium ac munus sacerdotale iuxta sanctum ac pium illius institutum debitè exequendum & adimplendum sit omninò directum, instituenda, exequi posse non videatur, ipsaque Maria Regina vnam deuotam piorum ac probatæ vitæ Sacerdotum (quorum principale institutum singulas actiones Ordini Sacerdotali conuenientes & essentiales amplecti, existat,) Congregationem in ipso Regno & præsertim in ciuitate Parisiensi, vbi illa non parum desiderari videtur, erigi & institui, curamque erectionis & institutionis huiusmodi dilecto filio Petro de Berulle Presbytero Parisiensi, cuius ministerium felici progressui & directioni ipsius Congregationis maximè profuturum esse in Domino confidet, per Nos committi & demandari summopere desideret, pro parte eorundem Henrici Episcopi, & Mariæ Reginæ, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Congregationem piorum ac probatæ vitæ Sacerdotum perpetuò erigere & instituere, illiusque curam dicto Petro committere & demandare, id præfertur ac aliàs de Apostolicæ potestatis prouidentiâ consulere dignaremur.

Nos igitur, quibus cura & sollicitudo cordi insidet, fidem & huiusmodi supplicationibus inclinati dicto Petro apud nos de Religionis zelo, vitæ ac morum honestate, aliisque probatis & virtutis meritis multipliciter commendato nostram & dictæ Sedis benedictionem impartientes, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris & animarum salutem vnam sub nomine Oratorij Iesu Christi Domini nostri Congregationem in honorem orationum, quas in diebus carnis suæ fudit, vt ij qui Congregationem istam ingredientur, eundem Iesum Christum pro nobis in oratione positum & pernoctantem reuereantur, atque etiam instituti, ad quod vocati sunt, moueantur, & præsertim semper hanc præcipuam omnibus communem & omni tempore congruentem officij eorum partem, quæ in orationibus pro populo, ac in Dei laudibus celebrandis versantur, habeant, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium sine alicuius præiudicio perpetuò eriginius & instituimus.

Dictumque Petrum in Institutorem, Præpositum Generalem huius piorum Sacerdotum nulli antea Religioni voto solemni addictorum, nec non & aliorum ad Presbyteratûs ordinem promoueri cupientium, & reliquorum ad familiaria officia necessariorum Congregationis Oratorij Iesu Christi Domini nostri nuncupandæ huiusmodi, qui simul & in Societate religiosè viuere, & in humilitatis spiritu & piæ vitæ studiis Altissimo famulatum exhibere, & impendere studeant; quorum principale & præcipuum institutum sit, perfectioni Statûs Sacerdotalis totaliter incumbere, singulásque actiones Ordini Sacerdotali propriè & essentialiter conuenientes, sibi ab eorum Ordinariis vbi stabilita fuerit, præscribẽdas, & non alias amplecti. Sacerdotum insuper & aliorum ad Sacros Ordines aspirantium instructio-

rii,non circa scientiam,sed circa vsum scientiæ ritus & mores propriè Ecclesiasticos se addicere volentes.

Cum plenâ & commodâ facultate, potestate & auctoritate eidem Petro per Nos ad id assumpto, & à dictâ Mariâ Reginâ summopere commendato,vt prædictam Congregationem tam in Ciuitate Parisiensi, quàm in omnibus aliis ciuitatibus,oppidis, terris,& locis ad quæ, à locorum Episcopis vocatus fuerit & non aliàs instituendam, ac demùm pro felici statu & directione personarum, ac bonorum spiritualium & temporalium eiusdem Congregationis seu Congregationum sic erigendarum, tam circa receptionem & admissionem,numerum, ætatem & qualitatem in ipsâ Congregatione recipiendorum & admittendorum, eorumque instructionem & disciplinam, exercitia, ac modum & formam diuinorum officiorum, precum, & orationum, aliorumque suffragiorum recitandorum, & alia ipsis Congregationibus vtilia atque necessaria quæcunque Statuta, Ordinationes & Capitula, licita & honesta,sacrisque Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, nec non Concilij Tridentini decretis minimè contraria à Sanctâ Sede Apostolicâ postmodùm approbanda, confirmanda, ac per ipsarum Congregationum Præpositum, Presbyteros, Officiales, Ministros & Coadiutores sub pœnis in eis apponendis, adimplendis & obseruandis, faciendi, edendi, & condendi, factaque, edita & condita quoties pro illorum ac rerum & temporum qualitate & vicissitudine seu alia, vt videbitur, corrigendi, limitandi, immutandi, alterandi ac etiam alia vt præfertur, examinandi, ac etiam vt præfertur,adimplenda & obseruanda;ex integro faciendi, condendi aliaque,omnia & singula à similium Congregationum nec non quorumcumque Ordinum approbatorum Constitutoribus, aut aliis Superioribus etiam Generalibus,de iure vel consuetudine, siue ex priuilegio aut aliàs quomodocumque fieri & exequi solita, faciendi & exequendi dicta auctoritate deputamus & assumimus.

Omnesque ad instar supradictæ per Nos sic erectas, canonicè erigendas Congregationes,quas ab eâ Parisiensi,& à dicto Præposito Generali,quocunque locorum stabilitæ fuerint, in omnibus dependere volumus & intelligimus ex nunc prout postquam auctoritate prædictâ erectę fuerint eisdem authoritate & tenore perpetuò approbamus,& confirmamus.

Ita tamen quod Congregatio Parisiensis saltem duodecim Presbyteris constaret, tot reditus annuos habere debeat,ex quibus vnicuique Presbytero huiusmodi portio annua quadraginta quinque Ducatorum auri de Camerâ obuenire possit. Cæteræ verò Congregationes decem ad minus Presbyteros ac eosdem reditus annuos, vel quos Sedis prædictæ Legatus, aut pro tempore existens Nuncius Apostolicus & Episcopus loci ac dictæ Congregationis sic erectæ Præpositus Generalis pro loci qualitate sufficere iudicauerit, habere debeant.

Et postremò eisdem Congregationibus ex nunc prout etiam postquam institutæ & erectæ fuerint, vt præfertur,pro illarum dote ac dicti Petri, nec non Præpositi Generalis & Presbyterorum eorundem pro tempore existentium sustentatione, onerumque illis incumbentium, omnia & singula, res,bona,fructus, reditus & legata ac eleemosynas tam per dictam Mariam

Reginam,

Reginam, quàm alios quoſcunque Chriſti fideles dictis Congregationibus quomodolibet relinquenda, donanda, elargienda, ita quod liceat dicto Petro vel alio Præpoſito Generali, & Preſbyteris dictarum Congregationum pro tempore exiſtentibus, illorum omnium corporalem, realem & actualem poſſeſſionem, per ſe, vel alium, ſeu alio, dictarum Congregationum nomine liberè apprehendere & perpetuò retinere fructus quoque, reditus & prouentus, iura, obuentiones & emolumenta quæcunque eorundem percipere, exigere, leuare, recuperare, ac in dictarum Congregationum vſus & vtilitatem conuertere, Diœceſani loci vel cuiuſuis alterius (licentiâ deſuper minimè requiſitâ) etiam perpetuò applicamus. Non obſtantibus, &c.

Cæterum ad augendam Fidelium deuotionem, animarúmque ſaluti conſulendum, & vt Chriſti fideles ad huius inſtituti exercitium animentur atque inuitentur, de Omnipotentis Dei miſericordiâ ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius confiſi, omnibus & ſingulis Preſbyteris; qui perpetuis futuris temporibus dictam Congregationem ingredientur, & in eâ recipientur, eorumque Coadiutoribus & Oblatis, aliiſque Miniſtris, die eorum & cuiuſlibet ipſorum ingreſſus, receptionis ac profeſſionis, ac in mortis articulo, ſi pœnitentes & confeſſi ac Sacrâ Communione refecti fuerint, plenariam indulgentiam & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem eiſdem authoritate, & tenore miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Poſtremò eiſdem Præpoſito, Preſbyteris, Coadiutoribus; Oblatis & aliis Miniſtris prædictis, qui Congregationibus publicis vel ſecretis pro quocunque opere pio exercendo interfuerint, aut pium aliquod opus circa functiones ſuas exercuerint, toties pro quolibet præmiſſorum piorum operum, & vt magis ad ſui inſtituti opera animentur, & ſuauius ad ea inuitentur, ſexaginta dies de iniunctis eis vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, etiam Apoſtolicâ authoritate, & tenore huiuſmodi miſericorditer relaxamus, nec non quam ipſis tam omnibus aliis Chriſti fidelibus, qui etiam verè pœnitentes & confeſſi, ac ſacrâ communione refecti eorundem Preſbyterorum Eccleſias aut Oratoria, in Sanctiſſimi Corporis Chriſti & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis feſtiuitatum ac in ſuo Eccleſiæ, ſeu Oratoria dictorum Preſbyterorum in vnaquâque Diœceſi, ſeu loco proximo vico populo aperientur, diebus deuotè viſitauerint, ſimili Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium, etiam indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem concedimus, & elargimur præſentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

Datum Tuſculi anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti M.DC.XIII, ſexto Idus Maij, Pontificatus noſtri anno octauo.

Berullius Orator cum Caducæo à Rege miſſus Engoliſmam, ad Mariam Regis Chriſtianiſſimi Parentem, ante paucos dies Bleſis egreſſam, dum tragica rerum cataſtrophe timetur; eius viri operâ arctiſſimè & intimè Rex optimus optimæ matri reconciliatur.

Romam adit Regis imperio impedimenti matrimonialis diſpenſationem à Pontifice Vrbano VIII. impetraturus, Carolo primo magnæ Britanniæ

Matrimonium Reginæ Angliæ.

Rege Sectariorum primario, Henriettam sororem Christianissimi Regis vxorem poscente, quod feliciter est perfectum. Pontifex dispensantes literas misit ad Regem Christianissimum.

Charissimo in Christo filio nostro Ludouico Francorum Regi Christianissimo.

CHARISSIME in Christo fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Domus Dei zelus, quo præstare decet Romanum Pontificem in cunctis Charitatis officiis, ita eluceat oportet, vt qui extra causam veri Pastoris à recta fide aberrant, ad Christi Ecclesiam, extra quam non est salus, reducantur, & Christo Domino, qui eos proprio sanguine acquisiuit, restituantur: Quapropter cum oblatâ aliquâ occasione inuitatur magnorumque Principum supplicationibus, ingentibusue Ecclesiæ Dei propositis vtilitatibus vrgetur, libenter indulget, prout cernit salubriter expedire. Siquidem Maiestas tua Nobis nuper exponi fecit se magnopere desiderare, vt sibi per Sedis Apostolicæ indulgentiam liceret dilectissimam in Christo filiam puellam Henriettam Mariam Maiestatis tuæ sororem nobili iuueni Carolo Vualliæ Principi nuptui collocare, idque maximas & grauissimas causas vniuersæ Reipublicæ Christianæ bonum, & Catholicæ fidei prorogationem concernentes Nobis notas exposcere; Nobis propterea Maiestas tua præmissis de causis humiliter supplicari fecit, vt super præmissis opportune prouideri de benignitate Apostolicâ dignaremur. Idcirco Nos, qui nullis nostris meritis vniuerso gregi Dominico pascendo à Domino præpositi sumus, licet probè teneamus Catholicorum cum Hæreticis matrimonia omninò fugienda esse, & quantum in nobis est, à Catholicâ Ecclesiâ procul arcere intendamus; tamen cùm grãde veræ fidei & animarum plurimarum bonum speretur, negotium priùs accuratissimè examinandum cum pluribus grauibus ac doctrinâ & prudentiâ præstantibus Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus demandauimus, qui post longam rei consultationem, videri sibi matrimonium huiusmodi permittendum esse Nobis retulerunt. Nos pro eâ, qua Maiestatem tuam amplectimur, paternâ ac singulari charitate, & ob eius in Ecclesiam Catholicam egregia merita, post maturam deliberationem & Spiritûs Sancti imploratum gratiæ lumen, præmissis causis adducti, Maiestatis tuæ desideriis non abnuendum duximus. Igitur huiusmodi supplicationibus inclinati & eorundem Cardinalium consilio, quod dicta Henrietta Maria Soror Maiestatis tuæ cum dicto Carolo Vualliæ Principe matrimonium per verba de præsenti publice contrahere, illudque deinde consummare possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium permittimus & indulgemus, nonobstantibus Apostolicis ac Vniuersalibus, Prouincialibusque Conciliis, editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Quare Nos enixè Deum exoramus, ac Sanctissimam Dei Matrem, & beatos Principes Apostolorum, vt sicut ad Dei honorem & Catholicam Ecclesiam amplificandam, nec non hæreses & Schismata extirpanda, hoc matrimonium permittimus, ita per viscera misericordiæ suæ rata efficiat vota nostra, & Ecclesiam suam Sanctam lætificare dignetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimâ Decembris, anno

M. DC. XXIV. Pontificatus anno secundo. Signatum V. Bentini.

Lutetiæ in Principe Ecclesia Deiparæ anno sequenti est coniuncta Sacramento Henrietta, qua de re egimus in Cardinale à Rupefucalda.

Serenissimam Angliæ Reginam in magnam Britanniam traiicientem ipsum Berullium Rex iubet comitari, vt consiliis iuuaret, dirigeret, & in Religione Catholicâ confirmaret. Heroïcarum virtutum exercitio assiduè vacauit noster Petrus, & corpori domando semper studuit, lato cilicio annum aliquando integrum.

Ludouicus XIII. Pontificem instantissimè est deprecatus, vt sacrâ purpurâ Berullium exornaret, Sacro itaque Cardinalium Collegio adoptauit Vrbanus VIII. tertio Calendas Septembris anno M. DC. XXVII. Pontifex Maximus, cui Berulli votum de nullis vnquam suscipiendis dignitatibus Ecclesiasticis non erat ignotum, breui pridie creationis rescripto, Religione, qua obstringebatur non modo eum liberauit, sed etiam ipsius dignitatis repudiationem contumaciæ damnauit: purpureo galero mœrens ornatur. De Religione & humili viuendi more nihil remisit, lectus stramineus, cibus vulgaris eadem fuêre; Fratribus accumbentibus, vt antea solitus erat, purpuratus sæpè ministrabat. Ad huius dignitatis onus sustinendum annuam octodecim millium librarum pensionem Rex contulit, quæ augetur post annum duarum pinguium Abbatiarum (quæ inseruierunt ædificiis reparandis) collatione puta maioris Monasterij Diœceseos Turonensis, & Sancti Luciani Martyris primi Bellouacensis Episcopi, morte sublato Equite Vindocinensi; hæc Abbatia fuit à Regibus Childeberto exædificata, & Chilperico instaurata, sedente Episcopo Dodone. Abbatia S. Luciani.

Lentâ febre correptus Fontibellæ, ex quâ Parisios reuertitur quinto pòst die emortuis prope viribus dū sacrum celebraret, Sacello intra cubiculum præparato (quod ter tantum intermisit ab eo tempore, quo Presbyter est inauguratus) Missæ præfatione inceptâ ad hæc verba. *Et hanc oblationem seruitutis nostræ*, in astantium Fratrum brachia recumbit animi deliquio & syncope à quâ paululum recreatus memor sacrum non peregisse, efflagitat immortalitatis Pharmacum supremúmque Christianorum Viaticum.

Spiritum Deo Parisiis reddidit Sexto nonas Octobris anno M. DC. XXIX. annos natus quinquaginta quatuor: vir è numero Beatorum, qui in Domino moriuntur. In eius Generalis Oratorij locum suffectus electione Carolus Gontranus Doctor Parisiensis ob singulares animi dotes amabilis.

Libros scripsit Berullius varios de rebus fidei controuersis.
Alios de Mysticâ Theologiâ, inter quos præclarum, *Les grandeurs de Iesus*.
Epistolas varias.

Tessera miniata cantherio aureo notato, & tribus molulis echinatis II. in coronide I. In cuspide.

De gueulles à vn cheuron d'or, & trois moletes, deux en chef & vne en pointe.



NICOLAVS CARDINALIS A LOTHARINGIA. VRBANO VIII.

Anno Christi. M. DC. XXVII.

NICOLAVS Franciscus à Lotharingiâ Ducis Caroli frater vnicus, Marchio Hatton-Chatel, filius Francisci à Lotharingiâ Comitis Vaudemontani, & Clarimontis & de Salme Marchionis Hatton-Chatel, ac Christinæ de Salme filiæ vnicæ Pauli Comitis de Salme, Literis tum Philosophicis, tum Theologicis præclarè instructus, Theologicas theses de Pœnitentiâ in publico proposuit, dicatas Summo Pontifici Vrbano VIII, vestigia sequutus Caroli Cardinalis Vaudemontani, qui in eodem loco Mussiponti theses publicè proposuerat oblatas Gregorio XIII. ante annos quinquaginta.

Tullorum Episcopus; multorum Cœnobiorum Archimandrita, Sammielani in Lotharingiâ (in eo successit Cardinalis Bichius) S. Mansueti Tullensis, D. Petri Senonensis Ordinis Benedictini, vulgò *La Senone en Vauge*, & aliorum.

Diaconum Cardinalem die Augusti trigesimâ, anno M. DC. XXVII. Vrbanus Pontifex à se creatum anno præcedente, die Ianuarij decimâ nonâ, & non expressum euulgauit.

Varias Legationes pro fratre Carolo susceptas, & colloquia habuit Lutetiæ cum Rege Ludouico XIII. & primario eius Ministro Armando Cardinale Richeliano ad res Lotharingiæ (vbi Gasto frater Regis vnicus, non expectato eiusdem Regis consensu, matrimonium contraxerat cum Margareta Ducis sorore) componendas, sed incassùm.

Inter varios motus Lotharenos, fratre Carolo Ducatu Barrensi feudo Galliæ priuato, anno M. DC. XXIV. mense Februario Luneuillæ Claudiam duxit vxorem, secundo-genitam filiam Henrici Ducis Lotharingiæ Patrui, & Margaretæ à Gonsagâ filiæ Vincentij I. hoc nomine Ducis Mantuæ & Leonoræ Medicææ, dispensatione Pontificiá posteà obtentâ xxj. Martij, relictâ purpurâ; Carolus Dux si non verè, saltem apparenter cesserat iùs omne dominiorum suorum fratri Cardinali xix. Ianuarij M. DC. XXXIV. In Flandriam, deinde Florentiam Nicolaus Princeps cum coniuge se recepit, cùm

omnia fúſque déque abirent in Lotharingiâ, munitiſſimis vrbibus, quarum primaria eſt Nanceium, captis, habitu ementito pauperis villici Nanceio primùm diſceſſit. Princeps etiam vxor ſpecie mulierculę palos vineales humeris deferentis euaſit inter armatas copias militum Ciuitatis Nanceianæ portas cuſtodientium; vrbem pro rege Ludouico XIII. tunc temporis gubernante Braſſaco nobili Pictone ante aliquot menſes Româ reuerſo, qui partes Legati Regij ſuſtinuerat.

Lotharingica eius parma ſolida, de quâ aliàs ſuperiùs actum eſt.



ALPHONSVS CARDINALIS LVGDVNENSIS MAGNVS FRANCIÆ ELEEMOSYNARIVS. VRBANO VIII. ANNO CHRISTI. M. DC. XXIX.

ALPHONSI Ludouici du Pleſſis de Richelieu Parentes Franciſcus & Suzanna, quorum memoriam fecimus in fratre natu minore Armando Cardinale Richeliano.

Humanioribus litteris ſtuduit in Collegio Nauarræo cum fratre Armando; poſtea alibi Philoſophicis, & Theologicis.

Epiſcopus Lucionenſis poſt Patruum Iacobum du Pleſſis deſignatus, & à Rege Henrico IV. nominatus, fratri natu minori Præſulatum ceſſit; poſthabitis mundi quiſquiliis, vnum & viginti annos Anachoreſim Carthuſianam eſt profeſſus, partim in Monaſterio toto orbe celeberrimo Gratianopolitanæ diœceſis inter rupes & ſaxa horrida ſito, partim in aliis Cœnobiis Viſitatoris officio functus. E Carthuſiano hoc ordine ſolùm duo fuêre in Eccleſiâ Cardinales: nam fluuio lethes & perpetuæ obliuioni immergendum cenſeo Dominicum de bonâ ſpe, ſeu potius de malâ ſpe, Carthuſianum Pſeudocardinalem Hiſpanum illius Benedicti XIII. Petri de Lunâ vſque ad obitum Antipapæ perſeuerantem, eoque nomine à Martino V. diris conſecratum; dimiſit tandem purpuram fictitiam cogente Petro Foxio ſeniore Eminentiſſimo Cardinale die xxiv. Auguſti M. CCCC. XXIX. Duo, inquam, Cardinales, nimirum hic noſter Alphonſus & Nicolaus Albergatus Epiſcopus Bononienſis inſignis omnino Cardinalis Sanctæ Crucis in Hieruſalem, in Galliâ Legatus tempore eiuſdem Martini V. componens Regem Carolum VII. & Philippum Burgundiæ Ducem, aliis etiam Legationi-

De bonâ ſpe Carth. Cardin. Schiſmaticus.

Inſignis Cardinalis Albergatus Carthuſianus.

bus clarus, qui Carthusiensibus suis dedit Cranium S. Annæ, acceptum dono, à Rege Anglo Henrico VI. apud quem Legatione fungebatur; huius disciplinæ & Scholæ alumnus fuit Thomas Sarzanensis qui postea Pontifex creatus, in eius gratiam Nicolaus V. nuncupari voluit; etiam Pius II. eiusdem Alumnus. Obiit Senis non sine opinione Sanctitatis Albergatus, vir omni laude dignissimus, vt habet epitaphium; in Ecclesiâ Carthusianorum ibidem tumulatus M. CCC. XLIII.

Carthusiæ me terra tegit, quæ sumpsit alumnum.

Studiosus fuit extenuandi corporis tum ieiunio, tum crassioribus cibis, tum vigiliis, tum etiam perpetuo cilicio.

Ab eâ secretâ viuendi ratione in publicum euocatus noster Alphonsus, ad Archiepiscopatum Aquarum sextiarum promouetur; de cuius ciuitatis nomine ita Paterculus posteriori volumine, *Sextus*, inquit, *Caluinus apud aquas, quæ ab eo sextiæ appellantur, Salios deuicit*; & Paulus Diaconus, *Albæ Cottiæ à Cottio Rege qui Neronis temporibus fuit, sunt dictæ, ab Occidente Gallorum finibus copulantur in aquis, vbi aquæ calidæ sunt.*

Aquæ sextiæ vnde, dictæ.

Archiantistes & Comes Lugdunensis & Galliarum Primas, vitâ functo Carolo Myron, antea Episcopo Andegauensi viginti septem annorum interuallo. Suas delicias & pupillam oculi Lugdunenses Alphonsum palam profitentur, vti antea Aquenses profitebantur.

Prior Caritatis ad Ligerim Ordinis Cluniacensis, Abbas Cormeriaci & Sancti Michaëlis Laudunensis Diœcesis; Reomanensis Monasterij S. Ioannis præfecturam habuit; cuius Cœnobij nouem fuisse Abbates Cardinales obseruaui, Philibertum Hugonetum, Petrum de la Baune, Hieronymum de Capite-ferreo Italum, Franciscum Turnonium, Philibertum Bordeserium, Philippum Lenoncourt, Armandum de Richelieu, Alphonsum du Plessis de Richelieu & Franciscum de la Rochefoucault.

Abbatia Reomanensis.

Cardinalitiam accepit Infulam quintâ Patrum Purpuratorum creatione, die decimâ tertiâ Calendas Decembris, anno M. DC. XXIX. ab Vrbano VIII. Pontifice Optimo Maximo dispensante à Sixti V. decreto, quo prohibetur fratres germanos vnà donari Galero purpureo; Pontifex enim significauit id à se præstari intuitu Cardinalis Richeliani, cuius studio & curâ Rebelles Hæretici in Galliâ deleti; ab eodem decreto excipiuntur Pontificis nepotes.

Magnus Franciæ Eleemosynarius anno M. DC. XXXII. die Iouis quartâ Maij cedente Francisco Cardinale à Rupefucaldâ, statimque torquem S. Spiritus vt pote eiusdem Ordinis Eleemosynarius maior cinxit.

Interfecto Antonio Borbonio, Magno Franciæ Priore, Abbate Cadomensi Comite Moretæo, Henrici IV. Notho, in Prouinciâ Narbonensi, capto Henrico Momthorencio suæ familiæ Duce vltimo anno eodem M. DC. XXXII. datur Alphonso Abbatia S. Stephani Cadomensis ad fluuium Olenam Ordinis Benedictini: Illius loci primus Cœnobiarcha fuit Lanfrancus vir egregius, & primus Prior D. Anselmus, vterque Cœnobita Becensis, vterque Archipræsul Cantuariensis.

Cadomensis Abbatia.

Mittitur Romam ob vrgentia Regni negotia anno M. DC. XXXV. donaturque Galero post Pentecosten, tituloque S. Trinitatis in monte Pincio; hic

titulus dari solet Gallis Cardinalibus, primus eum possedit in nouâ erectione à Sixto V. factâ Carolus Cardinalis Vindocinensis, postea Cardinales à Ioyosâ, Gondius, Marquemont. In huius montis vertice Cœnobium Patrum Minimorum Gallorum est exædificatum.

Designatus anno M.DC.XXXVII. Mercurius ad pacem Europæ componendam Coloniæ Agrippinæ, quò se contulerat nomine Pontificio Martius Cardinalis Ginnetus quondam Pontificiæ domus præfectus.

Parma eadem fratris Armandi Cardinalis.

Ansâ arreptâ huiusce nostri Cardinalis Magni Franciæ Eleemosynarij operæpretium existimauimus hic recensere Magnos Franciæ piarum Eleemosynarum Diribitores, qui rebus sacris ab origine in Aulâ præfuère, & Iurisdictionem veluti Episcopalem habuère.

ARCHISACELLANORVM REGIORVM, NECNON MAGNORVM FRANCIÆ ELEEMOSYNARIORVM SERIES collecta à Petro Frizonio Vicario Generali in magnâ Franciæ Eleemosynariâ.

QVOD imprimis ad id munus attinet, eo Antistites alternis vicibus noues desertas & errantes relinquerent, fungi soliti erant antiquitùs. Breuem porro Archisacellanorum Regiorum seriem, atque ordinem contexuit ad sua tempora Corbeiensis Abbas Adelardus Bernardi fratris Pipini filius.

ARCHISACELLANI REGII PRIMO REGVM FRANCORVM STEMMATE.

SANCTVS Remigius Rhemensis Archipræsul, Archisacellanus Regius & Clodouæi ex Regibus Christianissimis primi in diuinis & Sacris rebus institutor, à quo inuictus ille Rex vt lustrali aquâ tinctus ipsâ Christo nascenti die Sacrâ anno CCCC. XCIX. sic eiusdem monitis, imo & Clothildis Reginæ coniugis & B. Genouefæ exemplis stupendis ad Christianam Fidem (repudiato Idolorum cultu, deuitato Arianorum falso dogmate) conuersus fuit, & Religionem; qui Templum Augustissimum SS. Apostolorum Petri & Pauli, postea S. Genouefæ de monte Parisiensi nomine insigne (in cuius odæi medio ipse iacet vitâ functus anno D.XIV.) ædificari atque extrui iussit, Clothilde interim Sanctimonialium Regiam domum *Chellarum nomine* fundante. Ipse vero B. Remigius ex Romano Martyrologio per annos duodecim suprà sexaginta Archipræsulis Rhemensis dignitate potitus fuit, & munere functus; de quo illud legitur, Idibus Ianuarij natum fuisse, in Pontificem assumptum, & lucis vsurâ priuatum, cuius quidem corpus Remis prædiuite capsulâ asseruatur in Archimonasterio illius nomine nobili iacet, in Mausolæo præstantissimo statuis Parium Franciæ duodecim marmoreis illustri, à Roberto Cardinale Lenoncurtio Archimandritâ I.

Abbatia S. Genouefæ fundatur à Clodouæo.

Roberti Archipræſulis Nepote extructo. Ipſe autem B. Remigius ad ſuperos euolauit anno Domini D. XLV.

II. Sanctus Vedaſtus Cameracenſis & Attrebatenſis Antiſtes eiuſdem Clodouæi Archiſacellanus, annorum XL. interuallo functus munere Epiſcopali, poſtridie nonas Februarij è vita diſceſſit anno D. XL. celeberrimum apud Atrebatenſes extat Ordinis Benedictini illius nomine Monaſterium.

III. Aureliæ I. Concil. Sanctus Melanius Antiſtes Rhedonenſis Aurelianenſi primo interfuit Concilio, & eius Synodi decreta contexuit. Ipsâ Dominicæ Epiphaniæ ſextâ Ianuarij, Romano Martyrologio fidem præbente, miſeriis ſolutus eſt mortalibus: exequiis autem illius peragendis præſto fuêre quatuor Epiſcopi S. Albinus, S. Victor, S. Landulphius, S. Martius; ſacer eſt tamen ipſi tranſlationis dies ſextus Nouembris. Extat in ſuburbiis Rhedonenſibus Monaſterium eius nomine notiſſimum à Salomone Britanniæ Principe quondam extructum.

IV. Childebert. fundat Abbatiam S. Germani. Sanctus Germanus Pariſienſis Præſul poſt Libanium, Childeberti Clodouæi primogeniti filij Archiſacellanus, ſacrum Vincentio Martyri Monaſterium S. Germani impulſu fundauit ille Rex, cuius Martyris tunicam ex Hiſpaniis à ſe aſportatam dono dedit. Germanus autem apud Æduos natus à S. Agrippino Auguſtodunẽſi Antiſtite ad Sacerdotalis ordinis dignitatem promotus fuit, & à S. Nectario Agrippini ſucceſſore S. Simphoriani Abbas inſtitutus. Heribertum Pariſienſem Regem Clotarij filium, matrimonio cum propriâ ſorore inceſtuosè contracto, diris deuouit, qui paulo poſt etiam interiit. Pariſienſi interfuit Concilio, in quo de iuribus Eccleſiaſticis actum eſt. Ad loca ſancta ſe contulit & ab Imperatore Iuſtiniano brachium D. Georgij Martyris dono accepit, datum poſteà Baſilicę Sancti Vincentij nunc D. Germani nuncupatæ. Obitus eius contigit die vigeſimâ octauâ Maij anno D. LXXXI. In templo Sancto Vincentio ſacro corpus eius conditum & ſepultum fuit, quod quidem templum Sancti Germani à Pratis nomine clarum innoteſcit. Epitaphium verſibus huiuſce Diui à Chilperico Rege exaratum refert Aymonius.

Heribertus Rex excommunicatur.

V. Sanctus Medardus Nouiomenſis Antiſtes, Clotario Clodouæi filio tertio Regni Francici, habenas moderante, inunctus à Sancto Remigio Epiſcopalem Veruino Nouiomagum ſedem tranſtulit, cuius frater geminus Gildardus Rothomagenſis Epiſcopatus infulis redimitus, eodem, quo ille, die natus, ſacrâ luſtratus aquâ, in Sacerdotem deinde in Epiſcopum aſſumptus, ſed non eodem anno vitâ functus fuit, licet alij, ſed non verè, aliter ſentiant.

De SS. Gildardo & Medardo FF.

At Medardus Reginæ coniugi Clotarij Diuæ Radegundæ ſacrum Religionis velum, ex mariti conſenſu conceſſit; vitam cum morte commutauit poſtridie nonas Iunij anno D. LVI. Regium illud, in quo iacet, Sueſſionenſe Sancti Medardi Monaſterium à Clotario annuis reditibus donatum ac ditatum fuit. Caputque Monaſteriorum omnium in Francia conſtituit S. Gregorius Magnus eiuſdem Ordinis Benedictini. Sic tria inſignia cœnobia à tribus primis Regibus Chriſtianis fundata & dotata fuêre. Fortunatus Preſbyter, inde Pictauienſis Antiſtes, S. Medardi geſta recenſuit.

Lib. 2. epiſt. 38.

VI. Sanctus Agericus Virdunenſis Præſulatus munere exornatus, qui & Airicus dicitur, Sigeberti Auſtraſiæ Regis ſeu Metenſis, qui cum Gontrano &

Chilperico

Chilperico fratribus regnauit, Archicapellanus cuius meminit Turonensis ille nuncupatus Gregorius, huius causâ Brennacensem Synodum Chilpericus conuocauit.

Sanctus Magnulphus Syluanectensis Episcopus Chilperici I. ad Chellas Fredegundis coniugis, & Landerici Palatij Regij Magistri insidiis, & fraude trucidati Archicapellanus, cuius cadauer ab eodem Sancto Magnulpho in templo Sancti Germani à pratis terræ mandatum fuit. & honorificè tumulatum. VII. Chilpericus Rex necatur.

Sanctus Columbanus Abbas (cuius Regula in Matisconensi Synodo approbata) Clotarij II. cognomento magni Archicapellanus: ille porro ætatis quarto mense fuerat Rex salutatus, & viuis obiit anno Christi DC. XXVIII. Regni XLIV. Illius etiam præscripto Brunechildi profligatissimæ Sigeberti Metensis Despotæ mulieri dies dicta est, tandémque latâ sententiâ statutum fuit, vt ad caudas iumentorum indomitorum alligata tamdiu per tribulos traheretur, donec miserè animam exhalasset, quod & reuerà præstitum fuit iuxta Parisiensem ciuitatem eo in loco, in quo nunc crucem Tractorii (quia illuc tracta) vel Dactorij nomine, vulgò, *La Croix du Tiroir*, insignem conspicimus. VIII. Clotar. 2. Rex in cunabulis. Brunechildis Reginæ pessimæ nex.

Sanctus Arnulphus Metensem rexit Episcopatum Clotarij II. nepos, Dagoberti Præceptor & Archicapellanus, S. Honorati Lerinensis antea Monachus, annos XVIII. Episcopatus munere functus, interfuit Concilio Rhemensi, anno DC. XXX. obiit sequenti ex iudicio Sigeberti Monachi; alius à Suessionensi S. Arnulpho, qui eodem die anno M. LXXXVII. è viuis excessit. IX.

Rusticus Episcopus Cadurcensis anno DC. XXXII. *Palatini oratorij Abbas*, seu Archicapellanus frater S. Desiderij indictâ Synodo Rhemensi. X.

Sanctus Eligius Nouiomensis Antistes, cuius vitam literis prodidit B. Rothomagensis Audoenus tribus libris Roberto Parisiensi Episcopo ordine XXIX. dedicatis. Cabilonensi ad Ararim Concilio interfuit ac subscripsit, anno DC. L. & Clipiaco anno DC. LIX. Dagoberti Archimonasterij D. Dionysij ad Lutetiam (in quo iacet ille Rex) fundatoris Archicapellanus; præsens etiam fœderi cum Iudicaële Britanniæ Principe sanciendo, Dominica Rogationũ, sacro oleo delibutus & Episcopalibus infulis decoratus anno DC. XLVI. sed è terrenis ad beatas Cœlicolarũ ædes transiit anno DC. LXV. XI. Cabilonen. Concil.

Sanctus Audoenus, de quo suprà, Dagoberto primus à Sacello, & Fridegaudo *Auricularius Dagoberti* vocitatus, quod quidem Auricularij munus ad res sacras pertinere vult Iulianus Iuris-prudentiæ gloriâ clarissimus. Austrebertham diœcesis Rothomagensis S. Virginem sacro Religionis velo exornauit. Cabilonensi etiam (de quo antea) Concilio, nec non etiam alteri habito in pago illo Clipiaco prope Sandionysium, nunc eius inuocatione & obitu, qui ibidem loci contigit, mense Augusto, anno DC. LXXVII. celebri; Rothomagi in æde S. Petri nunc temporis Monasterio de eius nomine vocitato, sepultus fuit. XII. Concilium Clipiacense.

Sanctus Cunibertus Coloniensis Archipræsul, qui & à Mauclero Gombertus dicitur, (cui sacer dies Nouembris duodecimus) Sigeberti Regis Metensis, qui cum Clotario II fratre regnauit Archicapellanus Concilio Rhemis à Sonnatio Archiepiscopo indicto, cum aliis quadraginta Episcopis XIII. Concil. Rhemis.

(quorum nomina recensentur à Flodoardo lib. 11. Histor. cap. 5.) interfuit. Visitur Coloniæ templum inuocatione, & nomine Cuniberti augustissimum.

XIV. Landericus Parisiensis Episcopus Clodouæi II. Archisacellanus Calendis Quintilibus Concilio celebrato in pago illo *de Clichy la Garannes*, nuncupato, cum aliis viginti quinque Episcopis præsens adfuit & subscripsit. Hic Archimonasterium Sandionysianum à Parisiensi Iurisdictione Episcopali exemit; Nosocomium ad fores Templi Metropolitani Parisiensis D. Mariæ inuocatione, & ingenti ædificij mole clarissimi illius iussu ædificari cœpit; Parœcianum extat in Parisiensi ciuitate, & Insulâ Templum Landerico sacrum, cui portus adiacet illius nomenclaturâ notissimus; Iunij decimâ die ad superos migrauit, vt refert Aymonius libr.4. capite 41.

XV. Sanctus Aigulphus Valentinus Episcopus Sandionysiani Archimonasterij Abbas ordine quintus, Clodouæi II. à Sacello primus; hic porrò alius est à Sancto Aigulpho Martyre & Præsule Bituricensi, cuius corpus prope Castrum Rodulphi in sacrâ ipsimet Ecclesiâ, Ioannes de Soliaco Archipræsul Bituricensis in capsulâ reposuit decenter. Alius eodem tempore vixit S. Honorati Lerinensis Abbas, antea Floriacensis Monachus (quod Monasterium S. Benedicti ad Ligerim titulo nunc tempore innotescit) cuius lingua scilicet exsecta, & oculi confossi.

Tres SS. Aigulphi.

XVI. Agilbertus Parisiensis Præsul Clotarij III. Archisacellanus, cuius perhonorificam facit mentionem Venerabilis Beda in Anglicanâ Historiâ, necnon Trithemius Abbas, vbi de viris Illustribus Benedictinis.

XVII. Sanctus Leodegarius, vulgo *S. Leger*, Eduensis Episcopatûs dignitate refulgens Monachus inde Abbas S. Maxentij, Childerici II. & fratris eiusdem Theodorici I. antea Monachi Sandionysiani Archisacellanus, quintâ die Octobris ab Ebroino Palatij magistro interemptus, cuius corpus ad S. Maxentij, curâ Ansualdi Pictauiensis Episcopi translatum fuit.

Theodoricus Rex fuit Monachus.

XVIII. Sanctus Villebrodus Clodouæi III. Theodorici I. filij Archisacellanus à Summo Pontifice Sergio II. inunctus Romæ in S. Cæciliæ, Clementis assumpto nomine, Episcopus Traiectensis, inde verbum Dei in Frisiâ & Daniâ disseminauit veritatis Euangelicæ assertor & Præco Sanctissimus. Eiusdem gesta recenset Marcellus.

XIX. Aigilbertus Cenomanensis Episcopi munere functus est, Theodorici Calæ filij Dagoberti Archisacellanus, *Gallorum Episcoporum Princeps*, in quodam manuscripto nuncupatus, cuius etiam mentionem instituit, qui de Ricomiri factis & vitâ commentarium edidit. Ille porro Theodoricus fuit Parens Childerici III. Regis vltimi Regum primi Stemmatis, postea tonsi Cœnobitæ in Monasterio S. Medardi Suessionensis.

Rex tonsus.

ARCHISACELLANI REGII SECVNDO REGVM FRANCORVM STEMMATE.

LAVNVS Sancti Eparchij vernaculâ linguâ *S. Sybart* Ordinis Benedi- XX.
ctini Abbas, inde Præsulatu Engolismensi clarus Pipini Breuis geniti Carolo Martello non Rege, sed Regibus imperante Archisacellanus. In Monasterio illo ab Ariberto Rege fundato visuntur Comitum Engolismensium Mausolea.

Fulradus eiusdem Pipini Regis Archisacellanus; aliàs *Summus* Regis XXI.
Pipini *Capellanus*, vt habetur Cap. Quia causa XVII. & ab Adriano Papâ epistolâ ad Flodoardum data *Archipresbyter Franciæ* nuncupatus; Summum Pontificem anno D. CC. LIV. (vt est apud Baronium in Annalibus) Stephanum III. Archimonasterij Sandionysiani VII. Abbas ibidem loci perhonorificè excepit; Carolo Magno Romam proficiscenti comitem se præbuit Fulradus, atque ibi Paschales transegêre ferias anno D. CC. LXXXVII. si Reginoni Abbati iter illud describenti credamus. Scripsit S. Bonifacius Moguntinus Episcopus, & Martyr ad Fulradum pro Lullo, quem sibi successorem designabat. Stepha. 3. Parisiis. Carolus Magnus Romæ Paschatis die.

Angelianus, nonnullis Angilbertus Episcopus Metensis, Caroli Magni XXII.
Archisacellanus Hincmaro Archipræsuli Rhemensi in epistolarum vnâ & Alcuino Ἀποκρισιάριον, Arinulpho in vitâ Angilberti eiusdem, *Capellanorum primas*; mortuus anno D. CCC. mense Decembri in Monasterio Nouæ-cellæ à se extructo tumulatur.

Æginardus primus Saluigestatensis Abbas, (vt refert Trithemius) Caroli XXIII.
Magni Archisacellanus, Franciæ Cancellarius anno D. CCCIV. Aymardus à Vincentio Beluacensi in speculo Historiali appellatus, gestorum Caroli Magni scriptor eximius.

Sanctus Antemius vulgo *S. Anesme*, Episcopus Pictauiensis Martyr die iij. XXIV.
Decembris *Aulæ Abbas*, seu Regius Archisacellanus ex Martyrologio Gallicano.

Hildebaldus Ludouici Pij Imperatoris, Regisque Franciæ Archisacellanus XXV.
in Moguntino Concilio tempore Caroli Magni habito vocitatur, *Sacri Palatij Archisacellanus*; atque adeò in vitâ eiusdem Ludouici ab autore coæuo conscriptâ, *Sacrorum Scriniorum Prælatus*; cuius etiam meminit Aymonius.

Hilduinus Germanus Ludouici Pij Archisacellanus, Alobardo *Sacri Pa-* XXVI.
latij Antistes, Hincmaro Ἀποκρισιάριος, Lupo Abbati Ferrariensi epistolâ ad Hilarium *Ecclesiasticorum magister*, Sandionysianus Abbas XIX. atque etiam ad Virdunensis Præsulatus honorem euectus, cuius habetur mentio vnà cum Aldrico Senonensi Archiepiscopo in Cartophylacio Abbatiæ Ferrariensis, anno verò D. CCC. XXIX. Cancellarius, quem Lotharius S. Medardi Suessionensis Monasterij Monachus, eiusdem Ludouici filius summo odio prosecutus est; Areopagitæ Dionysij libros eidem obtulit Imperatori anno D. CCC. L. Vitâ excessit Ianuarij die decimâ tertiâ Epiphaniæ Octauâ; eius autem cadauer in S. Medardi terræ mandatum fuit, cuius Monasterij, vt & S. Germani à Pratis Abbas fuerat.

Theodmarus Ludouici Germaniæ Regis Caroli magni nepotis Archi- XXVII.

sacellanus, de quo loquitur Fillesacus Sorbonicus Doctor & Decanus, de Sacra Episcoporum auctoritate, paragrapho x v.

XXVIII. Drogo naturalis Caroli magni filius, Luxæi, vulgò *Lux: ul*, Bisuntinæ Diœcesis Monachus, Metensis Antistes, Archisacellanus Ludouieum Pium fratrem in templo S. Arnulphi Metensis vitâ functum tumulari curauit, cuius ipse cadauer humo condidit. Qui quidem Rex morti proximus præcepit, vt Archisacellanus omnem suppellectilem in vsum sacelli destinatam in codicē referret; Capitula verò Caroli Calui meminere Drogonis titulo III.

XXIX. Ebroinus Pictauiensis Antistes, Caroli Calui Archisacellanus, Præsidis dignitate viguit in Concilio apud Palatium Vernum, Archipræsule Senonensi præsente. Abbas S. Germani à Pratis, omnium ille primus ex iis qui Antistitis & Abbatis titulo & honore floruerunt; licet solum xix. ordine Moderator illius Cœnobij, obiit anno D. CCC. LIX.

XXX. Ludouicus Balbus bis coronatus. Iosephus Archisacellanus, Caroli Calui & Ludouici II. cognomento Balbi, Compendij mense Decembri anno D. CCC. LXXVIII. corona exornati, & iterum vt Augustus coronatur à Ioanne VIII. Summo Pontifice qui Trecensi Concilio præsens adfuit.

XXXI. Grimaldus Ludouici III. Archisacellanus, vt & Carlomanni fratrum, S. Galli Abbas.

XXXII. Gosselinus Antistes Parisiensis apud eosdem Reges Archisacellani munus obtinuit, dictusque est *Archiepiscopus sacri Palatij, summusque Notarius*, vt patet ex libro illo, qui de genere Comitum Pictauiensium & Ducum Aquitaniæ differit. Sandionysianus Abbas, S. Mederici corpus die vigesimâ secundâ Ianuarij transtulit anno D. CCC. LXXXIV. sub initium Regni Caroli Crassi, eius soror Bilichildis Bernardi Pictauiensis Comitis coniux. Anno verò D. CCC. LXXXVII. in viuis esse desiit. Meminit Gosselini Regino, nec non ille qui ad Aymonij historiam appendicem contexuit.

XXXIII. Folcarius Caroli Crassi Archisacellanus seu *Palatij Abbas* nuncupatus.

ARCHISACELLANI REGII TERTIO REGVM FRANCORVM STEMMATE.

ALIQVI hîc desiderantur.

XXXIV. Simon de Sully Ludouici VIII. filij Philippi II. cognomento *Augusti* filij, & Parentis D. Ludouici Archicapellanus, Ludouico in extremis adfuit anno M. CC. XXVI. postea Cardinalis S. Cæciliæ.

XXXV. Guillelmus Senna Regius Philippi Pulchri Archisacellanus anno M. CC. LXXXVII. Sacellorum plurimorum in Collegio Regio Rothomagensi fundator.

XXXVI. Ægidius Pontæsianus, Sandionysianus Abbas, eiusdem Regis Philippi Pulchri, nec non Ludouici Hutini, Philippi Longi, & Caroli Pulchri Archisacellanus epistolâ de Areopagitæ Dionysij vitâ, ad eundem Philippum Pulchrum datâ *Maiestatis Regiæ Capellanus minimus inscribitur*; qui capsâ prædiuite D. Ludouici Maxillam apud S. Dionysij iussit includi, anno autem

M.CCC.XXV. mortales artus exuit. Celebratur quotannis in S. Dionysij, in quo donatus Epitaphio sub laminâ æneâ planâ iacet, obitus illius memoria tertio Calendas Ianuarij, quo ipse obiit.

Ioannes Droinus Ioannis Regis Londini vitâ functi tertio Aprilis anno M.CCC.LXIV. (cuius cadauer ad S. Dionysij asportatum anno M.CCC.LXX.) Archisacellanus. XXXVII.

Michaël Brachensis, vulgò *de Brache*, Doctor Theologus Parisiensis, Episcopatus Cenomanensis dignitate clarus anno, quo è viuis abiit, Ioannis Regis Archisacellanus; trecentorum cæcorum Parisiensium Sacellum ornatissimum extrui curauit, cuius obitus contigit, & celebratur quotannis infra octauas S. Ioannis ad eosdem. Ille idem Statuta viduarum triginta (quas vulgò *Audrietas* vocitant) à Stephano Audri ciue Parisiensi eiusque coniuge institutarum ad nutum Archisacellani Regij composuit. XXXVIII.

Ægidius à Campis Theologiæ Sacræ Doctor Carolo VI. à confessionibus & à Sacello primus; anno M.CCCC.XI. in Cardinalium album relatus. XXXIX.

Petrus de Alliaco Compendiensis è Societate Nauarricâ Doctor Theologus, summus eiusdem Collegij Nauarrici Moderator, Cameracensis Antistes, tituli S. Chrysogoni Cardinalis, eadem Audrietarum viduarum statuta in meliorem formam reduxit: illæ autem viduæ Filiarum Assumptionis nomine nunc temporis innotescunt. Anno M.CCCC.XXV. mense Augusto viuere desiit. XL.

Petrus Cauchonius Doctorali Laureâ donatus, Bellouacensis, postea Lexouiensis Præsul, Archisacellanus vt Geruasiani Collegij ab Archisacellano dependentis Codicilli testantur, Inaugurationi Henrici VI. Angli in D. Mariæ anno M.CCCC.XXXI. interfuit; Puellam Aurelianensem condemnauit, qui dum barbâ raderetur, è viuorum numero ipse abrasus & eductus fuit; In Registris trecentorum cæcorum Parisiensium hæc leguntur, *De l'ordonnance de Monsieur de Beauuais Aumosnier* M.CCCC.XXXI. alij inferiores vocabantur *Soubs-Aumosniers.* XLI. Moritur Cauchonius dum barba abraditur.

Ioannes d'Aussy Diœcesis Bellouacensis, & Bursarius Collegij Choletæi Doctor Theologus Parisiensis, Antistes Lingonensis, ab Eleemosynis & Confessionibus Carolo VII. Victori: edidit Catalogum Hospitalium & Leprosariarum Franciæ. XLII. Catalogus Leprosariarum.

Ioannes de Breuicoxa vulgò *Breuiscope*, Parisiensis anno M.CCCC.XXI. inde Geneuensis Antistes, vt fert Calendarium Parisiense die vj. nonas Martij, Regius Archisacellanus. XLIII.

Azyguotus Archisacellanus, cuius mentio habetur in Codicillis Collegij Geruasiani. XLIV.

Henricus Blanchetus, de quo in iisdem Codicillis. XLV.

Ioannes Baluë Ebroicensis Præsul, inde Andegauensis, tandem Cardinalitiis decoratus Infulis, Ludouici XI. Archisacellanus, annorum duodecim interuallo in Lochensi turri carceri mancipatus, Sixti IV. precibus ex eo abductus & Romam missus. Anno ætatis septuagesimo vitam cum morte commutauit in Flaminiâ, quam vulgo Marcham Anconitatam vocant. XLVI.

Ioannes L'Huillerius è nobili & antiquâ familia Parisiensi Theologus Doctor Sorbonicus, Decanus Parisiensis, Meldensis Ecclesiæ administra- XLVII.

tor Ludouici XI & Caroli VIII. Archisacellanus, Sorbonæ Prouisor postridie Calendas Septembres huius vitæ miserias reliquit, sepultus in aditu Ecclesiæ Cathedralis S. Stephani Meldensis.

XLVIII. Magnus Eleemosin. hic I. dictus. Ioannes de Rely à Sacris Regi Confessionibus & primus nominatur magnus Franciæ Eleemosynarius in Archiuis trecentorum cæcorum Parisiensium M. CCCC. LXXXVIII.

XLIX. Franciscus de Moulins Abbas S Maximi, *S. Mesmin*, Diœcesis Aurelianensis, magnus Franciæ Eleemosynarius in Registris eorundem trecentorum cæcorum anno M. D. ex eâdem, quâ hic, familiâ oriundus Philippus de Moulins d'Engilbert Diœcesis Niuernensis ex Ebroicensi Antistite creatus Nouiomensis, annorum quinquaginta sex spatio Regibus Ioanni, Carolo V. Carolo VI. à notis secretis & politicis.

L. Godefridus Pompadurius in Camerâ Computorum Præses, Petragoricensis Antistes, postea Podiensis magni Franciæ Eleemosynarij titulo insignitus regnantibus Carolo VIII. & Ludouico XII. Parisiis vitâ functus est M. D. XIV.

LI. Adrianus Gouffier ex Matre Mommorancia Cardinalis de Boissy, magnus Franciæ Eleemosynarius M. D. XVI.

LII. Franciscus Regius vulgò le Roy, à Chauignienfi familiâ dictâ Regiâ apud Turones oriundus, Iacobi Regij Bituricensis Archipræsulis frater, magnus Franciæ Eleemosynarius, regnante Francisco primo cognomine magno.

LIII. Philippus Cossæus Theobaldi filius & Felicæ de Chamo Constantiensis in Neustriâ Episcopus, magni Franciæ Eleemosynarij officio functus obiit anno M. D. XL.

LIV. Ioannes le Veneur ex Comitum Tilleriarum familiâ originem trahens, Cardinalitio exornatus titulo, Lexouiensis Antistes trecentorum cæeorum Statuta in examen adduxit magnus Franciæ Eleemosynarius M. D. XXXIV. & in præstantiorem formam redegit. Sacelli istius domus Australem partem à fundamentis erigi denuo curauit; visitur ibidem eius imago in fenestrâ vitreâ flexis genibus habitu Cardinalitio cum hac Epigraphe Ioannes Cardinalis le Veneur magnus Franciæ Eleemosynarius, Romæ expirauit anno M. D. XLIII.

LV. Moritur inter concionandum. Petrus Castellanus Tutelensis Episcopus, deinde Matisconensis, tum Aurelianensis, Francisci I. (cui adfuit bene morienti) & Henrici II. eiusdem filij magnus Eleemosynarius, inter concionandum animam exhalauit M. D. LI.

LVI. Antonius Sanguinus Cardinalis de Meudon Aurelianensis, Episcopatus dignitate, inde etiam Tholosani Archiepiscopatus munere insignis Henrico II. ab Eleemosynis Princeps, intercessit decreto supremi Senatus de Nosocomiis & Prochotrophiis lato. Excessit è viuis Parisiis in Palatio Sampaulino ad D. Catharinæ culturam mense Decembri anno M. D. LVIII.

LVII. Ludouicus Brezæus Guastonis Principis Fulcardi-montis & Mariæ Cerisey S. Sacelli Lutetiani Thesaurarius, Meldensis Antistes, magnus Franciæ Eleemosynarius teste Claudio Roberto in Galliâ Christianâ, moderante Regni habenas Francisco II. Tridentinæ Synodo interfuit; Ioanni du Tillet Meldensem cessit Præsulatum, cui iterum ipse Ludouicus præficitur anno M. D. LXX.

Carolus de Humieres Baiocensis Antistes magnus Franciæ Eleemosynarius fatis concessit anno M. D. LXXVIII. LVIII.

Iacobus Amiotus ex infimo genere Meloduni oriundus, Bellosanæ & Compendij Archimandrita, institutor Caroli IX. magnus Franciæ Eleemosynarius M. D. LXV. eiusdem Caroli, & Henrici III. in Torquatorum Equitum ordinem Commendator ascitus: vnde in eius fauorem iussit Henricus vt nulla probationis nobilium natalium mentio haberetur, vbi de Magno Ordinis Eleemosynario institueretur sermo, inter mortales degere desiit anno M. D. XCIII. LIX.

Nulla probatio nobilium nataliũ in M. Eleemosy.

Reginaldus de Beaune Bituricensis, & deinde Senonensis Archipræsul, Germaniæ & Aquitaniæ Primas, Archimandrita Molismensis, Mimatensis Præsul Henrici IV. ab Eleemosynis Princeps. Concilium habuit Bituricense, anno M. D. LXXXIV. Perorauit pro Clero in Comitiis Blesensibus coram Rege Henrico III anno M. D. LXXXIX. Anno ætatis septuagesimo nono Parisiis, Christi verò M. DC. VI. viuendi finem fecit. LX.

Iacobus Dauy Cardinalis du Perron nuncupatus, ad miraculum doctus, Ebroicensis Episcopatus infulis, & titulo illustratus; inde in Archiepiscopum Senonensem assumptus, magnus Franciæ Eleemosynarius Henrico IV. & Ludouico XIII. regnantibus; Professoribus Regiis ad præsentationem magni Franciæ Eleemosynarij Collegium Franciæ nouum extrui voluit, obiit tertio Septembris, anno M. DC. XVIII. LXI.

Franciscus Rupifucaldus Cardinalis, Claromontanus Antistes, inde Syluanectensis, magni Franciæ Eleemosynarij munere, quo diuturno tempore functus fuerat, se abdicauit, ne in aulâ ad pedes Imperatoris adesse cogeretur; si non nomine, re tamen postea mansit is qui fuerat, cum ex suo ære erogarit ferè centum millia librarum turonensium Hospitali incurabilium ægrotorum, quod anno M. DC. XXXVI. fuit erectum, cui, & ægrotis inseruiendis anno sequenti totum se consecrauit Ioannes Perrot egregius ciuis Parisiensis frater Reuerendi Patris Carthusianorum Generalis, post præstitam multis lustris operam Principi Nosocotrophio Parisiensi. LXII.

Hospitale incurabilium.

Alphonsus Ludouicus Plessæus Richelius Cardinalis Lugdunensis, abdicatione Rupifucaldi anno M. DC. XXXII. magnus Franciæ Eleemosynarius die quartâ Martij Sacramentum clientelæ præstitit, & ab ipso Rege ordinis Regij torque Sangermani in Laya magnus Ordinis Eleemosynarius donatus fuit, atque exornatus. Collegium Professorum Regiorum restitui, & ornari anno M. DC. XXXIV. procurauit. LXIII.

Nota Voizelinum Henrici I. Regis coronâ donati viuente Patre Roberto M. VIII. Archicapellanum suo loco ponendum, vt & Eustachium Philippi I. Regis.

De amplissimâ dignitate, & iurisdictione magni Franciæ Eleemosynarij.

OFficium, & dignitas magni Franciæ Eleemosynarij semper maximæ venerationis fuit æstimata ab ipsis Regibus, cùm sit vnum è Coronæ officiis primariis, si non primarium, etenim ipsorum Regum, & aulæ regiæ est Episcopus: & vt Rex Christianissimus cæteris Regibus præcellit, teste Gregorio magno, *Quantò*, inquit Childeberto Regi, *cæteros homines regia dignitas antecedit; tantò cæterarum gentium regna regni vestri profectò culmen excellit*: sic etiam cæteros regni Ecclesiasticos viros præcedit magnus Eleemosynarius, semper primus Regi à dextris in sacello regio, aliis siue Archipræsulibus siue Episcopis a manu sinistrâ. Solus habet iurisdictionem spiritalem in Curiales: Reges, & Reginas Sacramento matrimonij coniungit, etiam in regni Cathedralibus Ecclesiis; sic hoc æuo magnus Franciæ Eleemosynarius Franciscus Cardinalis Rupefucaldus Henriettam Borboniam, sororem Ludouici XIII. Reginam magnæ Britanniæ (cuius operâ Deus vtitur in regno Anglicano ad fidem Catholicam postliminio reuocando) in Metropolitanâ Basilicâ Parisiensi, (licet Archiepiscopo Lutetiæ agente) sociauit Sacramento cum Serenissimo Carolo I. Rege Anglorum, vt nunc nomine, sic re, breui, vt sperat & spirat Christianus orbis, Ecclesię Defensore. Non igitur abs re Summi Pontifices vrbis & orbis suas vices Archicapellanis Regiis sæpenumero commisêre in Galliâ, & in Germaniâ; ita Drogo Caroli Magni nothus filius, Caroli Calui Archicapellanus, Sergij II. Pontificis Vicarius cis Alpes, licet solam infulam Metensem capiti imposuisset, tamen est pallio donatus, & Archiepiscopus Metensis priuilegio Apostolico nuncupatus; quam Archiepiscopi nomenclaturam, in eadem Mediomatricum sede, est consequutus Angilramnus aliis Angelianus, Summus Caroli Magni Capellanus, & Apostolicæ sedis Apocrisiarius, vti eum appellant Patres Concilij Francofordiensis. Præfuit Synodo ad Theodonis Villam Drogo, præfuit Concilio secundo Vernensi Ebroinus, vt summus Aulæ regiæ Capellanus, qui solam Pictauorum infulam capite gerebat, præsente Venilone Senonum Archiepiscopo. Recentiora consideremus; Rex Henricus tertius author ordinis regij à Sancto Spiritu, Principes Franciæ Eleemosynarios voluit fasciâ cæruleâ crucéque diuino Pneumate decoratâ exornari, tessera & charactere sui ordinis. Apud eundem regiarum Eleemosynarum diribitorem, Equites suorum nobilium natalium probationem faciunt. Silebo Professores regios [illegible] & linguarum omnium ab eodem dependentes. Dies me deficeret, si ad singula eius officij munia descenderem; vnum præterire non possum spectans ad ipsius forum externum, & iurisdictionem, quæ per omnes regni partes diffunditur, si Xenodochia, & Nosocomia, ac domus Leprosariæ considerentur, quorum iudiciis dicendis sunt præpositi tres libellorum supplicum Magistri, tresque magni Consilij Senatores vnâ cum Vicario generali; sed mirandum illud & nouum, cùm literæ decernuntur Leprosis aut egenis à magno Eleemosynario, aut eius Vicario pro annuis pensionibus, hæc clausula inseritur, *Soit executé nonobstant opposition, ou appellation quelconque, mesme par saisie, & vente du temporel.* Cætera reseruamus in publicum euulgaturi, si Deus vitam dederit, *Memorialia magnæ Eleemosynariæ Franciæ.*

S. Greg. ep. 7. ad Childbe. Regem.

Concil. Franco. ford. can. 55.

PRO HVIVSCE OPERIS CORONIDE.



ALEXANDER Oliua Saxoferratensis Eremitarum D. Augustini Generalis ob eminentem Theologiæ doctrinam, & religionem à Pio II. Summo Pontifice anno salutis reparatæ MCCCCLX. ignorans lectus Cardinalis, Romæ in domestico sacello sepulchrum scrinij speciem referens occultè extrui, in eóque suiipsius imaginem, quæ iacentem, & mortuum Cardinalem referret, collocari iusserat, iis verbis à Sapiente prolatis margini arcæ inscriptis. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Deum quotidie precaturus eo in loco, scrinium & sepulchrum referans clam omnibus meditabatur, séque ipsum oculis suis mortuum repræsentabat. Hoc speculum viam demonstrat beatæ æternitatis, quæ est hominis Christiani vnicus finis, absque quo Cardinalatus, vt omnia, ex eodem Sapiente, *Vanitas vanitatum.*

Ecclesi.7.

Ecclesi.1.

APPENDIX GALLIÆ PVRPVRATÆ.

CARDINALES SVIS INSERENDI LOCIS.

HVGO SANVICTORIANVS CARDINALIS TVSCVLANVS. INNOCENTIO II.



OST communicata nobis monimenta Monasterij non satis laudandi S. Victoris Parisiensis, obseruauimus duos fuisse Hugones Sanuictorianos Ascetas circa eandem tempestatem, vnum Doctorem celeberrimum, qui plurima posteritati scripta reliquit: de quo vt Cardinale mentionem feceramus libro nostro secundo, aliorum sequuti vestigia; alterum Hugonem Sanuictorianum Cardinalem Episcopum Tusculanum ab Innocentio II. creatum.

Eandem vtriusque Hugonis differentiã notauimus in memoriali Historiarum, & in Volaterrano libro XXI. suæ Anthropologiæ, in quo hæc habentur: *Hugo de Sancto Victore Parisiensis summus Theologus sub Honorio II. scripsit de Sacramentis, &c. Hugo alius de S. Victore Parisiensis Tusculanus Præsul; Yuo etiam ex eodem Cœnobio Cardinalis magnâ vir famâ doctrinæ.*

Obiit Hugo noster Cardinalis sub Eugenio III. die XI. Calendas Maij, de quo liber obituum Monasterij S. Victoris. Anniuersarium Domini Hugonis Cardinalis Tusculanensis Episcopi, & nostri Canonici professi, & Hugonis Cardinalis eiusdem nepotis, de quorum beneficio habuimus optimam casulam, & paramenta viridis coloris, & duo pallia, quædam etiam argentea, vt calicem, thuribulum & duo candelabra, aliáque ornamenta.

Quinque Cardd. S. Victoris Parisiensis.

Ex eo famâ sanctitatis & doctrinæ clarissimo andrio prodière quinque Cardinales: Yuo, de quo egimus in Galliâ nostrâ purpuratâ, hic Hugo Tusculanus; tertius Ioannes Piusutus Neapolitanus Canonicus S. Victoris lectus Cardinalis ab Adriano IV. anno MCLV. Diaconus S. Mariæ in porticu postea Presbyter creatus tituli S. Anastasiæ, apud eum & sex alios Cardinales Fridericus Imperator Schisma eiurauit, admittens Alexandrum III. legitimum Pontificem: quartus est Hugo Petri Leonis, (quem Houedenus in Annalibus Anglicanis vocat Huguezen de petra Leonis) ex Placentino Episcopo Canonicus sancti Victoris ab Alexandro III. creatus Cardinalis Diaconus S. Angeli, demum Presbyter tituli S. Clementis, legatur in Galliam, Angliam & Scotiam; in Angliâ cognouit causam & litem Archiepiscoporum Cantuariensis, & Eboracensis, summo honore ab Anglo Rege exceptus, veniẽte obuiam cum filio & Regni proceribus; apud Vuestmonasterium Synodum celebraturus sedit, verum ortâ contentione inter illos Archipræsules pro sede honorariâ, famulis Cantuariensis malè excipientibus Eboracensem, Synodus est dissoluta; huiusce Cardinalis meminit

liber manuſcriptus Sanuictorianus; Interfuit conuentui Veneto cum Alexandro III. contra Fridericum Ænobarbum. Huiuſce Cardinalis meminit ille idem liber manuſcriptus, atque defunctum refert anno Chriſti M. CXCII. Quintus eſt Alexis patriâ & vrbe Romanus Anaſtaſii.IV. Pontificis quondam Abbatis S. Rufi prope Valentiam in Galliâ conſanguineus Canonicus S. Victoris Pariſienſis, anno Chriſti M. CLXV. poſt annos verò tredecim lectus ab Alexandro III. Cardinalis Diaconus tituli S. Nicolai in carcere Tulliano, deinde à Lucio III. ex manuſcriptis codicibus S. Victoris, (Onuphrius dicit creatum à Clemente III. anno Verbi Incarnati MCXXCVIII, Preſbyter Cardinalis tituli S. Suſannæ; in Scotiâ Legatus Alexandro III. Pontifice. Corporis ſarcinam depoſuit octauo Calendas Maij anno Chriſti MCXC. de quo liber obituum Sanuictorianus: *Obiit frater Alexis noſter Canonicus profeſſus Presbyter Cardinalis.*

FRANCISCVS CASSARDVS DELPHINAS CARDINALIS SANCTI MARTINI. GREGORIO IX.

E FAYETO in Diœceſi Gratianopolitanâ traxit ſuos natales Franciſcus; videntúrque ibidem nati Bartholomæus de Fayeto, & Ioannes nepos, duo Archiepiſcopi Turonenſes, quibus ſucceſſiſſe Franciſcum in Archiepiſcopatu autumo, à Claudio Roberto in primâ editione ſuæ Galliæ Chriſtianæ omiſſum curauimúſque reponi in ſecundâ.

In iure Pontificio & Cæſareo fuit Doctor.

Archipræſul Turonenſis poſt Ioannem de Fayet præceſſitque Iuellum de Matheſelon, qui obiit Peluſii, ſeu Damiatæ, anno M. CC. XLIX. ad Bellum ſacrum profectus.

S. R. E. Cardinalis tituli S. Martini creatus Franciſcus à Gregorio IX. anno Chriſti M. CCXXVII.

Vltimo die defungitur Lugduni, menſe Auguſto, anno à partu Virginis M. CCXXXVII. ſepultus apud Dominicanos, quibus non paucos annuos reditus legauit, vti patet ex epitaphio ſequenti appoſito Sacriſtæ.

Hic iacet Reuerendus in Chriſto Pater, & Dominus Franciſcus Caſſardi, vtriuſque iuris Doctor, diuinâ miſeratione Archiepiſcopus Turonenſis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſub titulo beati Martini, oriundus de Fayeto Diœceſis Gratianopolis, qui multa bona dimiſit in præſenti Religione, pro quibus fundauit vnam Miſſam quotidianam dicendam per dictos Fratres in dictâ capellâ, & duo anniuerſaria, vnum in feſto vndecim millium Virginum, & aliud in feſto ſancti Franciſci, qui obiit anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo VIII. *idus Auguſti.*

BERTRANDVS DE CARDALIAC CARDINALIS. CLEMENTE V.

ILLVSTRISSIMAM gentem à Cardaliaco in Cadurcorum Prouinciâ nôn satis laudare possumus; eiusdem gentis Ioannes de Cardaliac Archipræsul Tolosas post Raymundum de Canillac Cardinalem; iacétque in Ecclesiâ Metropolitanâ sancti Stephani ante aram principem, cuius epitaphium: *Hic est sepultus Reuerendissimus in Christo Pater, & Dominus Dominus Ioannes de Cardaliaco Dei gratiâ Patriarcha Alexandrinus Administrator perpetuus Ecclesiæ, & Archiepiscopatus Tolosani, qui obiit die septimâ mensis Octobris anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, cuius anima in pace requiescat. Amen.*

Præsul Cadurcensis, alter Bertrandus de Cardaliac; & Ioannes de Cardaliac Ruthenenses Episcopi. Etiam Patriarcha Alexandrinus Ioannes, & B. Franciscus de Cardaliac ordinis Franciscani M. CCC LXXXIX Episcopus Cadurcensis, in cuius gratiam Innocentius VI. scripsit ad Cancellarium Academiæ Parisiensis, vt eum donaret doctoratu, datum Auenione VIII. Calend Septembris Pontificatûs anno sexto, sancto fine quieuit M.CCCCIIII. tumulatus in Ecclesia d'Espaignac Diœceseos Cadurcensis. Obseruandum est Franciscum non fuisse Episcopum Cabilonensem vt voluit doctissimus Lucas VVadingus, sed Cabellicensem vulgo *Canaillon* in Prouincia anno M.CCC.LXVI. postea Cadurcensem.

In Annal. Minor. tom. 4.

Purpurâ fuit ornatus M.CCCXII. Episcopus Sanctæ Ruffinæ & Portuensis. Bertrando Præsule Cadurcensi stabiliuntur in Ciuitate Cadurco à Ioanne huius nominis XXII. Carthusianæ familiæ Domni M.CCC.XXVII. & ab eodem Pontifice Academia ibidem instituitur.

ARTAVDVS CARDINALIS S. EVSTACHII. IOANNE XXII.

EX monimentis Prioratûs Monsteriensis Diœcesis Regiensis constat Artaudum S. R. E. Cardinalem S. Eustachij Priorem Monsteriensem reposuisse sacros Sanctorum cineres & lipsana in sacello B. Mariæ Annunciatæ dicato, quod vocatur de Rocca die XVI. Septembris anno Christi M.CCCXXIII. Hic Prioratus satis pinguis sacer est Deiparæ de bello visu, & S. Saturnino duabusque leucis ad ortum distat à Reiis. Vt vt sit existimo Arnaldum de Viâ Cardinalem S. Eustachij, qui hoc tempore vixit, legendum loco Artaudi.

Franciscus Rossolinus quinquagesimus primus Episcopus Regiensis anno M. CCCXVI. creatus, legatur à Ioanne XXII. Pontifice Monsterium vt sacras reliquias, quæ in æde Deiparæ de Roccâ asseruantur, agnosceret, & alias, quas Artaudus Cardinalis Prior Monsteriensis ad idem sacellum destinarat, perhonorificè reponeret die XVI. Septembris, anno M. CCCXXXIII.

Archiua Episc. Regiens.

Gotefredus Rabety Episcopus Regiensis consanguineus fuit Artaudi

Cardinalis Sancti Eustachij, nam Gotefredus Pontificatus initio obtinuit à Ioanne XXII. vt ea quæ Artaudo Cardinali defuncto quocunque nomine Monsteriis debebantur, sibi tanquam hæredi Artaudi tabulis testamentariis auctoritate Apostolica repeteret, anno M.CCCXXXVI.

YVO BEGAIGNON CARDINALIS MORLACENSIS DOMINICANVS. GREGORIO XI.

EVENVM nuncupant Armorici, fuitque ortus è stirpe, & familiâ Rumen-Begaignon in Parœciâ *Plestrin*, Diœcesis Trecorensis, Cœnobita in Fratrum Prædicatorum Morlacensium D. Dominici Monasterio post Christum natum, anno M.CCCXXVI. illicque professionis Monasticæ vota emisit.

Doctor Theologus Parisiensis M.CCCXXXVIII. Videtur is cuius meminit Chronicon scriptorum Dominicanorum.

Antistes Trecorensis, anno M.CCCLX. resignante Hugone de Mont-relaix Cardinale creato Episcopo S. Brioci. Trecorij M.CCCLXV. excepit aduentantem Britanniæ Ducem Ioannem cognomento Victorem, cui Sacramentum clientelæ præstitit, multaque ab eo præclara priuilegia, & exemptiones in sui Cleri favorem obtinuit. Anno sequenti ceremoniam celebrauit cum à Ioanne Duce ipsa die Virgini Assumptæ sacra primus lapis positus frontis magnificæ Collegiatæ Ecclesiæ Deiparæ *le Meur* Morlaci, quam fundarat Dux Ioannes II.

Vocatus ab Vrbano V. Auenionem, fuit magnus Pœnitentiarius.

Cardinalem extitisse, anno M.CCCLXXI. qui fuit primus Gregorij XI. habemus ex antiquo manuscripto, anno M.CCCLXXII. in illoque legitur, *Frater Yuo aliàs Euenus Begaignon ordinis Prædicatorum Cardinalis Episcopus Prænestinus, vulgo Cardinalis de Morlaciâ.*

Romam profectus, anno M.CCCLXXV. cum Gregorio XI. Auenionem deserente resignauitque Episcopatum Trecorensem, anno M.CCCLXXII. Ioanni le Brun.

E viuis abiit Romæ M.CCCLXXVIII. sepultus in Ecclesiâ Mineruæ, quæ est Patrum Dominicanorum.

Scripsit in Psalmum *Miserere mei Deus*, vt refert Albertus Venetus in suo Chronico.

Scutum argenteum, sena clathrata argenti pagina.

D'argent freté de gueules de sixpieces.

IOANNES DE ROCHE-CHOVARD CARDINALIS. CLEMENTE VII. GEBENNENSI ANTIPONTIFICE.

ANTIQVO, & nobili natus genere apud Lemouicenses Ioannes è Dominis de Charos in Biturigibus; ab eâ familiâ Rupecauardorum prodiere Toparchæ de Chandenié, etiam Domini de Mortemar, aliique vi-

rescentes rami huiusce arboris pietatis & armorum fructibus satis superque notæ. Ex illa gente oriundus Simon de Roche-choüard Dominus d'Auailles filius Aimerici & Alidis de Mortemar Canonicus Lemouicensis, deinde Decanus Bituricensis, tandem Archipræsul Burdegalensis, qui vltimo defunctus est die XXIV. Iulij, anno M. CCLXX. sepultus Burdegalæ in sacello maiori Principis Ecclesiæ tumulo erecto : anniuersarium ducentarum libellarum turonensium fieri constituit; fratrem habuit Guidonem de Roche choüard Archidiaconum Lemouicensem. Fulcaudus de Roche-choüard fuit eiusdem familiæ Bituricensis Archiantistes sepultus in Metropolitano fano die VII. idus Augusti, anno M. CCCXLIII. ante Cancellarij Cathedram; eadem ferè tempestate memoratur Fulcaudus de Roche-choüard Præsul Nouiomensis, tutor pupillorum Simonis Vicecomitis. Eiusdem generis Albinus & Aimericus fratres filij alterius Aimerici de Roche-choüard Dynastæ de Mortemar: ille Aimericus Abbas S. Sauini in Pictonibus ad Garempam fluuium, tumulo donatus in Diui Francisci Cœnobio Pictauiensi, M. CCCCCLXXXII. Episcopi duo Cistaricenses in Prouinciâ Gallicâ, & tres Xantonenses Antistites, nimirum Guido filius Guillelmi de Roche-choüard & Ioannæ d'Archiac, Ludouicus, & Petrus anno M. CCCCLII. vnus post alterum.

Arelatensis Archipræsul noster Ioannes successorem habuit in eo Pontificio Artaudum & Ioannem de Embroniaco Cardinalem, antea fuerat Archiepiscopus Bituricensis, sederatque annos quinque creatus Cardinalis ab Antipontifice Clemente VII. nec est confundendus cum Ioanne Lemouicensi Cardinale Episcopo Sabino, nam hic vocitatur de Blandiaco, fuitque purpurâ vestitus ab Vrbano V. remansitque Auenione Gregorio XI. Romam proficiscente.

Robert. in Archiepisc. Arelat. & Saxius.

Lemma *terra marique* est Toparcharum de Mortemar.

Animam efflauit anno M. CCCCII. qui fuit secundus à nuptiis Ludouici II. Siciliæ Regis Comitis Prouinciæ, & Arelates Domini; illo vitâ functo monstrum Hispanicum Petrus de Lunâ Antipontifex Benedictus XIII. Arelatensis Ecclesiæ reditus & prouentus rapuit, huiusce Petri vices agente, tum in spiritualibus, tum in temporalibus Philippo S. Saluatoris Arelarensi Præfecto: durauit in alterum annum Philippi Præfectura donec Arraudus Archipræsul Arelatensis creatus authoritatem Ludouici II. implorauit, & iura sibi restitui orauit, & exorauit.

Saxius in Pontif. Arelat.

Senis vndis miniatis & argenteis.

Ondé d'argent & de gueulles de six pieces.

BERNARDVS DE CAZILLAC CARDINALIS S. SABINÆ.

CAZILLACVM non longè dissitum à Vicecomitatu Tureniæ, verum hic in Lemouicibus, illud in Cadureorum finibus.

Eiusdem nominis & cognominis alter Albiorum Antistes M. CCCC. XXXII. Episcopus Albiensis anno M. CCCC. VII. & Cardinalis S. Sabinæ.

RAPHAEL EPISCOPVS TRECORENSIS CARDINALIS SANCTI GEORGII.

AVCTORES duos sum nactus, qui mentionem faciunt huius Cardinalis Britanni Armorici, vnum Claudium Robertum in Galliâ suâ Christianâ agentem de Episcopis Trecorensibus, alterum Religiosum Dominicanum nouissimè tractantem linguâ vernaculâ de sanctis minoris Britanniæ, in nomenclatura Præsulum Trecorensium, hic auctor vocat *Raphaelem Gerbe* Cardinalem Diaconum S. Georgij ad velum aureum; sed vereor ne hallucinentur eodem nomine alterius Cardinalis, qui circa eandem tempestatem vixit, habuitque eundem titulum, is fuit Raphael Riarius Sauonensis Cardinalis Diaconus S. Georgij creatus à Sixto IV. anno Verbi Incarnati M. CCCCLXXVIII. postea Episcopus Ostiensis qui subscripsit anno MDIII. indictioni Concilij Lateranensis.

Cæterum Raphael Gerbe gessit infulas Ecclesiæ Trecorensis in Armoricis inauguratus CXVII. huius sedis Antistes Callixto III. Summo Pontifice anno M. CCCCLVI. post Ioannem de Ploeur, De Ecclesia Trecorensi sic doctissimus Papirius Massonus; Circa annum Domini sexcentesimum, tempore Sigeberti Regis filij Clodouæi, & Albini Andegauensis Episcopi, sedes Episcopalis erat in ciuitate Lesobiensi ad mare, quæ postea circa annum Christi D. CC. à Danis & Saxonibus est æquata solo, vbi hodie in loco maioris Ecclesiæ ædificata est capella miræ deuotionis sub honore Beatæ Virginis, & sancti Thuduani, translata autem est ad peninsulam Trecor dictam, à qua Trecora vrbs nominata est, distatque quinque leucis: in quâ peninsulâ tunc desertâ præfatus S. Thuduanus Monasterium ædificauerat quinquaginta Monachorum sub honore S. Andreæ, quo in loco sedes Episcopalis postea fuit collocata.

Masson. in notitia Episcopi Gall.

Ecclesia Trecorensis.

HVGO DE COAT-TRETREZ CARDINALIS. PAVLO II.

LITVVM Ecclesiæ Trecorensis tenuit inauguratus anno M. CCCCLXVI. Francisco II. Duce Britanniæ, eiurauit Episcopatum, deditque Christophoro du Chastel è stirpe Chastel-Tremazan oriundo Diœcesis Leonensis.

Anno M. CCCCLXVIII. purpuram induit, Paulo II. conferente.

In paternâ domo extremum spiritum exhalauit, sepultus in Cathedralis templi choro ad cornu Euangelij.

Parma quadripartita I. & IV. laterculo miniato fascia argentea, ij. & iij. quadrante argenteo, Leone muricato.

Escartelé au 1. & 4. de gueules à vne face d'argent, au 2. & 3. d'argent au Lyon de gueules.

GVILLELMVS IACOBVS DE CROVY CARDINALIS DIACONVS S. MARIÆ IN AQVIRO. LEONE X.

CROVYVM in Picardiâ Galliæ Prouinciâ non longè ab Ambiano ciuitate dissitum, ab Henrico magno donatum Ducatu in pace compositâ MDLXXXXVIII. mense Maio Veruini Veromanduorum, Legato Pontificio Alexandro de Medicis Cardinale Florentino, postea summo Pontifice Leone XI. Dux d'Arschot Crouyus adfuit Legatus Philippi II. Hispaniæ Regis supplicemque libellum eo fine Ducatûs Crouyani obtulit Christianissimo Regi, qui libenter annuit.

Guillelmus Crouyus genitores habuit Henricum Porciani in Campaniâ Gallicâ Comitem, & Principem d'Arschot, de Renty d'Araines, &c. & Catharinam Castrobrianeiam filiam Renati de Chasteau-brient Comitis de Casant. Baronis du Lyon, & Loigny præpositi Parisiensis Ludouico XI. Rege (Mortuus est Renatus MDXIV. tumulatus Porciani) & Helenæ d'Estouteuille; Secundogenitus filius fuit Guillelmus, nam eius frater natu maior Philippus I. Dux d'Arschot.

Patruus fuit Iacobus de Crouy Præsul Cameracensis, qui à Cæsare Maximiliano, anno MDXII. titulum Ducis Cameraci obtinuit, successit Guillelmus noster in eo Episcopatu, quem fratri Roberto resignauit, sicque tres fuêre cognomines Cameracenses Antistites & Duces vnus post alterum.

Abbas d'Affligem S. Petri ordinis benedictini.

Cardinalis Ximenes. Archipræsul Toletanus LXXXVIII. cuius Antecessor Franciscus Ximenius Cardinalis Minorita Academiæ Complutensis fundator vir supra titulos; Administrator Ecclesiæ Toletanæ creatus fuerat noster Crouyus à Leone X. demptis duabus ex quatuor redituum partibus, quas duabus Cathedralibus Ecclesiis erigendis attribuit.

Cardinalitiam dignitatem est consequutus titulo S. Mariæ in Aquiro adhuc adolescens precibus Caroli V. Leone X. in quartâ Patrum Purpuratorum lectione, anno MDXVII. Romæ, Calendis Aprilis, vnâ cum Antonio Boherio Cardinale, de quo superius actum.

Ioannem Ludouicum Viuem Valentinum, qui D. Augustini libros de Ciuitate Dei est commentatus, in famulitio habuit.

Vltimo die defunctus VVormatiæ Guillelmus. anno MDXXI. die XVI. Ianuarii, ætatis XXIII. cadauer in Crouyum familiæ oppidum est translatum sepulturæ ergò.

Scripsit epistolam typis mandatam ad Viuem.

Parma argentea in I. & IV. laterculo tribus fasciis muricatis expressa est Crouyorum, in ij. & iij. argentea tribus dolabris miniatis tergis obuersis, duabus in summo, vna in infimo collocatis est Rentyorum.

D'argent a trois faces de gueule I. & 4. qui est de Crouy, au 2. & 3. de Renty d'argent, a trois doloires de gueule, les deux adossees en chef, & l'autre en pointe.

CONCILIA INSERENDA CATALOGO SYNODORVM GALLICANARVM IN APPARATV GALLIÆ PVRPVRATÆ.

SANTONENSIS magnus Conuentus Episcoporum, anno MXXC. Amato Oleronensi Legato Apostolico præsidente, Bosone Episcopo Santonensi, Gosselino Burdegalensi Metropolitano; ex Papirio Massono, in libro de notitiâ Episcoporum Galliæ. Calensi Concilio sub Gregorio V. adde, tardius fuit celebratum circa annum MXX. die XVI. Cal. Iunij Kalæ in Palatio Regis Roberti, præter duos memoratos subscripserunt Hugo Turonum Archiepiscopus, Fulbertus Carnotensis, Fulco Aurelianensis, Fromondus Tricassinus, Rogerius Beluacensis, Adalbertus Laudunensis, VVido Catalaunensis, Gislebertus Meldensis, Balduinus Teroanensis, Franco Diaconus, atque Cartigraphus relegit & sigillauit.

Concilia ferè omnia Gallicana à quadringentis vltimis annis, sunt conuocata aut pro disciplinâ, & Iurisdictione Ecclesiasticâ, aut pro abusibus tollendis, aut pro moribus Cleri & populi reformandis, vnde paucis apposuimus materiam, de quâ in illis tractaretur.

Apud Castrum Gonterij diœcesis Andegauensis I. Concilium anno Christi MCCXXI. Honorio III. Summo Pontifice Ioanne Fayet Archiepiscopo Turonensi Metropolitano, Guillelmo de Bellomonte Episcopo Andegauensi, Philippo Augusto Rege.

Apud idem Castrum Gonterij II. Concilium anno Christi MCCXXXII. Gregorio IX. Summo Pontifice, Iuello de Mathefelon (cuius familiæ Dynastæ dotarunt Abbatiam Caloceyanam vulgo *Caloche* in Andegauis ordinis Cisterciensis) Turonensi Archiepiscopo, Philippo Episcopo Andegauensi, S. Ludouico Rege.

Senonense, anno Christi MCCXXXIV. Gregorio IX. Galthero Cornuti Archiepiscopo Senonensi, S. Ludouico Rege, cuius vxorem Margaritam Comitis Prouinciæ familiam coronauit hoc anno idem Galtherus.

Apud Castrum Gonterij III. die Martis proximâ ante festum S. Barnabæ anno Christi MCCXXXV. eodem Gregorio IX. Iuello Archiepiscopo Turonensi, Guillelmo Andegauensi Episcopo, S. Ludouico Rege.

Turonense, anno Christi MCCXXXVI. eodem Gregorio IX. Iuello Archiepiscopo Turonensi, S. Ludouico Rege.

Turonense aliud, anno Christi MCCXXXIX. iisdem.

Apud Vallem Guidonis (nunc Lauallium cuius Comites Guidones nuncupantur) MCCLXII. Cœlestino IV. Summo Pontifice, S. Ludouico Rege in diœcesi Cenomanensi, Marcello Turonensi Metropolitano, B. Gaufrido de Lauduno Episcopo Cenomanensi, fundatore Carthusiæ B. Mariæ de Parco, qui ibidem tumulatus colitur.

Apud Salmurium anno Christi MCCLIII. die Martis post festum S. Andreę Innocentio IV. Petro de Lambade Archiepiscopo Turonensi, Michaële Auis Episcopo Andegauensi, S. Ludouico Rege, celebratum Concilium in Abbatiâ S. Florentij ad Ostium Theodæ in Ligerim, ordinis Benedictini, diœcesis Andegauensis, Gaufrido Abbate.

Apud Castrum Gonterij IV. eodem anno MCCLIII. iisdem.

Rhedonense, die Lunæ post Ascensionem Domini anno MCCLXIII. Vrba-

no IV. Vincentio de Pilenis Archiepiſcopo Turonenſi Metropolitano, Ægidio Epiſcopo Rhedonenſi, Ioanne I. Duce Britanniæ.

Nannetenſe die Martis poſt feſtum Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, anno Chriſti MCCLXIV. iiſdem Summo Pontifice & Archiepiſcopo Turonenſi, Galerando Epiſcopo Nannetenſi, Ioanne I. Duce Britanniæ.

Apud Caſtrum Gonterij V. anno Chriſti MCCLXVIII. menſe Iulio die Lunæ poſt feſtum S. Mariæ Magdalenæ Clemente IV. pro reformatione & abuſibus tollendis, Vincentio de Pilenis Archiepiſcopo Turonenſi, Michaële Auis Epiſcopo Andegauenſi, S. Ludouico Rege.

Andegauenſe die Martis poſt quindenam natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ anno Chriſti MCCLXIX. ſede Romanâ vacante ferè tres annos poſt obitum Clementis IV. cui ſucceſſit Gregorius X. Vincentio de Pilenis Archiepiſcopo Turonenſi Metropolitano, Michaele Auis Epiſcopo Andegauenſi, S. Ludouico Rege.

Apud Salmurium II. in Abbatiâ S. Florentij die Lunæ poſt decollationem S. Ioannis Baptiſtæ, menſe Iunio, anno Chriſti MCCLXXVI. Hadriano V. Summo Pontifice, Ioanne de Montſorel Archiepiſcopo Turonenſi, Nicolao Epiſcopo Andegauenſi, Rege Philippo III. Audaci, filio S. Ludouici.

Turonenſe die Mercurij poſt feſtum S. Petri ad vincula, anno Chriſti MCCXCII. Martino IV. Turonenſi Summo Pontifice, Ioanne de Montſorel Archiepiſcopo Turonum, Philippo Audaci Rege.

Apud Roffiacum Pictauienſis Diœceſis, anno Chriſti MCCCIV. Benedicto XI. Pontifice per Bertrandum de Gouth Burdegalenſem Archiepiſcopum poſtea Papam Clementem V. tempore Galtheri Burgenſis Minoritæ Pictauienſis Epiſcopi, qui ſcripſit in Sententias.

Apud Salmurium III. in Abbatiâ S. Florentij die Veneris poſt feſtum S. Michaëlis, anno Chriſti MCCCXV. ſede vacante Romanâ duos annos poſt obitum Clementis V. cui ſucceſſit Ioannes XXII. Gofrido de la Haye Archiepiſcopo Turonenſi, Hugone Oudard Epiſcopo Andegauenſi, Ludouico Hutino Rege.

Senonenſe die Iouis poſt Pentecoſten, anno Chriſti MCCCXXIV. Ioanne XXII. Philippo de Marignì Archiepiſcopo Senonenſi qui obiit anno ſequenti ſepultus apud Carthuſianos Pariſienſes Carolo IV. Pulchro Rege.

Synodus in Pictauienſi Diœceſi, anno MCCCXXVI. Arnaldo d'Aux Epiſcopo Pictauienſi, Rege Carolo Pulchro.

Syluanectenſe Concilium eodem an. MCCCXXVI. eodemq; Ioanne Summo Pontifice & Guillelmo de Triâ Card. Archiepiſc. Rhemenſi ac Metropolitano, auunculo Philippi Valeſij Regis, & Petro Baron Epiſcopo Syluanectenſi.

Compendienſe, anno Chriſti MCCCXXIX. die Veneris poſt exaltationem Sanctæ Crucis contra impedientes iuriſdictionem Eccleſiaſticam, eiſdem Ioanne Pontifice & Guillelmo Archiepiſcopo Rhemenſi, Girardo de Cortannâ Epiſcopo Sueſſionenſi, qui adfuit alteri Synodo Compendienſi, anno MCCCIII. nam inauguratum inuenio Epiſcopum Sueſſionenſis Eccleſiæ, anno MCCXCVIII. vnde quod notaueramus aliàs ex opinione cuiuſdam Guidonem Girardi præceſſorem in hoc Epiſcopatu illi Concilio MCCCIII. interfuiſſe, ex hoc loco reſtituendum.

Apud Castrum Gonterij VI. anno M. CCCXXXVI. Benedicto XII. Stephano de Bourgueil Archiepiscopo Turonensi, Fulcone de Mathefelon Episcopo Andegauensi.

Nouiomense die XXVI. mensis Iulij, anno M.CCCXLIV. Clemente VI. Ioanne de Vienna Archiepiscopo Rhemensi Metropolitano, Philippo d'Arbois Nouiomensi Episcopo, adfuêre illi Concilio sex Suffraganei, Philippo Valesio Rege.

Turonensis Conuentus Episcoporum Ecclesiæ Gallicanæ mense Septembri, anno Christi MDX. Ludouico XII. Francorum Rege conuocante, tunc Archiepiscopo Turonensi Carolo Dominico Caretto tituli Sanctæ Cœciliæ Cardinale de Final; causa huius Conuentûs fuit dissidium inter Pontificem Iulium II. & Regem Christianissimum qui octo proposuit in illo Conuentu articulos decidendos contra Iulium Pontificem, eius nomine suppresso, hinc ortum est Conuenticulum Pisanum, & indictio Concilij Lateranensis vltimi.

Hæc omnia S. R. E. subiecta sunto.



INDEX RERVM, ET VERBORVM.

NVMERVS PAGINAM INDICAT.

Lautrec

FINIS.

ERRATA.

MIRARI satis non possum Typographos, & vt vocant, Compositores Latini idiomatis omnino ignaros, qui aliquando lectitando nomine suo laborant, typis libros mandare, certè qui Græcè non intelligit, nec omnis ferè legere multùm laborat: componendis literis sine errore, vnde non mirum si illi, aut Gallicè aut Latinò componendo characteres, in tot & tantos incidant errores, & licèt corrigantur ab Auctoribus, passim cadunt in Scyllam vitantes Charibdim, modo euadant citò & opus diei perficiant, illis parum curæ an bene vel malè: potius sunt intenti lucro quam labori, nulla ratione habita; Sed quod magis desleodum, Correctores Scholasticos vili pretio venales promote habent, qui primis labris via dum gustarunt scientias, & idioma Græcum aut Latinum primo limine salutarunt; hinc fit vt verba quædam non intelligentes alia substituant sibi nota verbi gratiâ pro B. Celestino Petro à Murrone, p.52. ponunt Macrone quia illis vox in ctoruis cognita, p.174. pro Guichardo, Richardo, p.648. pro montisferrati, montisferati, pag.203. pro Meraniæ Moraniæ, pag.233. pro Ericus Eonius, pag. 227. pro Pelusium Perusium, pag. 675. pro Ἐξ αὐτοῦ Ἐκ αὐτοῦ in Indicibus Tullensem pro Tutellensem, locum pro lacum, Prudentianæ pro S. Pudentianæ, S. Gratiani pro S. Gatiani.

Cæterùm amice Lector, corrige, si placet, numeros additos aut omissos negligentiâ Typographorum, vt pag.1. lege DCCCCXCVIII. pag 218. lege viiij. pag.444. in margine lege MCCCCLXXVIII. pag.518. in margine lege MCCCCIII. pag 487 lege MCCCCXXIX. pag.488. lege MCCCCXLVI. pag.591. lege MDLXXI. pag.665. lege vii. Aliqui etiam sunt numeri corrigendi in catalogo Pontificum & Synodorum in Apparatu.

In ipsâ Galliâ Purpuratâ, pag.4 lege superest, pag.21. vestrum caput, pag.35. lege Gnesnensi, pag.25. Synodo Romanæ, pag.42. lege Centronum, pag.47. lege Mompuiorum in Briâ, pag.48. paulò ante finem lege poscere, p.57. lege Montalbanensem, ibid. Electensem pag.62. lege diœcesis tunc Apamiarum, ibid. lege Bolbonensi, pag 68 lege coronâ argenteâ. pag. 74 lege Vignoriensem, pag.88. lege confratur, pag.103. lege Prestefons, pag. 115. lege filius pag.171. lege Philippi Augusti, pag 135. lege diœcesis filius, pag.141. lege D. Francisci quarto nonas Octobris, ibid. lege versus Elnensem, pag.143. lege constans, pag.155. lege Episcopum Conuenarum, pag.163. lege Nepotem habuit, pag.169. lege Trecentarum librarum, pag.200. lege Tolosanam ciuitatem, pag.171. lege Bigerrones, pag 303. lege Saissero, pag.323. lege Armandus Archiflamen, pag.327. lege Franciscus Petrarcha, vt alibi habetur, pag.127 lege Nabonassari, pag.331. lege sepultus ad dexteram, pag 332. lege Mutinensem, pag 334. lege tres Cardinalis nepotes, pag.457. lege Synodo Vauensi, pag 360. lege Guillelmi, pag.375. lege in Cetiam, pag 375. lege Fabri Tutellensem, pag 394 lege fasciâ aureâ, pag 440. lege à sancto Georgio, pag 489. lege Mooluetti institutus, p. 450. lege Misnensis, pag.482. lege satis concessit Ioanna Francica, pag 499. lege diœcesis Nannetensis, pag 504. lege die Martis IV. Cal. Iunij die expugnationis, pag 516. lege Sartore Patre, pag.510. denique Matthæum de Longuil, dele, *vsque inter* ead. pag. lege, Luceulis, qui & Iacobus p. 543. lege Macliniæ Brabantiæ, pag.547. lege matrimonium dissolui, pag.561. lege Regia matre, pag.136. lege pago S. Ioannis de Lus, pag 568. tolle qu'on dit escartellé de huict quartiers, ou contrescartellé, pag 55. lege in oppido Castrogeloso, pag. 576. lege quadringentis aureorum millibus, pag.579. lege litem diremerunt, pag. 587. lege ænea huic epitaphio, pag.574 dele scripsit acta &c. pag. 609 lege d'or à vne bande vitrée d'azur, pag 608 circa reos annum dele reos, pag. 621. magni illius Cardinalis à Ioyosa lege duorum Cardinalium, pag.647 lege obitu Gregorij, pag.655 *lege* in Turonensi ciuitate, & lege testamentariâ instituerat vt tumularetur Rhemis in Archiepiscopali &c. *In Apparatu*, pag.2. lege suum seruat motum iunctis: *In Catalogo Pontificum* anno 482. lege, proinde deserunt partes, ibid. anno 590 *lege* patruo suo Rege, ibid anno 678. lege Constantinopolitanum II. ibid. anno 757. lege oppugnaturi nunciabantur, ibid anno 814. lege Pij Imperatoris, ibid. anno 844. lege Carolo huic Synodo, ibid. anno 1034. lege Archiepiscopo Biturigum.

Acheué d'imprimer le dixiesme iour de Mars l'an M. DC. XXXVIII.

